CA NAZ.
manuele III
V.
7
OLI
BIBLIOTECA NAZ.
XV
II
37
NAPOLI

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

EX CEVAE MARCHIONIBVS

I. C.

Olim Archidiaconi Taurinenſis, hodie Archiepiſcopi,
& Comitis Tarantaſienſis,

ET CAROLI EMMANVELIS

ALLOBROGVM DVCIS,

ITALIÆQ. SVBALPINÆ PRINCIPIS SERENISSIMI

Apud ſacram Catholicam Maieſtatem

LEGATI;

OPERA OMNIA

AB IPSO AVCTORE RECOGNITA,

atque opportunis additionibus aucta.

TOMVS POSTERIOR.

Lucchini
Concessione

Libraria Nuova

ROMAE, Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

P. Epiſcopus de Curte Viceſger.

VArios Tractatus Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Anaſtaſij Germonij Archiepiſcopi, & Comitis Tarantaſienſis, quos ad me tranſmiſit Reuerendiſsimus Pater Fr. Hyacinthus Petronius, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter, ſcilicet, *Paratitla in quinque libros Decretalium Gregorij Noni*, *Animaduerſiones Iuris*, & *Pomeridianas ſeſſiones*, legi, & diligenter conſideraui: in quibus præter miram eruditionem, abſolutiſsimos Iuris nodos, & legum ænigmata diſſoluta reperi; quiq. cum nihil contineant, quod bonis moribus, aut religioni Chriſtianæ aduerſetur, in commune bonum publici iuris fieri poſſe autumo: quare hanc mea manu ſignatam dedi. Romæ kalendas Nouembris M. DC. XX.

Ita eſt. *Angelus Lucianus I. V. D. & in Gymnaſio Romano horis pomeridianis in prima ſede Iuris Pontificij profeſſor.*

EGo Iulius Benignus, Sacræ Conſiſtorialis Aulæ, & Pauperum Aduocatus, de mandato Reuerendiſsimi Patris Fratris Hiacynthi Petronij Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, perlegi, atque recenſui diligenter Librum hunc inſcriptum, *Acta Tarantaſienſis Eccleſiæ*, ab optimo, & ampliſſimo viro Domino Anaſtaſio Germonio eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe, in diœceſana Synodo Muſterij habita, edita; nihilque in eo reperi, quod bonis moribus, Religioni, aut Decretis ſacri Concilij Tridentini aduerſetur. ideoque in fidem hæc propria manu ſubſcripſi. Romæ die xvj. Septembris M. DC. XX.

Iulius Benignus, qui ſupra, manu propria.

EX commiſſione Reuerendiſsimi Patris Fratris Hiacynthi Petronij, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, Ego Matthæus Tortus Papienſis Sacræ Theologiæ Doctor, perlegi *Epiſtolas ad Clerum & Populum Tarantaſienſem*, Illuſtriſ-

Digitized by Google

ſtriſſimi, & Reuerendiſsimi Domini, D. Anaſtaſij Germonij Archiepiſcopi, & Comitis Tarantaſienſis, nec aduerti in ijs, quod aduerſetur Fidei, aut bonis moribus, quin potius eruditione, pietate, & varietate legentem mouent. Ideo eas dignas cenſeo, quæ typis mandentur. Datum Romæ die 13. Septembris M. DC. XXI.

Ego idem qui ſupra, manu propria.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Petronius Ord. Prædicatorum, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus,

ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS
TARANTASIENSIS,

PARATITLA

In Libros Quinque Decretalium D. Gregorij Papæ IX.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

HIERONYMVM A RVVERE
ARCHIEPISCOPVM TAVRINENS.



ROMAE,
Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti.
MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

HIERONYMO A RVVERE ARCHIEPISCOPO TAVRINENSI.

ANASTASIVS GERMONIVS

Archidiaconus Taurinenſis. S. P. D.

PRAECLARE de vniuerſo humano genere illi meriti ſunt, vir Illuſtriſſime, immortalisq, ijs habenda eſt gratia, qui cùm vita hominum anguſtiſſimis circumſcriptam finibus, variæ, ac multiplici rerum cognitioni apprehendendæ, quam ne longiſſima quidem ætas aſſequeretur, ſufficere nequaquam poſſe animaduerterent, ingenij fœlicitate, ſtudio, & induſtria, ac diuino potius afflati numine, id conſequuti ſunt, vt artes, ac ſcientias, quæ antea ſparſæ, variæ, inordinataeq; erant, in certam rationem, ordinem, ac methodum redigerent, de ijsq; diſtinctam poſteris, & compendiariam doctrinam traderent. At verò, cùm nihil legum diſciplina præclarius, orbiq; terrarum ſalutarius eſſe ſapientes viri ſcriptis prodiderint: duobus proculdubio clariſſimis mundi luminibus GREGORIO IX. *Pontifici Maximo, ac* IVSTINIANO *Imperatori, quorum præcipuè beneficio diuini, humaniq; iuris notitia ad nos peruenit, quam nullam forte, aut ſanè implicitam haberemus, non mortales ſolum, ſed diuinos prope honores à nobis deberi fatendum eſt. Alter enim, cùm fere cuncta, diuturnis conflictata bellis, ſub imperium redegiſſet, tum ad legum, ſine quibus Reſpublica diu ſtare minus poteſt, ſtudia ſe conuertit. In hanc vnam toto pectore curam incumbens, præclarum, memorabileq; facinus, a nonnullis ante Principibus fruſtra, perperamq; tentatum, aggreſſus eſt: vt immenſam illam tot ciuilium librorum molem, torrentis inſtar excreſcentem cohiberet: propeq. innumera legum volumina, quæ ingentis ſyluæ ſpeciem præ ſe ferrent, Triboniani, aliorumq. iuris anteceſſorum opera reſecaret, & leges tantum vtiles, ac neceſſarias, tam ex veterum Iuriſconſultorum monumentis, quàm Imperatorum Conſtitutionibus colle-*

ctas, in aliquot libros digereret. Quod quidem opus ſuum, verum Iuſtitiæ ſacrarium, intactum omnino, ac ſacroſanctum eſſe voluit, iniecta ſcilicet ſanctionis religione, qua vetuit, ne concinnatis à ſe legibus commentarij in poſterum applicarentur: veritus id, quod male tamen præcauere potuit: ne ſcilicet rurſus admiſſa interpretibus pro libidine laſciuiendi in legum ipſarum commentatione licentia, res in priſtinum ſtatum rediret, cæſaq; illa ſylua, ſuccreſcentibus denuò ſtirpibus, in proceriſſimas numeroſi verticis arbores exurgeret: quæ denſiores longe, quàm antea fuerint, Iuris prudentiæ vmbras afferrent. Alter verò licet grauioribus longe occupationibus, in ſedandis Italiæ tumultibus, maleq; affectis Principum animis ſanandis diſtineretur; non remiſſiore tamen ſtudio, ac diligentia, pariq; rei bene gerendæ ardens cupiditate, idem fere, quod optimus ille humanarum legum concinnator, in Eccleſiaſtico, Diuinoq; iure componendo præſtitit. Ex veteribus ſiquidem alijs Pontificum collectionibus, varijs dein Concilijs, ſanctorumq. Patrum ſcriptis GREGORIVS *hic noſter optima quæque colligens, veluti neceſſaria materie congeſta, Raymundo, alteri Triboniano, volumen hoc in quinque libros diſtinctum, quaſi ſacroſanctum iuris templum rectiſſimis quinque ſoliditſimarum, ac altiſſimarum ordinibus columnarum, conſtruendum mandauit. Et quanquam nihil tale ab ipſo tam egregiæ, admirandæq; ſtructuræ architecto de Commentarijs in ipſos non conſcribendis aperte cautum ſit, idem tamen eum ſenſiſſe certo certius mihi videtur. Sed neſcio, qua poſtmodum commentatorum licentia factum ſit, vt optimi Principes ita cauendo, nihil, aut parum admodum cauiſſe videri poſſint. Eò certe res redijt, vt grauiori, quàm antea, morbo vtrinque laboretur: cùm hodie non tam legibus, quam flagitioſa legum laceratione diuexemur: quippe eum plus gloſſarum, plus conſiliorum, plus deciſionum, plus eſt etiam lecturarum, vt vocant, quam, vt ait Plautus, muſcarum, cùm æſtatur. Quo fit, vt multi immenſo huic iuris Oceano tot interpretum diſſentientium opinionibus, quaſi confligentibus ventis agitato, committere ſe non audeant. Hæc autem à me non dicuntur, vt multorum induſtriam damnem, vel ingenium reprehendam, & quod dant aſperner: ſed quòd omnes prætermiſſo illo ſcribendi genere, Paratitlis nempe a Iuſtiniano permiſſis, interdictis ſe commentarijs dederint. paucos excipio, vel Iacobum Cuiacium Iurisconſultorum peritiſſimum, peritiſſimorum iuris doctiſſimum, qui breuia quidem ad titulos Pandectarum, & Codicis adnotata, ſed quam vtiliſſima conſcripſit. Cùm igitur iuris Pontificij conditio non deterior, quam ciuilis eſſe debeat, optandum maximè fuit præſtantem aliquem prodire ingenio, doctrinaq; virum, qui Cuiacij exemplo incitatus, eius ſtudium, ac induſtriam in hiſce Pontificalibus libris explanandis pro viribus imitaretur. Quod cùm a nemine hactenus nec factum*

cer-

cernerem, nec cogitatum intelligerem, ſuſcepi ipſe adhuc in ſcholis agens, oneris magnitudini impar, hoc opus, partemq; hanc a cæteris derelictam, ſumpſi quoquo modo poſſem excolendam; vt etſi non bene culta eſſet, non omnino tamen inculta, deſertaq; maneret. Paratula igitur ad Decretales quidem GREGORII tantum ſcripta, ſed quæ vniuerſum prope ius Canonicum breuiter complectuntur, mihi conſcripſeram. quæ deinde lauream conſequutus, quorundam amicorum hortatu, aſſiduisq; auditorum meorum precibus impulſus, etſi multis detinebar occupationibus, pro temporis tamen anguſtijs (properantius, quàm opus fuiſſet) relegi, atque vt potui recognoui. nunc autem ea in publicum emitto, non ſine aliqua ſpe, futurum eſſe, vt iuris huius ſtudioſis, licet non magnam voluptatem, quam genus ipſum argumenti plane reſpuere videtur, at ſaltem vtilitatem aliquam afferat. Tibi verò vni, vir Illuſtriſsime, vti nampridem me totum dicaui, ita haſce laborum meorum primitias offerre, atque dicare ſtatui: non tamen quòd maiorem apud te gratiam hoc leuidenſi munuſculo promereri velim, quando id totum ſummæ tuæ humanitati, non vllis meis meritis, accepto ferendum eſt; neque ob id ſolum, vt libellus hic noſter clariſsimo nomini tuo inſcriptus longe plus fidei, ac authoritatis apud homines ſibi conciliare poſſit; quod alij ſcriptores plurimi facere conſueuerunt, & ipſe aliàs feciſſem. nam licet ſis ex antiquiſſima illa, & nobiliſsima Ruuerea familia, quæ ſe plurimos optimos Præſules, Cardinales octo, Principes prope infinitos, duosq; Maximos Romanos Pontifices protuliſſe merito gloriatur: his etiam virtutibus præditus es, quæ in excellentiſsimo quouis homine deſiderari poſſunt, ita vt omnes præſtantes viri te vnum, veluti Polycleti ſtatuam, ſuſpiciant, atque admirentur. quid enim in Græcis, Latinisq. litteris ita repoſitum, ac reconditum, quod tibi per quam cognitum, apertumq; non ſit? quid in profanis, diuinisq; ſcripturis difficile, quod tibi intellectu non ſit facile? habes quoque virtutem aliam, quæ a libris non petitur, quæ vno ſcientiæ verbo continetur, ſed eam, quæ ex animi præſtantia proficiſcitur, & multas in ſe laudes amplectitur, continuum in ſuſcipiendis eccleſiæ laboribus ſtudium, miram in perferendis conſtantiam, ſingularem in excipiendis hominibus humanitatem, incredibilem in ſubleuandis manſuetudinem, ſummam in conſuetudine familiarium comitatem, admirabilem in congreſſu, & ſermone clarorum, tuiq; ſimilium virorum grauitatem, denique propenſiorem ad optima quæque voluntatem. quæ omnia, & alia non pauca, quæ breuitatis ergo omittuntur, ſatis cauſæ eſſe poterunt, vt te vnum diligerem, cuius ſub tutelari nomine opus hoc noſtrum ſecurius in ora hominum prodiret, tantam ex illo lucem præ ſe ferens, vt inuidis obtrectatoribus oculorum aciem perſtringeret, & candidis lectoribus iucundiorem ſui ſpeciem exhibiturum eſſet. Sed alia etiam fuit ra-

tio, quòd cùm ipſe iuris eſſem conſultus, in hacq; Taurinenſi Academia Pontificij iuris interpres, & huius tuæ Metropolitanæ eccleſiæ Archidiaconus; cui nam, rogo, hæc mea ſtudia aptius conſecrare, & offerre poteram, quàm tibi viro Conſultiſſimo, Academiæ Moderatori, & Cancellario magno, & huius ciuitatis Archiepiſcopo? ita vt Iuriſconſultus ad virum Conſultiſſimum, Anteceſſor ad Moderatorem, & Cancellarium, Archidiaconus ad Archiepiſcopum omnes cogitationes, & facta dirigeret. Tibi verò diſpliciturum hoc meum erga te officium non arbitror. Mihi quidem ipſi ob eam cauſam gratiſſimum fuit, quia futurum ſperabam, vt ex tenui hoc munere obſeruantiam in te meam, facilius perſpiceres. Quare precor, vt ea, qua ſoles humanitate hanc, quam profecto in hac epiſtola vides elucere voluntatem, animiq; ſingularem ad te obſeruandum propenſionem, velis ſuſcipere. Auguſtæ Taurinorum, iij. Calend. Iulij. M D L X X X V.

Digitized by Google

IVRIS PONTIFICII
STVDIOSIS IVVENIBVS

ANASTASIVS GERMONIVS
Anteceſſor Taurinenſis S.

EACTVRVSNE operæpretium viderer, ſtudioſiſſimi iuuenes, ſi hæc mea in ius Pontificium Paratitla, quæ ſtudioſius meditatus fueram, veſtris ſtudijs conſulens, in lucem prodire ſinerem, diu, multumq; apud me hæſitaui. quamuis enim mihi non indigna prorſus editione viderentur, idemq; mecum ſentire eos viderem, qui & de his iudicium ferre poſſunt, quorumq; fidem erga me, ſummamq; beneuolentiam certiſſimis argumentis teſtatam habeo; ac pleriſque, quibus illa priuatim quandoque prælegeram, ita probari intelligerem, vt non modo non diſplicerent, verum etiam omnis iam in ijs edendis mora incuſaretur: vt ea tamen ſupprimerem, illud primum hortabatur, quòd ſcribendi genus hactenus à cæteris illibatum exorſus, rei difficultatem ſentiebam, ſimulq; imminens obtrectationis periculum præuidebam. Quippe animaduertebam ius hoc ſacroſanctum, quod ſummorum Eccleſiæ Principum ſcitis, Conſtitutionibus, Conciliorum Decretis, ſanctorumq; Patrum ſententijs, vt pulcherrima ſtructura conſtat, parum ſincere, fideliterq; ab interpretibus pertractatum. Illi enim, vt id, quod res eſt, quodq; ego ſentio, dicam, in certiſſimis eius principijs interdum grauiter errarunt; & peruerſis ſenſibus, ac omnino à conditorum mente alienis loca permulta ſic deprauarunt, vt ſæpenumero quæ maximi ipſi Eccleſiæ antiſtites pro cauſarum, locorum, temporumq; varietate, nec non inſpectis circumſtantijs, prudenter excogitarunt, ſapienterq; decreuerunt, perperam intellexerint; eoq; rem ſuis expoſitionibus deduxerint, vt qui de fide non rectè ſentiunt, inde ſumpta occaſione, non in quos oportuit, nempe in interpretes ipſos, ſed in iuris ipſius authores, peccati culpam reijcientes, eos calumniari cœperint, maledicisq; inceſſere; quaſi multa ab ipſis ambitioſe magis, & auare, quàm æquitate ipſa dictante, conſtituta fuerint. Quorum interpretum expoſitionum, errorumq; redargutionem non exigui laboris, & periculi ab obtrectatoribus eſſe, animo voluebam. Verum quantum eiuſmodi difficultatum conſideratio me ab edendis meis, qualeſcumque ſunt, cogitationibus deterrebat, tantum ſtudioſorum commodi, etſi non fortaſſe magni, ſpes me ad illa proferenda impellebat. Cùm enim paucis ante annis adoleſcens viderem Cæſareum ius doctiſſimorum huius ætatis, & paulo ſuperioris, Iuriſconſultorum opera à fœda barbarie vindicatum, adeoq; illuſtratum, vt nihil pene ad illius perfectam cognitionem deſiderari amplius queat; nullum autem hactenus, vno excepto Antonio Auguſtino, qui nouiſſime Pontificij huius iuris veteres collectiones, aureum vere opus, veluti theſaurum terræ viſceribus conditum, ſummis laboribus, ſummaq; arte erutas in lucem produxit, & doctiſſimis adnotationibus illuſtrauit, idem in Pontificias leges enixum: equidem pro eo, ac debui, dolui. inde enim pariter factum eſſe exiſtimo, vt cùm permulti, ac fere innumeri, iuris ciuilis elegantia, & lautitia illecti ſint, pauciſſimi tamen reperiantur, qui ad hoc ſtudium, veluti ſentibus obductum, ſe conuertant. Indigniſſimumq;

mumq; mihi viſum eſt, præſtantiſſimam hanc iuris prudentiæ partem, quippe in ſacris, & ſacerdotibus, rebusq; ad ius publicum, immo diuinum, pertinentibus conſiſtentem, iacere incultam, negligi omnino, & ignorari. Itaque venit mihi in mentem nonnullos annos in hoc iure diſcendo, & docendo non omnino defunctorie verſanti aliquid in hac parte audere Catholicæ Eccleſiæ alumno non indignum; & quod ſaltem præclara ingenia ad fertilis huius ſoli culturam, magno cum ſtudioſorum emolumento, adeoq; totius Chriſtianæ Reipublicæ ornamento ſuſcipiendum, atque hoc ius illuſtrandum excitaret: vtq; puderet iam doctiſſimos viros, quorum proprium hoc eſt munus hæc curare, eiuſmodi commentationes negligere. Quæ res cùm animo meo obuerſaretur, negotium non vltra differendum cenſui. Cùm igitur de ſcribendi genere cogitarem, nihil fore vtilius exiſtimaui, quàm ſi Paratitlis conſcribendis ducem huius itineris, Iacobum Cuiacium Iuriſconſultorum hac ætate phenicem, quo ad poſſem ſequerer. Verum, opus agreſſus ſenſi difficultatem, quæ latuerat. Etenim cùm breuia mihi in quinque Decretalium Gregorij IX. libros adnotata, ac veluti indices, quibus ipſa Paratitlorum ratio continetur, facere propoſuiſſem: animaduerti inutilem me prorſus, & vanam operam auſpicari, ſi hanc, quam ordiebar, telam, non adhibitis quoque ſexti eorundem Decretalium libri, authore Bonifacio VIII. editi, item Clementis V. Nouellisq; Ioannis, & aliorum Pontificum conſtitutionibus, quas Extrauagantes appellant, necnon ſacri Concilij Tridentini decretis, quibus multa veteris huius iuris innouantur, ſupplentur, & emendantur, pleraq; verò deſuetudine antiquata reſtituuntur, contexerem. Ad hæc, cùm Raymundus compilator totum hoc Pontificale ius ſparſum, huſce quinque libris, veluti aquarum multitudinem anguſto alueo concluſerit, neceſſariò euenit, vt ſingulis prope horum librorum titulis permulta, quæ pluribus alioquin ciuilium librorum, Digeſtorum, & Codicis titulis diſtinctè, ac ſeorſum traduntur, ſimul in vnum collecta ſint, & comprehenſa: ideoq; eius rei latiorem tractatum prætermittere ſine flagitio nequirem. Quibus rebus effectum eſt, vt operis, quod ſuſceperam, cuiusq; partum non laborioſæ admodum editionis fore putaram, difficultatem non exiguam ſenſerim, hoc, veluti cumulo, excreſcente. His acceſſit maius illud incommodum, ac omnium grauiſſima cura illa animum ſubijt, quòd planiſsimè intelligebam, interpretes noſtros, quorum ἀμαθίᾳ commentarijs obſcuratum verius, quàm illuſtratum ius hoc Pontificium dicimus, antiquitatis plerumque ignoratione fœde lapſos fuiſſe. Quapropter ne ipſe in eundem, vt dici ſolet, lapidem impingerem, maiorem longe diligentiam, quàm initio exiſtimaueram, intenſius ſtudium, plurimorumq; authorum lectionem ad id, quod parabam, perficiendum, neceſſariam eſſe re ipſa doctus intellexi; aliter atque mihi antea perſuaſeram. Quare ſiquid in ſacra veteris, nouiq; Teſtamenti pagina, in Apoſtolorum traditionibus, Concilijs, ſanctorumq; Patrum, veluti Chryſoſtomi, Nazianzeni, Athanaſij, Cypriani, Gregorij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Thomæ Aquinatis, aliorumq; Eccleſiæ Luminum ſcriptis, & in Nomocanone Photij, atque non vulgaribus Theodori Balſamonis Antiocheni Patriarchæ interpretationibus deprehendi, quod argumento noſtro deſeruiret, locisq; Pontificijs lucis aliquid afferret, nihil eorum ſciens prætermiſi, ita tamen ne inſtituti modum excederem. Iam verò permulta nobis ex Iuriſconſultorum libris, Imperialibus conſtitutionibus, veluti ex puriſſimis fontibus, huc deriuanda fuerunt; non paucis à

varijs

varijs, ijsq; grauiſſimis cuiuſque ferme generis ſcriptoribus, hiſtoricisq; ſubminiſtratis. Hæc, mihi ſubſidia, & auxiliares manus, nouum explicandi iter aperire volenti comparanda fuerunt: quibus deſtitutus, fruſtra hos aditus recludere tentaſſem. harum verò rerum inueſtigatio, quòd plurimæ ex ijs in receſſibus, abditisq; veterum monumentis laterent, quodnam temporis, ac laboris, vt alia prætermittam, impendium afferant, ipſa res declarat; & æqui lectores facile agnoſcent. Quid illæ porrò titulorum connexiones, rerumq; diffinitiones, quæ res mihi duo in primis obſeruandæ erant? vix enim, dici poteſt; quantum in rationibus continuationum, vt vocant, eruendis ſtudij, & operæ conſumpſerim, quoties hoc me negotium vlterius progredi volentem quaſi Echeneis remoratum ſit. Eorum verò, quæ in iure traduntur, latentes definitiones inuenire difficile, & periculoſum eſſe nemo, vel mediocriter in iure verſatus ignorat. Illud poſtremo loco me diu ſuſpenſum tenuit, quod prætermittendum non fuerat, an videlicet Pontificias haſce deciſiones eodem ſtylo referrem, quo ſunt exaratæ, ſimplici nempe, ac minus Romano, an verò puriorem dictionem reponere conarer; quod & ſumpta à nobis illuſtrandi huius iuris ratio poſtulare videbatur. quem ad laborem equidem recentium Pontificalium edictorum eleganti ſermone conſcriptorum exemplis inuitari videbar; ne quid dicam de Concilij Tridentini reformationibus; quibus vnà cum vitioſis rebus verba quoque ſemibarbara de induſtria reiecta, & in illorum locum puriora repoſita ſunt. Verumenimuero vt ſcriptionis genere noſtris vſitato hìc vterer, & per eadem veſtigia ipſe decurrerem, me illud maxime mouit: quòd multas eius notæ dictiones eſſe intelligebam, quæ vt artis vocabula, rerum, aulæ, & ſeculi illius, quo pura Latinitas, Italia à Barbaris occupata, prope exulabat, ac fere interierat, propria fuere, ideoq; Latine reddi integro earum permanente ſenſu, niſi verborum circuitu adhibito, non facile poſſent. Deinde cùm hìc non interpretem propriè agerem, (etſi locos non paucos minus recte à commentatoribus perceptos, germano, ni fallor, ſenſu expoſui) ſed eorum, quæ hiſce libris condita ſunt, ſimplicem enarratorem agerem: officio meo magis conuenire exiſtimabam, ſi quo quæque ſtylo conſcripta fuerant, illa eodem prorſus referrem. His itaque tot incommodis affectus, non vt labori parcerem, ſed viribus meis in ſuperandis tot difficultatibus diffidens, parum abfui, quin ab incœptis deſiſterem. Et ſi modo forte hæc ſatis proſpere mihi, &, vt dicitur, tanquam virgula diuina oſtenſa, ceſſiſſent, non omnibus tamen rei incommodis defunctum me arbitrabar: ſed illud præcipuum, quod ſcriptores male ſemper habuit, detractionis adhuc manere non contemnendum periculum. Multos enim fore ſuſpicabar, qui me temeritatis, & arrogantiæ reum facturi eſſent, qui tam magni nominis, omniumq; ore celebratos interpretes, quaſi male in hoc iure verſatos, in iudicium vocare auſus ſim; mihiq; tantum ſumpſerim, vt damnata vetere eorum docendi, interpretandiq; ratione apud omnes recepta, plauſibiliq; facta, potiorem me adinueniſſe crediderim. quod vnum vehementer animum meum ancipitem habuit, an quo cœperam, pergendum mihi eſſet; quando non tam intereſt quo quicquam animo ſcribatur, quàm quo accipiatur. quare non immerito vereri debui, ne in quo alijs prodeſſe volui, id inepte mihi noceret. Vicit tamen apud me & amicorum ſententia, atque ſtudioſorum preces, quibus, vt initio dixi, qualeſcunque has agelli mei primitias, cùm præguſtandas obtuliſſem, magnopere probari intellexeram, vel eo nomine, quia multa à veteribus vel diſſimulata, vel prætermiſſa animad-

uerte-

uerterunt à me tractari, quæ ſcitu digna eſſe quiuis legendo cognoſcet: pleraque verò vel obſoleta, fuſius tamen ab illis, ne dicam ad nauſeam, pertractata; quædam etiam poſterioribus conſtitutionibus antiquata, non pauca nouo iure introducta, quæ ipſos, vt ſuperioris ſeculi homines neceſſario latuerunt, à me non omiſſa quidem, ſed compendio ſunt dicta. Quare non dubito fore, quin hæc Paratitla ad ſuas Epitomas collata, rerum vtiliſſimarum, orationisq; compendio, ſtudioſis omnibus, ſaltem tyronibus, vtilia futura ſint, doctioribusq; nequaquam ingrata. Quibus me venia ſaltem dignum pro eorum humanitate viſum iri nonnihil ſpero: quòd rem tantam tam exiguis viribus aggredi ſim auſus: quia non tam ſpe id, quod optabam aſſequendi feci, quam, vti dixi, vt quaſi rauco tenuis tubæ meæ ſono, ceu claſſico, ſtrenui homines excitarentur; quorum virtute & doctrina Pontificia hæc iura, quæ nobiliſſimam iuriſprudentiæ partem complexa ſunt, non modo contemni poſthac deſinant, ſed amari, coli, ac deſiderari ab omnibus incipiant. Reliquum eſt, ſtudioſiſſimi iuuenes, vt hoc qualecunque monumentum, quod vobis offertur, ab eo certe profectum, qui ſtudijs veſtris, quantum in ſe eſt, quacunque ratione conſultum vult, grato, candidoque, quo datur animo, in ſinum, complexumq; veſtrum accipiatis; ſimulq; ius hoc Eccleſiaſticum, quod publicum, immo vere Diuinum eſt, rectam viuendi rationem continens, rerum publice, priuatimq; bene gerendarum exemplar, quo veluti indice ad ſalutis noſtræ portum recta ducimur, ſtudioſe complectamini, diurnaq; ac nocturna manu verſetis, & in delitijs habeatis, inde optimos atque vberrimos, Deo annuente, fructus percepturi.

Digitized by Google

TITVLORVM QVINQVE LIBRORVM Decretalium Gregorij Noni.

INDEX ALPHABETICVS.

A

Accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. lib v. tit.j. pag. 91
Adulterijs & stupro. lib.v. tit.xvj. 99
Aetate, & qualitate, & ordine præficiendorum lib.j. tit. xiij. 13
Alienatione indicij mutandi causa facta lib.j. tit. xlij. 26
Appellationibus, recusationibus, &c. lib.ij. tit.xxviij. 45
Apostatis & reiterantibus baptismum. lib.v. tit.ix. 96
Arbitris. lib.j. tit.xliij. 27
Auctoritate & vsu pallij. lib.j. tit.viij. 9

B

Baptismo & eius effectu. lib.iij. tit.xlij. 72
Bigamis non ordinandis. lib.j. tit.xxj. 16

C

Clericis peregrinantibus. lib.iij. tit.xxix. 47
Clericis coniugatis. lib iij. tit.iij. 50
Clericis non residentibus in ecclesia, vel prebendis. lib.iij. tit. viij. 30
Clericis pugnantibus in duello. lib.v. tit xiiij. 98
Clerico ægrotante vel debilitato. lib.iij. tit.vj. 53
Clerico venatore. lib.v. tit.xxiij. 103
Clerico percussore. lib.v. tit.xxv. 103
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. lib.v. tit.xxvij. 104
Clerico non ordinato ministrante. lib.v. tit.xxviij. 105
Clerico per saltum promoto. lib.v. tit.xxix. 105
Cognatione spirituali. lib.iij.tit.xj. 83
Cognatione legali. lib.iij. tit.xij. 84
Cohabitatione clericorum & mulierum. lib.iij.tit.ij. 49
Collusione detegenda lib.v.tit.xxij. 102
Commodato. lib iij. tit xv. 56
Concessione prebendæ & ecclesiæ nō vacantis li.iij.tit.viij 53
Conditionibus appositis in desponsatione, vel in alijs contractibus. lib.iij. tit.v. 82
Confessis. lib.ij tit.xviij. 35
Confirmatione vtili, vel inutili. lib.ij. tit.xxx. 47
Coniugio leprosorum. lib.iij. tit.viij. 82
Coniugio seruorum lib iij. tit ix. 82
Consanguinitate & affinitate. lib iiij. tit xiiij. 84
Consecratione ecclesiæ vel altaris. lib.iij.tit xl. 71
Constitutionibus. lib.j.tit.ij. 4
Consuetudine. lib j. tit.iij. 6
Conversione coniugatorum. lib iij. tit.xxxij. 65
Conuersione infidelium. lib.iij.tit.xxxiij. 66
Corpore vitiatis ordinandis, vel non. lib.j.tit.xx. 15
Crimine falsi. lib.v. tit.xx. 102
Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum sacramentorum. lib iij. tit.xliij. 73

D

Decimis primitijs, & oblationibus. lib.iij. tit.xxx. 63
Delictis puerorum. lib.v.tit.xxiij. 103
Deposito. lib.iij. tit.xvj. 57
De desponsatione impuberum. lib.iiij.tit.ij. 80
Digamis. lib.j. tit.xxj. 16
Dilationibus. lib.ij. tit viij. 31
Duorum jus. lib.iij. tit.xix. 87
Dolo & contumacia. lib.ij tit.xiiij. 34
Donationibus. lib.iij. tit.xxiiij. 60
Donationibus inter virum & vxorem, & de dote post dimortium restituenda. lib.iij.tit.xx. 89

E

Ecclesijs ædificandis vel reparandis. lib.iij.tit.xlviij. 75
Electione, & electi potestate. lib j. tit.vj. 7
Empcione & venditione. lib.iij. tit.xvij. 57
Eo, qui mittitur in possessionē causa rei seruādæ. lib.ij.tit.xv. 35
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. lib.iij. tit.vij. 81
Eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ. lib.iij. tit.xij. 84
Eo, qui ordinem furtiue suscepit. lib.v. tit.xxx. 105
Exceptionibus. lib.ij.tit.xxv. 42
Excessibus prælatorum & subditorum. lib.v.tit.xxxj. 106

F

Feriis. lib.ij. tit.ix. 31
Feudis. lib.iij. tit.xx. 58
Fide instrumentorum. lib.ij. tit.xxij. 39
Fideiussoribus. lib.iij. tit.xxij. 59
Filijs presbyterorum ordinandis, vel non. lib.j.tit.xvij. 14
Foro competenti. lib.ij. tit.ij. 29
Frigidis & maleficiatis, &c. lib.iiij. tit.xv. 85
Furtis. lib.v.tit xviij. 100

H

Hæreticis. lib.v. tit.vij. 95
His, quæ vi metusve causa fiunt. lib.j. tit.xl. 26
His, quæ fiunt á prælatis sine consensu capituli. lib.iij.tit.x. 54
His quæ fiunt a maiore parte capituli. lib iij. tit.xj. 55
His qui filios occiderunt. lib.v.tit.x. 97
Homicidio voluntario vel casuali. lib.v.tit.xij. 97

I

Immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. lib.iij tit xlix 75
Infantibus & langvidis exponēdis. lib.v. tit.xj. 97
In integrum restitutione. lib j. tit.xl. 26
Iniurijs & damno dato. lib.v. tit.xxxvj. 109
Institutionibus. lib.iij. tit.vij. 53
Iudæis, & Sarracenis, & eorum seruis. lib.v.tit.vj. 94
Iudicijs. lib.ij.tit j. 28
Iuramento calumniæ. lib.ij. tit.vij. 32
Iureiurando. lib.ij. tit.xxiij. 39
Iure patronatus. lib.iij. tit.xxxviij. 69

L

Libelli oblatione. lib.ij. tit.iij. 30
Litis contestatione. lib.ij tit.v. 30
Locato & conducto. lib.iij.tit.xviij. 57

M

Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi, lib.v. tit.v. 93
Maioritate & obedientia. lib.j. tit.xxxiij. 22
Maledicis. lib.v. tit.xxvj. 104

Matri-

Digitized by Google

Matrimonio contracto contra interdictum eccleſiæ. lib. iij. tit xvj. 86
Matris petitionibus. lib.ij.tit.iij. 30

N

NAtis ex libero venere. lib iiij. tit.x. 83
Ne clerici vel monachi ſeculanibus negotijs ſe immiſceant. lib.iij. tit.l. 77
Ne prælati vices ſuas, vel eccleſias ſub annuo cenſu concedant. lib.v. tit.iij. 93
Ne lede vacante aliquid innouetur. lib.iij. tit.ix 54
Noui operis nunciatione. lib.v. tit.xxxij. 106

O

OBligatis ad rationem ordinandis vel non. lib.j.tit.xix. 15
Obtentione reiunctorum. lib.iij. tit.xlvj. 74
Officio Archidiaconi. lib.j tit.xxi j. 16
Officio Archipresbyteri. lib j tit.xxiiij. 17
Officio primicerij lib.j. tit.xxv. 18
Officio ſacriſtæ. lib j. tit xxvj. 18
Officio cuſtodis. lib.j. tit xxvij. 18
Officio Vicarij. lib j. tit xxviij. 18
Officio & poteſtate iudicis delegati. lib.j. tit xxix. 19
Officio legati. lib j. tit. xxx. 20
Officio iudicis ordinarij. lib j tit.xxxj. 21
Officio iudicis lib j tit.xxxij. 22
Ordinatis ab epiſc. qui renunciauit epiſcopatui li.j tit xiij 12
Ordine cognitionum. lib.ij tit.x. 30

P

PActis. lib.j. tit.xxxv. 24
Parœcijs & alienis parœcianis lib.iij.tit.xxix. 63
Peculio clericorum. lib.iij tit.xxv. 61
Permutatione. lib.iij. tit.xix. 58
Pœnis. lib.v.tit.xxxvij. 109
Pœnitentijs & remiſſionibus. lib v.tit.xxxviij. 110
Pignoribus & alijs cautionibus. lib.ij. tit.xxj. 58
Plus petitionibus. lib.ij. tit.xj. 32
Poſtulando. lib.j.tit.xxxvij. 25
Poſtulatione prælatorum lib.j. tit.v. 7
Præeundo & dignitatibus. lib.ij. tit.v. 51
Precarijs. lib iij. tit.xiij. 56
Presbytero non baptizato. lib.iij. tit.xliij. 73
Præſcriptionibus. lib.ij. tit.xxvj. 43
Præiumptionibus. lib.ij.tit.xxiij. 39
Priuilegijs & exceſſibus priuilegiatorum. lib.v.tit.xxxiij. 107
Probationibus. lib ij. tit.xix. 36
Procuratoribus lib.j tit xxviij. 25
Purgatione canonica. lib.v. tit.xxxiiij. 108
Purgatione vulgari. lib.v. tit xxxv. 108
Purificatione poſt partum. lib.ij. tit.xlvij. 75

Q

QVi clerici vel vouentes matrimonium cõtrahere poſſunt. lib.iiij. tit.vj. 82
Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari. lib.iiij. tit xvij. 87
Qui filij ſint legitimi. lib.iiij.tit.xvij. 86

T

RAptoribus, incendiarijs, & violatoribus eccleſiarum. lib.v.tit.xvij. 100
Rebus eccleſiæ alienandis.vel non. lib.iij tit.xiij. 55
Regularibus & tranſeuntibus ad relig. lib.iij. tit.xxxj. 65
Regulis iuris. lib.v. tit xlj. 113
Religioſis domibus.ve epiſcopis ſint ſubiectæ li.j.tit.xxxvj.62
Reliquijs, & veneratione ſanctorum. lib.iij. tit.xlv. 74
Renunciatione. lib.j tit.ix. 10
Rerum permutatione. lib.ij. tit.xix. 58
Reſcripſis. lib j. tit iij. 5
Reſtitutione ſpoliatorum. lib.ij. tit.xiij. 33

S

SAcramentis non iterandis. lib.j. tit.xvj. 14
Sacra vnctione. lib.j.tit.xv. 11
Sagittarijs lib.v. tit.xv. 99
Schiſmaticis.lib.v.tit.viij. 95
Scrutinio in ordine faciendo. lib.j. tit.xij. 12
Secundis nuptijs. lib.iiij. tit.xxj. 89
Sententia & re iudicata lib.ij. tit.xxvij. 43
Sententia excommunicationis. lib.v.tit xxxix. 111
Sepulturis. lib.iij. tit.xxviij. 62
Sequeſtratione poſſeſſionum & fructuum. lib ij. tit xviij 35
Seruis non ordinandis &c. lib.j.tit.xvij. 15
Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur vel promittatur. lib.v.tit.iij. 92
Solutionibus. lib iij. tit.xxiij. 60
Sortilegijs. lib.v. tit.xxj. 102
Spontalibus & matrimonijs lib iiij tit.j. 78
Sponſa duorum. lib.iiij. tit.iij. 81
Statu monachorum,&c lib.iij. tit.xxxv. 67
Succeſſionibus ab inteſtato. lib.iij. tit.xxvij. 61
Summa Trinitate, & fide Catholica. lib.j. tit.j. 3
Supplenda negligentia prælatorum. lib.j. tit.x. 10
Syndico & actore. lib.j. tit.xxxix. 25

T

TEmporibus ordinationum,&c. lib j. tit.xj. 11
Teſtamentis & vltim. voluntatibus. lib.iij. tit.xxvj. 61
Teſtibus & atteſtationibus. lib ij. tit.xx. 36
Teſtibus cogendis, vel non. lib.ij tit.xxj. 38
Torneamentis. lib.v.tit.xiij. 98
Tranſactionibus lib.j. tit.xxxvj. 24
Tranſlatione epiſcopi. lib j tit.vij. 8
Tregua & pace. lib.j. tit.xxxiiij. 23

V

VErborum ſignificatione. lib.v.tit.xl. 112
Vita, & honeſtate clericorum. lib.iij. tit.j. 48
Voto, & voti redemptione. lib ij tit.xxxij. 66
Vſuris lib.v.tit.xix. 101
Vt eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. lib.iij. tit xij. 55
Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam diffinitiuam lib.ij. tit.vi. 31
Vt lite pendente, nihil innouetur. lib.ij.tit.xvi. 35

FINIS.

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus,

ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS,

PARATITLA

IN LIBROS V. DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII PAPAE IX.

POST illos veteres Decretorũ collectores, Iſidorum, Burchardum, Iuonem, Gratianum, ac cæteros, qui priuata auctoritate multas, variaſq. ſummorum Pontificum epiſtolas, variasq. conſtitutiones ex Concilijs tam generalibus, quàm prouincialibus excerptas, plurimasque ſanctorum Patrum ſententias in vnum corpus digeſſerunt, alij ſumma probitate, ac ingenio viri ſequuti ſunt, qui & ipſorum ſummorum Eccleſiæ Principum epiſtolas, regulasq. collegerunt, vti Bernardus Præpoſitus Papienſis, mox Fauentinus Epiſcopus, cuius collectio prima compilatio eſt dicta. Huic ſucceſſit Gibertus, & Alanus, & eorum diſcipulus Ioannes Gallenſis; qui à magiſtris tentata, & inchoata ſibi quaſi propria vindicauit: & hæc fuit ſecunda compilatio. Eodem exemplo ſequutus eſt Bernardus Archidiaconus Compoſtellanus, qui etiam nulla, vti ſuperiores, auctoritate, tertiæ compilationi, quæ eſt Romana appellata, cœpit operam dare. Interim tamen Petro Beneuentano Innocentius huius nominis tertius, qui cùm, vt Pontificia auctoritate aliqua collectio ederetur, à Romanis hominibus plerumque eſſet rogatus, mandauit, vt publica auctoritate Decretalium liber conſcriberetur; quo factum fuit, vti tertiam haberemus compilationem. Subinde in Concilio Lateranenſi ab eodem Innocentio conuocato, aliud quoque volumen poſterioribus eius conſtitutionibus, & ipſius Laterane nſis Concilij lxxj. capitibus eſt comprehenſum; ex quo quarta compilatio nomen habuit. Tandem quinta collectio acceſſit à Tancredo Bononienſi Archidiacono, ex Honorij iij. conſtitutionibus concinnata. Nouiſſime verò Gregorius nonus iam dictas quinque collectiones in ordinem, & compendium, idque libris quinque diſtrictum à Raymundo eius capellano redigi iuſſit; ita vt omnes conſtitutiones, & epiſtolæ decretales, quæ ad vſum ſui temporis facere videbantur, eo volumine continerentur, & quæ dubiæ in prioribus erant, declararentur; ſimiles, contrariæ, ſuperuacuæ, atque inutiles penitus ſummouerentur. quod, de ſuo nomine, appellari voluit *Decretales*. quemadmodum Theodoſianus Codex ab Imperatore Theodoſio, & Iuſtiniani Codex ab Iuſtiniano dictus. Sic & Gregorianus, & Hermogenianus, licet non ab Imperatoribus, ſed ab earum editionum auctoribus deducant nomen. Decreta dicuntur ſtatuta, ſeu ſententiæ. Decreta à decernendo deriuant. Decernere eſt, cùm quis cognoſcens ſtatuit, *l. 1. ff. de conſtitut. princ.* hinc Decreta appellantur ſententiæ in cauſarum cognitionibus prolatæ, *l. nec quicquam. ff. de offic. proconſ.* idque apertius conſtat ex inſcriptione plurium legum, vel in *l. vlt. ff. de iure patron.* Paulus, inquit, *imperialium ſententiarum in cogitationibus prolatarum, ſeu Decretorum ex libris ſex libro primo*. Vnde Cicero, *Senatus Decreta*; ſic *Pontificum Decreta. can. ſi Romanorum* 19. *diſt.* & hæc conſtitutiones vulgo appellamus, *d. l. 1. & d. cap. ſi Romanorum*. quælibet enim conſtitutio, & Decretum dicitur, *cap. ne innitaris. infra*

infra tit. ſecundo.l. 1. S. *vlt. ff. quod quiſque iur.* & hæ conſtitutiones quandoque ſimplici nomine, *Decretalia*, quandoque *Decretales epiſtolæ* nuncupantur. *d. cap. ſi Romanorum. can. ſancta.* S. *item Decretales.* 15. *diſt.* Plane ex his quædam ſunt perſonales, ſeu ſpeciales, quædam generales; illæ vel diriguntur ad vnam prouinciam, *cap. quædam lex.* S. *quod ſcripſi.* 38. *q.* 3. vel ad vnam eccleſiam, *cap. hinc eſt etiam* 16. *quæſt.* 1. aut ad vnam perſonam, *cap. petiſti.* 7. *quæſt.* 1. & hæ ad exemplum non trahuntur, dictis locis, & *d. l.* 1. *de conſtit. princ.* & *l.* 2. *C. eod. de leg. & conſtit. princ.* S. *quod Principi. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.* Sed hæ, priuilegia potius appellantur. Iſidorus *etymolog.* 5. *cap.* 18. priuilegium inde dictum ait, quod in priuato feratur: ita etiam in *can. priuilegia diſt.* 3. Conſtitutio etenim de vniuerſis eſt, priuilegium de ſingulis. Quare veteres, auctore Gellio *lib.* 10. *cap.* 20. priuata dixere, quæ nos ſingula dicimus. Generales autem ad omnes extenduntur, *cap. omnia, cum ſeq.* 25. *quæſt.* 1. quocirca videmus Decreta, ſeu Decretales epiſtolas nihil aliud eſſe, quàm Pontificales conſtitutiones; quas Gregorius ix. in quinque, vti diximus, libros digeſſit, libros etiam exemplo veterum certis titulis diſtinxit; titulos capitibus diuiſit. Appellatur quoque hic liber *Extrauagantium*; tametſi vulgo *Extra*, forte breuitatis cauſa, dicatur. quem hac ratione dictum opinor: ſiquidem illa compilatio prima *Breuiarium extrauagantium* inſcribebatur: quo nomine inſcribitur etiam *Barcinonenſis liber*, & *Romanus Extrauagantium*. Dici autem Extrauagantes ſemper exiſtimaui, quod extra Decretorum libros vagarentur. quã ſane inueteratam opinionem comprobaui magis, cùm nuper virum eruditiſſimum, & in iuris vtriuſque diſciplina clariſſimum, ac in antiquorum nionumentis præſtantiſſimum Antonium Auguſtinum, idem ſuſpicari viderem.

Digitized by Google

DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII IX. LIB. I.

De ſumma Trinitate, & Fide Catholica. *Tit.* 1.

PTIMA quidem ratione ſummus iuris Canonici Princeps, ac CHRISTI in terris vicarius, à ſumma Trinitate, & Fide Catholica exorditur: cũ ab ea ſint nobis agendi capienda primordia. Vbi enim CHRISTVS non eſt fundamentum, nihil recte ſuperædificari poteſt, *cap. cùm Paulus. 1. quæſt. 1.* & *cap. 1. ſynod. ſexta in Trullo*; & in *can. In nomine Domini diſt. 23.* & *can. non liceat 26. quæſt. 5. Specul. in tit. de inſtrumen. edit. §. 2. in 1. col. Bart. & alij ad rub. ff. de nou. oper. nuntiat. Iaſon. & alij ad rub. ff. de iuſt. & iure.* tum politica gubernatio magiſtratus à Deo perinde conſtituta eſt, ac ſacerdotium ipſum, *cap. quæſitum. 23. q. 4.* quod adeo verum eſt, vt ita etiam ſenſerint Ethnici, ex quibus Homerus *lib. 1. Iliad.* diſertè ſcribit, regis imperium à Ioue proficiſci. Eſt id enim natura inditum hominibus, vt auctor eſt Ariſtoteles. Quare id ius cùm naturale ſit, hoc eſt à Deo Opt. Max. naturaliter hominum mentibus inditum, neceſſe eſt, vt & diuinum dicatur: quod & Apoſt. *ad Rom. 13.* indicat, cùm ait: omnem hominem poteſtatibus excellentibus ſubditum eſſe debere: nec magiſtratum ſine cauſa gladiũ geſtare, cùm ad vindicanda ſcelera Dei miniſter ſit. Eſt autem ius omne, aut publicum, aut priuatum: publicum etiam in ſacris conſiſtit, *l. 1. ff. de iuſt. & iur. c. ius publicum. 1. diſt.* Vnde Quintilianus poſuit ius ſacrum, publicum, & priuatũ, prout in 12. habetur tabulis, argumento eius, quod à Mileſio apud Ariſt. *lib. Polit. 2. cap. 6.* cõſtitutum fuit; vt regio in tres partes diuideretur. vt vna eſſet ſacra, altera publica, tertia priuata. In Americæ quoque ampliſſimo Regnõ Peruenſi Reges, qui Ingas, vt apud nos Cæſares, vocabantur, quidquid acquirebant, in tres partes diuiſiſſe auctor eſt Ioſephus Acoſta *in ſua Indiarum Hiſtoria lib. 6. cap. 15.* quarum prima diuino cultui, ac religioni, ſecunda Regi, tertia vniuerſitati aſſignabatur. Sed publico continetur ſacrum. De ſacro igitur prius, tanquam de digniori, ac proinde de ſumma Trinitate: cùm & ipſa Trinitas ſit vniuerſorum principium, ab eaque elementa omnia, ac eorum diſpoſitio producta ſint in omnem terrarum orbem. *I. 1. C. de vet. iur. enucl.* quæ primùm ſcriptis propheticis, tum Apoſtolicis comprehenſa, ac quatuor conciliis declarata; vt Trinitas ſit vnus Deus in Trinitate, & Trinitas in vnitate: vnde ille eleganter cecinit, Deus Trinus, & Vnus, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus: tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura prorſus ſimplex. Secunda pars huius tituli eſt de Fide, quæ eſt fundamentum, & baſis totius Chriſtianæ religionis. Fides enim hic accipitur, prout Apoſtolus ad Hebræos ſcripſit: vt ſit *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*. Ex quibus hic præcipue de tribus agitur, quaſi horum deſtituti præſidio nequeant homines ſaluari: ac proinde de Sacramento Euchariſtiæ prius: in quo CHRISTI corpus, & ſanguis ſub ſpeciebus panis, & vini verè, ac realiter continetur, transſubſtãtiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem diuina poteſtate. Et hoc ſacramentum conficere nemo poteſt, niſi ſacerdos rite ſecundum claues Eccleſiæ ordinatus. Secũdò de Baptiſmo, quod tam paruulis, quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocunque rite collatum prodeſt ad ſalutem. Poſtremo de Pœnitentia poſt ſuſceptionem Baptiſmi in peccatum prolapſo neceſſaria. Quare D. Hieronymus ſecundam tabulam eſſe perpulchre tradidit. Ob

Germonij Paratitla.

quam fidem, & operationem bonam non modo virgines, & continentes, ſed & coniugati ad æternam beatitudinem merentur peruenire. Hoc titulo reprobatur, & damnatur libellus, quem Abbas Ioachim in Petrum Lombardum, qui vulgo Magiſter Sententiarum dicitur, edidit de vnitate, ſeu eſſentia Trinitatis: non tamen vt hæreticus, cùm omnia ſua ſcripta ſedi Apoſtolicæ dirigeret, vel vt approbarentur, vel corrigerentur, ſcribens ſe perpetuo illam profiteri fidem, & tenere, quam Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater, atque magiſtra tenet, & obſeruat. Sed quoniam eius ſcripta à Catholicis, aut orthodoxis ſeorſum ſentiebant, damnata fuere. Damnatur quoque peruerſiſſimum impij Almarici dogma. Fuit ſane Almaricus, ſiue Amorricus Carnotenſis vir eruditus, ſed hæreticus: fuitque conuictus viginti erroribus; quorum vnus erat: Corpus CHRISTI non magis eſſe in ſacramẽto Euchariſtiæ, quàm in re qualibet alia. Hinc eſt, quod ſummus Pontifex hic in fine ait: *Vt eius doctrina non tam hæretica, quàm inſana ſit cenſenda*. Eius autem ſequaces, cum eiuſdem oſſibus refoſſis Lutetiæ poſtea vſti ſunt. *Gagui. lib. 6. Aemil. lib. 6. Bernar. Lutzem. in catal. haret. Genebrard. Chron. lib. 4.*

De Conſtitutionibus. *Tit.* 2.

COHAERET iure merito hic titulus ſuperiori, cùm de ſacro parte iuris publici actum ſit: mox de alia publici iuris parte, quæ in magiſtratibus, & ſacerdotibus eſt poſita, ex quibus ſacræ emanant leges: ac primum de generalibus, hoc eſt conſtitutionibus. Recte ſane Raymundus fecit, qui ius Pontificium, diuino proximum, antecedentibus ſequentia, inferiora ſuperioribus ſumma ratione annexit. Nam familiare, & quodammodo proprium eſſe diuinæ Scripturæ, ſequentia cum præcedentibus coniungere, & ex præmiſſorum ſcientia, ſenſum eorum quæ ſequuntur, recto ordine informare, ait Ericus *in Homil. in Luc.* 10. ibi, *beati oculi qui vident quæ vos videtis*. Conſtitutio autem, vt Iſidoro placet in *can. lex.* 1 *diſt.* nihil aliud eſt, quàm lex ſcripta. quamobrem ab Vlpiano in *l.* 1. *ff. de conſt. princ.* ſcriptum eſt, quodcunque Imperator per epiſtolam, & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel edicto præcepit, legem eſſe: & hæ ſunt, quas vulgo cõſtitutiones appellamus. Et quamquam leges à Deo per Moſem datæ ſunt; aliæ quoque fuerunt neceſſariæ: tranſlato etenim ſacerdotio, opus fuit, vt & legis tranſlatio fieret, *cap. tranſlato hoc tit.* Hinc merito in fine dictum eſt omnẽ conſtitutionem futuris tantum negotijs formam dare, de præteritis niſi expreſſa facta ſit mentio. ita etiam in *l. leges. C. eod.* & *M. Tullius in iij. in Verrem. De iure ciuili*, inquit, *ſi quis noui quid inſtituit, omnia quæ ante acta ſunt, rata eſſe patitur*. Cui ſimilis eſt Iuſtiniani ſententia in *l. iubemus. in fi. C. de teſtam. Quid enim antiquitas peccauit, quæ præſentis legis inſcia, priſtinam ſecuta eſt obſeruationem?* ideo Conſtitutiones omnes ab omnibus obſeruandas eſſe iamdiu ſanctum fuit, cùm omne, quod à lege eſt prohibitum, peccatum producat, auctore Auguſtino *ſup. epiſt. ad Rom.* bona enim lex, dum hoc prohibet, omnia mala prohibet. Adeoque B. Hieronym. ſcripſit, Decretorum conſtitutiones ſingularibus opinionibus præferendas eſſe: & Innocentius iij. non poſſe maiorem capituli partem abſque rationabili cauſa conſuetudinem tollere, & in vtilitatem priuatam aliquid conſtituere noui. & Honorius Tertius, neque ſine cauſa numerum canonicorum, ſeu præbendarũ reſtringere. Ex quibus facile docemur conſtitutiones facere, non ſolum Principi, verum & inferioribus licere. Sed iſtæ alijs non nocent, nec proſunt, nec proprie dicuntur cõſtitutiones. Omnes vero, quæ in corpus iuris inſeruntur, fere generales ſunt, paucæ ſpeciales, ſeu perſonales, quæ reſpiciunt perſonas, Eccleſiam vnam, collegia certa, gymnaſia, ſeu ſcholas, d œceſim, prouincias, & huiuſmodi alia: de quibus in *tit. inſ. de priuileg.* quæ licet non relatæ in iuris corpus ſint, vim tamen ſuam, ac robur omne habent, non æque in omnes, *l.* 2. *C. eodem.* & *l.* 1. *ff. eod.* vt vt ſupra in procem. Quæ autem à priuatis, vel à collegijs, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & ab alijs editæ, & promulgatæ, ſi in corpus iuris referuntur, omnes obſtringunt, quia illico generales fiunt. vt in *cap. cùm omnes. cap. cùm M. c. ex parte. hoc tit.* & alibi paſſim. Tantus nihilominus eſt Eccleſiæ fauor, vt conſtitutiones laicorum, vel in fauorem, vel in eius diſpendium prolatæ, niſi ab Eccleſia approbentur, nullius prorſus ſint momenti, *cap. quæ in Eccleſiarum & cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ. infra eod. can. bene quidem. 96. diſt.* quia id eſſet contra libertatem Eccleſiæ. ideo & Imper. Federicus caſſa, & irrita denunciauit omnia ſtatuta Chriſtianæ Eccleſiæ perniciosa, in *tit. C. de ſacroſan. eccl.* quia laici, quantumuis Principes Eccleſiæ, debent parere, non imperare. *can. 4. diſt. 10.* *can. ſi Imperator. 96. diſt.*

De

De Reſcriptis, & eorum interpretationibus. *Tit.* 3.

CVM canonum ſtatuta ab omnibus debeant obſeruari, *cap.* 1. *ſupra tit. prox.* de conſtitutionibus primò actum eſt; verum quia *neque conſtitutiones, neque leges, neque Senatuſconſulta, ita deſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandoque inciderint comprehendantur*, vti diſerte Iulianus in *l. neque ff. de leg.* Neceſſe maximis fuit Pontificibus, qui diuina prouidētia Rom. Eccleſiæ omnium eccleſiarum capiti præſunt, ſingulorum precibus, & conſultationibus reſpondere, & quæ obſcura videntur interpretari, & dubia declarare. ſic in *cap.* 1. *compilat.* 1. conſtat enim reſcriptum non ſolum ad preces ſupplicantium, aut deſideria libello Principi dato comprehenſa pertinere, ſed etiam ad iudicum, ſiue delegatorum, ſiue ordinariorum conſultationem, rerumq. obſcurarum interpretationem & dubiarum declarationem. *d. cap.* 1. & *cap.* 4. 6. 28. 30. & *in ſex. cap.* 2. *& vlt. cle.* 1. 2. *&* 3. *can. in Gallicarum.* 25. *q.* 2. & paſſim in quouis titulo. & in *C. ſit. de diuer. reſcrip. vel in l.* 2. *& vlt.* ibi, *vniuerſa reſcripta ſiue in perſonam precantium, ſiue ad quemlibet iudicem manauerint*. Symmachus ad Theodoſium *lib.* 10. *epiſt.* 53. *Ergo vt in rebus dubijs fieri ſolet, ad clementiæ veſtræ ſalubre iudicium conuolamus*. idem *epiſt.* 42. & Plinius ad Traianum *lib.* 10. *epiſt.* 119. *l. diui fratres. ff. de iure patron. l.* 2. *C. de conſt. Princ.* Quare in veteribus Compilationibus, *de reſcriptis, & eorum interpretationibus*, hic inſcribebatur titulus, & rectius quidem: etſi in vulgatis codicibus, quibusque vulgo vtimur, *De reſcriptis* tantum. *Reſcriptum* eſt *reſponſio ad alicuius petitionem, ſeu declarationem à Principe data reſponſio*; quia ſola partis poſtulatio, & petitio non dicitur reſcriptum, ſed opus eſt Principis reſponſione. *l.* 1. & *l. nec damnoſa. C. de precibus Imper. off. l.* 3. *S. plane. & ſeq. ff. quod vi, aut clam. cap. ſi gratioſe. & cap. ſi propter.* in 6. *Ad alicuius*; quod poteſt referri & ad magiſtratum, & ad priuatum. *Petitionem*, ſeu declarationem, vt ſupra dixi. *A Principe*. hæc vox eſt valde generalis, & comprehendit omnem reſcriptum concedendi auctoritatem habentem. *Data*: quoniam ſola, vti dixi, partis petitio non eſt reſcriptum. Et hæc ins generale minime conſtituunt, ſed his dumtaxat, in quorum gratia ſunt promulgata, leges fiunt, *l.* 2. *C. de leg. & conſt. Prin.* & ſi reſcriptum eſt generale, atque ſpeciale, perpetuum, & temporale, ob idque de Reſcriptis, non æque de reſcripto: generale tamen ad maiores, ac digniores perſonas, ad maiora vè negotia expreſſis in reſcripto non extenditur: *cap. paſtoralis. S. vlt. & cap. ſedes Apoſtolica. hoc tit.* multo minus ſpeciale. *cap.* 1. & *d. cap. paſtoralis. & cap. cùm olim. & cap. P. & G. infra de offic. deleg.* Porro reſcriptum non ſolum domino, ſed procuratori etiam, modo ſuper hoc ſpeciale habeat mandatum, conceditur, *cap. nonnulli. S. vlt. eodem.* Atqui ordo, ratioque reſcripti à iure communi recipit interpretationem. *cap. cauſam quæ. hoc tit.* niſi ſpecialiter dixerit, non obſtante conſtitutione, vel tali iure. *l. ſi quis.* 23. *ff. de lega.* 3. *cap. ſuper quæſtionem. in fin. princ. infra de offic. deleg.* Quod ad ius reſcribitur, perenne eſt, *l.* 2. *C. de diuerſ. reſcr.* & *l. vlt. C. Theod. eod.* ſi poſt illud aliud non fuerit impetratum, ſcilicet tanto tempore durat, quanto actio, ob quam datur, vel perpetuum ad excipiendum, vt alias dicam latius. Finitur verò anni ſpatio, ſi impetrans copiam iudicis habens, malitioſe tamen, aut negligenter intra annum eo haud vſus fuerit: & aduerſarius interim ſecundum impetrauerit, in quo de primo licet nulla facta ſit mentio, valebit tamen ita, vt ex priore ille ſe nequeat tueri: & ſic interpretari oportet *cap. ſi autem. & cap. plerumque huius tit.* Eliditur autem reſcriptum multis de cauſis: generale per ſpeciale, *cap.* 1. & *cap.* 14. in toto enim iure generi per ſpeciem derogatur. *l. in toto. ff. de reg. iur. & eod. in ſex. cap. generi.* quamquam de genere in derogante ſpecie nulla fiat mentio; & quòd idem ſit ius de priuilegio, quod de reſcripto, haud dubito, ex *cap. dudum. & cap. quamuis de præben.* in 6. *cap. veniens, infra de reſcript.* idem dicit: non valet tamen, quia ſuppreſſa veritate ibi fuit obtentum, quo caſu nullum valet reſcriptum. *cap.* 2. & *l.* 2. *C. eod. cap. duaum. & cap. quamuis. ac præb. in ſex.* Eliditur, ſi veritate preces non innitantur, *l. vlt. C. eod.* quamquam hoc iure iſta clauſula non videtur neceſſaria, *cap.* 2. eſt tamen neceſſaria ſaltim tacite, ita vt tacite ineſſe debeat. ſi in ſecundo ab aduerſario poſtulato primi non fiat mentio. *cap.* 3. ſi impetratum ad beneficium, & in eo taceatur impetrantis dignitas, vel beneficium. *cap.* 8. 17. & 42. & *cap. non poteſt. cap. ſi motu. in ſexto, de præben.* niſi proprio ſummi Pontificis motu proui ſio facta ſit, *clem. Si Romanus. de præb.* ſi impetratio in eccleſia numerata non facta canonicorum mentione, quorum per eam frangitur numerus, *cap.* 19. ſi in ijs incerti iudices dantur, ſeu futura committantur negotia, *cap.* 10. ſi falſa latinitate, *cap.* 11. Item qui contra vnum ſuper eodem ad diuerſos iudices diuerſa impetrat reſcripta, & eis vtitur, perdit commodum vtriuſque, *cap.* 16. ſiue alijs nominis eiuſdem

concedit, *cap. vlt.* ſi falſum exprimitur poſtulando, verumve taceatur. *cap.* 20. ſi ab excommunicato communicato, niſi ipſius excommunicationis cauſa, vel appellationis. *cap. 1. eod. in ſex.* ſi fiſco ſit damnoſum, aut publicæ vtilitati, aut iuri cõtrarium. *l. 3. C. de prec. Imp. offer.* quamuis ex ſecundo ab eodem ſuper re eadem poſtulato valeat primum, §. *& hoc verò iubemus. Nouel. 134. vt null. iud. &* §. *denique auth. de mand. princip.* qui his abutuntur, & eorum priuantur commodo, & condemnantur in ſumptibus, & damnis aduerſario, ex d. vltima huius tituli conſtitutione. Neque ex reſcripto quiſpiam poteſt vltra duas dietas extra ſuam diœceſim trahi inuitus, *cap. 28.* Item contra homines diœceſis impetratum ad homines ciuitatis nec extendi, nec contra hominem alterius diœceſis. *cap. 34.* & 35. Idcirco omni Papali reſcripto parere debet, cui dirigitur; vel cauſam, propter quam parere non debeat, reddere. *cap. 5.* Cenſetur interdum eſſe præter Principis intentionem conceſſum: quod multis, varijsq. detineatur occupationibus. *c. ex parte. inf. de capell. monach.* nec conceſſionis tempore iuris recordaretur, *cap. cæterum. hoc tit.* & *c. ex parte 1. infra de off. deleg.* vel propter potentium importunitatem, *l. 1. C. de petit. bon. ſublat. lib. 10. cap. cum in iuuentute.* §. *cæterum. infra de purg. can.* Reſcriptũ ex Principis voluntate virtutẽ habet: non vtique habebit, ſi deficit voluntas. namque in huiuſmodi conceſſione non poteſtas, ſed volũtas deficit. *c. mandatũ. hoc tit. c. propoſuit. infra. de conceſſ. præb.* Hinc Ripa *lib. 1. reſp. cap. 11.* & *ad l. Quoniam. nu. 131. ff. de flumin.* Crau. *de antiq. temp. par. 4. ſect. vlt. nu. 22.* Didac. *ad reg. poſſeſſor. par. 2.* §. *4. num. 7. verſ. ego vero priorem ſententiam.* Roland. *conſ. 22. nu. 16. 17.* & *18. lib. 2.* ſcribunt licite appellari poſſe à ſtatuto in præiudicium particularium perſonarũ edito. Cuius rei rationem reddit Decius ad *cap. cum omnes. in 2. dect. in 4. not. ab. de conſtit.* quod Princeps faciens conſtitutionem in præiudicium tertij, præſumitur circumuentus, & male informatus: cùm eius intentio non ſit alicui præiudicare. *l. 2.* §. *ſi quid à Principe. ff. ne quid in loco publ. cap. ſuper eo. inf. de offic. deleg.* Et à mala Principis informatione appellari poteſt. *l. 1.* §. *quæſtum. ff. de appell. l. 1. in princ. ff. quando appell. ſit* Rom. *conſ. 521. n. 2.* Socin. *conſil. 195. lib. 2.* Marſ. *ad l. vnic. n. 139. poſt med. verſ. item non appell. C. eod.* Ripa *ad cap. 1. n. 14. de reſcrip.* Dec. *ad c. intimaſti. col. vlt. verſ. tertius actus de appellat.* Gramm. *deciſ. 35. nu. 31.* Cantuc. *deciſ. 50. n. 10. diuerſ. par. 2.* Qui etiam *num. 11.* opinionem ſuam extendit ad ſtatutum Principis ſupremi, etiam ſummi Romani Pontificis. Quotieſcumque igitur minus iuſtum videtur reſcriptum, modeſte, & verecunde impugnari debet: non quòd Princeps huiuſmodi non poſſit concedere, ſed quia noluit. nam ſi eidem veritas eſſet expreſſa, non ita reſcripſiſſet, vel ex cauſis iam dictis: & tunc nullam Principi iniuriam facimus; immo iuſtum, & optimum iudicamus, & prædicamus: quinimo omnia Principis reſcripta debent intelligi cum iuſtitia, & ſaluo alterius iure, *l. auctoritatem. & l. meminimus. C. vnde vi.* & *d. cap. 5.* At ſi reſcriptum generale fuerit, qui aliquo indulti ſunt priuilegio, niſi eorum ſpecialiter meminerit Pontifex, obtemperare compelluntur nuſquam, *cap. 6.* At aliud eſt ita reſcriptum concedere, ad beneplacitum Papæ, aliud ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ: hoc caſu, quia ſedem Apoſtolicam mors nunquam aufert, perpetuo durat, illo, non æque. nam mortuo Papa, qui reſcripſit, extinguitur, *cap. ſi gratioſe eodem in ſexto.*

De conſuetudine. *Tit. 4.*

SEQVITVR altera iuris pars, quod moribus vtentiũ approbari quotidie videmus, & experimur, idq. Conſuetudinem non male appellamus. Etſi Macrobius in Saturnalibus, ex Varrone, & Iulio Feſto ponat differentiam, vt mos ſit patrium inſtitutum, pertinens ad religionem cæremoniasq. maiorum: ita vt mos præcedat, & cultus moris ſequatur, quod eſt, inquit, conſuetudo. Virgilius Aeneid. 6.

Mos erat Heſperio in Latio, quæ prot. nu. vrbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit. Idem 12.
Morem, ritusq. ſacrorum Adijciam.

Nec mirum ſi inter titulum de Conſtitutionibus, & hunc inſertus ſit titulus de Reſcriptis: cùm conſtitutio nomen generale ſit, ſignificans ius omne, quod à Principe ſtatuitur: habetque has ſub ſe ſpecies, Epiſtolam, Reſcriptum, Mandatum, Decretum, Edictum. *lege 1. ff. de conſtitut. princip.* vel, vt volunt alij ex *leg. 3. C. de legibus*, edictum, reſcriptum, mandatum. De conſuetudine igitur. Iſidorus, *can. conſuetudo prima diſtinct. Conſuetudo*, inquit, *eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.* Melius forte Cicero *de Inuentione*, qui conſuetudinem ius non dicit, ſed *conſuetudinis*, inquit, *ius id eſſe, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobauit.* Cùm mos enim, vel ipſo adſtipulante Iſidoro, *can. mos. 1. diſt.* ſit conſuetudo, non eſt exiſtimandum omnem conſuetudinẽ eſſe ius, cùm plerumque conſuetudo vim legis non obtineat, vel ſi errore ſit introducta: quo caſu in ſimilibus locum non habet, *l. quod non ratione. ff. de leg.* recte cùm deficit lex, pro lege conſuetudo

tudo' ſuſcipitur, *lege de quibus. ff. de legib. cap. cùm dilectus. hoc tit.* talis tamen, vt non ſit contra bonos mores, nec hominibus peccandi licentiam exhibeat, nec grauamen vllum eccleſijs inducat, nec eis quicquam auctoritatis detrahat, nec deroget iuri naturali, diuino, atque etiam poſitiuo, niſi ratione aliqua fuerit inducta, ac legitimè præſcripta, *cap. vlt. & l. 2. C. quæ ſit long. conſuet.* Nec pro lege vtimur illa, ob quam in cauſis eccleſiaſticis dictum populi pro ſententia habetur, *cap. 3. & l. nemo alieno. ff. de regul. iur.* vel ob quam interdicti ſententia violatur; vel clericus, non epiſcopus poſſit exercere ea, quæ epiſcopali reſeruata ſunt auctoritati: vel quis poſſit dimittere dignitatem, nulla habita ſuperioris licentia: aut electus adminiſtrare, non item accepta à ſuperiori confirmatione, *cap. 4. 5. & 7.* In ſtatuendis verò nouæ dignitatis officijs vicinarum ciuitatum conſuetudini ſtandum eſſe ſcribit Innocentius iij. *cap. 6. hoc tit.*

De Poſtulatione Prælatorum. *Tit. 5.*

HACTENVS iacta ſunt iuris fundamenta: nunc recto ordine, quem in libris Iuriſconſultorum, & Codice obſeruatum cernimus, ſequitur, vt de perſonis, quæ iura ſuſtinent, proximè agatur. Parum enim eſſet, iura conſtitui, niſi ſint per quos regantur, auctore Pomponio in *l. 2. §. poſt originem. de orig. iur.* & Gregorio x. *in cap. 3. §. præterea. de elect. lib. 6.* Hi autem ſunt Prælati eccleſiaſtici iuris miniſtri; qui quoniam ad præluturas non niſi præuia electione, aut ſaltem poſtulatione promouentur, quarum illa via ordinaria eſt, hæc extraordinaria, & ex gratia; ideò de his duobus præmittitur. Prius autem de poſtulatione agitur, quàm de electione: credo, quia poſtulatio quædam ſit prænotio, & tamquam præambulum ad cognoſcendam faciliùs electionis naturam. Poſtulantur enim, qui non poſſunt eligi. Cognito igitur, qui poſſunt poſtulari, incipimus cognoſcere de electione, cuius tractatus eſt lõgè prolixior, magiſque in eo de perſonis eligentium, modoq. eligendi agitur, quàm de electis, ita tamen, vt ſi quid hic minus plenè hoc priore titulo explicatum ſit, ſequenti ſuppleatur. Si quis tamen diceret nihil referre, præcedat poſtulatio èlectionem, an verò ſubſequatur, non contenderem. Illud verò ex hoc titulo ſciendum eſt, Poſtulationem à maiori collegij parte fieri oportere, alioquin non valet. *cap. 3.* ac ſemel facta ab ea non eſt recedendum, vſque decreuerit Rom. Pontifex; quod fit, ne ipſius illudatur poteſtas. *cap. 4.* Eligendi autem, & poſtulandi poteſtate priuantur, qui poſtulationem ſemel vitio perſonæ caſſatam innouant, vel interdictum violant. *cap. 1. & 2.* & qui poſtulatus eſt, approbata, admiſſaque poſtulatione, ad electionem eſt habilis. *cap. innotuit. inf. tit. prox.* non ex eo, quòd ſtatim ſequatur electio, ſed ad probationẽ poſtulationis. tametſi poſtulatio interdum, vt euitetur circuitus, pro electione, & confirmatione habetur. *cap. cùm inter canonicos. inf. tit. 1.* ex illa tamen nullum poſtulatus acquirit ius, vt agere poſſit ad electionem, ſed ex gratia prouenit, vt poſtulatio admittatur. *d. cap. 3. & 5.*

De Electione, & Electi Poteſtate. *Tit. 6.*

QVANTAM hic titulus cum ſuperiori affinitatem habeat, nemo ex his, quæ ibi diximus, neſcit. Electio eſt alicuius perſonæ ad dignitatem aliquam vocatio, legitimè facta. Dico dignitatem aliquam; etenim hoc titulo non ſolùm de Abbatum, Præſidum, Præfectorum, hoc eſt Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & aliorum ſummorum Eccleſiæ Prælatorum electione, verùm de minoribus quoque dignitatibus tractatur: vti de ijs, qui in canonicum, & qui ad curam animarum deliguntur: item de ſummo Eccleſiæ antiſtite: poſtremò de ſeculari Principe, cuius electio ad Germanos Principes attinet, tres, inquam, prælatos, quatuor laicos, & ad Rom. Pontificem ipſius electi examinatio, approbatio, inunctio, conſecratio, & coronatio; vel ſi indignus, reiectio. *cap. 34. hoc tit. & cap. 2. de re iud. in 6.* Legitimè facta; neceſſariò, aliàs nulla eſt; varijsq. modis fit irrita; vti per clamorem populi, aut per abuſum ſecularis poteſtatis facta. *cap. 2. 43. & 56.* à minori collegij parte, *cap. 6. 29. 34. 48. 50. 55.* quæ regula illam patitur exceptionem, vt ſi electus à minori ſit dignus, indignus à maiori, *cap. 22. 53. & 57.* vel de indigno ſcientia, moribus, & ætate. *cap. 7. 17. 20. 22. 25. 26. 27. 37. 38. 44. 53. & c. eam te. inf. de ætat. & qualit.* (qui enim ad epiſcopatum optatur, triginta annis maiorem eſſe oportet; ad inferiora miniſteria, vtpotè decanatum, archidiaconatum, & alia huius generis, & præcipuè quæ aſſiduitatem deſiderant, videlicet animarum curationes viginti quinque, *d. cap. 7. in princip.* & in §. *inferiora.* vel ſaltem attingere, *cap. 14. eod. in 6.* quod & Tridentina Synodus nuper adfirmauit) de ſchiſmatico etiam ad vnitatem reuerſo ad epiſcopatum electo *cap. 5.* de habenti plures dignitates, pluraue curata beneficia abſque ſedis Apoſt. diſpenſatione *cap. 54.* ſi trium menſium ſpatium intra in cathedrali, vel regulari eccleſia

haud fuerit facta; quia tunc ad ſuperiorem deuoluitur. c.41. vel intra ſex in minoribus. *cap. quoniam frequenter. inf. vt lit. non conteſt. cap. ex tuæ. inſr. de cler. non reſid.* trimeſtri quoque ad confirmationem vtimur. *cap.6. eod. in* 6. Item de non monacho in Abbatem, & regulæ ignaro. *cap.* 37. 38. aut de non expreſsè profeſſo, vel, vt loquitur c.27. *eod. in* 6. nouitio. Qui verò eligere non poſſunt, hoc perſequitur titulo, videlicet excommunicati excommunicatione maiori. *cap. conſtitutis. inf. de appell.* & *cap.* 39. *hoc tit.* ſuſpenſi. *cap. dilectus. ſuprà de conſuet. cap. apoſtolicæ. inf. de excep.* & *cap.* 16. *hoc tit.* quibus interdictum eſt, *cap. vltim.* qui ſcienter indignum elegere, *cap.*7. 20. 23, 25, 26. 44. qui in forma peccauere, *cap.* 40. Et qui ſcienter indignum propoluit, non electionis tantùm commodo priuatur, ſed & alia mulctatur pœna; illa nempè, quòd ab eccleſiaſticis beneficijs triennio ſuſpenditur. *d.cap.*7. S. *vlt.* ſi autem omnes in hoc deliquerint, ad ſuperiorem eligendi potestas transfertur: ſi non omnes, ad alios, licet pauciores. *cap.* 23. S. *nos igitur.* Tribus autem modis electio fit, aut per ſcrutinium, aut per compromiſſum, ſeu per inſpirationem: ſed hæc nullam regulam, nullamue habet formam. illarum formam docet. *cap.* 42. *hoc tit.* Ad electionem vocandi ſunt omnes, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe. & qui in eadem degunt prouincia, per nuncium, vel per epiſtolam. *cap.* 35. & 42. qui in ciuitate, per campanam. *cap.* 30. quos, ſi intra tempus ſibi præfixum, & commodum ſatis non venerint, vlterius expectandos non eſſe haud dubito; cùm ſit mora in electione periculoſa, & ſæpe damnoſa. *cap.* 18. & 19. At quid iuris erit de expenſis neceſſarijs à collegio in electione Prælati faciendis? Hæc definiuit Honorius iij. *in cap.* 45. vt de bonis prælaturæ fieri debeant, aut reddi. Erat & illud in hoc tit. neceſſarium, vti electio ſuum non ſortiretur effectum, niſi eſſet confirmata: à quibus verò confirmari debeat, pluribus docet. namque confirmatio electi Epiſcopo minoris ad epiſcopum pertinet, niſi ſit exemptus. Epiſcoporum ad Metropolitanum, *cap.* 21. *hoc tit. cap. inter corporalia. inf. de tranſlat. epiſ.* & *can.* 1. & *vlt. diſtinct.* 64. ni Rom. Pontifici proximè ſubſint. *cap.* 48. Archiepiſcoporum ad Patriarchas, qui in hoc, ac in quibuſdam aliis parem ferè auctoritatem, quam ipſe Rom. Eccleſiæ Princeps, habent. *can. mos. cum ſeq.* 65. *diſtinct. cap. grauc. inf. de præb. cap. antiqua. inf. de priuileg.* Patriarcharum ad ipſum ſummum antiſtitem. *cap.* 40. quo iure vtimur, illo non item. Namque ſi electio fiat, quæ raris etiam in locis hodie fit, præcipuè Epiſcoporum, à ſolo Papa confirmatur: de cuius electione agitur etiam hic: quæ legitima exiſtimatur, ſi à duobus Cardinalium partibus ſit facta; non æquè ſi à minori numero: quinimo gerens ſe pro Papa, hoc caſu excommunicatione feritur, & totius ſacri ordinis priuatione mulctatur. *cap.*6. Quid ergo, ſi Cardinalium aliqui excommunicati eſſent, an habeant votum? in hoc ſingulare ius conſtituit Clemens V. *in clem.* 2. S. *cæterum. eod.* vt per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis, ſiue interdicti ab electione nequirent repelli. Modum, formamque eligendi ipſum Rom. Pontificem paulò ante docuerat Gregorius x. *in cap.* 3. *eod. in ſex.* Variatus quantum fuerit Rom. Pontificis eligendi mos, latè dicam *cap.* 15. *lib.* 2. *animaduerſ.* Secunda tituli pars eſt *de electi poteſtate*, optimè; quoniam ante confirmationem nihil iuris habet electus, ſed per illam acquirit, quæ iuriſdictionis, & adminiſtrationis ſunt, *cap.* 9. non æquè ordinis. hæc conſecratio transfert. *cap.* 15. & *cap.* 28. S. *ſuper eo.* & *can. quamuis.* 68. *diſt.* Canonicè electis, in eccleſijs extra Italiæ limites conſtitutis interdicta eſt bonorum duntaxat eccleſiaſticorum alienatio: cæterùm propter eccleſiarum neceſſitates, ac vtilitates ſtatim tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus poſſunt adminiſtrare, etiam confirmatione nondum accepta. *cap.* 44. S. *cæterum.* quæ eſt omnibus neceſſaria, *cap.* 3. vna excepta Rom. eccleſia, quæ ad ſuperiorem recurſum non habet; cum cunctis in orbe terrarum præferatur eccleſijs, *can. in nomine.* 23. *diſtinct.* quapropter ei ſpeciale aliquid eſt conceſſum, *cap.*6. vt ſimulatq; fuerit electus quis in Rom. antiſtitem, omnem omnino conſequatur auctoritatem & regendi, & diſpenſandi Rom. Eccleſiæ facultates, *d.can. in nomine.* S. *quòd ſi paucorum.*

De tranſlatione Epiſcopi, & Electi. *Tit.* 7.

QVIDAM Codices habent de tranſlatione Epiſcopi; alij de tranſlatione Epiſcopi, & electi; hi melius, quia præcedenti titulo propoſuit de electione; quod verbum, vti liximus, latè patet: licèt hic præcipuè de tranſlatione Epiſcopi ſermo habeatur. Quæ quidem tranſlatio ſolùm ad Rom. Pontificem pertinet, *cap.* 2. *Quos* enim *Deus coniunxit, homo non ſeparet; Matth.* 19. ſi initum, ac perfectum fuerit matrimonium. Hoc autem ſpirituale coniugium, quod illi æquiparatur, in electione initiatum eſt, in confirmatione ratum, & in conſecratione conſummatum, abſq. ipſius Sedis Apoſtolicæ Principis, qui eſt Petri ſucceſſor, & CHRISTI Vicarius, auctoritate nequit diſſolui. Eſt igitur hæc iudicio ſummi antiſtitis reſeruata, quemadmodum & ipſorum condemnatio.

*d.cap.*2.

d. cap. 2. & vlt. eod. ac in Concilio Tridentino *cap. vlt. ſeſſ. 13.* Hinc tranſlatio rectè dici poterit, vt ſit è ſede ad ſedem, auctore ſummo antiſtite commutatio. Neq; enim Patriarchis Epiſcopum mutare, neque Epiſcopis propria auctoritate in aliam transferre permittitur. *c. 3.* quòd ſi auſus fuerit, vtraque priuabitur. neque iniuria, cùm nullus inuentus ſit, qui è maiore ad minorem ciuitatem tranſiret. *cap. 1. inſ. de cler. non reſid.* quamquam à minori ad maiorem ob publicam vtilitatem facilius ſoleat diſpenſari. *cap. vlt. huius tituli. cap. mutationes cum ſeq. 7. q. 1.* quemadmodum ipſe Apoſtolorum Princeps ab Antiochia ad vrbem Romam, de qua tranſlatione ita S. Leo Papa: *Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac nunc vrbe non eſſent: aut quæ vſque gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcanda Philoſophiæ opiniones, his diſſoluenda erant terrenæ ſapientiæ, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuper Hitione habebatur collectum, quicquid vſque fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

De auctoritate, & vſu Pallij. *Tit.* 8.

TRIBVS modis diximus, quem poſſe ad eccleſiaſticam aſcendere dignitatem: verùm, quia eorum aliqui maiori præcellunt dignitate, pallio vtuntur. Pallium eſt inſigne quoddam ornamenti, quod plenitudinem Pontificalis officij deſignat; idq; Archiepiſcopis, & in maiore dignitatis gradu locatis, maximè Patriarchis, tantùm conceditur. ea putatione, quoniam Archiepiſcopi Græca vox Latinè ſignificat principem Epiſcoporum, quaſi primas: ſicut Patriarcha principem patrum: qui primum poſt Rom. Pontificem tenet locum, *can. cleros. 21. diſtinct.* hicque ſuffraganeis ſuis pallium licenter poteſt largiri. hoc tamen ipſe à Pontifice maximo prius debet inſigniri; cùm ſit plenitudinis officij Pontificalis inſigne, *cap. antiqua. inſ. de priuileg.* Epiſcopi verò, niſi eis ſpeciali id indultum priuilegio fuerit, eo decorari non debent, *cap. penul. inſ. de præſumpt. Alcuinus c. quid ſignificent veſtimenta. Raban. lib. 1. cap. 23. de inſtit. cleric.* prout conceſſum eſt Epiſcopo Hoſtienſi, qui totius ſacri Collegij S. R. E. Cardinalium Decanus eſt; Papienſi, in Longobardia; Lucenſi in Thuſcia; Bambergenſi in Germania; auctor Rituum Eccleſiaſt. ſeu Cæremoniarum *tit. 10. cap. 5.* Nec aliter Archiepiſcopis permittitur, atque ſi Apoſtolicæ ſedi fidelitatis, & obedientiæ iuramentum præſtiterint, *cap. 4. ſuprà de elect.* quo non accepto nec Epiſcopos conſecrare queunt, nec clericos ordinare, chriſma conficere, baſilicas dedicare, nec concilium conuocare; cùm non gerant ſe tamquam Epiſcopi, ſed vt Archiepiſcopi. *cap. 28. S. ſuper, ſuprà de elect.* quamuis ante pallij ſuſceptionem, proprio, ac germano Archiepiſcopi nomine careant, *cap. 3. huius tit.* Quare à Ioanne xxij. conſtitutum fuiſſe arbitror, Pallij traditionem per criminis obiectum, ſeu defectum minus tardari debere: præterquam obijciens, præmiſſo iuramento, de obiectis promptam fidem fecerit. Promptam fidem facere quid ſit, idem Ioannes docet, ibi. Interim tamen, ſi confirmati, ſuum ſuffraganeum conſecrari facere poſſunt, *cap. 11. ſuprà de elect.* Acceptum verò, cum perſonam non tranſeat, alteri Archiepiſcopo commodare nequit, *cap. 2.* neque eo ſemper, & vbique vti: ideò de vſu Pallij, ſed quibuſdam diebus, & in prouincia *cap. 5. & 6.* locus mitra, & paſtorali annulo. nam & flamines vbique ferebant pileum. *can. cleros. S. ſacerdos. 21. diſtinct.* in his etenim plenitudo officij non ſigni ficatur. Rom. Eccleſiæ Præſul ſemper, & vbique, *cap. 4.* ſiquidem Archiepiſcopi, & alij, quibus eſt, vel ipſo, vel ſpeciali aliquo iure conceſſum, non in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſolicitudinis ſunt vocati. Vnde meritò in calce tituli Honorius iij. reſcripſit poſſe Archiepiſcopum ſine pallio, & ſandalijs celebrare. Eſt autem ſandalium inſigne dignitatis, hoc eſt calceamenti genus quoddam, quo Epiſcopi in ſolemnibus ſacrificijs vtuntur, quo & veteres vſi ſunt, vt apud Gellium *lib. 14. cap. 4.* hinc ſandalium Veneris, & ſandalia Iudith. in veteri teſtamento *lib. Iudith. cap. 10.* quæ quomodo eſſe debeant, docet Innoc. iij. *Myſteriorum miſſæ lib. 1. cap. 48.* Pallij autem originem antiquiſſimam eſſe vetus auctor Rituum Eccleſiaſt. ſeu Cæremoniarum S. R. E. *lib. 1. tit. 10. cap. 5.* ex Maximo Epiſcopo *homil. de veſte ſacerdotali*, & Euſebio Cæſarienſi *ſerm. de Epiphania*, oſtendit in lege gratiæ antiquum eſſe illud Ephod, ideſt noſtrum pallium, quod à Lino poſt Petrum ſecundo Romano Pontifice, inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris Præſulibus datum fuit.

Rupertus Abbas Tuitienſ. *lib. 1. de diuin. offic. c. 27.* ſcriptum reliquit,

Maternum à Beato Petro miſſum Treuerenſi Eccleſiæ, hæreditatem pallij ſucceſſoribus reliquiſſe.

De

haud fuerit facta; quia tunc ad ſuperiorem deuoluitur. c.41. vel intra ſex in minoribus. *cap. quoniam ſi quem eranſeunt lit. non conteſt. cap. ex tuæ. inſr. de cler. non reſid.* trimeſtri quoque ad confirmationem vtimur. *cap.6.eod.in* 6. Item de non monacho in Abbatem, & regulæ ignaro. *cap.37.38.* aut de non expreſsè profeſſo, vel, vt loquitur c.27. *eod. in* 6. nouitio. Qui verò eligere non poſſunt, hoc perſequitur titulo, videlicet excommunicati excommunicatione maiori. *cap. conſtitutis. inſ. de appell.* & *cap.39. hoc tit.* Innocent. *cap. dilectus. ſupra de rempuer. cap. apoſtolicæ, inſ. de excep.* & *cap.16. hoc tit.* quibus interdictum eſt, *cap. ſolitam.* qui ſcienter indignum eligerit, *cap.* 20.23. 25.26.44. qui in forma peccauerit. *cap.* 40. Et qui ſcienter indignum propoſuit, non electionis tantùm commodo priuatur, ſed & alia mulctatur pœna, illa nempe, quod ab eccleſiaſticis beneficijs triennio ſuſpenditur. *d.cap.7. Sexti.* ſi autem omnes in hoc deliquerint, ad ſuperiorem eligendi potestas transfertur: ſi non omnes, at plures, licet pauciores. *cap.* 23.9. *nos igitur.* Tribus autem modis electio fit, aut per ſcrutinium, aut per compromiſſum, ſeu per inſpirationem: ſed hæc nullam regulam, nullamue habet formam. illarum formam docet *cap.42. hoc tit.* Ad electionem vocandi ſunt omnes, qui debent, volunt, & poſſunt commode intereſſe. & qui in eadem degunt prouincia, per nuncium, vel per epiſtolam. *cap.35. & 42.* qui in ciuitate, per campanam. *cap.30.* quos, ſi intra tempus ſibi præfixum, & commodum ſatis non venerint, vlterius expectandos non eſſe haud dubito, cum ſit mora in electione periculoſa, & ſæpe damnoſa. *cap.18. & 19.* At quid iuris erit de expenſis neceſſarijs a collegio in electione Prælati faciendis? Hæc definiit Honorius iij. *in cap.45.* vt de bonis prælatiæ fieri debeant, aut reddi. Erat & illud in hoc tit. neceſſarium, vti electio ſuum non ſortiretur effectum, niſi eſſet confirmata: à quibus verò confirmari debeat, pluribus docet. namque confirmatio electi Epiſcopo minoris ad epiſcopum pertinet, niſi ſit exemptus. Epiſcoporum ad Metropolitanum, *cap.21. hoc tit. cap. inter corporalia. inſ. de tranſlat. epiſ.* & *can.1. & vlt. diſt. 64.* at Rom. Pontifici proximè ſubſint. *cap.48.* Archiepiſcoporum ad Patriarchas, qui in hoc, ac in quibuſdam aliis parem ferè auctoritatem, quam ipſe Rom. Eccleſiæ Princeps, habent. *can. mor. cum ſeq. 65. diſt. & cap. grave. inſ. de præb. cap. a nobis. de fide inſtr.* Patriarchatum ad ipſum ſummum antiſtitem. *cap.* 40. quo iure vtimur, illo non item. Namque ſi electio fiat, quæ raris etiam in locis hodie fit, præcipuè Epiſcoporum, à ſolo Papa confirmatur: de cuius electione agitur etiam hic: quæ legitima exiſtimatur, ſi à duobus Cardinalium partibus ſit facta; non æquè ſi à minori numero: quinimo gerens ſe pro Papa, hoc caſu excommunicatione feritur, & totius ſacri ordinis priuatione mulctatur. *cap.6.* Quid ergo, ſi Cardinalium aliqui excommunicati eſſent, an habeant votum? in hoc ſingulare ius conſtituit Clemens V. *in clem. 2. §. cæterum. eod.* vt per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis, ſiue interdicti ab electione nequirent repelli. Modum, formamque eligendi ipſum Rom. Pontificem paulò ante docuerat Gregorius x. *in cap.3. eod. in ſex.* Variatus quantum fuerit Rom. Pontificis eligendi mos, latè dicam *cap.15. lib.2. animaduerſ.* Secunda tituli pars eſt *de electi poteſtate*, optimè; quoniam ante confirmationem nihil iuris habet electus, ſed per illam acquirit, quæ iuriſdictionis, & adminiſtrationis ſunt, *cap.9.* non æquè ordinis. hæc conſecratio transfert. *cap.15.* & *cap.18. §. ſuper eo.* & *can. quamuis. 68. diſt.* Canonicè electis, in eccleſijs extra Italiæ limites conſtitutis interdicta eſt honorum duntaxat eccleſiaſticorum alienatio: cæterùm propter eccleſiarum neceſſitates, ac vtilitates ſtatim tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus poſſunt adminiſtrare, etiam confirmatione nondum accepta. *cap.44. §. cæterum.* quæ eſt omnibus neceſſaria. *cap.3.* vna excepta Rom. eccleſia, quæ ad ſuperiorem recurſum non habet; cum cunctis in orbe terrarum præferatur eccleſijs, *can. in nomine. 23. diſtinct.* quapropter ei ſpeciale aliquid eſt conceſſum, *cap.6.* vt ſimulatq; fuerit electus quis in Rom. antiſtitem, omnem omnino conſequatur auctoritatem & regendi, & diſpenſandi Rom. Eccleſiæ facultates, *d.can. in nomine. §. quòd ſi paucorum.*

De tranſlatione Epiſcopi, & Electi. *Tit. 7.*

QVIDAM Codices habent de tranſlatione Epiſcopi; alij de tranſlatione Epiſcopi, & electi; hi melius, quia præcedenti titulo propoſuit de electione; quod verbum, vti diximus, latè patet: licèt hic præcipuè de tranſlatione Epiſcopi ſermo habeatur. Quæ quidem tranſlatio ſolum ad Rom. Pontificem pertinet, *cap.2. Quas* enim *Deus coniunxit, homo non ſeparet, Matth.19.* ſi initum, ac perfectum fuerit matrimonium. Hoc autem ſpirituale coniugium, quod illi æquiparatur, in electione initiatum eſt, in confirmatione ratum, & in conſecratione conſummatum, abſq. ipſius Sedis Apoſtolicæ Principis, qui eſt Petri ſucceſſor, & CHRISTI Vicarius, auctoritate nequit diſſolui. Eſt igitur hæc iudicio ſummi antiſtitis reſeruata, quemadmodum & ipſorum condemnatio.

d.cap.2.

d.cap.2.& vlt. eod. ac in Concilio Tridentino *cap.vlt.ſeſſ.*13. Hinc tranſlatio rectè dici poterit, vt ſit è ſede ad ſedem, auctore ſummo antiſtite commutatio. Neq; enim Patriarchis Epiſcopum mutare, neque Epiſcopis propria auctoritate in aliam transferre permittitur. *c.*3. quòd ſi auſus fuerit, vtraque priuabitur. neque iniuria, cùm nullus inuentus ſit, qui è maiore ad minorem ciuitatem tranſiret. *cap.*1. *inf. de cler. non reſid.* quamquam à minori ad maiorem ob publicam vtilitatem facilius ſoleat diſpenſari. *cap. vlt. huius tituli. cap. mutationes cum ſeq.*7. *q.*1. quemadmodum ipſe Apoſtolorum Princeps ab Antiochia ad vrbem Romam. de qua tranſlatione ita S.Leo Papa: *Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac nunc vrbe non eſſent: aut quæ vſque gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcanda Philoſophiæ opiniones, his diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſque fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

De auctoritate, & vſu Pallij. *Tit.* 8.

TRibvs modis diximus, quem poſſe ad eccleſiaſticam aſcendere dignitatem: verùm, quia eorum aliqui maiori præcellunt dignitate, pallio vtuntur. Pallium eſt inſigne quoddam ornamenti, quod plenitudinem Pontificalis officij deſignat; idq; Archiepiſcopis, & in maiore dignitatis gradu locatis, maximè Patriarchis, tantùm conceditur. ea puto rationè, quoniam Archiepiſcopi Græca vox Latinè ſignificat principem Epiſcoporum, quaſi primas: ſicut Patriarcha principem patrum: qui primum poſt Rom. Pontificem tenet locum, *can. cleros.*21. *diſtinct.* hicque ſuffraganeis ſuis pallium licenter poteſt largiri. hoc tamen ipſe à Pontifice maximo prius debet inſigniri; cùm ſit plenitudinis officij Pontificalis inſigne, *cap. antiqua. inf. de priuileg.* Epiſcopi verò, niſi eis ſpeciali id indultum priuilegio fuerit, eo decorari non debent, *cap. penul. inf. de præſumpt. Alcuinus c. quid ſignificent veſtimenta. Raban. lib.*1. *cap.*23. *de inſtit. cleric.* prout conceſſum eſt Epiſcopo Hoſtienſi, qui totius ſacri Collegij S.R.E. Cardinalium Decanus eſt; Papienſi, in Longobardia; Lucenſi in Thuſcia; Bambergenſi in Germania: auctor Rituum Eccleſiaſt. ſeu Cæremoniarum *tit.*10. *cap.*5. Nec aliter Archiepiſcopis permittitur, atque ſi Apoſtolicæ ſedi fidelitatis, & obedientiæ iuramentum præſtiterint, *cap.*4. *ſupra de elect.* quo non accepto nec Epiſcopos conſecrare queunt, nec clericos ordinare, chriſma conficere, baſilicas dedicare, nec concilium conuocare; cùm non gerant ſe tamquam Epiſcopi, ſed vt Archiepiſcopi. *cap.*28. S. *ſuper. ſupra de elect.* quamuis ante pallij ſuſceptionem, proprio, ac germano Archiepiſcopi nomine careant, *cap.*3. *huius tit.* Quare à Ioanne xxij. conſtitutum fuiſſe arbitror, Pallij traditionem per criminis obiectum, ſeu defectum minus tardari debere: præterquam obijciens, præmiſſo iuramento, de obiectis promptam fidem fecerit. Promptam fidem facere quid ſit, idem Ioannes docet, ibi. Interim tamen, ſi confirmati, ſuum ſuffraganeum conſecrari facere poſſunt, *cap.*11. *ſupra de elect.* Acceptum verò, cum perſonam non tranſeat, alteri Archiepiſcopo commodare nequit, *cap.*2. neque eo ſemper, & vbique vti: ideò de vſu Pallij, ſed quibuſdam diebus, & in prouincia *cap.*5. *& 6.* ſecus mitra, & paſtorali annulo. nam & flamines vbique ferebant pileum. *can. cleros. S. ſacerdos.*21. *diſtinct.* in his etenim plenitudo officij non ſigni ficatur. Rom. Eccleſiæ Præſul ſemper, & vbique, *cap.*4. ſiquidem Archiepiſcopi, & alij, quibus eſt, vel ipſo, vel ſpeciali aliquo iure conceſſum, non in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſolicitudinis ſunt vocati. Vnde meritò in calce tituli Honorius iij. reſcripſit poſſe Archiepiſcopum ſine pallio, & ſandalijs celebrare. Eſt autem ſandalium inſigne dignitatis, hoc eſt calceamenti genus quoddam, quo Epiſcopi in ſolemnibus ſacrificijs vtuntur, quo & veteres vſi ſunt, vt apud Gellium *lib.*14. *cap.*4. hinc ſandalium Veneris, & ſandalia Iudith. in veteri teſtamento *lib. Iudith. cap.*10. quæ quomodo eſſe debeant, docet Innoc.iij. *Myſteriorum miſſæ lib.*1. *cap.*48. Pallij autem originem antiquiſſimam eſſe vetus auctor Rituum Eccleſiaſt. ſeu Cæremoniarum S.R.E. *lib.*1. *tit.*10. *cap.*5. ex Maximo Epiſcopo *homil. de veſte ſacerdotali*, & Euſebio Cæſarienſi *ſerm. de Epiphania*, oſtendit in lege gratiæ antiquum eſſe illud Ephod, ideſt noſtrum pallium, quod à Lino poſt Petrum ſecundo Romano Pontifice, inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris Præſulibus datum fuit.

Rupertus Abbas Tuitienſ. *lib.*1. *de diuin. offic. c.*27. ſcriptum reliquit, Maternum à Beato Petro miſſum Treuerenſi Eccleſiæ, hæreditatem pallij ſucceſſoribus reliquiſſe.

De

De Renunciatione. *Tit. 9.*

PROPOSITIS modis, quibus quis Epiſcopatum, vel quodlibet aliud eccleſiaſticum beneficium poteſt adſequi: & quandoque incidat, vt is beneficio iam adepto, quod ob ſenectutem, vel inſufficientiam, criminis conſcientiam, plebis malitiam, graue ſcandalum, aut irregularitatem, nequeat adminiſtrare, renunciet: adiungitur hic titulus ſuperioribus. Renunciatio eſt iuris refutatio ſibi competentis ex ſuperioribus titulis. & quamquam regulariter verum ſit, rei ſuæ, proprioue iuri, quemlibet poſſe renunciare; vt pleriſque in locis huius tituli apparet; item in *can. quàm periculoſum. 7. q. 1. & in cap. ſi diligenti. infra de for. compet. l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.* & alibi ſæpè, adeò vt in ore vulgi id perpetuò infixum ſit: nonnulli tamen ſunt, quibus libera renunciandi facultas deeſt; quos modo recenſere longum eſſet. Sat eſt igitur de ijs, quæ ad titulum faciunt, ſtrictim, vti moris eſt, dicere. Prælati ita ſunt beneficijs deuincti, vt non petita ſuperioris venia illis renunciare non queant. *cap. 1. & 10. in fin.* Neq. mirum, cùm is, qui eccleſiaſtico muneri addicitur, non ob ipſum ſolum, ſed & propter alios proponitur, & conſecratur: non vt præſit, ſed vt proſit. *c. ſi qui epiſcopi. in fin. 1. quæſt. 1.* Quamobrem D. Auguſtinus *de ciuitate Dei lib. 19. c. 19. Ergo*, inquit, *epiſcopos, ſi velimus, latinè ſuperintendentes poſſumus dicere: vt intelligat non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexit, non prodeſſe*. Epiſcopatus nomen eſt oneris, non honoris. Ita videtur nobis expoſuiſſe Apoſtolus. 1. *ad Tim. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Theodorus Balſamon Antiochenus Patriarcha in *can. 58. Apoſtolorum. Epiſcopus*, ait, *ideò conſtituitur, vt quæ ſui ſunt populi attendat; & ideò etiam populus eſt appellatus*. Qui itaque publicæ vtilitati præeſt, ſe auctore, nequit iuri ſuo renunciare. alioquin priuatorum pactis ius publicum infringi poſſet. quod neque Papinianus in *l. ius publicum. ff. de pact.* neque Vlpianus in *l. Neratius. §. ſi verò. ff. de relig.* neque Paulus in *l. Paulus. §. patroni. ff. de bonis liber.* admitti voluerunt: quia quod iuris publici eſt, à ſolo principe poteſt remitti. *leg. 3. §. 1. ff. eod. de bon. libert.* Quocirca illis ſex exceptis caſibus, quorum iam memini, renunciatio fieri minimè poteſt. *cap. 10.* vel ſi abſque mortis periculo morari in ciuitate non liceat. *cap. 9.* tametſi ob ſenectutem non impartitur etiam cedendi licentiam; ſi ceſſio valde noceret: & retentio, & perſeueratio haud parum prodeſſet: vt piè Alexander iij. in *cap. 1.* Lugdunenſi Archiepiſcopo reſcripſit. quod iam ab exordio naſcentis eccleſiæ videtur fuiſſe conſtitutum, præſertim in Epheſina Synodo, vti apparet in epiſtola eiuſdem ſanctæ Synodi ad ſacram in Pamphilia Synodum de Euſtatio, qui fuit eorum Metropolitanus. quam ibi interpretans Balſamon; *Cùm canones*, inquit, *& ſancti Cyrilli ad Dominum epiſtola diſcernant, ne vlli ſacerdotes renunciationum libellos afferant (ſi enim*, inquit, *ſacra myſteria obire digni ſunt, in eo permaneant: ſin autem indigni, ne per renunciationem exeant, ſed potius rebus ipſis condemnati) quomodo dixerit quiſpiam Epheſinam Synodum, & eum potius qui præerat, magnum Cyrillum ſibi, & reliquis patribus contraria ſtatuiſſe?* hæc Balſamon. Cùm fieri autem contigit renunciatio ſiue de præbendis, beneficijs, eccleſijs, epiſcopatibus, & alijs id genus, apud eum, à quo recipiuntur, fieri oportere: & ratio naturalis ſuadet, *cap. 4. & vlt.* Facta apud laicum, etſi iure ſpoliatur renuncians, non tenet. *cap. 8.* Quid de ſummo Pontifice? de quo olim dubitatum fuit, num Pontificatui renunciare poſſet? Hac de re Cæleſtinus v. demum Bonifacius viij. *cap. 1. eod. in ſex.* vt huiuſce rei hæſitatio penitus tolleretur, ſanxere, vt poſſet: apud quem non item; quod dubitatione careret, ad Cardinales, ſcilicet; ad quos electio ſpectat. *c. 6. ſupra de elect. cap. 3. de elect. in ſex.* Semel renunciatione facta, pœnitere licet nemini. *cap. 5. 6. & 12.* ni denuo eligatur. *cap. 2.* Non ideò tamen intelligitur renunciaſſe inſtitutioni iam factæ, qui beneficialibus litteris renunciauerit, *cap. 7.* nec iuri ſuo, qui aduerſarij gratiæ ſe ſubmiſit. *cap. 13.* nec Prælaturæ Prælatus, qui ſubditos ab obedientia abſoluit, *cap. 14.* Ex quibus facile eſt intelligere; quàm hic titulus ſit generalis.

De ſupplenda negligentia Prælatorum. *Tit. 10.*

CVM eorum, qui ad Eccleſiæ regimen euecti ſunt, aliqui aut ineptè, aut quadam animi duritia, non ſtudeant ſuum exercere officium, tum ſuperior inferioris negligentiam, inertiamue ſupplet, vel idoneum præbendo coadiutorem. *cap. 2. eod. in ſex.* Negligentia eſt eius, quod fieri debet, & poteſt, præteritio; præſertim vacante eccleſia. Lapſo Lateranenſis Concilij tempore, quod, vt interpretor ex *cap. 2. infra de conceſſ. præben.* eſt ſex menſium, is ad quem primùm ſpectat collatio, conferre non valet. *cap. 2. 3. 4. 5.* ſed ad ſuperiorem tranſit. Abbatibus verò ius ab Alexandro iij. factum eſt, vt ſi ter dioeceſanus requiſitus Abbatem benedicere negligat, impunè queat Abbas monachos benedicere, & omnia, quæ ipſius

officij

officij ſunt, exercere. Et quamquam de Ciſtercienſibus tantùm loquitur conſtitutio, eſt tamen generalis, ad omnesq; pertinet: verùm quia de Ciſterſienſibus conſultus fuit, ſecundum ea, quæ propoſita ſunt, reſcripſit Rom. Pontifex. Quod ergo dictum eſt, ſuperiorem inferioris negligentiam, & incuriam explere oportere, non ſolùm de eccleſiaſticis officijs intelligitur, ſed & de ſecularibus, & maximis Principibus; quorum curam ad ipſum eccleſiæ Principem ſatis pertinere conſtat ex *d.cap.2.* & *c.nouit.infra de iudic.*

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. *Tit.* 11.

HAbvimvs de electis, & eorum poteſtate; quæ potiſſimum in clericorum ordinatione elucet: & ordinatio non ſemper fieri permittitur, ſed quibuſdam certis, ac determinatis diebus, ergo de temporibus ordinationum ſequitur. Minores ordines, lectores, ſcilicet, cantores, exorciſtæ, oſtiarij, diebus etiam feſtiuis conferri poſſunt; non æquè ſacri, vti Hypodiaconi, Diaconi, Presbyteri, qui ſuperiorem inter clericos locum obtinent. *l.8.C.de epiſc. & cler.* & Epiſcopis proximi. *l.5.C.Theod. de hæretic.* ideò ſacerdotes appellantur, quia ſacrandant, vt & Epiſcopi; *Iſydorus Etymol. lib.7.c.12. de eccleſiaſticis officijs. cap.1. lib.2.* Pontificatus tamen apicem non habent, *can.quamuis. in fin. diſt.68.* quia nec chriſmate frontem ſignant, nec Paracletum ſpiritum dant. quod ſolùm Epiſcopo conuenire lectio Actuum Apoſtolorum demonſtrat *cap.8.* qui & ſummus ſacerdos dicitur *cap.1. §. per frontis. infra de ſacra vnct.* licet in *Concilio Carthaginenſi iij. cap.26.* vetitum fuerit; ne quis Princeps ſacerdotum, aut ſummus Sacerdos, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus appellaretur. *can.prima ſedu.99.diſtinct.* etſi presbyteri etiam Epiſcopi olim nominarentur. Nam Actus Apoſtolorum. 20. *Qui nos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam ſuam*, Epiſcopos interpretatur D. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum, presbyteros. *can.ecce. §. presbyteri. 95. diſtinct.* & apud Arcadium Iuriſconiultum in *l. vlt. ff. de muner. & hon.* Epiſcopi vocantur, qui pani, cæterisq; venalibus rebus præſunt, quæ ciuium populis quotidianum victum ſuggerunt. Hinc dictos opinor Epiſcopos noſtros, qui cæleſti præſunt pani, rebusque alijs, quæ Chriſtianis opus ſunt ad ſalutem. quamobrem ipſis propriè ſacerdotum nomen tribuitur, licet communicetur presbyteris, vti dixi, & alijs clericis, imò & Chriſtianis omnibus. Tertullianus, CHRISTVS *ſacerdotes nos Deo, & Patri fecit.* Princeps Apoſtolorum, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* & in oratione habita in Synodo ſexta in Trullo: *Ex hoc gens*, inquit, *ſancta, regale ſacerdotium, pro quo* CHRISTVS *mortuus eſt*. Exodi cap.19. *Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Sed cur hæc tam variè? Petrus dicit *regale ſacerdotium*: Moyſes verò *regnum ſacerdotale*: vt quod erat ſubſtantiuum, factum ſit adiectiuum, & contrà. Dubium non eſt, quin apud Grammaticos adiectiuum regatur per ſubſtantiuum. ſed ante Chriſti aduentum regnum erat ſacerdotale; quia ſub regibus erant ſacerdotes: poſt, Reges ac omnes Principes ſub ſacerdotio ſunt. *cap.omnes. inf. de maior. & obed.* ideò regale à Petro dicitur ſacerdotium. Quod interpretor ratione totius, vniuerſalis, inquam, Eccleſiæ: quia ex eo, quòd ſumus in Eccleſiæ corpore, ſacerdotes dicimur, non quod omnes ſimus ſacerdotes, vt perperam exiſtimant Hæretici: alioquin nullus eſſet ſacerdos. nam ſi omnes eſſent reges, nullus eſſet rex, qui alios regeret, & quibus dominaretur. Quod ipſe etiam Io. Apocal. 1. oſtendit, dum ſcribit: *Et fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo*. ponit regnum, quod ex multis ſit compactum, hoc eſt, vt Theologi loquuntur ſcholaſtici, collectiuè; Sacerdotes verò diſtributiuè. Ex quibus facilè eſt intelligere non omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes, ſed ex Chriſtianis quoſdam. quod Paulus haud obſcurè demonſtrat ad Hebr. 4. *Omnis*, inquit, *Pontifex* (confundit enim nomen Pontificis cum ſacerdotis nomine) *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Quæ multis antè ſeculis, dum de CHRISTI Eccleſia vaticinaretur Iſaias, inſinuare viſus eſt, *cap.vlt.* in hæc verba prorumpens: *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam tenentes ſagittam: in Italiam, & Græciam, ad inſulas longe*, &c. illa verba, *qui ſaluati fuerint*, pro Chriſtianis fore accipienda nemo neſcit; & ſubiungit: *& aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Leuitas*. Non ſunt ergo omnes Chriſtiani ſacerdotes, ſi verè, proprieq. loquamur. Sed ad rem noſtram. Maiores igitur ordines ſtatis duntaxat temporibus, quæ quattuor ſunt, quæque iam à Caliſto conſtituta fuere, Macrino, & Heliogabalo imperantibus, aut ſabbato ſancto, aut ſabbato ante Dominicam de Paſſione conferri, *cap.3.* Diebus autem Dominicis, vel ſabbato Pentecoſtes, præterquam à Papa ordinatur nemo. *cap.1.* nec valet conſuetudo, qua receptum fuit, extra ſtatuta tempora poſſe ordinari. *cap.2.* quinimmo ordinatus ſuſpenditur, quemadmodum minor vſque ad ætatem

tem legitimam; non priuatur tamen, quia recipit characterem. *cap.*14. & 16. ordinans verò ab ordinandi poteſtate ſuſpenditur; ac ſi duos ſacros eidem vno die, vel duobus, continuato ieiunio conferret. *cap.*13. 14. 15. vel clerico alieno, præſertim vltramontano, niſi de ſpeciali Papæ licentia, ſiue per codicillos, vel, vt vocant, patentes litteras, ſui Epiſcopi. *cap.*1. 2. *eod. in ſex.* vel infanti, niſi intret religionem, tonſuram, aut illiterato, aut coniugato, ni religionem ingrediatur, aut ad ſacros canonicè promoueatur. *cap. vlt. eod. in ſex.* Monemur quoque Græcos à Latinis, Latinos à Græcis non poſſe ordinari, Græcum tamen Latino Epiſcopo ſubiectum ſine eius licentia à Græco initiari non poſſe, *cap.*9. & 11. *hoc titulo*. Accipitur autem hic titulus non modò de clericorum inferiorum ordinatione, & ſæcularium, ſed & regularium c.10. Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, atque Virginum Deo dicatarum, quæ in Codice Iuſtiniani interdum aſcetriæ dicuntur, quaſi ſacris deditæ omnino ſint meditationibus. Etſi aſcetriæ propriè non erant moniales; immo ab eis ſicut à monaſterijs, aſceteria à Iuſtiniano ſeparantur. *Nouell.* 59. ita à monialibus aſcetriæ, quarum officium erat pſallere, dum mortuorum corpora ad ſepulturam efferebantur, vt diximus *cap.*8. *num.*26. *lib.*2. *de ſacrorum Immunit.* Hæ aliquando, & frequentiùs ſanctimoniales, & à noſtris paſſim moniales appellantur, & diebus quoque Dominicis ordinantur, *cap.*1. Archiepiſcopi ab omnibus ſuffraganeis conſecrantur. Epiſcopi à tribus ſaltem comprouincialibus, iuſſu Metropolitani, vel ab ipſo cum duobus, *cap.*7. & 8. non æquè à paucioribus. quod iam inde tempore Domitiani ab Anacleto Athenienſi Pontifice max. ſanctum fuit: tametſi Apoſtolorum tempore à duobus poſſent, *can.*1. *Apoſtol.* idque ob Epiſcoporum raritatem conſtitutum fuiſſe minus dubitandum eſt. Quo modo autem horum conſecratio, examinatio, & clericorum omnium ordinatio fieri debeat, docet apertè *diſtinct.*23. & 24. *per tot.* Porro in ordinandis multa deſiderantur, vt tempus, optimi mores, ſcientia rerum tam temporalium, quàm ſpiritualium. *diſtinct.*39. ob id conſequenter de qualitate ordinandorum adnexuit, licet parum, aut nihil admodum hic de qualitate habeatur; ſed in 25. *vſque ad* 91. *diſtinct.* & *infra tit.*14. docemur tamen monendum eſſe eum, qui occultè deliquit, ne promoueatur, non item prohibendum, præter homicidij reum, *cap.* 4. & *cap.* 17.

De Scrutinio in ordine faciendo. *Tit.* 12.

PERSEQVITVR quem cœpit tractatum de ordinatione, datque ſpecialem titulum de ſcrutinio in ordine faciendo: qui non ita eſt generalis, vt ſuperior: cùm Diaconi, & Presbyteri ordinatione reſtringatur. qui dum ordinantur, prior Diaconus, qui ordinanti adſiſtit, *Poſtulat*, inquit, *ſancta mater Eccleſia hunc Diaconum, aut Subdiaconum ad onus Presbyteratus, vel Diaconatus adſumi.* & Prælato interroganti, ſi eum cognouerit eſſe dignum, idem reſpondet; quòd *quantum humana fragilitas noſſe ſcinit, ſcit, & teſtificatur illum ad huiuſmodi officium eſſe dignum*. Ex quibus conſtat ſatis ſcrutinium hoc ab illo, de quo *ſuprà de elect.* differre. Eſt enim ſcrutinium hic inueſtigatio; inquiſitio à ſcrutor. Apuleius lib.9. *Poſtremum*, inquit, *magiſtratibus placuit, obſtinatè denegantem ſcrutinio detegere*. Hinc facta eſt ab Innocentio tertio conſtitutio hæc, vt poſtulator non credatur peccaſſe, & ſi non æquè idoneus fuerit ordinatus, prout ordinans rebatur: cùm deceat quemquam illum dignum æſtimare, quem indignum eſſe non nouit. *cap. vlt. inf. de præſumption. l. cùm pater. §. rogo. ff. de leg.*2. *teſtamento centurio. ff. de manumiſſ. teſtamen.* argumento eſt etiam *l.*2. §. *quod obſeruari. C. de iureiuran. propter calumn.*

De ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, vel excommunicato. *Tit.* 13.

ELECTO in Epiſcopum iure officij competit ordines conferendi facultas: quam, cùm nec ſpecialiter, nec lege, vel conſtitutione aliqua tribuitur, mandare alteri poteſt. *l.*1. *ff. de offic. eius.* Euenit interdum tamen, vt ille Epiſcopatui renunciet; & facta renunciatione adhuc ordines conferat. Quid ergo iuris de ijs erit? Diſtinctio adhibenda eſt, aut loco tantùm, aut loco, & dignitati renunciauit. illo caſu, accepta ab aliquo Epiſcopo auctoritate, & minores, & maiores poteſt conferre: nam ex epiſtola in Epheſina ſynodo relata, de qua *ſupra titul.*9. facta eſt mentio, nonnulli apud Balſamonem exiſtimarunt Antiſtitibus permiſſum eſſe, vt ſi qui eccleſiarum thronos renunciant, antiſtitum tamen dignitatem obtineant. Si loco, & dignitati, minores ſolùm. hos enim & Abbates conferunt. *cap. cùm contingat. infra titul.*1.

*tit.1.& c.quoniam videmus.69.dist.*qui scienter sacros acceperit,executionem non habebit:item qui ab excommunicato. Si ignoranter per proprium Episcopum poterit dispensari.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum. *Tit.* 14.

COGNITIS diebus, quibus ordines cõferri possunt, & facto scrutinio, desideratur etiã ætas ordinandorum,qualitas,& ordo præficiendorum. Aetas in Episcopo triginta annorum minor esse non debet:& in eo, qui ad curam animarũ,vel personatũ, atque dignitatem proponitur,xxv.cum minore tamẽ xx. quo ad personatum, & dignitatẽ dispensat Episcopus,non item ad animarum curationẽ *c.vnico eod.in sex.& sup.tit.6.*ideo minor xiv. cuiuslibet ecclesiæ personatũ obtinere prohibetur *c.3. hoc tit.& c.super inord.inf.de præb.c.6. Cõc.Trid.sess. 23.de refor.*indignum etenim est, ac pene temerarium,vt qui se tueri,ac gubernare nequit, grauissimum ecclesiarũ onus regere debeat. quod si specialiter ei conceditur, non per laicos, sed per clericos regi oportere optima ratione constitutũ fuit in *c.2.*Qualitate:vt legitimo matrimonio natus,moribus quoque,& scientia ornatus,vt aliàs dictum est. minus enim idoneus in sacerdotem promoueri nequit;multo magis in Episcopum, quem interdum iam promotũ scientiæ defectus remouit *c.penul.& vlt.*At illud erat hic necessarium:num Physicus,qui nõ malitiose vsus est arte,quamuis multi,quibus adhibebat remedium, perierint, possit ad sacerdotiũ promoueri, & rescriptum est posse.*c.7.de ætat. & ordine præficiẽdorum*. Etenim, Episcopus quis fieri nequit,nisi Diaconus sit,vel Sacerdos,vel ex Innocentij cõstitutione *cap.9.*Subdiaconus;Abbates,Decani, Præpositi,Archipresbyteri,si presbyteri nõ sunt, fieri presbyteri debent. Archidiaconi,Diaconi. *cap.1.*ad animarum curationem, vel saltem subdiaconum esse oportet;nisi ita idoneus sit, vt intra annum presbyter fieri possit. Item irregularis,& in minoribus dispensatiue in Abbatem instituitur. *cap.10. hoc tit.*

De sacra Vnctione. *Tit.* 15.

DE sacra Vnctione hic inscribitur titulus: quæ ordinandis est per quàm necessaria: tametsi vnctione hoc titulo comprehensa non modo reges,vt in veteri testamẽto,sed & sacerdotes facti sumus. Apostolorum Princeps. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.*qua de re,& in *tit.11.*At hic præcipue de Christianorum vnctione,quæ duplex est,vna exterior, altera interior: hæc inuisibilis & spiritualis;illa visibilis, & materialis.visibilis,& exterior signum est interioris,& visibilis vnctionis. Inuisibilis, & interior non solum signum, sed & sacramentum: & Chrisma à Græco vocabulo appellatur. quanquam eo nomine profani scriptores quodlibet vnguenti genus significãt. Augustinus *tract.33.in Ioan.& ser.47. de verbis Domini.*Cassiod.*ad 1.Cant.*Isidor.*lib.7.Orig.cap.2.* Raban.Maurus *lib.1.de instit.cler.c.30.*Illi tamẽ qui res diuinas tradunt, communi loquendi cõsuetudine ad illud tantummodo vnguẽtum accommodarunt, quod ex oleo, & balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur.S. Cyprianus *de vnctione Chrismatis.*Quæ duæ res corporeæ simul permistæ confirmationis materiam præbent. qua & Episcoporum caput, & manus vnguntur: caput propter auctoritatem,& dignitatem,manus ob potestatem, hoc est ministerũ, & officium. item sacerdotis manus. Agitur præterea hic de vnctione omni ad Christianos omnes pertinenti: qui bis ante baptismum in pectore, & inter scapulas deliniuntur, oleo scilicet benedicto, quia adhuc cathecumeni sunt. *can. ante viginti ac conser. 4. distin.* Cuius vnctionis meminit S.Dionys.*de Eccles.Hierar.c.4.*Tertull. *lib.1.aduersus Marcionem.* Origenes *homil.7. in Ezechiel.*Basil.*de Spiritu sancto c.27.*Ambrol. *de Sacrament.lib.1.c.2.*B.Thomas *ad 4.sententiar. dist.6.*Vnguntur & bis post baptismum:primum in vertice, demum in fronte,hoc est Chrismate: & hoc soli conuenit Christiano. CHRISTVS enim a Chrismate,vel potius à CHRISTO Chrisma, & a CHRISTO Christiani,tanquam vncti ab vncto deriuant.De hac item vnctione mentionem faciunt idem Dionys.Tertull.*de Baptismo cap.7.* Basilius *d.c.27.*Iustinus Martyr *q.137.* Gregor. Nazianz.*orat.in sanctum Baptisma.* Ambrol. *de Sacram.lib.2 1.c.5.*Augustinus *lib.15.de Trinit. c.26.& lib.4.de Symb.c.1.*& alij. Quæ autem per manuum impositionem fit,quæque confirmatio dicitur,Episcopis reseruata solis est: *can.presbyt. de consecr. dist.* 4. cum per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur,& robur: quin ab Apostolis tantum dari plusquam in manifesto est;*de lũ Apostolorũ* 8.& per consequens Episcopis, tanquam summis sacerdotibus,*cap.1. §.per frontis. hoc tit.*Augustinus in *Comm. ad Psal. 44. Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filij nati sunt, & constituti Episcopi. hos ipsa Ecclesia patres appellat,hos ipsa genuit,& ipsa hos constituit in sedibus patrum.*Raban.Maur.*cod.c.30.Omnes fideles,*ait, *per manus impositionem accipere debent Spiritum sanctum,vt pleni Christiani inueniantur.*& paulo post. *Nec mirum si homo bis eodem Chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum vngatur; cum*

idem Spiritus bis ipſis Apoſtolis datus fuerit, ideſt in terra, ſemel quando poſt reſurrectionẽ ſua Dominus inſufflauit in eos, & dixit. Accipe Spiritum ſanctum. Et de cælis ſemel, quando poſt Aſcenſionẽ Domini, in die Pentecoſtes in linguis igneis ſuper Apoſtolos venit. Quæ tamen intelligi debent nõ eſſe de perfectione, ſeu plenitudine ſimpliciter, ſed roboris, & amplioris gratiæ, teſtimonio Bonauenturæ *ad 4. ſent. diſt. 7. q. 2. ad 3. art. 11.* & per ea quæ tradit S. Thomas *3. p. q. 77. ar. 1.* Cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos. Agitur & de Chriſtianis Principibus ſpecialiter: qui & vngi poſſunt, ſed aliter, atque Pontifices, (Pontifices voco omnes ſummos ſacerdotes *vt ſup. tit. xj.*) iſti, vt dixi, in capite, & Chriſmate; illi in brachio, vel humero, ſeu in armo; in quibus apte Principatus deſignatur: Eſai. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*: & oleo duntaxat, nõ Chriſmate: quo videtur Salomonem vnxiſſe Sadoc Sacerdos, *Reg. 3. c. 1.* Ex quibus facile intelligi poteſt, quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis poteſtatem. Item vngitur, cùm conſecratur altare, dedicatur templum, & benedicitur calix. Denique & præſertim hoc monemur titulo, Eccleſiam Græcorum in ordinationibus, & conſecrationibus vnctiones, quas Rom. Eccleſia obſeruat, obſeruare debere.

De Sacramentis non iterandis. *Tit. 16.*

QVi ſacris initiatur, ſacra debet prius vnctione, hoc eſt, Chriſmate confirmari; vt in ſpirituali certamine viriliter pugnare, & nequiſſimis hoſtibus reſiſtere queat. Habet autem confirmatio eam vim, vt characterem imprimat; quo fit, vt nulla vnquam ratione poſſit iterari. Idcirco haud male proponitur hic titulus *de Sacramẽtis non iterandis.* Sacramentũ eſt ſacræ rei ſignũ, vel inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignum ad noſtrã iuſtificationẽ inſtitutũ. D. Auguſtinus *lib. de Ciuit. Dei 10. c. 5. Sacramẽti enim nomen aliquam rem ſacrã, quæ in occulto latet, declarat, quemadmodũ Græci ad eandem rem ſignificandã Myſterij vocabulo vſi ſunt.* quapropter, vt B. Greg. placet in *can. multi. 1. q. 1. Sacramenta dici poſſunt, quod diuina virtus ſub rerũ corporalium tegumentis ſecretius ſalutem efficiat.* Sacramẽtorum verò quædam impune poſſunt iterari, vt Euchariſtia, Pœnitentia, Matrimoniũ, Extrema vnctio. Iterari nequeunt Baptiſmus, Confirmatio, & Sacer ordo. Quòd ſi Hypodiaconus in ordinatione per errorem fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus, nec iteratur ordinatio, nec fit irrita, ſed ſupplebitur, ſicut in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi manus impoſitio prætermiſſa: quæ fit, cùm oratio ſuper caput effunditur, ſtatis temporibus ſuppletur. *cap. 1. & 2.* Extenditur hic titulus etiam ad alia, vtpote veſtimenta, quibus Schiſmatici celebrarunt. Iterum non debent benedici, nec altaria, in quibus celebrarunt, iterum conſecrari, nec ſepulti exhumari. Schiſmatici qui ſint, dicam ſuo loco.

De filijs Presbyterorum ordinandis, vel non. *Tit. 17.*

PRopoſitis modis omnibus, quibus conceſſum eſt ſacros ordines adſequi, congruenter poſtponuntur ea, quæ impedimento eſſe poſſunt, ne quis ordinetur: ac proinde de filijs Presbyterorum primo. & non tam vt tractet de eorum ordinatione, cùm de ea tantum agatur in *cap. 1. 12. & 14.* quibus cauetur, ne illegitimus ordinetur, niſi monachus fiat, aut Canonicus regularis, ſpe nunquã conſequẽdi prælaturam, licet cum eo poſſit Epiſcopus in minoribus, & in beneficio ſiue curatione diſpenſare, *cap. 1. eod. in ſex.* quàm vt de promotione ad obtinenda beneficia. Et illud perpetuo verũ eſt, filium ſiue legitimum, ſiue illegitimum nõ poſſe patri, vel Vicario, vel Rectori proxime in Eccleſia ſuccedere, *c. 7. 10. 11. 13.* Solumq. Rom. Eccleſiæ antiſtitem poſſe diſpenſare, vt non interpoſita perſona ſuccedat. *cap. 13.* alioquin Eccleſiaſtica bona iure hæreditario quodam viderentur ſuccedi. *c. 1. & c. 3. inſ. de præb.* namque filius in ea eccleſia, in qua pater ſine titulo adminiſtrauit, legitimus, inquam, poteſt: & Pontificum filij legitimis nati nuptijs in eiſdẽ Eccleſijs, quibus patres præſunt, vel præfuere, omne beneficium, *cap. 12.* non item illegitimi. *cap. 2. 3. 4. 15. 16.* & vbicumque legitur, ſacerdotibus natos in ſummos Pontifices eſſe promotos, intelligi debent, non fornicatione, alijsq. inhoneſtis amplexibus, ſed legitimis connubijs orti. *can. penul. & vlt. 56. diſt.* Illegitimi ergo, vbi pater habuit, non queunt: quòd ſi eis ibi datum fuerit beneficiũ, ab eo remouentur, & conferẽtes à ſuis beneficijs ſuſpenduntur, *cap. 16.* niſi ſedis Apoſtolicę benignitate id fuerit indultum, *cap. penul.* quæque ſola illos ad dignitatem, perſonatum, beneficiumq. curatum admittit. *c. vlt.* quòd ſi ordines ſacros acceperint, carere minus debent beneficio. *c. 5. & 6.* quod locum habet in omnes, qui ſine titulo ad ſacros ordines ſunt promoti: qui iuſte ab ordinatore pẽtũ beneficium, *cap. accepimus ſupra de etat. & qualit. cap. cùm ſecundum infra de præb.* quod cùm in deſuetudinem abiret, nouiſſime Tridentina Synodus decreuit, neminem ad ſacros ordines admitti debere abſque beneficio, aut ſufficienti patrimonio.

De

De ſeruis non ordinandis, & eorum manumiſsione. *Tit.* 18.

ALTERA ſpecies impedimẽti, qua cauetur ſeruilem conditionem non poſſe clericalem capere honorem. *can. admittuntur. 54. diſt. cap. 1. ſupra tit. prox. cap. 1. & 2. hoc tit.* quemadmodum nec ciuilem, *l. Barbarius ff. de off. pret.* Admittuntur ad ſacrum ordinem, quibus nulla naralium, nulla morum corruptio, nulla ſeruilis conditio obſtat. iſti ſi à dominis ſuis libertatem conſequi poſſunt, ad faſtigium ſacerdotij prouehuntur; aliàs facti clerici deponuntur, & dominis reſtituuntur. *cap. 2.* non autẽ res aliena conſecrata. *cap. comperimus. 14. q. vlt.* & ratio illa reddi poteſt: quia in rebus inanimatis non perpenditur dolus, ſecus in homine: namque ſeruus, quo effugeret graue domini ſeruitium, plerumque ad vitam clericalem confugeret. *l. ſi ſeruus. C. de iis, qui ad Eccleſ. confug.* vel quia in rebus anima carentibus conſecratio cõſecratio conſiſtit in ſuperficie, ideo tangi à profanis non debet. in homine eſt in anima, cui imprimitur character, & tangi nequit. *cap. licet. 32. q. 7.* Et de eorum manumiſſione. Manumiſſio eſt de manu datio. *l. manumiſſionis. ff. de iuſt. & iur.* vel, vt in Pandectis Florentinis, datio libertatis. Fit autem multis modis, de quibus per Iuſtinianum in §. 1. *Inſtit. de libert.* Iſti igitur clerici fieri poſſunt: ſi ab Eccleſia manumiſſi ſunt, vt Ipſis Eccleſijs perpetuo ſeruiunt, & eo caſu ad alias ſe transferre non queunt: ſecus ſi pure. *cap. 6.* quod tamen acquirunt, poſt obitum Eccleſiæ manumittentis eſt, *cap. 3.* Hoc titulo ius dominis quoque factum eſt in manumiſſis, vt ſpirituales operas retinere valeant. Item vt genitus ex patre ſeruo, & libera matre liber ſit, & licite promoueatur. *cap. vlt.* Denique liber, & ingenuus fit ſeruus, qui ſciente domino, & non contradicente ordinatur. *can. ſi ſeruus. 54. diſt.*

De obligatis ad ratiocinia, & ordinandis, vel non. *Tit.* 29.

TERTIVS modus, quo quis prohibetur ordinari, eſt; cũ quis tenetur reddere rationes earum rerũ, quas adminiſtrauit; vti ſunt procuratores, qui ad aliena negotia conſtituuntur. Itẽ Actores, Executores, Tutores, Curatoresq., qui omnes niſi rerũ adminiſtratarũ rationes reddiderint, non poſſunt ad ſacros ordines accedere, quaſi ſeruitute quadã impediãtur: admiſſi enim rerũ adminiſtratarum dominos ad Eccleſiaſticũ forum traherent, eosq. facile defatigarent. *cap. vlt. infra de alien. iud. mut. cauſ.*

Germonij Paratitla.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non. *Tit.* 20.

QVARTVS eſt de corpore vitiatis, veluti oculo orbatis, digito mancus, manu mutilatis, & omnibus, qui ita deformes ſunt, vt abſque ſcandalo non valeant celebrare: tametſi in Apoſtolico Canone 77. ita ſcriptũ eſt: *Si quis oculo orbatus, vel fœmore obleſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat. nõ enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.* Namque Diui Apoſtoli animam putam, vt ait doctiſsimus eorum interpres Balſamon, & integram omnes habere deſiderabant, non autem corpus: hodie ex *c. 2. huius tituli*, & corpus, & animam. Scribit quoque Pomponius Lætus Romulũ aliqua corporis parte debiles ſacerdotes fieri veruiſſe. Plinius *lib. 7.* Dionyſ. Halicarnaſ. *lib. 2.* Seneca *cõtrouerſ. lib. 4. c. 2.* (*Sacerdos*, ait, *nõ integri corporis, quaſi mali ominis res, vitanda eſt*, procul & in. lege Moſaica cautum erat: Nam *Leuit. c. 21.* Si *cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grãdi, vel torto naſo; ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiẽ, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus omnis, qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, nõ accedat offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo.* Philo *lib. de ſacrif. Sacrificare*, inquit, *nulli ſacerdoti, niſi integro, permittitur: cui ne minima quidem inſit labecula.* Et Ioſephus *lib. 6. de bello Iudaico. Ad altare*, ait, *Templumq. accedebãt carentes omni vitio.* Eſt & hic titulus de ijs, qui virilia ſibi amputari voluerũt; quod in Concilio Niceno cautum etiam fuit: ideo Theodoretus *Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 24.* de Leontino Antiocheno Epiſc. loquens. *Quem*, inquit, *dignitatis gradum contra Concilij Nicæni decreta adeptus eſt; nam ſua ipſius manu ſibi exeruerat teſticulos.* Ijs igitur initiatio interdicitur, niſi ex iuſta aliqua cauſa, aut per hominũ inſidias eunuchi facti ſint, ſeu nati. *c. 3. hoc tit. can. eunuchus. 55. diſt.* Iſti ſpadones, illi caſtrati: licet ſpadonum generalis appellatio ſit. *l. ſpadonum. ff. de verb. & rer. ſign.* ſpadones tamen dicuntur proprie ij, qui naturali quodam morbo ſteriles ſunt, ac proinde generare non valent. nõ vt Accurſius, quippe qui ſpadones eſſe exiſtimauit, quibus genitalia abſciſſa ſunt cultello, vel, vt loquitur, ſpatha. ſed vt vir doctiſsimus Cuiacius eſt interpretatus in *l. 6. ff. de lib. & poſth.* ſcilicet, caſtratus dicatur, cui ea pars corporis, quæ ad generandũ eſt neceſſaria, abeſt; ſpado, cui non abeſt, & ſi infirmitas valetudinis ei ad generandũ impedimẽto eſt. quã ſententiã reor haud male Colum. auctor. *lib. de arbor.* poſſe cõfirmari cũ ſurculos infructuoſos ſpadones appellet. Surcu-

ius eſt ramulus ille, qui ex arbore vna in aliam, quam inſerere volumus, traducitur. Cicero *de orat.2. Amabote*, inquit, *du mihi ex iſta arbore, quos ſeram ſurculos.* & Virgilius *Georg.2.*

Nec ſurculus idem
Cruſtumijs, Syrijſq. pyris, grauibusq. volemis.

Spado iure ciuili poteſt vxorem ducere, adoptare, poſthumum hæredem inſtituere, & huiuſmodi alia; non æque caſtratus: quaſi in ſpadone cõmunis natura ſpectetur potius, quàm morbus, vitiumve corporis, quo natura implicata eſt, atque impedita. quod ſatis conſtat ex *l.9. ff. de liber. & poſthum.* quique nihil obſtante ſacris initiari poterit. *d. can. Eunuchus. 55. diſt.*

De Digamis non ordinandis. *Tit. 21.*

QVINTO Digamus non ordinatur. Digamus is reputatur, qui ante Baptiſmum vnam, & poſt Baptiſmum aliam habuit vxorẽ. *can. vna 26. diſt.* Regulariter dicitur Digamus, qui duas habuit vxores, vel cum vacante contraxit, qui nec viuentibus vxoribus, nec defunctis ad diuinorum celebrationem admittitur. Sic apud Athenienſes, rex eorum ſacrificulus non poterat niſi virginem ducere: ipſaq. ſuæ virginitati magno, ſolemniq. iureiurando teſtimonium tribuere cogebatur, vti auctor eſt Demoſthenes. Refert quoque Plutarchus apud Romanos nefas fuiſſe Flamini ab vxore diuertere: quin ea etiam mortua ſacerdotij ſe ſanctitate abdicaſſe. ea ducor ratione: quia nec illi fine vxore, nec eidem rurſus cum ſecũda vxore ſacerdoti licebat eſſe. Contrahens verò cum virgine, licet ab alio prius fuerit deſponſata, nõ cenſetur Digamus, *cap. 5. hoc tit.* quod rationem habet perelegantem: etenim vere matrimonium non dicitur, niſi vtrumque concurrat, animorũ, inquam, coniunctio, & corporum: vt vna ſit voluntas, & corpus vnum, iuxta illud, *Erunt duo in carne vna.* quod non eſt corporum coniunctione conſumatum, non pertinet ad illud deſignatum coniugium, quod inter CHRISTVM, & Eccleſiam per Incarnationis myſterium eſt initum; ſed ad illud, quod conſiſtit inter Deum, & animam iuſtam, Apoſtoli teſtimonio. *1. ad Corin. 7. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* ob id Ambroſius in *c. in omni. 27. q. 2. In omni*, inquit, *matrimonio coniunctio intelligitur ſpiritualis, quæ confirmat, & perficit coniunctorum commixtio corporis.* & Hieronymus, *Quæ ſponſali coniunctione initiantur, commixtione perficiuntur.* Hinc reſcriptum eſt ab Innocentio iij. non eſſe Digamũ, qui plures habuit cõcubinas *cap. 6.* Tametſi quis interdum in Digamiæ pœnam incurrit, Digamus tamen non eſt: vt ſi ſacris initiatus cum vidua contrahat, vel ad ſecundas nuptias ſe transferat *cap. 3. & 7.* Eſt etiam hic titulus de pœnitentibus, & repudiatarum maritis, qui vt Digami, ad Sacerdotiũ minus poſſunt aſcẽdere.

De Clericis peregrinis. *Tit. 22.*

HAEC eſt vltima cauſa, qua tanquam indigni ab ordinibus remouentur, vti ſunt peregrini. Peregrini ſunt, qui ex remotis prouincijs profecti ſunt. qui an ordinari poſſint, dixi *ſupra tit. 11.* Ordinatis celebrare non permittitur, niſi eorum litteræ quinque Epiſcoporum ſigillis munitæ fuerint. neque prædicare, cùm ipſo facto ſint excommunicati. *cap. vlt. de reg. & tranſeunt. ad relig. extrauag. comm.*

De officio Archidiaconi. *Tit. 23.*

POST tractatum Ordinis, ad gradus Eccleſiaſticos, ac iuriſdictiones tranſit: & cùm Archidiaconus apud Epiſcopum primas obtineat, de eo prius. Huius autem officium eſt, poſt Epiſcopum, aut Archiepiſcopũ, omnem curam in clero habere, Euangeliũ, ſi vo, luerit, legere, omnem querimoniam, cauſaſque Presbyterorum, Diaconorum, & Hypodiaconorũ deliberare, ordinare, iuſtitiamq. facere. Dein Eccleſiaſticum officium omne prouidere, lectiones, aut reſponſoria in matrice Eccleſiæ dare, auſcultare, Acolytos ordinare, vaſorũ Eccleſiæ cuſtodiã habere, Eccleſias in diœceſi cõſtitutas viſitare, Hypodiaconis, & Leuitis imperare, ordinandos examinare, Abbates, & Abbatiſſas in ſede ponere, omnem ſolicitudinem, ac curam non tantum in clericis, quantum in eorũ Eccleſijs imponere; item delinquentibus pœnas infligere, *cap. referẽte. inſ. de præb.* Et Iuſtiniani tempore in Eccleſia cum primo presbytero pecuniæ diſpenſationẽ habebat, *Nouell. 123.* idcirco Prudentius, B. Laurentium, quem primum è ſeptem viris vocat, hoc eſt, Archidiaconũ (ſiquidem vij. tantum Diaconi initio fuerunt) votas opes diſpenſare dicit: quare induſtriam in eo Hieronymus, & Sidonius deſiderant. Diuus enim Hieronymus ita Euagrio ſcribit. *Diaconi eligant de ſe quem induſtrium nouerint, & Archidiaconũ vocent.* Sidonius Dommulo; *Archidiaconus, in quo ſeu gradu, ſeu miniſterio multum retentus per induſtriam.* Quam ob rem haud inelegãter à Clemente huius nominis Primo Pontifice Max. in *can. Diaconi. 1. 93. diſt.* dictum eſt Archidiaconũ eſſe oculũ Epiſcopi; quaſi circũluſtret, ac perſcrutetur diligẽtius quid agendũ, quid prohibendũ.

In mo-

In monaſterijs verò viſitationem, correctionem, procurationem non habet, niſi more maiorum id ſit receptum, *cap. vlt.* nec curam animarum committere, excommunicare, nec litteras, vt vocant, formatas, vel ad ordines commendatitias concedere, *cap. 4. & 5.* Hæc nihilominus intelligi debent, meo iudicio, extra Archidiaconatus metas, hoc eſt, vbi tanquam vicarius Epiſcopi eſt; quia tunc habet iuriſdictionem delegatam; ſed vbi gerit vicem ſui, non alterius, neq; ab Epiſcopo id recognoſcit; ſed ſtatim electus ſibi iure magiſtratus competit, *c. 6. & vlt.* ac proinde propriam exercet iuriſdictionem; haud dubito illa omnia facere poſſe, vel excommunicare, *d. c. referente.* quod approbat & Summus Pontifex Innocent. vir ſummè diligens, & doctus, ad *c. cum contingat. inf. de foro comp.* text. in *c. dudum. 2. §. ſed, cùm in ſine. ſupra de elect.* Vt ego ipſe, qui indignè hanc obtineo dignitatem in Metropolitana Taurinenſi Eccleſia, cum iuriſdictione ordinaria in multas Eccleſias, & populos, in quibus ferè omnia, quæ Epiſcopalis iuriſdictionis ſunt, & ipſe exerceo, & exercere ſoliti ſunt anteceſſores mei, vel excommunicare. Etenim iuriſdictio ſine coercitione nulla eſt. *l. vult. ff. de offic. eius.* ſecus illuſoria, *c. ex litteris. in f. de offic. deleg.* nam & plebanus, qui longè minor eſt Archidiacono, excommunicare poteſt, imo parochialis quilibet. *cap. 2. & 3. inf. de offic. iud. ordin.* Archidiaconus & ſimplici voce Diaconus dicitur. *d. cap. Diaconi. cum ſeq.* & Epiſcopi vicarius, *cap. 1. & 7. hoc tit.* & Viſitator. *can. non debere. 80. diſt.* & Chorepiſcopi, Sigibertus Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiſcopi, quod an verum ſit dubito. Chorepiſcopi enim Epiſcopis, quodammodo æquiparantur. *can. 3. & ſeq. 68. diſt.* vel ſe æquiparare tentabant, quapropter à Damaſo prohibiti fuere; quaſi eorum inſtitutio improba, ac praua eſſet. *can. Chorepiſcopi. ead. 68.* & in vicis conſtitui poterant. At Archidiaconi in vicis non conſtituuntur, nec ſunt prohibiti, quinimo in qualibet cathedrali Eccleſia inſunt neceſſariò. Et Prælati appellantur. *cap. 2. infra de iudic. cap. Romana. §. archidiaconis. de appellat.*

De officio Archipresbyteri. *Tit. 24.*

SVBICITVR titulus de officio Archipresbyteri, peritè quidem: ſubeſt enim proximè Archidiacono: & quanquam Archipresbyter maior in ordine ſit, minor nihilominus in dignitate. Poteſt quis varijs, diuerſisq; modis altero maior eſſe, vel æqualis. *c. puto. 2. q. 7. l. 1. C. de offic. vicar.* In ciuilibus cauſis Vicarij Comitibus militum anteferuntur; in militaribus negotijs Comites Vicarijs. Vicarij erant, qui pro Præfecto Prætorio mittebantur in tractum, vel diœceſim aliquam aliquot in ſe prouincias continentem. Præfecti prætorio erant, qui primas obtinebant, & omnem iudiciorum auctoritatem, omniumq. honorum principatum; & patres imperij, atque prouinciarum vocabantur; vt auctor eſt Caſſiodorus: quare eorum vicarij cæteris dignitatibus præibant. Diuus Auguſtinus, vt redeam domum, *lib. de Bapt. 2. c. 1. Sine vlla ſui,* inquit, *contumelia Cyprianus Epiſcopus, Petro Apoſtolo comparatur; quantum attinet ad martyrij coronam. Cæterùm quis neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?* In eo enim, quo quis maior eſt, minori præſſe, & ratio naturalis ſuadet. *c. eſt ordo. 33. q. 5. d. 11.* qua de re *inf. de maiori. & obed.* Cum Archidiaconus iuriſdictionem habeat, non Archipresbyter, ei non malè, cæterisque antecellat. Huius etenim officium in eo elucet maximè, ſuper omnes presbyteros curam agere animarum, aſſiduè in Eccleſia ſtare, abſente Epiſcopo miſſarum ſolemnia celebrare, fontes benedicere, infirmum oleo perungere, pœnitentem infirmum reconciliare, pœnitentiam cunctis alijs ſacerdotibus iniungere, eisque præcipere, ne in ſacrario CHRISTI Euchariſtia deſit, curam ad Chriſtianos faciendos adhibere, infantes baptizare, confeſſiones quoq, peccatorum omnes recipere. Hæc ſunt, quæ ad Archipresbyterum vrbis ſpectant. Sed quoniam vrbis Archipresbyter omnibus eccleſijs præeſſe minus poteſt; ob aſſiduam erga Dei populum curam factum fuit, vt ſingulæ fermè plebes Archipresbyterum haberent, qui proprio nomine Ruralis, vel, vt alij dicunt Exterus nuncupatur. Ad hunc non tam vulgi, quàm presbyterorum, qui per minores titulos in vicis habitant, ſolicitudinem gerere, eorum vitam, moresq. circunſpectione diligenti cuſtodire, & qua vnuſquiſq. induſtria diuinum myſterium exercet, Epiſcopo ſuo renunciare. Archipresbyteri ab Ethnicis nomen habuiſſe videntur, quos apud Archiflamines vocabantur. *can. 1. 21. diſt.* quod nomen & Archiepiſcopis tribuitur. *c. 2. 81. diſt.* quemadmodum, & Protoflamines. *d. c. 1.* Flamines enim Dijs ſingulis erant attributi, vti Halicarnaſſeus tradit, item Cicero 2. *de legibus.* à quibus cognomina habuerunt, auctore Varrone, *lib. de ling. Latin. 4.* vt Flamen Dialis, Martialis, Quirinalis, Carmentalis, Pomonalis, &c. Verùm quia inter Deos, qui colebantur, aliquod diſcrimen erat, non omnium Flaminum par erat dignitas, vt ait Feſtus. Proinde is, qui ſacra Ioui faciebat, ideſt Dialis, maxima dignationis habebatur. de quo multa adnotauit Gellius. ſic hodie apud Chriſtianos Archipresbyteri

non quod multi ſunt Dij, & inter eos differentia ſit, cùm vnus ſolus Deus à ſe minime diſcrepans ſit: ſed quia vrbis Archipresbyter maiorem habet ſolicitudinem, quàm in vicis habet Ruralis, maiorem quoque præfefert dignitatem.

De officio Primicerij. *Tit.* 25.

PRIMICERIVS poſt Archidiaconum, & Archipresbyterum in primum ſuccedit gradum. quod officij nomen iam olim extabat, quamuis ad aliud miniſterium eſſet conſtitutum, vt in *tit. de Primicerio lib.* 12. *Codicis* ſatis apparet. Nam in ſchola tribunorum, & notariorum ſummam obtinebat Primicerius. Fuerunt quoque aliorum officiorum Primicerij, vti cubiculariorum, menſarum, ſcriniorum vtriuſque ærarij, & aliorum, de quibus eleganter Cuiacius *d. tit.* C. & generaliter quælibet corpora, ſcholæ, collegia ſuum Primicerium habent. Caſſiodorus *lib. Variarum 6. for. Notariorum.* quare Primicerius poteſt dici primus cuiusque collegij. D. Auguſtinus *in ſermone* 21. D. Stephanum Primicerium Martyrum appellat, quem vulgo Protomartyrem dicunt. & Baldricus Dolenſium Archiepiſcopus *in hiſtoria Hieruſalem*, D. Petrum Apoſtolorum Primicerium vocat. Sic Primicerius presbyterorum, quaſi Epiſcopus. vt in illa ampliſſima Venetiarum Republica, quæ decus eſt Italiæ, immo totius terrarum orbis ornamentum, & ſplendor, vel ſtupor potius; in templo, inquam, D. Marci, in quo Primicerius presbyteris omnibus anteſtat. In hoc autem titulo Primicerius Archipresbytero poſtponitur ad quem pertinet Diaconis in docendo præeſſe, & reliquis eccleſiaſticis gradibus diſciplina perpetuo inſiſtere, & alia facere, de quibus in *can.* 2. §. *Primicerium.* 25. *diſt.*

De officio Sacriſtæ. *Tit.* 26.

SACRISTA poſt Archidiaconũ curam gerit conſeruandorum ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, lampadum: ad eumq. pertinet baſilicas ordinare, incenſum præparare, curam Chriſmatis conficiendi habere, ac omnem eccleſiæ theſaurum cuſtodire: idcirco & theſaurarius appellatur. *can.* 2. *in fine* 25. *diſt.*

De officio Cuſtodis. *Tit.* 27.

CVSTOS Archidiaconi quoque præceptis debet obtemperare; & per ſingulas horas Canonicas ſignum, illo iubente, ſonare; pallia, linteamina altaris, & cuncta eccleſiæ vtenſilia cuſtodire; luminaria vel extinguere, vel extincta accendere; panem, & vinum omni tempore ad miſſam præparatum habere; omnes oblationes, eleemoſynas, atque decimas inter fratres diuidere. Hi autem tres, Archidiaconus, Archipresbyter, & Cuſtos, vt ſimul, & ſemper vno animo ſint perfecte iuncti, debent peragere.

De officio Vicarij. *Tit.* 28.

CVM in præcedentibus titulis de ijs actum ſit, ad quos ſpectat iuriſdictio ſpiritualis, quam interdum per alios ſolent exercere, hoc eſt Vicarios: mirum nõ eſt, ſi de Vicarij officio primus proponatur titulus. Eſt Vicarius ita dictus, quod alterius vice fungatur Caſſiod. *in formula Vicarijs vrbis. lib.* 6. *Vice*, inquit, *ſacra ſententiam dicis.* ideſt, vt interpretor; Principis loco ius dicis. Nã & in formula Præfecti prętorio, *Vice ſacra vbiq; iudicat.* & *tit. de off. C. de off. eius, qui vicem alter. iudic. obtinet.* quanquam hi ordinarij eſſent, namque ordinariorũ, viuentium, præſentium, atque defunctorum vices gerebant, nec proprie Vicarij, nec Legati dici poſſunt, ſed iudices potius. Proconſulatum enim prouinciæ temporis cauſa, defuncto præſide, obtinebant, ſiue quia ipſis prouincia ad tẽpus regenda commiſſa erat. *l.* 1. *ff. de tuto.* & *cur. dat. ab his.* Eis verò, qui vicem alicuius iudicis tuentur, conceſſa ſunt eadem, quæ iudici, in cuius locum ſunt conſtituti, leges ſpecialiter dedere; & eſt apud eos legis actio, emancipatio, adoptio, atque manumiſſio, ac perinde eſſet penes ipſum iudicem. *l.* 2. *C. eod. de off. eius, qui vic.* quæ omnia apud Legatum proconſulis, vel eum, cui præſes mandauit iuriſdictionem, non eſſe apparent. *l.* 2. & *l.* 3. *ff. de off. proconſ. & leg.* cui non obſtat reſponſum Pauli in *l. apud proconſulem. ff. de manumiſſ. vind.* cùm loquatur de proconſule, qui moras in itinere facere cogitur. quo caſu valet ſuam mandare iuriſdictionem. *l. aliquando. ff. de off. procons.* quod cum facit, mirum non eſt, ſi legis quoque actiones tranſeant in Legatum. nam quoties iuſta, ac neceſſaria eſt cauſa mandandæ iuriſdictionis, etiam tranſeunt ea, quæ ſpecialiter data ſunt. *l.* 1. *ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Vicarijs igitur permiſſa non ſunt ea omnia,

Digitized by Google

omnia,quæ magiſtratibus,quorum partes tuentur, ſunt conceſſa: idque haud obſcure conſtat in libris noſtris. Epiſcoporum Vicarijs iure non competit poteſtas inquirendi, corrigendi, puniendi delinquentium exceſſus, vel quemque à ſuis beneficijs, officijs,adminiſtrationibus amouendi, nec vacans beneficium conferendi, niſi ſpecialiter eis conceſſa ſit. *cap.* 2.& 3. *eod. in ſex.* Hic vero titulus non tam de Epiſcoporum Vicarijs, quàm de cuiuslibet eccleſiaſticæ perſonæ beneficium, aut officium habentis, ſiue de maximorum Pontificum Vicario, qui extra vrbem nullam habet iuriſdictionem. *cap. penult. hoc tit.* quod interpretor extra centeſimum lapidem... *l.* 1. *ff. de offic. præf. vrb.* Cùm quis autem in vno beneficio Vicarius eſt conſtitutus, plures Vicarias habere minus poteſt, nec cum Vicaria beficium curatum, nec alium in Vicarium ſubſtituere. At qui perpetuo inſtituti ſunt, remoueri, aut portione ſua per rectorē fraudari non queūr. Ex quibus licet intelligere titulum hunc eſſe etiam de ijs Vicarijs, qui rectorum eccleſiarum Vicarij ſunt, vt & in *cap. poſtulaſti. 3. de reſcrip.* & *cap. G. perpetuus. infra de fid. inſtrum.* ac perinde de ijs, qui habent iuriſdictionem. nam iſti & alio etiam nomine appellantur, vt Miſſus dominicus. *cap.* 2. *inſ. de reg.*& in *cap.* 1. *in f. de frig. & malefic.*& officialis Epiſcopi. *cap.* 2. *de conſuet. in ſex. cap. Romana. de appellat. in ſex.* ſed officialis proprie is dicitur, qui in certa diœceſis parte ad tempus vices gerit Epiſcopi, qui vulgo Vicarius foraneus appellatur. *clemen.* 1. *de reſcript.* de cuius iuriſdictione dicetur alibi.

De officio, & poteſtate iudicis Delegati. *Tit.* 29.

SVPERIOR titulus eſt de Vicarijs, qui vt plurimum in diuinis officijs alterius vicem gerunt: ſequens eſt de ijs, qui propriam, alienamve exercent iuriſdictionem, & primum de ijs, qui alienam ſuſcipiunt, & Delegati iure noſtro dicuntur. Verùm quia delegatus Romani Pontificis vices gerit, maior eſt ordinario. *cap. ſane hoc tit.* & vbi adeſt nullæ ſunt aliorum partes. *cap.* 2. *infra tit. prox.* quaſi primas teneat in iure dicundo. Ideo mirari non oportet, ſi Ordinariorum, ac Legatorum, qui etiā repræſentant Pontificis perſonam, tituli ſubſequantur. Etenim Ordinarius non eodē modo legem, ſiue Principē repræſentat, ac proinde Delegatus. A Delegato appellatur Princeps. *l. præcipimus. C. de appell. l.* 2. *ff. quò,*& *à quo.* ab Ordinario ad proximū ſuperiorem. *l. Imperatores. ff. de appel.* neque Legatus à latere: quia quod facit, iure magiſtratus facit. Aequiparatur legatus Proconſuli, & Præſidi. *c.* 2. *eod. in ſex.* iſti maius imperium omnibus poſt Principem in ea prouincia habent. *l.& ideo. ff. de offic. Proconſ. l.* 4. *ff. de offic. Præſid.* Delegatus eandem cum Principe habet. *d. cap. ſane.*& *d. cap.* 2. Sed cùm non ſit fere in toto hoc iuris corpore titulus æque difficilis, perplexus, atque quotidianus, pluribus fortaſſe verbis opus erit, ne tum, cùm Lyrico dicamus:

Dum breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio.

Delegati nomen generale eſt. Delegare plura etiam habet ſignificata. nam & apud iuris auctores frequenter accipitur pro eo, quod vulgo mercatores aſſignare dicunt, hoc eſt alium pro ſe debitorem dare: quo accepto prior debitor liberatur. *l.* 1. *C. de nouat.* Seneca *lib. de Benefic.* 5. *Quamuis*, inquit, *non interuenerint nummi, ſed delegatione, & verbis perfecta ſit ſolutio:* in quam rem rectè *l. quamuis. ff. ad S. C. Velleia.* hinc nouatio. *l.* 1. *ff. de nouatio.* Delegare item eſt, ad aliquem Legatos mittere. Liuius, *Decernunt, vt duodecim delegarentur ad regem.* & alia, quæ nō perſequar. Proprie delegare eſt quempiam ſuo loco, officio, negotiove exequendo præficere, ſeu conſtituere. Cicero, *Poſt delegatam mihi hanc prouinciam*; hoc eſt poſt onus mihi impoſitum. Et Cæſar, in *Commentarijs de Bello Gallico: Libenter mortuis culpam delegamus:* hinc titulus noſter. Solet enim Romanus Pontifex, Princeps, & alius quiuis, iuriſdictionem habens, hanc vni, pluribusve mandare: & ij, qui eam ſuſcipiunt, Delegati dicuntur eo, quod non funguntur vice ſua, ſed eius, qui iuriſdictionem mādauit. *l. ſolet. ff. de iuriſd.* quia, vt ait *l.* 1. §. *vlt. ff. de offic. eius.* nihil proprium habet, ſed eius, qui mandauit iuriſdictione vtitur. Hic igitur in libris noſtris, atque etiam Codicis Delegatus dicitur, non item in Pandectis: ſed perpetuo, qui mandatam ſuſcepit iuriſdictionem: & is iudicem dare poteſt. *l. cùm prætor.* §. *is quoque ff. de iud. cap. cum te.* & *cap. ſuper quæſtionem. in prin.*& in §. *porro. hoc tit.* Iudex tamen datus, qui hic Subdelegatus dicitur, cùm iudiciario fungatur munere, iudicem dandi poteſtatem non habet. *l. à iudice. C. de iudic. d. cap. ſuper quæſtionem.* §. *ſi verò.* & ab eo appellatur Delegatus; ſi ſibi iuriſdictionis reſeruauit aliquid. *d. cap. ſuper* & *cap.* 7. *in ſex.* Idcirco conſtat differentiam colligi non minimam inter dare iudicem, & iuriſdictionem mandare: quamobrē is, qui iuriſdictioni præeſt, nec liberis, nec vxoribus, nec alijs, quos ſecum habet, ius dicere poteſt. *l. qui iuriſdictioni. ff. de iuriſd.* iudicare tamen in negotijs filij pater, & filius patris poteſt. *l. in priuatis. ff. de iudic.* licet aliter ab Accurſianis, & perperā interpretetur. illud enim elegantem habet rationem: etenim qui iuriſdictionem habent propriam, alienamve,

latiſſimas habent habenas, & ob adfectionem, quam in eos, qui procreati ſunt liberi, & quos ſecum tenent, habent, facile ab eo; quod iuſtum eſt, recederent, minusq; iuſtum forte conſequerentur; iudex tamen datus, cùm ex præſcripta ſibi formula iudicet; tum exequutio ſententiæ magiſtratibus reſeruata ſit, *l. à Diuo Pio. ff. de re iud.* non eſt verendum propter liberos a recto iudicem velle diſcedere; ſed quod iuſtum, optimumq; ſibi videtur ſequi. Officium variis accipitur modis: ſed hic pro imperio, & iuriſdictione, prout in *l. 1. ff. de iuriſd. l. obligationes ff. de obligg. & act.* ſic & poteſtas; ſed in perſona magiſtratus imperium. *l. poteſtatis. ff. de verb. ſignif. & lege eum, qui. ff. de iuriſdict.* Sed & pro ipſius Delegati miniſterio. Ipſum enim Delegati officium latiſſimum eſt, nam & in ius partes vocare poteſt, non parentem punire, aut ex lege, aut ex arbitrio, ſi lex non extat, & omnia, quæ ad cauſam ſpectant, facere; tum exequutioni ſententiam ſuam dare, vel ordinario mandare; interdicere, ſuſpendere, excommunicare, & partes, ac omnes, qui iuriſdictionem impediunt. item excommunicatum abſoluere, in bonorum poſſeſſionem mittere, ſubdelegare, ſiue totam cauſam, ſiue principium, medium, finem, & coniunctim, atque diuiſim; & præter hæc alia non pauca. quæ omnia facere volenti impune quis non obtemperat, niſi facta delegationis fide, *cap. 31 hoc tit.* Debet quoque fines mandati diligenter attendere, ac eius formam ſeruare. *d.c. ſuper quæſtionem.* & *cap. cùm dilecta, ſupra de reſcrip. l. ordinarij. C. de rei vend. l. ſi procurator.* & *l. ſi diligenti. ff. de procur.* Exceptiones admittere, *cap. ex parte. hoc tit.* & alia facere, quibus negotium, ſeu mandatum perficitur. *cap. 5.* Iuriſdictio, vti dixi, vni, pluribusve mandari poteſt. *d. l. ſolet cap. 6. 16. 21. 22. 23. 27. §. ſi vero.* Sed dubitatio eſt, num ſubdelegati, vel codelegati abſentiũ locum tueri valeant? Subdelegare certiſſimi iuris eſt, Principis delegatũ. *d.c. 27. in princ.* & *§. porro.* & *cap. cùm cauſam inf. de appell.* etiamſi ex partiũ conſenſu datus ſit *c. 43. inf. eod.* Altero caſu diſtinguẽdum eſt: aut ita conceptum eſt reſcriptũ, ſi non omnes poteritis: aut ſimpliciter duobus, aut pluribus delegatur; hoc caſu, vno abſente, alij exercere minus queunt. *d. cap. 16.* illo, ſi omnes delegati ſunt, & eorum aliquis ſe intereſſe non poſſe dixerit, reliqui libere poſſunt. Aut non ſunt vocati omnes: & tunc quod actum eſt, non tenet. *d. cap. 22.* niſi codelegatus per litteras ſubreptitias fuerit adiunctus *cap. 34.* Et hæc iuriſdictio ordinaria cùm non ſit, pluribus modis expirat; vtpote per lapſum temporis, ſi cauſa intra tempus certum committitur *cap. 4.* ſi executioni ſententia ſit mandata *cap. 9.* ex noua cauſa etiã poſt litem conteſtatam *cap. 25.* morte mandantis re integra. *cap. 30.* item reuocato mandato *l. iudicium. ff. de iudic. l. quod iuſſit. ff. de re iudic.* morte mandatarij. *§. recte. Inſt. mandati. cap. 42.* ſi ſe iuriſdictionem delegatus non habere pronunciauerit *cap. 38.* Prorogatur nihilominus interdum, ſi per partes prorogatum fuerit tempus. *d. cap. 4.* ſi facta dignitati proprio nomine haud expreſſa, tunc tranſit ad ſucceſſorem. *cap. 14.* ſi iis conteſtata fuerit, etiam mortuo mandante *cap. 19.* & *cap. 20.* Agitur hic etiam de ſubdelegato, vti iam diximus, quem Delegatus, licet datus ſit ex officio, vel ex partium conſenſu, cõſtituere poteſt. *cap. 43. eod. l. à iudice.* niſi certum miniſterium demandatum ſit, *cap. vlt.* & vbi ſubdelegatus vti cœpit iuriſdictione; à Delegato remoueri minus poteſt *cap. 38.* à quo tandem, ſi ſibi nihil reſeruauit Delegatus iuriſdictionis, appellatur Princeps. *d. cap. ſuper* & *cap. 7. eod. in ſex.* quia tunc non iudiciario fungitur munere; ſed ſibi mandatam exercet iuriſdictionem. Agitur & hic de Arbitris. *cap. 38.* à quibus appellatur etiam Princeps *cap. 11 eod. in ſex.* Item de Aſſeſſoribus, vel, vt noſtri loquuntur, Auditoribus; & ab his appellari poteſt Delegatus, cùm totam non habuerint cauſæ cognitionem. neque recuſari poſſunt, ni Delegato coram iuſta recuſationis cauſa doceatur. *d. cap. ſuper. §. porro.* & *§. cum vero.* & *l. ſi ſpecialis. C. de iudic.* non licet enim litigatoribus poſt litem inchoatam iudices recuſare. *l. apertiſſimi. C. eod. de iud.* Item ex c. 41. *huius tituli* intelligimus maiorem annis viginti poſſe delegari: cùm tamen olim lege Iulia cautum eſſet, ne minor viginti quinque iudicare cogeretur, neminemq. licere viginti annis minorem compromiſſarium iudicem eligere. *l. cùm lege. ff. de recep. arb.* placuit tandem Vlpiano æquiſſimum eſſe tueri ſententiam à minore datam, ni minor decem & octo eſſet. *l. quidem. ff. de re iud.* quod accipi debet, ſi à Principe, vel ex partium electione datus ſit. *d. cap. 41.* Princeps etenim, qui minori magiſtratum, munusve iudicandi dedit, omnia gerere decreuit: proinde minor magiſtratus, ſi conſultius dixerit, ſententiamve protulerit, valebit. *d. l. quidam.* Cætera, quæ hoc titulo proponuntur, alijs locis expoſuimus, aut expoſituri ſumus.

De officio Legati. *Tit.* 30.

QVos in prouincias mittit Rom. eccleſiæ Princeps, ij proprie Legati dicuntur. Sed non omnes eadem vtũtur poteſtate. Triplex eſt enim Legatorum genus. Alij appellantur Legati à latere, ſic dicti, quòd quaſi à latere ſummi Antiſtitis emittantur: & hi Cardinales ſunt, quamquàm alij eccleſiarum Prælati

lati eodem quoque munere fungi possunt, vt infra patebit haud obscure: hodie tamen receptũ est, vt Cardinales sint: quod ipsorum Legatorum auctoritas, ac munus videtur postulare. Siquidem Proconsulibus æquiparantur. *cap.* 2. *eod. in sex.* qui statim atque vrbem egressi sunt, insignia Apostolicæ dignitatis habent, vt maxime præ se ferant crucem: iurisdictionẽ quoque habent, voluntariam scilicet, non contentiosam exemplo Proconsulis. *l.* 1. *& l.* 2. *ff. de off. proconſ.* nempe excommunicatos absoluere tam extra, quam in prouincia. *cap. post translationem hoc tit. cap. ad eminentiam. infra de sent. excomm.* & quæ Proconsul potest, & facere consueuit, *tot. tit. ff. de offic. Proconſ.* siue in *l. obseruare.* ea videtur Legatus posse, & facere debere. Ingressus prouinciam omnia, quæ exercet ipse, qui eum mandauit, exceptis ijs, quæ specialiter summo Antistiti sunt reseruata, vti Episcopos transferre. *cap.* 2. *supra de transl. Epiſc.* vel vnam cathedralẽ Ecclesiam alteri subijcere, vel alteri ius Primariæ concedere, Episcopatus duos vnire, aut vnũ diuidere. *cap.* 3. *&* 4. *eod. in sex.* non vacantem ecclesiam conferre. *cap. dilectus. infra de præben.* nec minores dignitates post Episcopum, si ipsarum prælati per electionem adsumantur. *d. cap.* 4. nec cum filijs presbyterorum dispensare, vt in ecclesia patris proxime succedant. *cap. dilectus. supra de filijs presbyt.* nec sententias iudicum delegatorum reuocare. *cap.* 2. *hoc tit.* cætera fere omnia potest. Et est tanta huius dignitatis maiestas, vt vbicumque est, minor legatus suum non valeat exercere officium. *cap.* 8. vel sibi crucem ante deferre. *cap. antiqua. infra de priuileg.* quia maius omnibus post Rom. Pontificem in prouincia sibi decreta imperiũ habet. *cap. ſi Abbatem. de electi. lib. ſex.* Illud est etiam in Legato singulare; quòd, etsi ei nudum ministerium demandatum sit, subdelegare tamen in eademmet causa potest, *cap. vlt. in fine ſup. tit. proxim.* quod alijs delegatis prohibitum esse diximus tit. præcedenti. Neque istorum iurisdictio per Pontificis obitum expirat *cap.* 2. *in ſex.* quinimo finita legatione statuta, in prouincia constituta perpetuo durant, *cap. vlt.* Isti autem apud Græcos Legati à facie dicuntur, auctore Theodoro Balsamone Antiochensi Patriarcha; qui in prima sua glossa ad Synod. Sextam in Trullo; *Sunt autem,* inquit, *Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent iurisdictionem.* quo in loco docet quoque Rom. Pontificẽ per Legatos semper affuisse Græcorum Concilijs. Aliquando Papæ Legati aderant Athenarũ, & Corinthi Episcopi; aliquando vero Cretæ, Patrarum, Rauennæ; nonnunquam vero alij; *idque excogitatum,* inquit, *fuit, vt per Legatos adesſet, propter viæ longitudinem!* Alij sunt non à latere, & non Cardinales, cum auctoritate tamen plerumque Legati à latere, & passim, vulgoq. Nuncij Apostolici dicuntur. At isti extra prouinciam iurisdictionem nullam habent, argumento *l. vlt. ff. de iuriſdict.* nec beneficium in prouincia iure legationis conferre possunt. *cap.* 1. *eod. in ſex.* Tertiũ Legati genus est, vt cùm quis ratione dignitatis in sua prouincia huiusmodi legationis officium obtinet, *cap.* 9. *hoc tit.* & *d. cap. antiqua:* & hic excommunicatos per manuum iectionem absoluere prohibetur; quemadmodum & Nuncij, nisi specialiter concedatur, & dicuntur Legati Nati: inter quos maxime elucet is, qui Pisano Archiepiscopatui præficitur, prout hodie vir singulari ingenio, & doctrina Carolus Antonius Puteus, nationis nostræ Italiæ Subalpinæ.

De officio Iudicis ordinarij. *Tit.* 31.

PROPOSITO titulo de officio, ac potestate iudicis Delegati, recte datur titulus de officio Ordinarij. namque Delegatus maior est, vti diximus, Ordinario: idque manifeste ex eo apparet, quòd Ordinarius Delegati mandato resistere violenter nequit; & si is, qui in possessionem mittitur, non sit canonice institutus. *cap. ſi quando. ſupra de offic. deleg. l. nec magiſtratibus. ff. de iniur.* atque illius sententiam executioni mandare cogitur, licet haud ignarus sit iniustam esse, *cap. paſtoralis. §. quia vero. d. tit. de offic. deleg.* quod rationem habet perelegãtem: siquidem executio, non cognitio mandata est. Ordinarius iudex hic dicitur ecclesiæ prælatus, qui à collegio est electus, & à superiore confirmatus, & iurisdictionem in sua diœcesi dumtaxat habet: cui etsi Papa rescriptum mandauerit, vt subditos corrigat, ex hoc non fit Delegatus; quia id sibi competit iure magistratus. ideo ab eo appellari poterit proximus superior, ac si nullum accepisset mandatũ. *cap.* 12. neque vigore illius exemptos valet corrigere. *cap.* 19. Ordinarij verò appellatio late patet: quare hic titulus non de Episcopis tantum accipi debet, sed & de omnibus Ordinarijs, vti Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus. Dicitur quoque Ordinarius, Archidiaconus, vt supra de eius officio, item collegium, seu capitulum, quod ex consuetudine, vel iure aliquo, Canonicorum excessus corrigit. *cap.* 13. item inferiores, veluti plebani, *cap.* 3. qui & in laicos, & in clericos parochianos interdicti, excommunicationisq. sentẽtiam ferre possunt, quam Episcopus, si ratione est lata, debet, absque difficultate vlla, &, vt dicitur, inuiolabiliter obseruare. Ab his autem, itemq. ab Abbatibus appellatur Episcopus; ab

Episco-

latiſſimas habent habenas, & ob affectionem, quam in eos, qui procreati ſunt liberi, & quos ſecum tenent, habent, facile ab eo, quod iuſtum eſt, recederent, minusq; iuſtum forte conſequerentur; iudex tamen datus, cùm ex præſcripta ſibi formula iudicet, tum executio ſententiæ magiſtratibus reſeruata ſit, *l. à Diuo Pio. ff. de re iud.* non eſt verendum propter liberos a recto iudicem velle diſcedere; ſed quod iuſtum, optimumq; ſibi videtur ſequi. Officium variis accipitur modis: ſed hic pro imperio, & iuriſdictione, prout in *l. 1. ff. de iuriſd. l. obligationes ff. de obligat. & act.* ſic & poteſtas; ſed in perſona magiſtratus imperium. *l. poteſtatis. ff. de verb. ſignif.* & *lege eum, qui. ff. de iuriſdict.* Sed & pro ipſius Delegati miniſterio. Ipſum enim Delegati officium latiſſimum eſt, nam & in ius partes vocare poteſt, non parentem punire, aut ex lege, aut ex arbitrio, ſi lex non extat, & omnia, quæ ad cauſam ſpectant, facere; tum executioni ſententiam ſuam dare, vel ordinario mandare; interdicere, ſuſpendere, excommunicare, & partes, ac omnes, qui iuriſdictionem impediunt. item excommunicatum abſoluere, in bonorum poſſeſſionem mittere, ſubdelegare, ſiue totam cauſam, ſiue principium, medium, finem, & coniunctim, atque diuiſim; & præter hæc alia non pauca. quæ omnia facere volenti impune quis non obtemperat, niſi facta delegationis fide, *cap. 31. hoc tit.* Debet quoque fines mandati diligenter attendere, ac eius formam ſeruare. *d. c. ſuper quæſtionem. & cap. cùm dilecta, ſupra de reſcrip. l. ordinarij. C. de rei vend. l. ſi procurator.* & *l. ſi diligenti. ff. de procur.* Exceptiones admittere, *cap. ex parte. hoc tit.* & alia facere, quibus negotium, ſeu mandatum perficitur. *cap. 5.* Iuriſdictio, vti dixi, vni, pluribusve mandari poteſt. *d. l. ſolet cap. 6. 16. 21. 22. 23. 27. §. ſi vero.* Sed dubitatio eſt, num ſubdelegati, vel codelegati abſentiũ locum tueri valeant? Subdelegare certiſſimi iuris eſt, Principis delegatũ. *d. c. 27. in princ.* & *§. porro.* & *cap. cùm cauſam inf. de appell.* etiamſi ex partiũ conſenſu datus ſit *c. 43. inf. eod.* Altero caſu diſtinguẽdum eſt: aut ita conceptum eſt reſcriptũ, ſi non omnes poteritis: aut ſimpliciter duobus, aut pluribus delegatur; hoc caſu, vno abſente, alij exercere minus queunt. *d. cap. 16.* illo, ſi omnes delegati ſunt, & eorum aliquis ſe intereſſe non poſſe dixerit, reliqui libere poſſunt. Aut non ſunt vocati omnes: & tunc quod actum eſt, non tenet. *d. cap. 22.* niſi codelegatus per litteras ſubreptitias fuerit adiunctus *cap. 34.* Et hæc iuriſdictio ordinaria cùm non ſit, pluribus modis expirat; vtpote per lapſum temporis, ſi cauſa intra tempus certum committitur *cap. 4.* ſi executioni ſententia ſit mandata *cap. 9.* ex noua cauſa etiã poſt litem conteſtatam *cap. 25.* morte mandantis re integra. *cap. 30.* item reuocato mandato *l. iudicium. ff. de iudic. l. quod iuſſit. ff. de re iudic.* morte mandatarij. *§. recte. Inſt. mandati. cap. 42.* ſi ſe iuriſdictionem delegatus non habere pronunciauerit *cap. 38.* Prorogatur nihilominus interdum, ſi per partes prorogatum fuerit tempus. *d. cap. 4.* ſi facta dignitati proprio nomine haud expreſſa, tunc tranſit ad ſucceſſorem. *cap. 14.* ſi iis conteſtata fuerit, etiam mortuo mandante *cap. 19. & cap. 20.* Agitur hic etiam de ſubdelegato, vti iam diximus, quem Delegatus, licet datus ſit ex officio, vel ex partium conſenſu, cõſtituere poteſt. *cap. 43. eod. l. à iudice.* niſi certum miniſterium demandatum ſit, *cap. vlt.* & vbi ſubdelegatus vti cœpit iuriſdictione; à Delegato remoueri minus poteſt *cap. 38.* à quo tandem, ſi ſibi nihil reſeruauit Delegatus iuriſdictionis, appellatur Princeps. *d. cap. ſuper* & *cap. 7. eod. in ſex.* quia tunc non iudiciario fungitur munere; ſed ſibi mandatam exercet iuriſdictionem. Agitur & hic de Arbitris. *cap. 38.* à quibus appellatur etiam Princeps *cap. 11 eod. in ſex.* Item de Aceſſoribus, vel, vt noſtri loquuntur, Auditoribus; & ab his appellari poteſt Delegatus, cùm totam non habuerint cauſæ cognitionem. neque recuſari poſſunt, ni Delegato coram iuſta recuſationis cauſa doceatur. *d. cap ſuper. §. porro.* & *§. cum vero. & l. ſi ſpecialis. C. de iudic.* non licet enim litigatoribus poſt litem inchoatam iudices recuſare. *l. apertiſſimi. C. eod. de iud.* Item ex c. 41. *huius tituli* intelligimus maiorem annis viginti poſſe delegari: cùm tamen olim lege Iulia cautum eſſet, ne minor viginti quinque iudicare, cogeretur, neminemq. licere viginti annis minorem compromiſſarium iudicem eligere. *l. cùm lege. ff. de recep. arb.* placuit tandem Vlpiano æquiſſimum eſſe tueri ſententiam à minore datam, ni minor decem & octo eſſet. *l. quidem. ff. de re iud.* quod accipi debet, ſi à Principe, vel ex partium electione datus ſit. *d. cap. 41.* Princeps etenim, qui minori magiſtratum, munusve iudicandi dedit, omnia gerere decreuit: proinde minor magiſtratus, ſi conſultius dixerit, ſententiamve protulerit, valebit. *d. l. quidam.* Cætera, quæ hoc titulo proponuntur, alijs locis expoſuimus, aut expoſituri ſumus.

De officio Legati. *Tit.* 30.

QVos in prouincias mittit Rom. eccleſiæ Princeps, ij proprie Legati dicuntur. Sed non omnes eadem vtũtur poteſtate. Triplex eſt enim Legatorum genus. Alij appellantur Legati à latere, ſic dicti, quòd quaſi à latere ſummi Antiſtitis emittantur: & hi Cardinales ſunt, quamquàm alij eccleſiarum Prælati

lati eodem quoque munere fungi poſſunt, vt infra patebit haud obſcure: hodie tamen receptũ eſt, vt Cardinales ſint: quod ipſorum Legatorum auctoritas, ac munus videtur poſtulare. Siquidem Proconſulibus æquiparantur. *cap.* 2. *eod. in ſex.* qui ſtatim atque vrbem egreſſi ſunt, inſignia Apoſtolicæ dignitatis habent, vt maxime præ ſe ferant crucem: iuriſdictionẽ quoque habent, voluntariam ſcilicet, non contentioſam exemplo Proconſulis. *l.* 1. *& l.* 2. *ff. de off. proconſ.* nempe excommunicatos abſoluere tam extra, quam in prouincia. *cap. poſt translationem hoc tit. cap. ad eminentiam. infra de ſent. excom.* & quæ Proconſul poteſt, & facere conſueuit, *tot. tit. ff. de offic. Proconſ.* ſiue in *l. obſeruare.* ea videtur Legatus poſſe, & facere debere. Ingreſſus prouinciam omnia, quæ exercet ipſe, qui eum mandauit, exceptis ijs, quæ ſpecialiter ſummo Antiſtiti ſunt reſeruata, vti Epiſcopos transferre. *cap.* 2. *ſupra de tranſ. Epiſc.* vel vnam cathedralẽ Eccleſiam alteri ſubijcere, vel alteri ius Primariæ concedere, Epiſcopatus duos vnire, aut vnũ diuidere. *cap.* 3. *&* 4. *eod. in ſex.* non vacantem eccleſiam conferre. *cap. dilectus. infra de præben.* nec minores dignitates poſt Epiſcopum, ſi ipſarum prælati per electionem aſſumantur. *d. cap.* 4. nec cum filijs presbyterorum diſpenſare, vt in eccleſia patris proxime ſuccedant. *cap. dilectus. ſupra de filijs presbyt.* nec ſententias iudicum delegatorum reuocare. *cap.* 2. *hoc tit.* cætera fere omnia poteſt. Et eſt tanta huius dignitatis maieſtas, vt vbicumque eſt, minor legatus ſuum non valeat exercere officium. *cap.* 8. vel ſibi crucem ante deferre. *cap. antiqua. infra de priuileg.* quia maius omnibus poſt Rom. Pontificem in prouincia ſibi decreta imperiũ habet. *cap. ſi Abbatem. de elect. lib. ſex.* Illud eſt etiam in Legato ſingulare; quòd, etſi ei nudum miniſterium demandatum ſit, ſubdelegare tamen in eademmet cauſa poteſt, *cap. vlt. in fine ſup. tit. proxim.* quod alijs delegatis prohibitum eſſe diximus tit. præcedenti. Neque iſtorum iuriſdictio per Pontificis obitum expirat *cap.* 2. *in ſex.* quinimo finita legatione ſtatuta, in prouincia conſtituta perpetuo durant, *cap. vlt.* Iſti autem apud Græcos Legati à facie dicuntur, auctore Theodoro Balſamone Antiochenſi Patriarcha; qui in prima ſua gloſſa ad Synod. Sextam in Trullo; *Sunt autem,* inquit, *Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent iuriſdictionem.* quo in loco docet quoque Rom. Pontificẽ per Legatos ſemper affuiſſe Græcorum Concilijs. Aliquando Papæ Legati aderant Athenarũ, & Corinthi Epiſcopi; aliquando vero Cretæ, Patrarum, Rauennæ; nonnunquam vero alij; *idque excogitatum,* inquit, *fuit, vt per Legatos adeſſet, propter viæ longitudinem.* Alij ſunt non à latere, & non Cardinales, cum auctoritate tamen plerumque Legati à latere, & paſſim, vulgoq. Nuncij Apoſtolici dicuntur. At iſti extra prouinciam iuriſdictionem nullam habent, argumento *l. vlt. ff. de iuriſdict.* nec beneficium in prouincia iure legationis conferre poſſunt. *cap.* 1. *eod. in ſex.* Tertiũ Legati genus eſt, vt cùm quis ratione dignitatis in ſua prouincia huiuſmodi legationis officium obtinet, *cap.* 9. *hoc tit. & d. cap. antiqua:* & hic excommunicatos per manuum iniectionem abſoluere prohibetur; quemadmodum & Nuncij, niſi ſpecialiter concedatur, & dicuntur Legati Nati: inter quos maxime elucet is, qui Piſano Archiepiſcopatui præficitur, prout hodie vir ſingulari ingenio, & doctrina Carolus Antonius Puteus, nationis noſtræ Italiæ Subalpinæ.

De officio Iudicis ordinarij. *Tit.* 31.

PROPOSITO titulo de officio, ac poteſtate iudicis Delegati, recte datur titulus de officio Ordinarij. namque Delegatus maior eſt, vti diximus, Ordinario: idque manifeſte ex eo apparet, quòd Ordinarius Delegati mandato reſiſtere violenter nequit; & ſi is, qui in poſſeſſionem mittitur, non ſit canonice inſtitutus. *cap. ſi quando. ſupra de offic. deleg. l. nec magiſtratibus. ff. de iniur.* atque illius ſententiam executioni mandare cogitur, licet haud ignarus ſit iniuſtam eſſe, *cap. paſtoralis.* §. *quia vero. d. tit. de offic. deleg.* quod rationem habet perelegãtem: ſiquidem executio, non cognitio mandata eſt. Ordinarius iudex hic dicitur eccleſiæ prælatus, qui à collegio eſt electus, & à ſuperiore confirmatus, & iuriſdictionem in ſua diœceſi dumtaxat habet: cui etſi Papa reſcriptum mandauerit, vt ſubditos corrigat, ex hoc non fit Delegatus; quia id ſibi competit iure magiſtratus. ideo ab eo appellari poterit proximus ſuperior, ac ſi nullum accepiſſet mandatũ. *cap.* 12. neque vigore illius exemptos valet corrigere. *cap.* 19. Ordinarij verò appellatio late patet: quare hic titulus non de Epiſcopis tantum accipi debet, ſed & de omnibus Ordinarijs, vti Patriarchis, Archiepiſcopis, Abbatibus. Dicitur quoque Ordinarius, Archidiaconus, vt ſupra de eius officio, item collegium, ſeu capitulum, quod ex conſuetudine, vel iure aliquo, Canonicorum exceſſus corrigit. *cap.* 13. item inferiores, veluti plebani, *cap.* 3. qui & in laicos, & in clericos parochianos interdicti, excommunicationisq. ſententiam ferre poſſunt, quam Epiſcopus, ſi ratione eſt lata, debet, abſque difficultate vlla, &, vt dicitur, inuiolabiliter obſeruare. Ab his autem, itemq. ab Abbatibus appellatur Epiſcopus; ab Epiſco-

Epiſcopis Archiepiſcopi, ab Archiepiſcopis Patriarcha, & horum maior minoris ſemper negligentiam ſupplet, *cap.*7. Cæterum maior de ſubditorum cauſis cognoſcit nuſquam, niſi per appellationem, aut ratione alicuius conſuetudinis, ſeu priuilegij, *cap.* 9. Vnde Honorio iij. placuit Epiſcopũ in Eccleſijs ſuæ diœceſis iuribus Epiſcopalibus ſolùm vti debere: quæ ſint, idem docet Honorius *cap.* 16. *&* 17. cætera ad inferiores ſpectant. Monemur tandem ex *cap.* 14. in vna ciuitate, ſeu diœceſi eſſe poſſe diuerſorum rituum, linguarumq. populos; non poſſe tamen duos eſſe Pontifices, ne videatur monſtrum, duo habens capita. qui tamen illi ciuitati præeſt, eis prouidere tenetur per idoneos viros; qui ſecundum varietatem rituum, linguarumq. diuina illis officia celebret, & ſacramẽta miniſtret. quòd ſi vrget neceſſitas, poteſt Ordinarius Vicarium Pontificem illius linguæ conſtituere. ſic vt in vnaquaque lingua, ſi Epiſcopus idoneus per ſe non eſt, idoneos tenetur adſumere, qui ſuo loco ſuppleant; vel ad prædicationes, viſitationes, & confeſſionum auditiones, *cap.*15. quod & ſancti Patres in Trideptino Concilio congregati lege renouarunt. Eſt hoc denique ex hoc titulo ſciendum, quòd omnis, qui ordinariam habet iuriſdictionem, ſiue Epiſcopus, vbique ſuæ iuriſdictionis, niſi loco exempto, per ſe, vel per alium pro tribunali ſedere, & libere exequi poteſt, quæ ad ipſius pertinent officium. *cap. cùm Epiſcopus. eod. in ſexto.*

De officio Iudicis. *Tit.* 32.

EXPOSITIS ſingulorum magiſtratuum Delegatorum, Legatorumque, & Ordinariorum officijs, ac poteſtate, haud male proponitur titulus generalis de officio Iudicis: quod & Delegato, atque Ordinario eſt commune *cap. penult. infra de in integr. reſt.* vti aduocatum non habenti dare, læſos reſtituere, & omnia, quæ ad eius ordinariam iuriſdictionem, ſeu ſuſceptam ab alio attinent, tueri, ac facere; de quibus per diuerſos titulos ſigillatim dicturi ſumus.

De Maioritate, & Obedientia. *Tit.* 33.

PROPONITVR alius adhuc de iuriſdictione titulus: qui ita generalis eſt, vt multa ſub ſe comprehendat. Etenim hic agitur & de iuriſdictione, quam in Epiſcopos habent Archiepiſcopi, & in eos Patriarchæ, & Metropolitani; & quam Epiſcopi in Abbates, & alios Sacerdotes, Prior regularis in Canonicos, Abbatiſſæ in ſubditos. ideo inſcribitur titulus de Maioritate, & obedientia; non quòd verbum, Maioritas, præferat ſemper iuriſdictionem. Verum quia in præcedentibus titulis de Magiſtratibus factus eſt ſermo, & eorũ alij ſunt maiores, alij minores, ne exin ſequatur confuſio; quæ cùm facile, vbi non eſt ordo, oriatur, poſtponitur hic titulus, quaſi ſuperiorum titulorum clauis. Namque Maioritas in libris noſtris ex ſex potiſſimum cauſis æſtimatur: Iuriſdictione, Ordine, Conſecratione, Antiquitate, Prærogatiua ordinandis, & ſuperioris Conceſſione. Hac maior dicitur is, qui cùm antea minor, vel æqualis eſſet, ex ſuperioris priuilegio maior eſt factus: vti vnus Epiſcopatus, vel Archiepiſcopatus, Patriarchatusvè ſit maior altero. Obtinet enim primas poſt Romanũ Pontificem vrbis Conſtantinopolitanę Antiſtes ex priuilegio. *cap. antiqua. infra de priuil. l.* 6. *C. de ſacroſan. Eccleſ.* quod ei conceſſum fuit ſecundo Conſtantinopolitano Concilio; *Tripart. hiſt. lib.* 1. *cap.* 9. & Socrates, *hiſt. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 8. Hieroſolymitana longo tempore poſt inter Patriarchales Eccleſias connumerata eſt. Nam tempore naſcentis Eccleſiæ poſt Romanum, ſecundum habebat locum Alexandrinæ, tertium Antiochenæ Eccleſiæ præfectus. *can.* 1. *&* 3. 12. *diſt.* Prærogatiua ordinantis, vt in ſpecie *cap.* 7. *huius tituli, & l.* 2. *ff. de albo ſcriben.* Antiquitate, vt maior ſit, qui prius eſt ordinatus, *cap.* 1. *hoc tit. cap.* 22. *ſupra de elect. l.* 1. *ff. de albo ſcrib.* Conſecratione, qua præeſt Epiſcopus presbytero, *can. olim. c. Epiſcopus cum ſeq.* 95. *diſt.* ac cæteris principibus, *cap. vnico. S. vnde in veteri. ſupra de ſacra vnct.* nam & Epiſcopus Princeps dicitur *cap.* 2. quinimo clerici omnes, reges appellantur, & ſunt, *cap. duo ſunt.* 12. *q.* 1. & hoc deſignat corona, quã geſtant in capite. Item Ordine quo Patriarchæ cedunt ſummo Pontifici, Patriarchis Primates, Primatibus Archiepiſcopi, Archiepiſcopis Epiſcopi, Epiſcopis Archidiaconi, Archidiaconis Archipresbyteri, Archipresbyteris Presbyteri, Presbyteris Diaconi, Diaconis Hypodiaconi, & ſic deinceps: de illis aliàs dictum fuit: de iſtis in *cap. legimus. & can. à ſubdiacono.* 93. *diſt.* Iuriſdictione denique, ac auctoritate, qua Archidiacono Archipresbyter ſubeſt. *cap.* 1. *ſup. de off. Arch.* qua & Imperator, cùm iuriſdictio ſpiritualis longe maior ſit temporali. *cap.* 3. ſubijcitur Romanæ vrbis Præſuli, cæterisq. Epiſcopis *cap.* 4. qui etiam maiores vocantur. Quapropter Gelaſius Anaſtaſio Imperatori ſcribens *can. duo.* 96. *diſt.* Reges plumbo, Epiſcopos auro æquiparabat. D. quoque Ambroſius Theodoſium magnum Imperatorem excommunicauit, & ab Eccleſia expulit Gregorius III. Pontifex Max. Leonem III.

Impe-

Imperatorem Conſtantinopolitanum, iconomachum qui imagines confringi, & comminui edixerit, imperio ſimul & communione fidelium priuauit Clemens IV. etiam Conſtantinopolitano Imperatori, (quem Alexium, aut Balduinum eſſe reor, non Conſtantinum, vt in vulgatis Codicibus. *cap.6.* inſcribitur. Error fuit librarij, qui pro Conſtantinopolitano poſuit Conſtantinum: ſed debebat animaduertere proprium nomen Imperatorum, ſeu Regum, aliorumq. Maximorum Principum, quibus ſcribitur, vt plurimum omitti ſolere, argumento eſt *cap. nouit. infra de iudic.*) tantum eſſe diſcrimen inter Reges, & Pontifices, quantum inter Lunam & Solem cõmonſtrabat. vt Pontifex, quemadmodum Sol præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, Imperialis dignitas, vt Luna præeſt noctibus, hoc eſt carnalibus, & ſicut Luna lucet aaliena, ſic ſeculares Princeps Eccleſiæ nitescunt candore. Quare Conſtantinus piiſſimus Princeps Pontificem Deum appellabat: cui tandem idem Imperator coronam, & omnem regiam dignitatem in vrbe Roma, & in Italia, & in Occidentibus partibus, denique per vniuerſum terrarum orbem conceſſit. qua de re extat adhuc edictum in 96. *diſt.* item *in corpore Can.* Iſidori *ante præfat. Niceni Concilij, & Græca lingua*; & hodie apud *Gentianum Heluetum Latina*, in Nomocanone Photij *ſub tit. de parochis.* & quamuis id à Conſtantino acceperit, nihil ſui tamen dedit Conſtantinus: cùm & ipſe Romanæ Eccleſiæ Princeps vtriuſq; ius gladij habeat, & temporalis, & ſpiritualis: & illud Imperatori, cæterisq. Principibus Chriſtianis ſponte concedat exercere, deſtrictus nimis, atque occupatus negotijs ſpiritualibus, *cap.1. eod. extrauag. comm.* Idcirco ei obedientiam Imperator præſtat. *cap. 6.* quemadmodum inferiores cæteri ſuis ſuperioribus, ſed aliter, atque aliter. Etenim obedientia in tribus conſiſtit, in reuerentia, iudicio, & præcepto. Reuerentia præſtatur ei, qui præcedit in ordine, vel antiquitate, vel ſuperioris conceſſione. *d. cap. à ſubdiacono. d. l. 1. de alb. ſcrib.* vt minor ſcilicet aſſurgat maiori, neue ſedeat ſtante maiore. *can. non oportet. 93. diſt.* vti maior præcedat, ſequatur minor. *can. vlt. 17. diſt. can. bene quidem. 96. diſt.* vt minor conſueta ſeruitia faciat. *cap. 15. hoc tit.* & *§. quoniam. ſupra de conſtit.* quibus item docemur interdum poſteriorem tempore, maiorem eſſe priore tempore, vti licet Archipresbyter prior ordinatus ſit, & poſterior Archidiaconus, hic tamen maior eſt illo. Altera eſt iudicij, quæ debetur ei, qui iuriſdictioni, vel conſecrationi præeſt: nam ſententia à non ſuo iudice prolata eſt ipſo iure nulla *cap. 4. infra de iudic. l. 6. §. quod ſi quis ff. de iniuſt. rupt. irit. tot. tit. C. ſi à non compet. iud.* Vltima eſt præcepti; quemlibet enim ſubditum ſui prælati præceptis parere oportet: *Decet timere Cæſarem*, ait Seneca in *Octauia* decet, hoc eſt neceſſario. *cap. 5. 9. & 10. & 12.* præſertim clericos in omnibus, quæ ad diuini cultus obſequium ſpectant, vel quæ vtilitatem Eccleſiæ recipiunt. *cap. quia frater. 7. q. 1.* ſiue ad ſynodum, vt Abbates, & Sacerdotes omnes; qui ſi venire contempſerint per cenſuram Eccleſiaſticam cõpelluntur. *cap. 9.* Abbates ſcilicet, qui populum habent; non æque, qui non habent. & ita accipi debet *can. Epiſcopos. 18. diſtinct.* colligitur item ex *cap. 7. huius tituli* exemptum non eſſe iuriſdictione ſui Epiſcopi quemquam ex eo, quòd ordinatus ſit a ſummo Epiſcoporum Principe. Item cùm de obedientia, vel ſubiectione agitur, nihil fieri debere in præiudicium rei, vel poſſeſſoris in ius minime vocati. *cap. 8.* quod ſane magnam præſefert æquitatem.

De treuga, & pace. *Tit.* 34.

TEMPORE quo hic titulus inſcriptus fuit, iam ceciderant bonæ litteræ, priſtinumq. candorem amiſerant; quare ſummi Pontifices ijs verbis, quæ vulgo hominibus notiora erant, quandoque in hiſce libris vti cogebantur. Treuga nihil aliud eſt, quàm quod apud bonarum litterarum profeſſores, Induciæ. Vocantur Induciæ quædam quaſi pax, vel quædam belli ceſſatio inter hoſtes ad tempus pactæ; dictæ quodammodo, quod in certũ diem à certando otium præſtent. Cicero *lib. officiorum*; 1. *Cùm triginta*, inquit, *dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabantur agros, quod dierum eſſent pactæ, non noctium inducie barbarico quidem more*. Hæ induciæ, vel ſi mauis, Treuga, duplex eſt, Conuentionalis altera, quæ à conuentione formam recepit: altera Canonica, quæ præter pactionem omnem, quibuſdam diebus, & temporibus hic enumeratis violari minùs debet. & ad Epiſcopos in quorum prouincijs, ſeu diœceſibus inita eſt conuentio ſpectat prouidere, ne frangatur fides, & fractum ad concordiã, & vnanimitatem reducere, ex quibus aperte conſtat, quare hic titulus ſuperioribus ſubiectus ſit; cùm ad Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Præſides hæc omnino pertinent. Quod ad ſecundam huius tituli partem attinet; Pax eſt amicitiæ, & concordiæ vinculum; *cap. nouit. infra de iudic.* vel vt Cicero. 2. *Philipica*, tranquilla libertas. hic vero dicitur pax, quòd ſit diſceptationis, ſeu diſcordiæ ex vtriuſque partis conuentione finis, qui non eſt ſempet amandus. Nam vt optima quedam eſt diſſenſio, ita pernicioſa eſt quandoque concordia, teſtimonio Gregorij Nazianzeni *orat. 1. de pace Pax amanda, qua*

bona

bona eſt, honiq. cauſa initur: nosq. Deo coniungit. Et paulo poſt. *Melior*, ait, *eſt contentio pietatis cauſa ſuſcepta, quàm turpis, & vitioſa concordia.* Et *in orat. ad Cler. Non eſt paci ſtudendum, cum vera, atque orthodoxæ fidei pernicie.* Durãte autem bello, Presbyteri, monachi, ac clerici ômnes, item conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici, maximè agricolæ, item animalia omnia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, ſecuritate frui debent. *cap. vlt.* quaſi pax iſtis ſemper ſit optima; iuxta illud.

Sub iuga bos veniat, ſub terras ſemen aratas:
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.

De Pactis. *Tit.* 35.

A Pace tranſit ad pactum; pactum verò à pactione dicitur; inde & pacis nomen appellatum eſt, *l. 1. ff. eo.* nam pactio nihil aliud eſt, quàm quædã ex pace conuentio. hinc ex Africano Concilio primo, *cap. 12.* habemus, *Pax ſeruetur, & pacta cuſtodiantur*: nihil enim tam congruum fidei humanæ, quàm ſeruare ea, quæ ſemel placuerunt. cecinit etenim Pſalmiſta *Pſal. 88. Quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.* ex quo intelligitur, quàm apte tractatui de pace ſint adnexi tituli de pactis, & tranſactionibus. Sed quomodo hic titulus anterioribus connectetur, ratio alia quærenda nobis eſt: quam reor illam: expoſitis ſiquidẽ officijs diuerſorum iudicum, ſeu magiſtratuum, tractandum ſuſcepit, quo de iure ſuo quiſque apud ipſos magiſtratus experitur: & præmiſſo, occaſione quadam, titulo de pace, initium facit à pactis, & tranſactionibus; quibus plerumque remittitur lis præſens, vel futura. vel ſi contemnitur promiſſio, vel ſtipulatio non committitur, vel eliditur exceptione pacti, aut tranſactionis: ideoque ratione optima in hoc iudiciorum inſtituendorum exordio titulos dedit de pactis, & tranſactionibus. Tranſactio eſt ſpecies, Pactum genus. Definitio ab Vlpiano in *d.l. 1.* tradita, eſt, vt ſit duorum, pluriumvè in idem placitum, & conſenſus; vel conuentio, quæ placiti fine ſtetit, hoc eſt, quæ neque ex traditione, neque ex ſtipulatione habet effectum. attamen iudex per quam ſtudioſe agere debet, vt promiſſa, etiam verbotenus, opere compleantur. Nullam enim Dominus differentiam ponit inter ſimplicem loquelam, & iuramentum, auctore B. Chryſoſtomo. *cap. iuramenti. 22. q. 5.* quod adeo verum eſt, vt etiam Ethnici aſſeuerent: inter quos M. Tullius in *Orat. pro Roſcio Comedo. Quæ pœna*, inquit, *à Dijs immortalibus periuro, hac tempeſtate mendaci conſtituta eſt. Non enim ex pactione verborum, quibus iuſiurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Dij immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere conſueuerunt.* hoc tamen adeo verum eſt, ni ſit contra bonos mores, vel de re aliqua ſpirituali, turpi, vel impoſſibili, aut de ſuccedendo poſt mortem, aut de augenda penſione, vt conſequatur beneficium. Illud autem perpetuo verum eſt, Pactum, quod iure ciuili non valet, valere, ſi iuriſiurandi religione ſancitum ſit: non ex eo tamen agi poteſt, vt perperam noſtri ſomniarunt ex *cap. 2. eod. in ſex.* de his alibi latius. Habetur hoc titulo, Quod ab initio non tenet, per ſuperioris ratihabitionem quandoque confirmatur: *cap. 2.* rati enim habitio mandato comparatur. *l. 1. §. deieciſſe. ff. de vi, & vi arm. cap. 2. infra de cland. deſponſ.* quod interpretor, ſi ab initio conſenſus non requirebatur. *l. quid ergo. ff. de ijs, qui not. infam.*

De tranſactionibus. *Tit.* 36.

Q VANTAM habeat præſens titulus cum ſuperiore adfinitatem, diximus in præcedenti titulo, nẽpe Pactum genus, Tranſactionẽ ſpecieni eſſe. Tranſactio eſt duorum, pluriumve de re dubia, & lite incerta pactio, vel litis conteſtatæ, vel futuræ remiſſio. Ante litem conteſtatam tranſigi poſſe Vlpiano placuit. *l. eleganter. §. ſi quis poſt. ff. de condit. indeb.* tantamq. habet Tranſactio vim, vt inſtrumenta, vel alia partium iura, ea ſubſequente, tollantur: ſuper Eccleſiaſticis tamen beneficijs non licet tranſigi, vel facta etiam iuramento interueniente non tenet, quia ſapit ſimoniam, *cap. 4. 7. & 9.* quod ita accipiendum arbitror, vti liceat nemini tranſigere, quò aliquis recipiatur ad Eccleſiæ beneficium, vel prælaturam: ſecus verò de proprietate, de qua & permutatio fit. *cap. ad quæſtionem. infra de rerum permut.* & cum aſſenſu ſuperioris de decimis conceditur Tranſactio fieri *cap. 2.* Siquidem tranſactio omnis de rebus Eccleſiæ per eiuſdem prælatum abſque ſuperioris conſenſu celebrata non obligat ſucceſſorem *cap. 8.* nam & iudicem decet, immo debet ſe interponere inter partes pro tranſactione faciẽda, præterquam in matrimonio, de quo non ſolum iudici, ſed etiam partibus non licet tranſigere; cùm ſit vinculum indiſſolubile, *cap. vlt. & can. omne. 27. q. 2.* neque arbitrari. *cap. penult. infra de in integr. reſtitut.*

De

De poſtulando. *Tit.* 37.

SOLENT homines cùm eſt de re aliqua controuerſia, vel eſſe ſperatur, aut pacifci, aut tranſigere, his relictis vocati in ius primùm poſtulant. Poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere. *l.* 1. §. 1. *ff. eod. cap. infames.* 3. *q.* 7. idcſt per ſe, vel per aduocatum aliquid pro tribunali petere. Hoc autem titulo monemur, qui à poſtulatione repelluntur, vtpote clerici in ſeculari foro, niſi pro ſe, vel pro Eccleſia, vel miſerabilibus perſonis poſtulent. *cap.* 1. item monachi, ac canonici regulares in Eccleſiaſtico foro, niſi forte pro Eccleſiæ vtilitate, & præcedente Abbatis iuſſu. Item Epiſcopi, & ſacerdotes omnes, qui nec in propria cauſa, nec Eccleſiæ, excepto publico crimine. *cap. quia Epiſcopus.* 5. *q.* 3. & apud Photium in Nomocanone, vel in *tit. de Parochis*, ſed per Aduocatum bonæ opinionis, & laudabilis artis virum. Sunt aliæ quoque perſonæ, quibus poſtulare interdictum eſt *d. l.* 1. & *d. cap. infames*. Cæterùm clericus, qui contra Eccleſiam, à qua obtinet beneficium, Aduocati, vel procuratoris officio fungi pro extraneis auſus eſt, tanquam ingratus huiuſmodi beneficio poteſt ſpoliari. Huic enim conuenit mitifice dictum Plati in Aſinaria;

Ingrata, atque irrita eſſe omnia intelligo,
Qua dedi, & quod beneſici: at poſthac tibi
Male quo potero facere, faciam, meritoq; id faciam tuo.

De Procuratoribus. *Tit.* 38.

EX ijs, qui pro alijs poſtulant Aduocati, & Procuratores ſunt: de Aduocatis ſuperiori titulo, hic de Procuratoribus tractatur. Aduocati ſunt Oratores, ſeu luriſperiti, qui alienis cauſis agendis adſunt. tametſi olim differentia eſſet inter Aduocatos & Oratores; vt videre eſt apud Aſconium Pedianum in diuinatione prima in Verrem. Aduocatus enim eſt, qui ius ſuggerebat, Orator cauſam tuebatur. ſicut etiam differebat Cognitor, & Procurator, hic abſentis negotium gerebat, ille præſentis: Sũt autem hic Procuratores, qui aliena negotia mandatu Domini adminiſtrant, vel inceptam litem proſequuntur, vel ad futuram dantur. *l.* 1. & 3. *ff. eod.* & iſti ante litem conteſtatam reuocari poſſunt, non æque poſt, niſi ſubſit cauſa, & quidem digna. quinimo poſt litis conteſtationẽ alium dare, & conſtituere poſſunt procuratores. *cap.* 1. §. 1. & *cap.* 2. *eod. in ſexto.* Quòd ſi mandatum eſt generale ad negotia, dubitari poterat, num ad iudicia extendi poſſet: & poſſe voluit legislator, ſi maior ſit XXV. annis; namque ad negotia XVIIJ. maior admittitur *cap.* 5. *in ſexto.* quare Epiſcopi procuratori, etſi ſub nomine ſyndici, vel actoris non fuerit datus, cauſas tamen Epiſcopatus, & agere licet, & defendere *cap.* 9. Procuratoris officium eſt fines mandati diligenter attendere; & ex quo ipſum ſuſcepit mandatum, rem in iudicium deducere, & litem peragere debet; qua finita, poteſt, ſi velit, appellare. *l. filius.* §. *inuitus. ff. eod.* vel ſaltem domino conteſtari, vt ad appellationem conuolet. *cap.* 14. cui ſi denegentur inducię ad conſulendum dominum ex legitima cauſa abſentem, etiam appellare poterit. *cap.* 11. Atqui procurator non auditur, niſi habeat mandatum legitime factum, vt in *cap.* 1. neque coram ſeculari iudice, dum de adulterio agitur *cap.* 5. & §. *cauſas. auth. vt liceat matr. vel aui.* Etenim accuſator adulterij tenetur ad pœnas talionis: non æque ſi Eccleſiaſtico coram iudice ad ſeparationem thori. Docemur etiam filium familias procuratoris officio fungi poſſe. *cap.* 14. nullo etiam habito patris conſenſu. *c.* 5. *in ſexto.* & laicum in ſpiritualibus cauſis, & ad agendum, & ad defendendum *cap.* 1. *in ſexto.* Habemus hic tandem procuratorem poſſe ad contrahendum matrimonium dari; ita vt habeat ſpeciale mandatum. *cap.* 10. *hoc tit.* & *cap. vlt. in ſexto.* & *l. generali. ff. de rit. nupt.* Poſt reuocationem tamen inutiliter contrahitur: quamuis procurator de ea certior factus non fuerit. *d. cap. vlt.* quod eſt ſpeciale in procuratore: ratio eſt perelegans; quoniam matrimonium ex ſolo conſenſu æſtimatur, qui ſi deficit, nullæ ſunt nuptiæ. *cap. ſufficiat.* 27. *q.* 2. *l. cùm fuerit. ff. de condit. & demonſtra.* & *l. nuptias. ff. de reg. iur.* non ergo mirum, ſi nuptiæ per procuratorem reuocatum contractæ ſint iure ipſo nullæ.

De Syndico. *Tit.* 39.

MONACHIS cùm interdictum ſit, ne quidquam extra Monaſterij, ſeu Cœnobij ſepta agere præſumant. *cap. monachi.* 16. *q.* 1. neceſſe fuit, vnum, vt cæteri à cauſarum ſtrepitu ſint quieti, qui monaſterij negotia, vti procurator adminiſtraret, conſtituere, qui Syndicus appellaretur, hoc eſt monachorum omnium aduocatus, defenſor, ſeu procurator, quaſi in publicam cauſam communiter incumbens. Quod officium apud priſcos fuiſſe, ex ipſorum monumentis liquet ſatis. Legitur apud Plutarchum, Ariſtidem ab Athenienſibus creatum fuiſſe ſyndicum, vt communẽ cauſam Græcorum ciuium ſuorum nomine defenderet. De-

moſthenes quoque refert lege ſanctum Athenis fuiſſe, ne cui iterum ſyndicum fieri liceret; quòd ſyndici munus ob publicam vtilitatem inuentum, verteretur in quæſtum, compendiumq; priuatum. Ideoq; non male hic titulus ſuperioribus cohæret. Namq; collegia, ſocietates, ſcholæ, & huiuſmodi alia, quibus permiſſum eſt, exemplo reipublicæ res deberent habere communes, arcam communem, & actorem, defenſorem, procuratorem, ſeu ſyndicum: per quem tanquã in Republica, quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat. *l. 1. §. 1. ff. quod cuiuſque vniuer.*

De ijs, quæ vi, metusve cauſa fiunt. *Tit.* 40.

EDIT ad eum, quem cœpit tractatum de pactis: & quia pacta, & tranſactiones nobis plerumq; inuitis extorquentur, ideo ſubiecit de ijs, qui vi, metusve cauſa fiunt: vt ex ijs cõuentionibus per vim, metumve initis obijciatur hæc exceptio; quemadmodum præcedentium pactionum, & tranſactionum exceptiones, vti etiam procuratoriæ exceptiones tanquam præludia iudiciorum. Multa ſiquidem ſunt, quæ licet contra ius omne geſta ſint, regulariter tenent: ſed reſcinditur poſtea per actionem quod metus cauſa, vel hac exceptione eliduntur. Quare Prætor in ſuo edicto ait: *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo.* & Alexander iij. hic, *Quæ metu*, inquit, *& vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.* Metum verò intelligimus non vani hominis, ſed qui merito in homine conſtantiſſimo cadit. *cap. 4. & cap. 6. & l. metũ. ff. eod.* Idcirco recte Labeo definit metum non eſſe quemlibet timorem, ſed maioris malitatis. *l. 5. ff. eod.* ex quo etiam factum eſt, vt religionem ingreſſa timore mortis, exire, & nuptias contrahere poſſit. Metus autem, ſeu violentia nobis illata per teſtes ſiqs amiſſe probantur per iuramentum, quo ſequuto fit condemnatio, taxatione rerum amiſſarum iudicis arbitrio prædicta. *l. vlt.* Et ex *cap. 5.* intelligimus differentiam conſtitui inter coactionem & metum. vt qui inuitus, & coactus excommunicatis communicat, non eſt excommunicatus: ſed qui per metum illis communicat, ſententiam excommunicationis incurrit. cùm nemo propter metum debeat committere peccatum; etſi metus minuet culpam. Atqui ego communicationem illis ad ſalutem nihil prodeſſe, ſed nocere potius arbitror, quia iudicium ſibi mandneant, & bibant. Sic quoque excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, abſolutio, ſeu remiſſio per vim extorta nihil momenti habet: quinimo extorquens ipſo iure eſt excõmunicatus *eod. tit. in 6.*

De in integrum reſtitutionibus. *Tit.* 41.

ADVERSVS ea, quæ vi, metusve cauſa geſta ſunt, conceditur Reſtitutio in integrum: ob id igitur hic ſubſequitur titulus, & quidẽ generalis: quo minor læſus reſtituitur, item Eccleſia, quæ iure minoris cenſetur, & quãdoque ipſius Præfectus. nemini enim licet deteriorem eius conditionem facere, *cap. 1.* Et non tantùm Eccleſia aduerſus priuatum, ſed contra Eccleſiam quoque habet reſtitutionem. *cap. 3. & 5.* item contra ſententiam Romani Põtificis, ac aliam quamlibet, atque contractum: id tamen admittendum puto, ſi intra quadriennium à tempore conſeſſionis reſtitutionem pertierit, non æque vltra; niſi aliqua ſubſit cauſa, & quidem reſtitutione digna, quæ poſſit ſuperiorem commouere, vel, vt placuit Bonifacio viij. ex iure communi *cap. 1. & cap. 2. in ſexto.* A quibus verò poſtulanda ſit in integrum reſtitutio, docemur *cap. 9.* videlicet ab Ordinarijs adminiſtrationem habentibus, vel à Delegatis, vt in *tit. 32. ſupra.*

De alienatione iudicij mutandi cauſa facta. *Tit.* 42.

QVEMADMODVM minor, vel etiam maior quandoque *cap. ex litteris. ſupra tit. 1.* atque Eccleſia enormiter læſa in integrũ reſtituitur: pari ſane ratione ſubuenitur ijs, in quorum præiudicium aliqui res, & poſſeſſiones, de quibus controuerſiam oriri ſperabatur, iudicij mutandi cauſa in alios tranſtulerũt. nam res in iudicio poſita, vel ponenda, in nullam transferri poteſt omnino perſonam, donec legitime cognitionis euentu, cui potius debeatur, per iudicem poſſit agnoſci, *cap. vlt. 11. q. 1.* Si quis ergo dolo fecerit, quominus res, vel poſſeſſio, de qua eſt quæſtio, apud eum non ſit, dabitur actio aduerſus eum in factum ad id, quod intereſt, rem non eſſe in alium translatam. *l. 1. ff. eod.* et ſi data opera in fraudem actoris alterius proximiæ factus fuerit, qui eſt in poſſeſſione, compelletur in iudicium venire. Itemque is, in quem facta eſt rei alienatio iudicij mutandi cauſa, conueniri poterit per reſcriptum contra alienantem impetratum. Idque ad clericos extenditur, qui à laicis ius ſibi omne cedi faciunt, quo aduerſus ios à ſeculari ad Eccleſiaſticum forum trahant. *cap. vlt. huius tituli.*

De

De Arbitris. *Tit.* 43.

A Magiſtratibus tranſit ad iudices, ac primum ad iudices compromiſſarios, qui arbitri appellantur. Namque differentiam eſſe inter iudicium, & arbitrium indicat ſatis M. Tullius pro Roſcio; *Iudicium*, inquit, *eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ: ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem, aut obtineamus, aut omittamus. Ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum, quantum poſtulauimus, conſequamur*. Quoniam verò ſolet plerumque contingere, vt cùm orta eſt de re aliqua controuerſia, non adire iudicem, ſed illam in arbitrium alicuius boni viri conferre; ideo non male proponitur præſens titulus titulo de iudicijs. Principaliter verò Arbitri in impari numero adſumendi ſunt, aut vnus, aut tres, aut quinque, vt maioris partis ſententia præualeat. *cap.* 1. alioquin res fere ſine exitu futura eſſet, propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem. At quid iuris erit, ſi in tres fuerit compromiſſum, & vno abſente alij iudicent? Celſus ſcribit ſufficere quidem duorum conſenſum, ſi præſens fuerit & tertius: alioquin abſente eo licet duo conſentiant, arbitrium non valere. *l. item ſi vnus. S. vlt.* cum *l. ſeq. ff. eod.* hodie tamen ex Bonifacij Octaui conſtitutione receptum eſt, vt valeat, ac ſi præſens eſſet tertius. quam ita intelligo, ſi ambo in vnum conueniũt. Cæterum nõ tenet compromiſſum in duos, phiresue factum, vt ſi diſſentiant, tertium arbitrio ſuo aſſumant. *cap.* 12. *& d. l. item. S. ſi in duos*, valet, ſi ita factum, vt ipſi per ſe definiant cauſam, vel per alios, quos ipſe elegerint. *cap.* 13. vltra tamen in compromiſſo compreſenſa iudicandi poteſtatem nullam habent: neque poſt rem iudicatam ſuper recentibus controuerſijs adſumpti poſſunt ſententiam immutare, etiam ſi de componendo inter partes mandatum à ſummo Pontifice acceperint. *cap.* 6. & *cap.* 11. In rebus ſpiritualibus in laicum compromitti non licet: niſi cum clerico fuerit, & auctoritate ſuperioris receptus. *cap.* 9. In fœminas quoque, etſi iure ciuili à publicis officijs arceantur. *l.* 2. *ff. de regul. iur. & l. vlt. C. eod. de arb.* quod moribus receptũ fuit. *l. cùm prætor. S. vlt. ff. de iud.* compromitti poteſt, ita, vt iuriſdictionem habeant. *c.* 4. Eſt hoc in compromiſſo ſpeciale. *l. veteris. C. de contrahend. & committen. ſtipul.* quod ad compromittentis hæredes non extenditur, ſi in eo de ipſis non caueatur; vt expreſſe in vltima tituli parte conſtat.

DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII IX. LIB. II.

De Iudicijs. *Tit.* 1.

IVDICIBVS compromiſſarijs ad ordinarios proficiſcitur. De illis prius, de his poſterius. Siquidem arbitria honoraria ſunt; iudicia legitima; illa voluntaria, hæc neceſſaria; illa bonæ æſtimationis, hæc victoriæ cauſa comparata videntur. arbitria ſponte adimus, ad iudicia inuiti trahimur. Iudicium directum eſt, aſperum ſimplex: arbitrium mite, moderatum, quantum æquius, melius ſit dari. nemo vnquam ad arbitrium quantum petijt, tantum abſtulit. Et quanquam vere, proprieq. iudicium dici non poſſit, niſi lite conteſtata, vt mox dicam, quæ conteſtari non æque poteſt, niſi facta in ius vocatione; & niſi iudex cœperit audire cauſam per narrationem negotij, quæ fit à litigatoribus, verbis, vel libello coram iudice: ac plerunque diſceptari ſoleat, num forum ſit competens, necne: verum tamen, cùm titulus hic ſit valde generalis, & comprehendat & titulum *de foro compet.* & *de libell. oblat.* proponitur de libelli oblatione in *cap. 6. de foro compet.* in *cap.* 2. 3. 4. 5. 8. 12. 13. 17. 19. & 21. Iudicium eſt multiplex, ordinarium, extraordinarium, temporale, & ſpirituale, criminale, & ciuile. de eorum ſingulis tractatur hoc titulo. Et eſt iudicium litigatorum apud iudicem, vel coram iudice diſceptatio. Iudicium non dicitur niſi conteſtata lite. *l. ſi quis ſe obtulit. ff. de rei vend. l. amplius non peti. fforem rat. habe. l.* 1. *C. de lite conteſt.* Tunc dicitur facta litis conteſtatio, cùm iudex cœpit audire cauſam per narrationem negotij. negotium verò exponitur à litigatoribus. Non eſt autem facta plena litis narratio, antequam actorem, & reum iudex audiuerit. Poſteaquam intentionem ſuam actor propoſuerit, inficiatuſq. fuerit reus, tunc lis eſt conteſtata. *cap. dudum.* 2. *§. licet autem. ſup. de electi.* & res in iudicium deducta; aliter res in iudicium deducta non dicitur. *d. l. amplius.* & *d. l.* 1. Qui autem poſſint eſſe iudices, hic titulus oſtendit. Namque laicis Eccleſiaſtica terminare negotia nullo prorſus modo eſt conceſſum. *cap.* 2. ne quidem in cauſa iuris patronatus, *c.* 3. & *cap. de iure inſ. de iure patr.* neque Regi, neque cuiuſuis generis laico. *cap.* 10. ſecus Eccleſiaſtico: quippe qui per viam denunciationis Euangelicæ, ſeu iudicialis contra quemlibet peccatorem, etiam Regem, atque Imperatorem poteſt procedere, *cap.* 13. conferendiq. regna totius Catholici orbis, & eadem auferendi poteſtatem habet. *cap. venerabilem. ſup. de electi. cap. ad Apoſtolicæ. de re iud. in 6. clem. Romani. de iureiuran. cap.* 1. *de maior. & obed. extrauag. comm.* Idque conſtat paſſim ex antiquorum monumentis. vel in *d. cap. ad Apoſtolicæ.* & *in cap. alius.* 16. *q.* 6. Quinimo clericus, ſi de aliquo crimine coram ſeculari iudice fuerit conuictus; ex eo tamen Epiſcopus eum punire nequit. *cap.* 4. niſi feudũ habeat. tunc domino coram quantumuis laico poterit conueniri. *cap.* 5. & *cap. verum. infr. tit.* 1. Sed prælati debent laicis ius dicere, hoc eſt, eis iuſtitiam facere. Et clericus in furto, homicidio, periurio, & alijs huiuſcemodi exceſſibus deprehenſus ab ipſo Eccleſiaſtico iudice erit deponẽdos. Et ſi adhuc in eiſdem perſeuerauerit, excommunicandus, demum anathematizandus. quòd ſi tandem non reſipuerit, erroremq. ſuum non agnouerit, ſeculari iudici tradendus. *d. c.* 10. Monemur & hoc titul. debitas ſolemnitates in iudicijs ſeruari oportere, aliter iudicium redditur fruſtratorium. *cap.* 9. ſi enim actio, vel intentio ineptæ ſunt, vel ſola intentio, debet reus abſolui ab inſtantia iudicij: iterum tamen auditur actor, ſi apte egerit. *cap.* 15. Agitur & hic de his perſonis, quæ legitimam non habent perſonam

ſonam ſtandi iudicio, vtpote excommunicatus. qui niſi tanquam reus ſtare minus poteſt. *cap.* 7. neque mulieres ad iudicium inuitæ trahuntur, religioſæ nuſquam; neque minor 14. annis, *c.* 2. & 3. *in eod. in* 6. atqui principalis perſona debet per ſe non per aduocatum in iudicio factum proponere, niſi eſſet indiſcreta. *cap.* 14. Fit & delegati iudicis mentio in *cap.* 20. & in *cap.* 1. *eod. in* 6. Eſt & illud notatu digniſſimum, quòd ſolus Romanus Pontifex de dubijs priuilegiorũ Apoſtolicæ Sedis cognoſcit, non item inferior. *c.* 12. Quæ huius tituli propria ſunt, alibi explicabuntur. hic ſufficiunt iſta.

De foro competenti. *Tit.* 2.

PROPOSITO titulo de iudicijs ſubijcitur, de *foro compet.* quia ad iudicium vocati ſolẽt plerumque opponere incompetentiam fori. Forum à ferendo dictum eſſe exiſtimat Varro, quòd in eum locum controuerſias ſuas conferrent, & merces, quas vellent vendere. Et Quintilianus forum appellat, in quo iudicia publica exercebantur. quod multis ante ſeculis videtur nobis indicaſſe Cicero ad Atticum: *Quod*, inquit, *me in forum vocas?* idque Iſidorus probat, dicens, *Forum eſſe locum exercendarum litium, ipſumq. cuiuſque iudicis tribunal.* dictum deinde forum cuiuſque iudicis territorium, intra quod poteſt in facinoroſos animaduertere. *l. pupillus.* §. *territorium. ff. de verb. ſign.* ſic tota diœceſis dicitur Epiſcopi territorium. *cap. omnis* 16. *q.* 7. Itaque quod ſit cuique forum competẽs hic titulus exequitur, & maxime in Romana curia quilibet clericus poteſt conueniri, *cap. vlt.* ad laicum nunquam, qui ſi Eccleſiaſtica vſurpare iura tentauerit, veluti ſacrilegus repelletur. *cap.* 2. & 16. & *cap.* 2. *in* 6. Eccleſiarum verò malefactores impune poterit conuenire, eoſq. pœnis, ac contumelijs afficere. *cap.* 8. & ne alienam iuriſdictionem ſibi vſucapere Eccleſia videretur, ab Innocentio huius nominis Tertio in *cap.* 10. & 11. ſcitum eſt, vt laicus laicum, itemq. vidua coram Eccleſiaſtico iudice minus conuenire poſſet, niſi in defectu, vt cum ipſo loquar, iuſtitiæ ſecularis: atque etiam ratione iuramenti, ex Bonifacij Octaui decreto. *cap. vlt. in* 6. ratione cuius ſortitur quis forum Eccleſiaſticũ. quod maximam fecit interpretibus quæſtionem ex *cap. cùm ſit generale.* 8. *huius tit.* vt actor teneatur ſequi forum rei. Sed diuerſa, quàm eſt vulgò recepta illius Bonifacianæ conſtitutionis interpretatio. Siquidem iuramentum cùm ſit quid ſpirituale, & ad reuerentiam, fidemq. Deo præſtandam tendat: ratione quadam conſequenti ad iudices, & prælatos Eccleſiaſticos, quos cura religionis præcipue ſpectat, eius remiſſio, & abſolutio pertinet; itemq. promiſſio ſaltem iuraméti religione firmata, ne violetur, ac defraudetur, inuigilare debent. *cap. nouit. ſupra tit.* 1. *c. debitores.* & *cap. cùm contingat. inf. de iureiur.* & *d. cap. vlt.* & dum Eccleſiaſticus iudex cogit obſeruare iuramentum, licet ex illa obſeruatione non reſcindatur contractus, non dicitur tamen alienam aucupari iuriſdictionem. Quòd ſi prælatus abſolutionem ad effectum agendi conceſſit, tunc reus non eſt compellendus coram Eccleſiaſtico iudice iudicium ſuſcipere: quia Prælatus iã functus eſt officio ſuo; ex quo ſublatus eſt effectus illius Bonifacij Octaui conſtitutionis. immo ille, qui vere reus eſt, in ea lite poterit illud fortũ declinare, ac ſemper vti fori præſcriptione, dicens ſeipſum fore cõueniendum coram proprio iudice, ex *d. cap. cùm ſit generale.* cui haud male conuenit conſtitutio Imp. Alexij Commeni, quam Balſamon refert in *Nomocan. tit.* 9. *c.* 1. cuius inſcriptio eſt, *de peccatis Epiſcoporũ. Sin autem*, inquit, *inter litigantes eſt ariſio, & alter quidẽ eſt ſtatus ſecularis: alter vero in diuini cleri numerum relatus, actor rei foro omnino ſubijciatur: & vnuſquiſque ad competens iudicium accedat: niſi forte quis ex omnibus forum impetratorũ poſtulet. Tunc enim ceſſantibus omnibus, Imperatoria maieſtas de cauſa cognoſcet, & controuerſiam decidet*, facit *can.* 15. *Carthag. Sin.* Eſt & illud hic ſingulare; quòd etſi cæteri homines, adeo priuati iudicem quantumuis incompetentem, & incõgruum, facere competentem valeant, ſi modo eũ adiuerint. *l. ſi conuenerit. ff. de iuriſdict. omn. iud. l.* 1. & *l.* 3. *C. eod. de iuriſdict. omn. iud.* non poſſunt tamen clerici incompetentem iudicem, ſibi competentem facere: niſi Epiſcopi diœceſani accedat conſenſus, & iudex, cuius iuriſdictionẽ volunt prorogare, ſit Eccleſiaſticus. *cap.* 18. etiã ſi fuerit pactum iureiurando firmatũ, ac aduerſarij conſenſus acceſſerit. *cap.* 12. Illam reor eſſe rationem, ſiquidem priuatorum conſenſus priuatum iudicem nequit conſtituere: vti Dioclet. & Maximian. Imperat. ſanxere in *d. l.* 3. Hinc Beatus Auguſtinus *in quæſt. Veter. teſtamen. Præfectus*, inquit, *poteſt agere vicem Præfecti, & Prætor Prætoris, non tamen priuatus poteſt agere vicem poteſtatis alicuius.* atqui iudices laici quo ad ſpirituales cauſas cenſentur priuati. *cap.* 2. *ſupra tit.* 1. & priuati nullam habent iuriſdictionem: quod ſi ita eſt, prorogari nequit. quia quod non eſt, extendi haud poteſt. *cap. quod vero.* 32. *quæſt.* 2. *cap. ad diſſoluendum. inf. de deſponſ. impuber. l. decem. ff. de verb. ſignif.* Ex mandato autem Prætoris, ſeu alterius poteſtatis, vice eius fungi poteſt priuatus. *l. vlt. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict.* non æque ex mandato Epiſcopi laicus. *cap. in noua.* 16. *q.* 6.

indecorum enim eſt, quòd laicus ſit vicarius Epiſcopi. *d. cap. in noua.* & *d. cap. 2. ſup. tit. 1.*

De libelli oblatione. *Tit.* 3.

FACTA in ius vocatione, approbatoque foro, iudex actorem in iudicio non admittit, niſi prius libellũ in ſcriptis ediderit. Ideoq; recte hic ſubijcitur titulus. Et eſt libellus paruus quidam liber, in quo continetur, quid in iudicio ſit actor petiturus, vel quo aliquis in iudicium vocatur, vt apud Plautum in Curcul.

Vbi tues, qui me libello Venereo citaſti? Ecce me ſiſto. ades contra.

Cùm reali agitur actione, oportet libellum ſpeciem continere, vt euitetur obſcuritas, & æquiuocatio. Et in actione perſonali requiritur cauſa; aliàs non tenetur reus libello reſpondere. *cap. vlt.* at cùm in rem. Non expreſſa cauſa, ex qua rem meam eſſe dico, omnes cauſæ vna petitione apprehenduntur. neque enim amplius, quàm ſemel res mea eſſe poteſt, quamuis ſæpius deberi poſſit. *d. & an eadem. §. actiones. de excep. rei iudic.* Sed dubitatio eſt; num actionis nomen in libello exprimere opus ſit. Et non opus eſſe conſtat ex *cap. dilecti. ſupra de iudic.* ne forte nobis eueniret, quod olim frequenter contingebat, vt qui ab illis formulis, de quibus in *l. actio. ff. de negot. geſt.* & in *§. vlt. inſtit. de interd.* recedebat, caderet à cauſa, etiam ſi vnico verbo erratum fuiſſet; vt docet Quintilianus *lib.* 7. Vnde M. Tullius *pro A. Cecinna*, à verbis recedendum, & æquitate iuris vtendum cenſet: ne non in æquitate defenſionis, ſed in vna littera ius latere videretur. Quas iuris formulas radicitus amputauit Conſtantinus, eaſq. aucupationes ſyllabarum inſidiarias appellauit. *l. 1. C. de formul. & impetrat.* Factum tamen ita clare proponi debet, vt ex eo facile ius acquiri poſſit, & colligi. *d. cap. dilecti.*

De mutuis petitionibus. *Tit.* 4.

NON immerito hic ſubſequitur titulus, cùm in proximo de libello, qui ab actore editur, diſputatum ſit. alioquin deterior eſſet rei cõditio, quàm actoris, contra *l. non debet. ff. de regul. iur.* & *cap. vlt. huius tit.* quæ volunt eandem eſſe. Ex quo enim vult actor ius ſibi dici coram aliquo iudice, eundem in cauſa reconuentionis recuſare minus debet. *l. cùm Papinianus. C. de ſentent. & interloquut. om. iud.* quòd ſi actor recuſat reo reſpondere in reconuentionis cauſa, non debet iudex ei ius dicere, nec eum audire. Sed & reus actorem apud eundem iudicem, coram quo fuit lis conteſtata, debet conuenire, niſi eum, vt ſuſpectum poſſit recuſare. *cap. diſpendit. §. reus. de reſcript. in ſexto.* Quare non eſt mirum, ſi hic titulus *de mut. petit.* inſcribatur. etenim dicitur mutua petitio, quia conuentio ex parte actoris eſt, & reconuentio ex parte rei. Conuenitur primum ab actore reus, tum ab reo actor. ſic mutua conuentio, mutua petitio, vt mutuus amor, mutua benuolentia, mutua voluntas, mutuum officium, & huiuſmodi alia; hoc eſt, par, & æquale.

De litis conteſtatione. *Tit.* 5.

DIXIMVS titulo primo huius libri, iudicium non vere, ac proprie dici, niſi conteſtata lite: quæ non conteſtatur per poſitiones, & reſponſiones, ſed per petitionem in iure propoſitam, & reſponſionem ſequutam: & hæc fiunt libello, ſeu verbis. ſiquidem lis à contentione, vt Iſidoro placet, limitis prius nomen habuit: de qua Virgilius 12. *Aeneid.*

Limes erat poſitus, litem vt diſcerneret agris.

Varro *lib. de lingua latina* 6. *Quibus res erat in controuerſia, ea vocabatur lis.* Ideo in actionibus videmus dici: Quam rem, ſiue litem dicere oportet, & ita in formula relationis, ſeu conſultationis de bello apud Liuium *lib.* 1. *Quarum rerum, litium, cauſarum*, &c. Qui autem opponit exceptionem peremptoriam, cogitur litem conteſtari. *cap. 2. eod. in ſexto.* Excipiuntur exceptiones litis finitæ, & quæ continentur *cap. 1. eod. in ſexto.* vt exceptio tranſactionis, exceptio rei iudicatæ, quæ impediunt litis conteſtationem. In hunc numerum dicitur referri exceptio iuriſiurandi: & ſi nulla eius mentio fit in *d. cap. 1.* eius tamen eadem eſt ratio. *l. 1. & l. 2. ff. de iureiur.* quemadmodum enim tranſactione, & re iudicata terminatur, ac finitur lis, ita etiam iureiurando. Siquidem Prætor in ſuo edicto, quod de iureiurando propoſuit, vt in *d. l. ff. de iureiuran.* ſic ait: *Si is cum quo agitur, &c. aduerſus eum actionem non dabo.* quibus verbis denegat actionem mei, contra quem iuratum eſt. quapropter litem finire haud male dicetur iuſiurandum, & inter exceptiones ſupradictas recenſebitur.

Vt

Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitiuam. *Tit.* 6.

CVm iudicij initium ſit litis conteſtatio, & finis ſententia. *cap. ſequens infra de verbor. ſignif.* & cætera, quæ conteſtationem præcedunt, ſint proœmia, & præparatoria iudiciorum. *§. omnium. Inſtit. de pœnis temer. lit.* non facta litis conteſtatione, nec teſtes recipi, nec ſententiam licet proferri, niſi fortè de morte teſtium, aut eorum abſentia diuturna ſperetur, vel ſenes, vel valetudinarij ſint; vel cùm dubitatur, ne proceſſu temporis probationis copia depereat. *cap. ſignificauit. inf. de teſtib. & atteſt.* vel ſi ad perpetuam rei memoriam deſiderentur. *cap. 5. §. ſunt & alij. hoc tit.* & alijs cauſis hic enumeratis. Reus quoque contumax lite non conteſtata poteſt excommunicari, licet teſtes recipi nequeant, nec cauſa finiri; aduerſus eum tamen de matrimonio carnali, vel ſpirituali, non modo teſtes recipi, ſed & ſententia ferri conceditur. *d. cap. §. porro.* idque perelegantem habet rationem, ne propter longam moram in ſpiritualibus, ac temporalibus patiatur Eccleſia læſionem; vel viro, ſeu mulieri fornicationis occaſio præbeatur. quod ita accipi oportet; vt contumax appareat is, in quem actio fuit dirigenda: vel quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, vel quia malitioſe ſeipſum occultat, vel impedit, ne poſſit ad eum citatio peruenire. Mittiturq. actor in poſſeſſionem rei debitæ cuſtodiæ cauſa, vel ſi actione perſonali in poſſeſſionem bonorum ipſius *cap. 3. & 5. §. vlt.*

De iuramento calumniæ. *Tit.* 7.

FActa in ius vocatione, editaq. actione, & conteſtata lite defertur iuramentum calumniæ; quo quis iurat ſe bona fide, & non calumniandi animo rem in iudicium deduxiſſe: & ſi non eſt de ſubſtantia, vt ſtatim poſt litis conteſtationem iuretur. *cap. 1. in ſexto.* Verum ſi actor iuramentum ſibi delatum recuſauerit, cadit à cauſa. *cap. vlt. §. vlt. infra hoc tit.* Excipiebantur antea clerici; quippe qui iurare non cogebantur; neque poterant ſine ſui ſuperioris licentia. *cap. 1.* quod iam olim conſtitutũ fuit ab Imp. Marciano in *l. cum clericis. C. de Epiſc. & cler.* Sed quia nouis morbis noua ſolent antidota præparari; ob id Lucius iij. decreuit clericos in ſuis cauſis debere iurare. *cap. 5.* quod deinde à Gregorio ix. ad Epiſcopos quoque eſt protractum, vt propoſitis tantum, & non tactis Euangelijs iurent in ſuam animam propriam, & in animam capituli, vt *hic in fine.* & in *cap. præſentium de teſtib. in 6.* Nec in re ſpirituali olim dare, nec recipere poterat iuramentum calumniæ. *cap. 2.* hodie verò ex Bonifacij Octaui conſtitutione, *cap. 1. §. vlt. in 6.* & de calumnia, & de veritate iuratur, ità vniuerſitas vel per œconomum, vel per ſindicum, aut procuratorem iurare compellitur, *cap. 3. 4. & 6.* nam & procurator poſt iuramentum conſtitutus etiam de calumnia iurabit. *cap. 2. §. procuratores. in 6.* atque in appellationis cauſa, & de calumnia, & de veritate dicenda defertur iuramentum. *d. cap. 2.*

De dilationibus. *Tit.* 8.

IN ius vocatos excuſant dilationes per defenſores petitæ, vel à legibus permiſſæ. Dilationes aut dantur ante litem conteſtatam, aut poſt. Huius autem tituli, qui licet generalis ſit, Decretalia tamen de his, quæ ante litis conteſtationẽ concedũtur, dumtaxat loquuntur. & quæ dantur ante litis conteſtationem dicuntur dilatoriæ, & dantur ad adeundum iudicem. quæ poſt, appellantur præparatoriæ; & dantur cuique volenti probare. Quibus verò deliberatoriæ conceduntur inducĩæ, hoc titulo proſequitur.

De ferijs. *Tit.* 9.

NON venientem in ius vocatum excuſant etiam quandoque Feriæ: in quibus iudicium exerceri interdictum eſt. Feriæ à ferendis victimis appellatas Feſtus eſt auctor *lib. 6.* nam cùm hoſtia cædebatur, fari nefas erat, vt teſtatur Varro; inter cæſa, & porrecta fari licebat, hoc eſt prætorem quibuſdam horis ius dicere fas erat, quibuſdam non item. Sic & hodie nefas iudici eſt fari, etiam ex partium conſenſu; quæ ferijs ad Dei omnipotentis, & ſanctorum hominum reuerentiam inſtitutis non queunt renunciare, niſi vrgeret neceſſitas, & pietas deſideraret. *cap. vlt.* Dierum enim alij ad humanam quietem ſunt conſtituti, Alij altiſſimæ maieſtati ſunt dicati: & hos non modo ab omni iudiciorum ſtrepitu, ſed ab omni quoque ſeruili opere ceſſare oportet: niſi forte Alecia terræ ſe inclinauerit: tunc vrgente neceſsitate etiã Dominicis diebus permittitur eorum captioni intendere: *cap. 3.* Alecia genus quoddam piſcium eſt, ex quo conficitur quoddam liquaminis genus: cuius meminit Plinius *lib. 31. cap. 8.* quod ab eodem Alex nuncupatur,

Illis, quia hominum gratia ſunt conſtituti, vti meſſium, aut vindemiarum, partium conſenſu exerceri poterit iudicium. *cap. vlt.* Seneca *lib. de tranquill. vite. 1. c. vlt. Legum conditores*, inquit, *feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.* Symmachus *lib. Epiſt. 3. Epiſt. 23. Vt feriarum reliquie*, ait, *laboris faſtidium tergant*, vel vt in veteri Codice, *feriarum requie*, &c. Monemur & hoc titulo in præcipuis feſtis, & inter Paſcha, & Pẽtecoſten nõ fieri ſolemnem genuum flexionem. quod eſt ex edicto, vt ait Innocentius, ſcilicet ex ſacerdotis præcepto, qui non præcipit, flectamus genua, vt ſolet diebus conſuetis. Ex deuotione nihilominus poſſumus: nam cùm corpus Domini eleuatur, flectimus genua. *cap. ſane inſ. de celebr. Miſſ.* At cur ſacerdos iſtis feſtiuitatibus non poteſt dicere flectamus genua? rationem reddit D. Ambroſius in *can. ſcire. 76. diſt.* Fit enim ad reuerentiam feſtorum: & ſic ſtemus eleuato capite, & læti, & non mœſti. Poſt Domini paſſionẽ remiſſo culpæ totius debito, chyrographoq. euacuato, ab omni nexu liberi ſuſcipimus aduenientem in nos gratiam Spiritus ſancti. In hoc titulo continetur & illud, quòd nuptiarum ſolemnia celebrari nõ poſſunt à ſeptuageſima vſque ad octauam diem poſt Pentecoſt. *cap. 4.* quemadmodum, & in tribus hebdomadibus ante S. Baptiſtæ feſtiuitatem, & ab Aduẽtu Domini vſque ad Epiphaniæ feſtum. *cap. non oportet. 33. q. 4.* hodie tamen ex Sinodo Tridentina *ſeſſ. 24. cap. vlt.* nuptiarum ſolemnitas prohibetur tantum ab Aduentu Domini vſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vſque in octauam Paſchæ incluſiue: reliquis anni temporibus omnino permutuntur nuptiarum ſolemnitates.

De ordine cognitionum. *Tit.* 10.

EXPLICITIS modis omnibus, qui ad conſtituendum iudicium requiruntur, quo ordine in his cognoſcẽdum ſit, recte Raymũdus perſequitur. Namque iudex oppoſita exceptione, antequam de re principali proferatur ſententia, de ea debet cognoſcere. *cap. 1. & 3.* & qui petit ſibi reſtitui quod per vim ſubreptum eſt, ab aduerſario ante reſtitutionem reconueniri non poteſt petitorio, ſupra alia ſpoliatione poterit quidem. *cap. vlt.* Illud tamen ita admittendum putamus, ſi reus contra actorem ſpoliatorem ſpoliationem oppoſuerit agendo, (qui enim prior appellat, prior agat) ſecus excipiendo. Tunc de exceptione primum cognoſcitur. Ordo eſt etiam ille, vt ſi contra mulierem vendicantem aliquem in maritum admittitur exceptio conſanguinitatis, exceptio prius eſt diſcutienda, quàm ſuper matrimonio pronuncietur *d. cap. 1.* vel ſi de diuortij cauſa agitur, ac de dote reſtituenda: de illa prius, de hac poſterius. *cap. 3. inſ. de donat. inter vir. & vxor.* vel ſi mulier à viro conſanguinitatis cauſa fuerit ejecta, reſtitui marito debet, poſtmodum de conſanguinitate cognoſcere. *cap. litteras infra de reſt. ſpol.*

De plus petitionibus. *Tit.* 11.

DEBET quoque iudex, lite conteſtata, dignoſcere, an plus iudicio, quàm res eſt, petatur; & importunitatem plus petentium punire. Petitur autem plus quatuor modis, re videlicet, tempore, loco, & cauſa. de quibus etiam Iuſtinianus in §. *plus. inſtit. de act.* qui plus cauſa petit, in expenſis aduerſarij condemnatur. Plus cauſa petere dicitur; vt ſi hominẽ Stichum, aut decem aureos mihi dare ſtipulatus ſum; deinde alterum petam. Qui plus loco, ad intereſſe tenetur. Plus loco petitur; cùm id quod certo loco dare debebas, alio loco peto. Tempore, cùm quis ante diem, vel conditionis euentum petierit, & tunc reo duplicantur inducię. Re, cùm quis decem aureis ſibi debitis, viginti petierit; vel cùm alicuius rei partem habeat, totum, ſeu maiorem partem ſuam eſſe intendit; in expenſis etiam condemnabitur.

De cauſa poſſeſsionis, & proprietatis. *Tit.* 12.

SEQVITVR adhuc titulus de ordine cognitionum, quem propoſuerat generaliter *tit.* 10. Propoſita ſiquidem quæſtione de proprietate, ac poſſeſſione, ordinarij iuris eſt, vt prius iudex de poſſeſſione, tum de proprietate cognoſcat, ac iudicet. *l. ordinarij. C. de rei vend. l. incerti. C. de interd. cap. à hoc tit.* & ſub vno, eodemq. iudice vtraque cauſa debet cognoſci, atque vna ſententia terminari. *cap. 6.* quod mirum non eſt, & ſi proprietas cum poſſeſſione nihil habeat commune. *l. & an eadem. §. vlt. ff. de except. rei iud. l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acq. poſſ.* quia continentia cauſæ diuidi non debet. *l. nullo. C. de iudic. cap. 1. §. Caleſt. P. Papa. infra de ſequeſt. fruct.* Proprietatem nihil commune cum poſſeſsione habere verum eſt, quoad actionem; nam qui poſsidet, interdicto vti poſsidetis retinendæ poſſeſsionis cauſa comparato vti poteſt: non item vendicatione, quæ ad proprietatẽ pertinet. In interdicto poſſeſsio, in actione proprietas vertitur. *l. & an eadem. §. ff.*

ff. de

ff. de excep. rei iudic. Poſſeſsio, vti Theoph. *lib. 4. Inſtitut. de interd.* Græcis verbis definit, eſt rei corporalis detentio. Detentio loco generis ponitur, quod late patet, ac omnem poſſidendi, tenendiq. rationem comprehẽdit. *l. 1. ff. de acquir. poſſeſſ. l. Stipulatio iſta S. plane. ff. de verbor. oblig.* Et cùm duplex ſit poſſeſſio, altera naturalis, ſiue corporalis, altera, quæ ciuilis dicitur. *l. poſſeſſio quoque ff. de acquir. poſſeſſ. l. 2. S. quod vulgo. ff. pro hered.* naturaliter poſſidere dicitur is, qui incũbit. *d. l. naturaliter*; ciuiliter autem, qui tametſi rei non inſiſtat, iuris ciuilis interpretatione eam tenere, ac poſſidere intelligitur: Rei corporalis, quòd res incorporalis non poſſideri, ſed quaſi poſſideri dicatur. *l. 3. ff. de acqu. poſſeſſ.* Tangere enim, ait Lucretius, *aut tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.* Proprietatem nihil aliud eſſe reor, quam dominium, ſi proprie dominium accipiatur: cùm veteres iuriſcõſulti promiſcue his verbis vti ſoleant. *l. ſi procurator. l. cum in corpus. ff. de acquir. rer. dom.* Dominium verò eſt ius in re aliqua corporali plene, ac libere diſponendi. Ius diſponendi dicitur, quia licet pignus, ſeu hypotheca, ius in rem ſit. *l. pignoris. ff. de pignorib.* verum quia creditor diſponere de re pignorata minus poteſt, non vere dominus dicitur. *l. pignus C. de pign. act.* Plene, ac libere: quoniam etſi tutor, curator, aliæq. huiuſmodi perſonæ procurationem habeant, & diſpoſitionem alienarum rerum. *l. interdum. S. qui tutelam. ff. de fur.* attamen plenam, at liberam minime habent. *l. qui fundum. S. ſi tutor. ff. pro empt.* quod proprium dominorum eſt. *l. in re mandata. C. mand.* Additur &, De re aliqua corporali; quia tametſi is, qui habet ſeruitutem, de ea pro arbitrio ſuo diſponere non prohibeatur, non eſt tamen dominus. ſiquidem traditionem, qua dominium acquiritur, in res incorporales cadere minus poſſe manifeſtũ eſt. *l. ſeruus. in fi. ff. de acq. rer. dom.* Idcirco ſcire oportet ex *cap.* 5. quòd qui agit de proprietate ante concluſionem cauſæ, poſſeſſorio adipiſcendæ, vel recuperandæ agere poſſe; non item poſt, & ante ſententiã, niſi iuſta ſubſit cauſa. Et qui rem ex vna cauſa petit, ſi ſuccubuerit, ex alia petere poſſe Honorius V. in calce tituli decreuit. Quod tamen intelligendum arbitror de actione perſonali: quia cùm eadem res pluribus ex cauſis ab eodem mihi deberi poſſit, vna earum alterius petitione non vitiatur. *d. l. & an eadem. S. actiones.* De in rem actione diximus ſupra *tit.* 3. Admonemur & hoc titulo, quòd illi, qui probauit collatorem ſuum fuiſſe in poſſeſſione conferendi collationis tempore, adiudicatur beneficium: propter hoc tamen non prohibetur ſuccumbens agere aduerſus collatorem ipſum de iuris conferẽdi proprietate. *cap.* 7. Nam & Quintilianus *lib.* 2. *Inſtit. Orat. Non tantum*, inquit, *poſſe diſſe nos probandum eſt; ſed etiam iure poſſe diſſe; vt facilius obtineamus, quod petimus.* attamen de poſſeſſione conſeruanda, ſemper agendum eſt; quod in beneficijs hodie maxime obtineatur, in quibus & de poſſeſſione maxime agitur. vnde vulgo dici ſolet: *melior eſt cauſa poſſidentis.* Sic à Lucio iij. in *cap. ex conqueſtione. infra titulo* 7. reſcriptum eſt, quòd ſi actore agente petitorio, reus ſuper eadem re deduxerit poſſeſſorium, in ſolo poſſeſſorio procedi, ſuſpenſo petitorio.

De reſtitutione ſpoliatorum.

Tit. 13.

EVENIT quandoque, vt is qui nactus eſt poſſeſſionem, eadem ſpolietur; quare merito ſubijcitur præſens titulus. Nam qui poſſeſſione eſt ſpoliatus, debet reſtitui; ita ſi metu, vel vi coactus fuerit. Quod tamen locum non habet, ſi poſt ſpoliationem renunciatio beneficij ſequuta ſit; quia non præſumitur ſpontanea. *cap.* 2. Hinc haud male ſpoliationem poſſumus dicere, eſſe, è poſſeſſione rei immobilis violentam, & iniuriolam deiectionem, aut mobilis rei ablationem. non enim ſolum deſideratur violentia, ſed etiam iniuria; quoniam ſi verus dominus bello non continuato illum de poſſeſſione deiecerit, qui ſe prius deijcere tentauerit, & ſi per violentiam excludatur, non reſtituitur tamen. *cap. vlt. in fine. 3. q. 1.* hinc perlegãter Vlpianus Prætoris interpretans edictum, Quod vi, aut clam, *Parui*, inquit, *refert vtrum ius faciendi habuit. ſiue enim ius habuit, ſiue non, tamen tenetur hoc edicto, propter quod vi, aut clam fecit. tueri enim ius ſuum debuit, non iniuriam committere.* hæc ille. Aliter verò ſi incontinenti, ac bello quodammodo continuato. *c. 12. hoc titul.* Et hoc interdictum Vnde vi, competit aduerſus eum dumtaxat, qui ſpoliauit, vel mandauit, vel ſpoliationem ratam habuit. *cap.* 15, quamuis recipiens ſcienter rem à ſpoliatore inuaſam, compellatur eam ſpoliato reſtituere, etiã dominio non vtique probato. *cap.* 18. Et non tantum res violenter ſubrepta, ſed etiã fructus, qui ex re ipſa percipi potuiſſent, reſtituuntur; damnaq. reſarcire, ac de injurijs ſatisfacere cogitur violentus. *cap.* 11. Neque facit, quòd inſtitutio nõ ſit canonice facta, *cap.* 5. prædo etenim ſecundum iuris rigorem, eſt reſtituendus. Neque obſtat exceptio criminis agenti interdicto Vnde vi, vel Quod vi, aut clam. *cap.* 6. quinimo à iudice ſpoliatus iuris ordine prætermiſſo ante omnia reſtituitur *cap.* 7. Ex hoc etiam titulo reſtituitur mulier marito; niſi tanta ſit mariti ſæuitia, vt mulieri trepidanti minus poſsit ſufficiens ſecu-

ritas

ritas prouideri. *cap.*13. At per ſolam traductionem mulieris ad viri domum factam,non præcedentibus ſponſalibus, ſeu inualidis,nolente muliere iam ab eo recedente, nulla fit reſtitutio. *cap.*14. *hoc noſtro titulo*.

De dolo, & contumacia. *Tit.* 14.

CONTINGIT etiam nonnumquã, vt ſpoliatus, qui ex decreto iudicis reſtitutus eſt, propter rei dolum, aut contumaciam poſſeſſionem nanciſci minus poſſit. Dolus eſt duplex: alter bonus, quo veteres pro ſolertia abutebantur, maxime ſi aduerſus hoſtes, latronesvè quis machinaretur. *l.*1.*§.non fuit.ff.de dolo.*B.Auguſt. *epiſt.*29. *Neque illi tamen dolus ad cauendum, aut aſtutia deerant*; dolum, ac aſtutiam ponens in bono.Alter malus. Malus eſt, de quo hic titulus eſt omnino intelligendus, cùm aliud agitur, vt Gallus Aquilius apud Ciceronẽ *lib.officiorum* 3. definit, & aliud ſimulatur; vel, vt Paulo Iuriſconſulto magis placet *lib.ſenten.*1. *tit.* 8. omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Contumacia eſt inobedientia, & contemptus magiſtratuum, & contumax is, qui tribus edictis propoſitis, vel vno pro tribus, quod peremptorium appellatur, euocatus, vel denunciationibus conuentus, præſentiam ſui facere contemnit. *l. de vnoquoque*, & *l.contumacia.ff. de re iud.* Peremptorium verò dicitur, quia perimit cauſam, ac totum, quo de agitur, negocium, in foro; ita vt non liceat aduerſario vltra tergiuerſari. Non dubito tamen, quin poſſint plus quàm duo eſſe edicta ante peremptorium, ex eo quod Iuriſconſ. ſcribit in *l. nonnunquam.ff. de iud.* & ſummus Præſul in *cap. conſul. in fi.ſup.de offic.deleg. Porro*, inquit, *diſcretus iudex in aſſignatione peremptorij non debet iuriſdictionem ſuam (niſi exigat neceſſitas) adeo coarctare*. At ſemel impetrato peremptorio vel vno, vel altero, non amplius datur; alioquin non eſſet peremptorium; tametſi veteres interpretes, præſertim ille iuris lucerna *Bartolus*, aliter ſenſerint, quòd dato peremptorio,adhuc opus eſſet alio edicto. quòd ſi illius verbi, citare, vim intellexiſſent, non ita de facili lapſi eſſent. ſiquidem citare non eſt in ius vocare, vt illi male crediderunt. Citari dicitur reus,cùm in foro pro tribunali ſedens in diẽ cognitionis voce præconis euocatur. Et euocatur, vt appareat, an ſit, necne præſens, & ſiue reſponderit, ſiue non reſponderit, agetur cauſa: ita Iuriſcon. in *l. Diuus ff.de reſtit.in integr.*& Liuius *lib.*1. Valer.Max. *lib.*2.*cap.*4.Gellius *lib.*11. *cap.*1. Varro *lib.de lingua Latina* 4.Marcus Tullius ſæpe. Aliter hodie: Citare enim corrupto vocabulo nihil aliud eſt, quàm in ius vocare. quare citatus ad totam cauſam conſtituto ad comparendum die, tenetur comparere in termino ei dato. quòd ſi impeditus fuerit, citius quo fieri poterit, poſt terminum debet comparere: alioquin condemnabitur in expenſis à tempore citationis emiſſæ. *cap.*6. Quid iuris erit, ſi reus non inuenietur? Remedium eſt, vt citatio publice ad ſuam Eccleſiam proponatur. *cap.vlt.* At iudex appellantem,& recedentem citare vlterius minime tenetur, ſi vult in cauſa vlterius procedere, niſi appellationi forte renunciauerit. *cap. vlt. in ſexto.* Et appellans ante definitiuam, etiam à definitiua lata, eo abſente citato, vel non,poteſt appellare, niſi prima appellatio fuerit friuola manifeſte: tunc non appellat,tanquam manifeſtus contumax,vt decreuit Clemens V.in *Clem. eod.* Docemur hic etiam,quemadmodum puniatur contumacia eorum, qui iusdicenti non obtemperãt, nam propter contumaciam rei poteſt iudex rem petitam ſequeſtrare, & ipſum contumacem in expenſas condemnare,quas ob ipſius contumaciam, vel doluſam exceptionem actor fecit. *c.*2. quinimo actore non admiſſus in poſſeſſionem ſibi per iudicem decretam rei ſeruandæ cauſa, vel ab ea expulſus, elapſo anno vetus efficitur dominus.*cap.*3.Contra verò actor contumax in expenſis condemnatur.*cap.*1.*in ſexto.* Continet & hic titulus multas exceptiones ad *tit.* 6. *ſup. vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitiuam*. nam actore contumace, teſtes recipi, & ſententia ferri debet, lite etiam nondum conteſtata, reo ſcilicet inſtante, *cap.* 3. aut ſi per inquiſitionis viam procedatur contra abſentem contumaciter, lite quoque minus conteſtata, teſtes recipi,ac ſententia ferri conceditur, atque adeo per depoſitionis viam, ſi hoc meretur delictum. *c.*8. Poſt litis autem conteſtationem, ſi reus eſt contumax,& liquet de cauſa,fertur definitiua;ſi non liquet, actor in veram poſſeſſionem inducitur. *cap.* 4. Et qui fundata intentione actoris, exceptionem obijcit peremptoriam, quam non probat incontinenti, ſed accipit inducias, ſi defecerit in probando,condemnatur incontinenti, non expectata definitiua, in expenſas; ac ſoluere cogitur. quod ſi non poteſt, luat corpore, iudicis arbitrio. *cap.*5. Eſt & illud in hoc titulo ſingulare, vt ſententia in cauſa beneficiali non tranſeat in rem iudicatam, ſuperioris reſpectu, quò minus poſſit de iuribus partium inquirere, maxime quando ſententia fuit lata in abſentem, licet contumacem,& indefenſum. *cap.*7.

De

De eo qui mittitur in poſſeſsionem rei ſeruandæ cauſa. *Tit.* 15.

OB dolum, aut contumaciam frequenter fit miſſio in poſſeſsionẽ rei ſeruandæ cauſa. Ideo conſequenter ponitur de eo qui mittitur in poſſeſsionem rei ſeruandæ cauſa. Quando verò agitur de Eccleſiaſtico beneficio, vel dignitate, ſeu perſonatu, ob rei contumaciam non fit miſsio in poſſeſsionem, ſed ad ſententiam lite non conteſtata proceditur, quia mora videtur periculoſa. *cap. vnic. in ſexto.* Miſſus autem in poſſeſſionem ex primo decreto in reali, per lapſum anni veram illius rei poſſeſsionem acquirit. Et paſſò miſsionem, ſi intra annum cautionem iudicibus, vel alteri eorum, alijs abſentibus obtulerit; etſi per eos recepta non fuerit, non currit præſcriptio: vel ſi paſſus, probet ſe contumacem non fuiſſe, reſtituitur, præſtita prius de expenſis cautione. Contra abſentem quoque, nullo relicto procuratore, fit miſsio. In ſpiritualibus fit præſcriptio. qui enim ſe Eccleſiæ prælatum dicit, non prodeſt probare præſcriptionem, ſed vt oſtendat libellum ordinationis ſuæ oportet. *cap. legum. 2. q. 1.* Et licet Alex. iij. in *cap. curia. infra de iure patron.* ſcribat Eccleſiam poſſe præſcribi, intelligendum eſt de proprietate, non æque de prælatura. ita quoque primi huius tituli loci accipiendi ſunt.

Vt lite pendente nihil innouetur. *Tit.* 16.

HIC titulus mihi videtur communis omnium iudiciorum, de quibus ſupra eſt actum. Porrò lite pendente, nihil eſt innouandum in alterius præiudicium, neque priuilegia, ſeu indulta à Principe obtenta, nulla facta litis pendentis intentione, vllius eſſent roboris. *cap. 1.* quia lis decidenda eſt ſecundum iuris exiſtentia tempore controuerſiæ, non autem ſecundum priuilegia pendente lite impetrata. *cap. vlt.* neque pendente lite de adulterio, ſtatim fieri debet thori ſeparatio. neque res, qua de agitur in iudicio, in extraneum poterit alienari. *cap. 2. & 3.* quod ſi auſus fuerit, priuatur, & in petitorem transfertur. Monemur quoque in *clem. 1. eod.* quòd ſi duo litigantes ſuper beneficio, mortem obierint, ſiue vterque in Romana curia, ſiue is ſolus, qui poſsidet, collatio huiuſmodi beneficij ad Rom. Pontificem ſpectat: ſin verò extra curiam, ad ordinarium. Lis autem pendere dicitur, cùm citatio legitimè peruenit ad partem, vel per eam ſtetit, quo minus peruenire. *clem. 2. eod.* proprie tamen non dicitur lis pendere, niſi facta conteſtata. ſed per ſolam citationem non conteſtatur lis, ſed per aſſertionem actoris, & negationem rei coram iudice, vt ſuo loco fuſius eſt dictum.

De ſequeſtratione poſſeſsionum, & fructuum. *Tit.* 17.

PROPOSITO titulo generali, vt pendente lite nihil innouetur, cõſequenter quærit, num pendente lite fieri poſsit ſequeſtratio. Sequeſtratio eſt rei, qua de agitur, apud aliquem ex partium conſenſu, vel à iudice facta depoſitio. Hinc appellatur ſequeſter is, penes quem plures rem eandem, de qua eſt cõtrouerſia, depoſuerint. *l. ſequitur. ff. de verborum ſignific. l. licet. ff. depoſit.* Miſſus igitur in poſſeſſionem cauſa cuſtodiæ fructuum, ſi diſsipet, reuocantur diſsipati, & cum alijs ſequeſtrantur. atque ſi reus poſſeſſor à ſententia contra eum lata appellauerit, rei petitæ fructus ſi diſsipet, licitè ſequeſtrantur. *cap. vlt.* Sequeſtrantur etiam fructus, licet poſſeſſor illis non abutatur, & conuertat in alios vſus, quàm fecerit, antequam appellaretur; quando, ſcilicet, adeſſet difficultas exactionis contra illum in euentum ſuccumbentiæ. Ita tenuit Rota *deciſ. 13. par. 2. diuerſ.* Et quamuis Puteus *deciſ. 164. lib. 2.* dicat fuiſſe deciſum, ſequeſtrandos non eſſe fructus, niſi probaretur poſſeſſorem aburi fructibus, conuertendo illos in alios vſus, quam feciſſet prius in prima coſtantia, vel antequam lis moueretur: fuit tamen illa deciſio ibi limitata, niſi alia cauſa probaretur: cauſa autem eſt potiſsima: ſi adſit nimia ex actionis difficultas. *d. deciſ. 13. ad finem.* Sed ſequeſtrata poſſeſsio, oblata cautione, reuocatur. *cap. 1.* vel ſi ſuper beneficio, ſiue dignitate, ſiue perſonatu, ſiue curam habenti animarum contra ipſius poſſeſſorem, qui triennio non poſſedit, in petitorio, vel poſſeſſorio vna definitiua fertur in curia, etiam ſi nulla fore dicatur: ipſius beneficij ſequeſtratio per loci ordinarium fieri debet, quam impediens, vel ſequeſtratos fructus occupans excõmunicatus eſt: & ſi eſt ex litigatoribus, cadit à iure ſuo. *clem. vnic. eod.*

De confeſsis. *Tit.* 18.

POST multas iudiciorum partes, ad alias tranſit, quę in iudicio ad modum ſunt neceſſariæ, vti ſunt probationes. & vt à probandi anguſtijs releuentur partes, proponitur primum de confeſsis. Cùm quis etenim in iure palam ſua ſponte eſt confeſſus; non eſt

opus

opus alia probatione. Confeſſionem enim Quintilianus *Declamat.* 314. ait accipiendam quamlemcumque contra ſe pronunciationem. Nam ſi aliorum ſuggeſtione ſcelus ſe aliquis perpetraſſe dixerit, ob ſolam eius confeſſionem non eſt illi infligenda pœna; excepto læſæ maieſtatis crimine. *cap.* 1. Poſitiones autem negatiuas, quę aliter probari nequeunt, atque per confeſſionem aduerſarij, iudices admittere poſſunt, ſi æquitate ſuadente viderint expedire. *cap.* 1. *eod in* 6. Et reus, ſi iuſſus poſitionibus reſpondere recuſat, vel ſi contumax fuerit, habetur pro confeſſo: non item ſi prius, quàm ſic iuſſus eſt, contumax fuerit. *cap.* 2. *in ſexto.* Agitur quoque hic de confeſſione per œconomum Eccleſiæ facta, quæ profecto ipſi nocet Eccleſiæ, niſi finito nondum negocio docuerit confeſſionem per errorem facti emanaſſe. *cap. vlt.* Fit & mentio eius, qui ſimoniacæ prauitatis mediator fuit, qui, ſi in iudicio hoc deteſtabile crimen confeſſus fuerit, ab omni beneficio, atque officio eſt deponendus. & collationem hoc vitio laborantem irritam eſſe conſtat ex *cap. cùm ſuper. ſupra. de cauſ. poſſeſſ. & prop.* quod coniungi debet cum *cap.* 2. *huius tit.*

De probationibus. *Tit.* 19.

EST & hic titulus communis omnium iudiciorum, de quibus iam mentio facta eſt, quoniam nulla ſunt iudicia, niſi iudici, quod intendis, probes. quod vtique fit etiam actis in alio auditorio factis. *cap. vlt. infr.* ſiue teſtimonijs, teſtibus, inſtrumentis, præſumptionibus, iureiurando. Vnde dicere poſſumus, quòd probatio, ſit rei dubiæ, per acta, vel teſtimonia, teſtes, inſtrumenta, præſumptiones, iuſiurandum, oſtenſio. atque hoc titulo explicatur varijs modis, cui incumbat probandi onus, reo, an actori, an vtrique. Si vterque pariter probat, abſoluitur reus. *cap.* 3. ſi in interdicto retinendæ poſſeſsionis, obtinet is, qui antiquiorem probat poſſeſsionem maxime titulo vallatã. *cap.* 9. Quæ autem eſſe debeat in iudicio finium regundorum probatio, quæ in muliere à viro non cognita, quæ nec cognoſci poteſt, ob impedimẽta, quibus matrimonium contrahi prohibetur, in minore, in matronis, per quas virginitas probatur, & huiuſmodi alijs, hoc titulo comprehenditur. Fines verò diœceſium probantur libris antiquis, adminiculis, teſtibus, & fama. *cap.* 13. Sed quæſtio eſt, num reus cogatur actori ſua propria edere inſtrumenta. Et non cogi ſanxit Gregorius in *cap.* 1. niſi eſſent communia, vt in *cap. G. perpetuus. infra. de fid. inſtr.* Vel fiſco, cùm ei ſubtracta ſint. *l.* 2. §. *quin. ei. ff. de iure fiſci.* Neque actor, qui plene probauit, iurare compellitur. *cap.* 2. Loquitur etiam hic titulus de eo, qui ex litteris ordinarij probatur excõmunicatus, quique à procuratoris officio expellitur. *cap.* 7. ac de eo; quippe qui rogatus fuit, ſi ſine liberis diſceſſerit, reſtituere hæreditatem, ingreſſuſq; fuit monaſterium; ob quam ingreſsionem euaneſcit fideicommiſſum, & hæreditas monaſterio applicatur. nec ſufficit probare minorem ingreſſum, ſi bis ingreſſus eſt; & maior ſecundo eſſe potuit. *cap.* 8. Monemur & illud, quòd iudex debet habere notarium, alioſque idoneos viros, qui ſcribant acta iudicij; aliàs ſi quid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem punietur. *cap.* 11.

De teſtibus, & atteſtationibus. *Tit.* 20.

HIC titulus duas continet probationis ſpecies; altera deſumitur ex teſtibus, altera ex atteſtationibus. Differentiam eſſe inter teſtimonia, & teſtes ſuperiori titulo quodammodo monuimus. Teſtimonia enim abſentium teſtium dicta, teſtationes ſcriptis cõprehenſas ſignificant; & à teſtibus ſeparantur. *l.* 3. §. *idem Diuus. ff. eod. l.* 1. *ff. de fid. inſtr.* Teſtes ſunt præſentes. Vnde merito Diuus Adrianus reſcripſit ſe magis teſtibus, quàm teſtimonijs crediturum. *d.* §. *idem Diuus.* Qui verò teſtes eſſe poſſint, hoc exequitur titulo. Siquidem teſtes ad dictionem teſtimonij pretio conduci minus debent. Quinimmo quoſcumque idoneos, & fideles adſumendos eſſe; ac nullum, niſi ieiunum dicere teſtimonium poſſe, iam olim fuit in Concilio Macien. conſtitutum. *cap.* 1. *hoc tit.* quod tamen vſu non fuit receptum, vt in vtriuſque iuris foro videri fas eſt. Sed, an mulier propter magnam eius ſexus fragilitatem, & conſilij infirmitatem, ſufficiens perhibere poſsit in iudicio teſtimonium, dubitatio eſt. Veterum tamen iuriſconſultorum ſententia eſt, mulierem in iudicio teſtem eſſe poſſe, argumento *l. Iulia. ff. ad leg. Iul. de adult. l. ex eo quod prohibet. ff. eod.* etiam contra clericum, ſi de crimine agitur. *cap.* 3. *hoc tit.* adeo meretrix, & quilibet criminoſi, ſi de ſimonia iudicium eſt. *c. tanta. infr. de ſimon.* Oportet autem eum, à quo teſtimonium deſideratur, omni affectione, ac perturbatione vacuum eſſe; aliàs idoneus teſtis non habebitur. Hinc illud per manus traditum eſt, neminem in cauſa propria idoneum teſtem eſſe poſſe. *l. nullus. ff. eod. l. omnibus. C. eod.* Natura etenim comparatum eſt, vt homines ament ſe, & ſua. Vnde fit, vt nemo teſtis admittatur in cauſa propria. Cauſam propriam exiſtimamus illam, ex qua commodũ quis, aut incommodum conſequitur. *l.* 1. §. *in propria. ff. quand. appell. fit.* Et ex his pendet

quæſtio

quæſtio illa, num ſinguli, ex quibus coaleſcit vniuerſitas, de cauſa eiuſdem vniuerſitatis, vel alicuius corporis idonei teſtes ſint? & vulgo receptum eſt, idoneum teſtem eſſe in cauſa vniuerſitatis, niſi ex ea cauſa ad eius commodum, aut incommodum pertineat. Cauſa vniuerſitatis non videtur cauſa ſingulorum; ex omnibus enim vniuerſitas conſtat. *l. in tantum. §. vniuerſitatis. ff. de ver. diuiſ.* Aliud ergo eſt rem eſſe vniuerſitatis, aliud rem eſſe ſingulorum. Verumtamen eſſet videndum, an etiam cauſa, quæ nomine vniuerſitatis mota eſt, ad ſingulorum ſpectet vtilitatem. Et hoc caſu communis interpretum videtur eſſe ſententia, cauſam eſſe ſingulorum, & ſingulos à teſtimonio repelli; ex eo quod diximus, eos repelli, ad quos nomine ſuo res quoquo modo peruenit. At hæc diſtinctio vulgo recepta, mihi non ſatis probatur, ſi res illæ, quibus ſinguli vruntur, poſſunt ad vniuerſitatem reduci, ita vt ſingulorum amplius nõ ſint, vti ſunt paſcua, nemora, & huiuſmodi alia, quæ vti plerumque ſterilia, dantur ad tempus colenda, & fruenda, ad vniuerſitatem quandoque reditura. Aliter in cauſis Eccleſiaſticis. namque Eugenius iij. & Alexander iij. *hic in cap. 6. & 12.* ſanxere, Prælatos, & clericos in cauſa ſuarum Eccleſiarum idoneos teſtes eſſe; ſi aliter res nequit probari. *cap. etſi Chriſtus; in fine infra de iureiuran.* Sed maior eſt hæſitatio de eo, qui ſolus eſt in Eccleſia, de cuius cauſa aditus eſt iudex; an, inquam, idoneus ſit teſtis. Ego arbitror addendam eſſe diſtinctionem; quod aut prælatus ſolus conſtituit procuratorem, aut Eccleſia habet œconomum generalem auctoritate ſuperioris conſtitutum, vel agit Epiſcopus. Hoc caſu ille teſtis eſſe poteſt; & duplici ratione: tum quia prælatus Eccleſiæ ſuæ dominus nõ eſt, ſed vſusfructuarius; & ob id in cauſa propria teſtis eſſe non dicitur: tum quia non præſumitur velle peierare alterius, vel minimo cõmodo. cum labia ſacerdotis cuſtodiant ſcientiã, hoc eſt veritatem: non æque illo caſu, cùm duplici fungi non poſſit officio, principalis, & teſtis, argumento *l. ille à quo. §. penult. ff. ad S. C. Trebell.* In criminalibus autem cauſis, ſinguli, ex quibus conſiſtit vniuerſitas, pro ea idonei teſtes non ſunt. *cap. ſuper prudentia. 14. q. 2.* Ita etiam inimici, ſed capitales, à dicendo teſtimonio repelluntur. *cap. licet Heli. cum ſeq. infra de ſimon. l. ſi quis teſtibus. C. eod. cap. accuſatores. 3. q. 5.* Non igitur propter quaſcumque inimicitias quis à teſtimonio dicendo repellitur; ſed tales inimicitiæ ſint oportet, ob quas veriſimile eſt quem peieratum ire. nam cuiuſque odij ratio hac in re non habetur. *§. ſi vero dicatur. verſ. ſi quis vero. authent. de teſtib.* argumento eſt etiã *l. licet. ff. de arbit. l. 3. in fine. ff. de adm. leg. §. ini-*

micitiæ. inſtit. de excuſ. tut. Videtur tamen in tribunalibus receptum, ac vſu pene conſtitutum, vt non ſolum propter capitales, ſeu criminales inimicitias, verum etiam propter ciuiles quis prohibeatur, ne teſtimonium dicat. quare concludendum eſſet inimicum perpetuo eſſe à teſtimonio remouendum, niſi leues omnino ſint, & modicæ inimicitiæ. An idem iuris ſit de amico, quod de inimico? vt ſi ob graues inimicitias expellitur teſtis à teſtimonio, quia capitalis inimicus eſt eius, contra quem producitur: eadem certe ratio ſuadet, vt ſi quis ſit coniunctus non vulgari quidem amicitia ei à quo producitur, dicendum ſit eum non eſſe idoneum teſtem. *d. l. 3. cap. repelluntur: infra de accuſat. can. accuſatores. 3. q. 5. & cap. 24. hoc tit.* Exiſtimo itaque ſi magna ſit aliqua, & ſingularis amicitia, iuſtam eſſe cauſam interdicendi teſtimonij. Hæc etenim amicitia coniũctioni ſanguinis exæquatur: & hæc non leui notitia contrahitur. quòd ſi leui notitia inita eſt amicitia, non reuocat à teſtimonio, vt in *l. latæ culpæ. §. amicos. ff. de verbor. ſignific.* ſic & ſuſpecti omnes, vti familiares, de domo prodeuntes, conſanguinei, & eiuſdem generis alij. *d. cap. accuſatores.* Item ſimili morbo laborantes. *cap. 20.* Item aduocati, & procuratores principalis cauſæ, in cauſa appellationis. *cap. vlt. eod. in ſexto.* Item infames omnes. *cap. 7.* ſi verò de crimine ſunt emendati, & eos infamia non comitatur, non ſunt in cauſa ciuili; vel etiam cùm de crimine ciuiliter agitur, niſi pro reatu periurij, repellendi. *c. 54.* agitur de crimine ciuiliter; vt cùm quis (& hoc erit exempli cauſa) aduerſus furem actione furti agit, non ad publicam vindictam, vt puniatur, ſed ad priuatum commodum, vt id, quod furto ſibi ſubtractum eſt, reſtituatur; & tunc actorem ſe ſubſcribere haud oportet. *lege vltima. ff. de priuat. delict. & lege vltima. ff. de furt.* Alij, qui à teſtimonio excludi non poſſunt, in ius vocati examinandi ſunt iudice coram. *dicto cap. 7.* niſi valetudinarij ſint, vel ſenes, vel debilitate confecti, aut ita paupertate depreſſi, vt ad iucicem non queant adduci. tunc iudex ad hos recipiendos teſtes debet idoneas, & diſcretas mittere perſonas. *cap. 8.* Et qui ad dicendum teſtimonium vocatus in ius eſt, & ſi ſe non dicturum iurauit, compelletur tamen. *cap. 18.* & puniendi ſunt, qui eos impediunt. *cap. 37.* adeoque excommunicandi. *cap. 45.* qui cùm venerit, diligenter, ſigillatimq. examinandus eſt, etiam ſi agitur de vita, & miraculis alicuius canonizandi. *cap. 52.* Sed quomodo interrogabuntur? Ratio interrogandi illa eſt, vt ab eis primum exigatur iuſiurandum de veritate dicenda. *l. iuſiurandi. C. eod.* etiam ſi religioſi ſint. *cap. 51. hoc tit.* tametſi iure noſtro

conſtitutum ſit, hoc iuſiurandum poſſe à parte aduerſa remitti. *cap.* 39. Sed ſcio dubitatum fuiſſe, an præcedere debeat iuſiurandum teſtimonij dictionem. Fuit quoque receptum, etſi ſequatur, valere: quod conuenire videtur Athenienſium inſtituto; quippe qui poſt dictionem teſtimonij ad aras teſtes producebant; vt iurejurando, quod dixerunt, confirmarent. cuius moris meminit Cicero *in orat. pro Balb.* Ipſe tamen in ea fum ſententia, vt exiſtimem fore vtilius, ac cautius, ſi prius exigetur iuſiurandum, quàm dicatur teſtimonium, ne teſtis retractet, quod dixit. Forma iuriſiurandi eſt, vt iurent ad ferendum teſtimonium in ipſa cauſa non odio, amore, timore, vel commodo proceſſiſſe. *cap.* 5. & *cap.* 47. Teſtis interrogari debet parte aduerſa vocata. ſi venire contemnit, valet teſtimonium, ac ſi pars eſſet præſens. *cap.* 2. & *l. ſi quando. C. eod.* Interrogatus teſtis teſtificari debet, quod ſcit, quodque ipſe vidit, vel alio corporeo ſenſu percepit, ita vt nobis conſtet ei compertum eſſe id, de quo teſtimonium dat. Hoc dicitur communiter receptum, licet id aperti iuris non ſit, niſi argumento *l. teſtium. ver, ſub præſentia ſua. C. eod.* & *cap. teſtes. 3. q. 9.* Attamen teſtificari de auditu videtur eſſe contra communem iuris formam, vti loquitur Innocentius Tertius, in *cap.* 47. quod intelligo de alieno auditu; ſi verò ipſe ſe audiuiſſe dixerit, videre tamen non potuiſſe; puto valere teſtimonium. Siquidem illud non eſt dicere ſe arbitrari, ſed ſcire. Cui regulæ additur exceptio in matrimonialibus cauſis, in quibus teſtes poſſunt deponere ita à maioribus ſuis accepiſſe, & credere ſic eſſe. *d. cap.* 47. Sed iſta exceptio aliam patitur exceptionem. Teſtimonium de auditu admittitur dumtaxat, cùm de conſanguinitate agitur, & affinitate; non item ſi de alijs impedimentis, quamuis cauſa ſit matrimonialis. Id fuit permiſſum propter impoſſibilitatem probandi teſtimonium de viſu: quia cùm ætas hominum breuis admodum ſit: omnes conſanguinitatis, & affinitatis gradus haud probari queunt viſu. quod ceſſat in alijs impedimentis, vt eſt affinitas ſpiritualis, & huiuſmodi alia. Inſcribitur hic titulus de teſtibus, non de teſte, quoniam vnus non ſufficit teſtis, etiam ſi præclaræ curiæ honore præfulgeat, vt ait Conſtantinus in *d. l. iuriſiurandi. in fine*. vel præſidiali refulgeat dignitate, vt ait ſummus Pontifex in *d. cap.* 47. nec vlla diuina, humanaq. lex vnius teſtimonio, etiam idoneo, quempiam condemnat, vel iuſtificat: vt ſcribit Stephanus Papa V. in *cap. admonere.* 33. *quæſt.* 2. ſed deſiderantur duo, vel tres, pluresve; quia licet quædam ſint cauſæ, quæ pluſquam duos exigunt teſtes, nulla tamen eſt cauſa, quæ vnius teſtimonio terminetur. *cap.* 23. niſi ageretur ad correctionem de peccato impediendo: tunc vnus ſatis eſſet, ita nihilominus, ſi principalis perſona etiam teſtimonium perhibeat. quo caſu poſſe in teſtem admitti tacitum fuit in *cap.* 4. Productio teſtium bis, terque fit, non æque quater, niſi cum ſolemnitate legali. *cap.* 15. *& penult. & authen. qui ſemel. C. de probat.* Donec autem fuerint publicatæ atteſtationes, ac eis renunciatum, produci poſſunt teſtes; poſtea non ſuper eodem articulo. *cap.* 25. & *clement. vlt. eod.* niſi qui prius fuerunt producti in iudicio. *c.* 44. Et aduerſarius, publicatis atteſtationibus, admittitur ad probandum contrarium, ſi ante publicationem ſuper hac probatione contraria inſtitui non valuit. *cap.* 35. *cum ſeq.* Vel ſi obſcure depoſuerint teſtes, iterum examinantur. *c.* 53. Quòd ſi actoris, & rei teſtes contraria deponunt, prævalent digniores, & verisimiliora deponentes, *cap.* 32. Receptæ in ſummario atteſtationes fidem non faciunt in plenario iudicio. *cap.* 38. Secus receptæ per arbitrium, ſi teſtes mortui ſunt: ſi viuunt, eſt in optione illius, aduerſus quem teſtes producti ſunt, an velit atteſtationes recipere, an teſtes de nouo deponere. *cap.* 50. Sunt & alia multa ad hunc titulum perquam pertinentia: ſed alibi ſparſim tacta ſunt. hic ſatis erunt iſta.

De Teſtibus cogendis, vel non. *Tit.* 21.

SI teſtes admoniti, ſponte in iudicium venire odio, vel gratia, timore, commodoue, aut amore partis aduerſæ recuſauerint, vel ſe ſubtraxerint: officio iudicis compelluntur; & non modo in ciuili cauſa, verùm etiam in conſanguinitate probanda. *cap.* 6. & in criminali. *cap.* 3. 4. & 9. ſi res aliter probari non poteſt. *cap.* 5. Item coniurationis ſocij ad veritatem detegendam. *cap. vlt.* Et non tantum teſtes, qui ſe ſubtraxerint, excommunicationis ſententia feriuntur. *cap.* 2. ſed etiam ij qui eos impediunt, ne teſtimonium perhibeant. *cap. cùm cauſam. ſupra tit.* 1.

Neque tenet iuſiurandum, quo quis adſtrictus fuit, ne teſtimonium proferret. *cap. intimauit. cap. conſtitutis. ſupra titulo* 1.

De

De fide Inſtrumentorum *Tit. 22.*

TItvlis de probationibus adiũgitur probatio inſtrumentorum. Inſtrumenti appellatio generalis eſt: nam & teſtimonia, & perſonæ eo nomine comprehendũtur. *l. 1. ff. eod. l. notionem. §. inſtrumentorum. ff. de verbor. ſignific. cap. peruenit. ſup. de teſtib. cog. vel non.* Siquidem non minus inſtruunt cauſam, vel reum, vel iudicem teſtes, quàm ſcripturæ. quia quod deeſt inſtrumento, vel eius falſitas, per teſtes poteſt probari. *cap.* 10. Horum etiam nomine veniunt reſcripta Apoſtolica. *cap.* 3. & *cap.* 9. Item priuilegia. *cap.* 4. & 5. Item decretales literæ. *cap.* 8. & aliæ ſcripturæ. *cap.* 7. & *cap.* 13. hæc enim omnia rem eſſe, vel non eſſe docent. Inſtrumenta ab inſtruendo appellantur: cuius rei cognitionem indicat Gaius in *l. argentarius.* 1. *ff. de eden.* ijs verbis; *Ea ſola pars rationum, quæ ad inſtruendum aliquem pertinet, inſpiciatur, & deſcribatur.* Vt autem inſtrumentis habeamus fidem, debent eſſe authentica, *cap.* 1. Authentica non vtique ſunt, ſi teſtes deceſſerint, niſi ſigillum habeant authenticum, vel à notario confecta. *cap.* 2. vel ſi eorum litteræ nequeant legi, vel corraſæ, vel deletæ ſint, vel enormem patiantur fracturam. *cap.* 6. Verùm ſi dubitatur, an authentica ſint, tunc ſecundum illa iudicatur, ita ſi iuri conſona ſunt; ſi diſſona, conſulitur Romanus Pontifex. *cap.* 8. Sed dubitatio eſt, num defectus litteræ viciet reſcriptum, ſeu inſtrumentum. Et receptum eſt non vitiare. *cap.* 9. Neque propter raſuram, niſi in loco ſuſpecto fit. *cap.* 3. Fuit quoque receptum, inſtrumentum per tabellionem auctoritate ordinarij exemplatum eandem cum originali vim habere. Ac mortuis tabellionibus notario ordinarij, adhibito conſenſu, notas in publicam formam redigere permittitur. *cap.* 15. Habetur & hoc titulo, quòd inſtrumenta, ſeu priuilegia, quibus quis iudice coram vtitur, aduerſario legi debent. Quòd ſi vnius clauſulæ quæſtio eſt, illa dumtaxat parti editur. *cap.* 5. Si communia, iudex debet cogere, vt edant; aliàs ab eo licite appellatur. *cap.* 12. Si falſum eſſe hæſitatur, iudicem oportet illud coram ſe, & paucis alijs, loco congruo, & ſecuro facere exhibere; interim ſententiæ latæ per illud ſtabitur. *cap.* 4. Si contrarias inuicem ſcripturas quis produxerit, neutra faciet fidem. *cap.* 13. Monemur & illud, quòd ſi in inſtrumento debiti exprimitur cauſa, condemnatur debitor, improbet indebitum. ſi non exprimitur, neceſſe eſt creditorem probare id fore indebitum. *cap.* 14. ſin autem, doli mali exceptione ſubmouebitur. *l.* 2. *§. circa. ff. de dol. mal. excep.*

De præſumptionibus. *Tit. 23.*

HAec eſt alia probationis ſpecies, deſtitutus enim iudex, actor, atque reus illis adminiculis, de quibus ſupra eſt dictum, ad præſumptiones recurrit: & ſi præſumptio vere probationis nomine minus intelligatur, neque iuſiurandum: neutrum ſiquidem probat neceſſario, licet probationis vim vtrumque obtineat interdum. *l. ſi duo. in princ. & l. eum qui. ff. de iureiuran.* Hinc videmus in Parabolis, Salomonem ex violenta præſumptione ſententiam protuliſſe. Ex violenta quoque præſumptione recte probatur carnis copula; atque ex vicinitate facti notitia; ex diuturna cohabitatione, fama, contractibus, & inſtrumentis matrimonium; ex præteritis futura, ex continentia in iuuentute, & in ſenectute; ex litteris, ſi idoneus fuerit, idoneus præſumitur; ob ſolam tamen præſumptionem noluit Innocentius iij. quem de graui crimine, hoc eſt hæreſis, condemnari.

De Iureiurando. *Tit. 24.*

VLtima hæc eſt probationis ſpecies: nam iuramentũ, vt ait Apoſtolus ad *Hebr. 6. eſt omnis controuerſiæ finis*; & Gaius in *l. 1. ff. eod. Maximum remedium expediendarum litium in vſum venit iuriſiurandi religio: quo extremum lites haberent.* Et eſt iuſiurandum, vt Cicero *offic.* 3. definit, *affirmatio religioſa.* quod ſane per ſe malum non eſt, teſte Innocentio Tertio, *hic in cap.* 26. cum ſit confirmatio veritatis. quod ſi malum eſſet, nec Dominus iuraſſet, cùm in veteri teſtamento legatur. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, Pſal.* 109. tum præcepit, *Redde Domino iuramenta tua. Matth.* 5. prohibetur tamen. Quædam enim prohibentur, quia per ſe mala ſunt, quæ ratione vlla nunquam fieri poſſunt, vti furtum, adulterium, homicidium, & alia ſexcenta. Quædam prohibentur ex cauſa, non ex eo quòd mala ſint, ſed quia, ex ijs, ſi frequenter fierent, ſequerentur mala. Vinum per ſe malũ non eſt: prohibet tamẽ Apoſt. *ad Epheſ.* 5. quoniã ex frequẽti, & immode rata potione vini luxuria generatur, iuxta illud,

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Vbi verò neceſſitas exigit, pro re vera, licita, & honeſta poteſt iurari: tunc etenim iuramentum videtur tres illos comites habere, de quibus *Hier. 4. Iurabunt, Viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iuſtitia.* Namque Paulus, Timotheo eius diſcipulo, ob neceſſitatem, ſtomachi, inquam, debilitatem, & frequentes infirmitates permiſit vti modico vino. Prohibetur igitur

iuſiurandum ex cauſa, quia ex frequenti, & incauta iuratione periurium ſæpe contingit. Sicuti ſors, quæ licet mali aliquid non ſit, vti Auguſtinus in *cap. ſors. 26. q. 2.* interdicitur tamen fidelibus, ne ſub ſpecie diuinationis, ad antiquos Idololatriæ cultus redirent. Quod autem legitur apud *Matth. loco citato. Sit ſermo veſter Eſt, eſt, Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*: mihi videtur recte dixiſſe Ioannes Gagneius Pariſinus Theologus ibi in ſcholis: non id ſignificare malum eſſe iuramentum ex ſe, ſed quòd occaſionem ex ſe habuit à malo, hominũ ſcilicet à ſe diffidentia. Per creaturam iurare omnino vetitum eſt, non æque per Creatorem, per creaturam, ne quod honoris Deo Creatori tribuendum eſt, ad creaturam transferatur; hoc eſt neque per cælum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neque per caput tuum. ibidem apud Matth. Scire autem expedit, per creaturas iurare, duplici modo contingere: vno quãdo conſtituitur in illis iuramenti finis, & exhibetur eis reuerentia, quæ ipſi Deo debetur: quæ ſpecies eſt idololatriæ, & blaſphemiæ, licet veritas iuratione ſubſiſtat: & hoc modo intelligi poteſt Matthæus. Altero modo iuratur per creaturas, referẽdo eas in Creatorem; cuius numen, & maieſtas in illis relucet: ſeu qua ex parte ab ipſo omnipotente Deo creaturę ſunt creatæ: quo caſu licitum eſt per creaturas iurare eo modo, quo per Deum ipſum. quod teſtantur S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 6.* Abbas *ad cap. etſi Chriſtus. hoc tit.* Selua *in tract. de iureiur. part. 1. q. vlt.* Didacus *ad cap. quamuis de pact. lib. 6. in princ.* §. 1. *num.* 5. quo quidem ſenſu accipi poſſunt ij omnes loci, quibus probatur licitum eſſe per creaturas iurare. Geneſ. *cap. 42.* apparet Ioſephum per ſalutem Pharaonis iuraſſe. Frequenter & apud nos iuratur per Euangelium, & per Crucẽ. *can. qui periurat. 22. q. 5. can. ſi aliqua. 22. q. 1. cap. ego N. hoc tit.* Per Euangelium iuratur perinde, atque per Deum, cuius veritas in ipſo Euangelio continetur. Per Crucem, per Deum ipſum iuratur: qui in ligno Crucis pro redemptione humani generis mortem paſſus eſt. Illud vero iuſiurandum, quod fit per ſalutem Principis, vt in *d. cap. 42. Geneſ.* & in *l. ſi duo. ff. de iureiur.* vide. tur potius in vim *execrationis* aſſumi. quaſi per creaturam iuretur; vt in ea iudicium diuinum exerceatur, & eius ſalus Deo obligetur. quemadmodum fit; cum quis per propriam vitam, per filium ſuum, per vxorem, per patrẽ, per aliamvè creaturam admodum dilectam iurat. Interdum ſalus Principis in vim iuramenti intelligi poteſt adducta ad teſtimonium: vt tandem per Deum iuſiurãdum eſſe præſtitum intelligatur, cuius iudicio maxime vera Principis ſalus exiſtit, & ſubmittitur: vel (vt ait idem B. Thomas *in d. art. 6.* iuratur per veritatẽ diuinæ iuſtitiæ, ad cuius executionem Principes terræ conſtituuntur. Quod autem ſcribitur in *can. ſi quis per capillum. 22. q. 1.* non eſſe per Chriſti membra iurandum: quia blaſphemia eſt: mihi videtur rectiſſime dixiſſe Didacus *loco cit. nu. 6.* poſt Hugonem de Sancto Victore, ſcilicet, vt intelligamus, blaſphemiam eſſe iurare per pudẽda Chriſti, aut Virginis Mariæ membra: quæ licet in Chriſto reuera ſint ſicut in quouis alio integro, & vero homine, adeo vt illa nominantes minime mentiãtur: attamen qui in Chriſti ignominiam, & vituperium ea nominant, vere blaſphemi ſunt, grauiſſimisque digni pœnis, vt in *d. can. ſi quis per capillum.* & in *Auth. vt non luxurientur homines contra naturã.* Quod ergo adfirmate, quaſi Deo teſte, promittitur, atque per creaturam. *d. cap. 26. in princ.* id proculdubio eſt obſeruandum, niſi turpitudinem contineat, vel per vim extortum ſit, vel alijs auxilium non præſtare, clauſtro renunciare, in ſuperioris præiudicium, vſuras non repetere, coniuges à thoro & mutua cohabitatione ſe ſeparare, cum certa muliere contrahere, & ſuperuenerit fornicatio, ſiue deformitas; non accuſare vxorem, contra vtilitatem Eccleſiæ, aut contra aliquem non eſſe, in cauſis proprijs, & Eccleſiæ ſuæ: non obſtante iuramento, contra idem venire poterit. Item qui dignitatis ſuæ bona alienauerit, adhibito etiam iureiurando, impune poterit reuocare, & in alijs plerĩſque caſibus, in quibus licet iuratum ſit à contrahentibus, eos nihilominus Eccleſia ſolet abſoluere. In hoc enim procedit plane quod vulgo dici ſolet, In quolibet iuramento cenſeri exceptam fuiſſe ſuperioris auctoritatem. *cap. venientes. hoc tit.* & *l. vlt. ff. ad municip.* Cuius rei præclarum extat exemplum apud Suetonium *in Tiberio. cap. 31.* Et quod dicimus, in quoque iuramento exceptam intelligi ſuperioris auctoritatem, aliter, atque vulgo putarunt, accipiendum eſt. Namque iuramentum omne vel in Deum dirigitur, vel in hominem. Hoc ab homine relaxari poteſt, illud à ſuperiore, vel Deo ſolo. Præſtitum Deo iuramentum dicitur, quoties is, qui iurat, directe, ac principaliter Deo placere vult. Si autem temporale hominis commodum reſpicit, tum homini præſtitum dicitur. & quanquam Alexander Tertius ſcribit *in cap. debitores. hoc tit.* iuramentum omne Domino reddere oportere; quaſi dicat iuramentum omne in Deum dirigi: quod verum eſt, cùm obligatio primùm Deo adquiratur: tamen cùm hominis vtilitatem reſpicit, remittente homine, cui iuratum eſt, & Deus remittit, vti Innocent. & Abbas diſerte adnotarunt *in cap. 2. inf. de ſponſ. & matrim.* Præter eum tamen, in cuius fauorem, & commodum præſtitum eſt iuramentum,

hoc

hoc nemo ius remittendi habet; ne Romanæ quidem Eccleſiæ Princeps; qui licet poſſit iuramenti vinculum, ac obligationem remittere, aut tollere penitus, aut commutare: dicendum eſt poſſe ratione materiæ, quæ ad eius liberam diſpenſationem attinet. In materia verò minus pertinenti ad liberam eius diſpenſationem, nequit diſpenſare. *cap.* 1. *hoc tit.* D. Thomas. 2. 2. *q.* 86. *art.* 9. ac ibi Reuerendiſſimus Caietanus: pro qua ſententia conueniunt omnes peritiores in *cap. quanto. hoc tit.* Itaque ſi iuramentum homini priuato in contractu aliquo, vel conuentione præſtitum fuerit, non poterit ſummus Pontifex eius vinculum per diſpenſationem remittere; niſi adſit cauſa, quæ iuſtã præbeat iuramenti remiſſionem; vt ſi quis iurauerit ſe non repetiturum vſuras, vt in *d. cap. debitores*: tunc licet in alterius fauorem iuratũ ſit, ſummus Eccleſiæ Præſul poterit remittere iuramenti vinculum: ſed nõ ſimpliciter remittetur obligatio illa, vt male Abbas in *d. cap. quanto.* exiſtimauit; ſed coget per cenſuram Eccleſiaſticam, partem, vt relaxet, vt in *d. cap.* 1. & *cap. ſignificauit. in fine infra de cenſib.* alioquin nulla colligeretur differentia inter hæc, & illa, quæ directe in Deum tendunt. Quòd ſi pars nullo modo induci poſſit ad relaxãdum: tunc libere Eccleſiaſticus iudex iurantem abſoluet, vt Innocen. ſcribit in *d. cap. debitores.* Eum tamen pœnitentiam agere oportet, quòd male iurauerit: *cap. cùm quidam. S. vlt. eod.* quoniam iuramentum in vim iuramenti obſeruandũ eſt, etiam ſi fiat eo modo, quo iure prohibitum eſt, vt in *cap. quamuis. de pact. in ſexto*, Doctores obſeruarunt. In ijs, quæ ad liberam Pontificis Rom. diſpenſationem ſpectant, ipſe omne omnino iuramenti vinculum valet exoluere, ſi ex iuſta, & rationabili cauſa moueatur. Nam diſpenſatio, ſiue abſolutio ab iuramento, nulla exiſtente cauſa, ex certa Principis ſcientia, eſt penitus iniqua. ac proinde cauendum eſt, ne quis temere opinetur, indiſtincte ſe immunem, ac tutum eſſe coram Deo de periurio contra ipſius Dei Maieſtatem commiſſo, per quamlibet Rom. Põtificis diſpenſationem: tametſi diſpenſatio quo ad pœnas legis humanæ aduerſus periuros ſanctas ſatis eſt valitura. etenim id remiſiſſe intelligitur, quod facere poteſt ex natura legis humanæ, quæ liberæ diſpoſitioni Principis ſubijcitur. *cap. ſicut quidam* 25. *q.* 1. Idem de alijs Eccleſiæ Prælatis intelligendum eſt: vt Epiſcopi etiam queant à iuramento abſolutionem dare, ratione publici officij. expedit enim ad vtilitatẽ reipub. quandoque in pœnam humanæ fœuitiæ, quæ cõtingit in iuramentis extortis ad ſolutionem vſurarum. *d. cap.* 1. & *cap. debitores.* iuramentum omne vel per vim extortum, vel quod eſt illicitum, turpeve, ab Epiſcopo remitti poteſt. *c. ſi verò.* 1. *c. verum. c. cum quidam. S. vlt. hoc tit.* & *d. c. ſignifi. cauit. de cenſib.* qui etiam inquirere poterit, num iuramentũ illicitum ſit, aut licitum; in ijs inquã, quæ ſunt minimæ æſtimationis: non item in ijs, quæ maximi ſunt momenti, vt in *cap. venerabilem. ſupra de elect.* quod ſcire multũ refert, quia ſi illicitum, valet remittere; ne pro re minima ſedem Apoſtolicam petere ſemper opus ſit. Illud verò iuramentũ, quod in hominẽ dirigi diximus, duplici quidem modo debet conſiderari. Altero quaſi ad ipſius prorſus vtilitatem pertineat, vt ſi iureiurando promittat ſe ei ſuas operas præſtiturum, aut ei pecuniam daturũ. ab hac promiſſione poteſt abſoluere ille, cui iuratũ eſt: quodãmodo ſolutum ſit, quod debitum erat. Altero, ſi quis Dei intuitu alicui aliquid promiſerit; vtpote ſi quis promiſit intraturum religionem, vel nobilis aliquis mulierculam in vxorem pietatis cauſa ducere, vel aliud pietatis opus facturum: tunc ille cui iureiurandi religione promittitur, ius non habet remittendi: cùm iuramentum in Deũ potius, quàm ad iſtius vtilitatẽ ſit præſtitũ. His autem iuramenti vinculis num quis ſe propria auctoritate poterit exoluere? Summum Pontificem ex ijs, quæ diximus in *tit. de elec.* ſatis conſtat ex iuſta cauſa ſibi iuramentũ poſſe remittere. quãta enim ſit eius auctoritas, atque maieſtas, nemo in fide rectus ignorat; vel illud apud Platinã in vitis Pontificum. namq; Marcellinus Rom. Põtifex in immani illa Dioclet. Imp. perſequutione ad ſacrificia gentium ductus, terrore perterritus, thus Deorum ſimulacris adhibuit. Cuius peccati non multo poſt ita pœnituit, vt Sinueſſam vrbem Cãpaniæ ad Concilium cẽtum octoginta Epiſcoporum venerit cilicio indutus, vbi lachrymis profuſus, ſcelus ſuum palam profeſſus eſt; petijtq;, vt ſibi pro inconſtantia, debita pœna tribueretur. quem tamen damnare nemo eſt auſus, ſed omnes vna voce clamarunt: *Tuo te ore, non noſtro iudicio iudica: Nam prima ſedes à nemine damnatur.* Sic & de iuramento dici poteſt, vt quod alijs concedere poteſt, & ſibi quoque. Reliqui verò, qui ſuperiorem habent, non queunt. *c. præiudicandum eſt.* 22. *q.* 1. *c. dilectus. ſup. de temp. ord. c.* 2. *inf. de fideiuſ. c.* 26. *hoc tit.* etiam ſi illicitum ſit, turpe, ac prorſus rationi contrarium. *d. c. cùm quidã. S. vlt.* vel per metum extortum, qui poſſet in virũ conſtantem cadere. *cap. verum hoc tit.* At ſi imminet periculum, ac vrgeat neceſſitas, vt ſuperior adiri nequeat, a quo remiſſio impetretur; tunc non ſolum contra turpe, & illicitum, verum etiam licitum propria auctoritate cuique ſibi remittere licere haud dubito, ex *c. anteceſſor.* 11. *q.* 3. *c. vlt. inf. de ædif. Eccl. cap. licet. inf. de pœnit. & remiſſ.* D. quoque Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad fin.* & *q.* 147. *artic.* 4. aſſeuerauit ratione imminentis periculi licitum eſſe tranſgredi ieiunium, ſi ſuperioris

copia haberi non poſſit. & per conſequens aduerſus Hoſtienſem ſentio, ob aliquam magnam vtilitatem, quæ animi ſalutem reſpiceret, poſſe ſibi auctoritate propria iuramenti religionem relaxare; ſi certa ſit vtilitas; & propter quam facile ſuperior, ſi adiri poſſet, iurantem ab iuramento abſolueret. Hæc maiorem quidem explicatum deſiderant, ſed hic non eſt ſatis locus. quare alibi, Deo auxiliante, pluribus verbis his operam dabimus. Cæterum, vt extremi aliquid habeat oratio mea, ſciendum eſt tria in *cap. vlt.* iuramenti tradita eſſe genera: Voluntariũ, quod à parte parti eſt delatum in iudicio, vel extra; Neceſſarium, quod pars, cui delatum eſt, refert delatori; & hic iurare tenetur; vnde neceſſarium appellatum; Iudiciale, quod à iudice defertur. Si Eccleſiaſticus iudex eſt, ſecularem iudicem cenſura Eccleſiaſtica compellere poteſt, vt ius canonicum quo ad iuramentum, ac prouiſionem animarum, obſeruet, etſi iure ciuili huiuſmodi contractus, quibus adhibitum eſt iuramentum, non valeant. *cap. 2. eod. in ſexto.* & *cap. 2. de pac. in ſexto.* Agitur & hic de iuramento ab Epiſcopis Romano Pontifici præſtando: idque ſeptem continere capita, docet Gregorius Nonus, *c. 4. hoc titul.*

De Exceptionibus. *Tit. 25.*

PROPOSITAS in iudicio actiones, & varijs modis approbatas vt plurimum rei exceptiones excludũt. quare non mirum eſt, ſi Vlpianus in *l. 2. ff. eod.* ſcripſerit, *Exceptionẽ dictam eſſe, quaſi quandam excluſionem, quæ opponi actioni cuiuſque rei ſolet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductũ eſt.* Exceptionum quatuor ſunt ſpecies; aut perpetuæ, & peremptoriæ; aut temporales, & dilatoriæ. *l. 3. ff. eod.* quid omnes ſint, ibidem docet Gaius. Verùm quia per dilatorias malitioſe aliquando litium terminatio prorogabatur: ſanxit Innocentius Tertius, omnes proponi debere intra certum diem à iudice deſignandum: quo elapſo non audiretur reus, niſi forte aliqua nouiter ſibi competens fuerit exorta; & fidem iure iurando faceret, ſe poſtmodum illam inueniſſe. *cap. 4.* etſi tandem placuit Clementi V. excommunicationis exceptionẽ perpetuo opponi poſſe. *Clemen. vnica.* ita vt ſeruaretur Innoc. IV. cõſtitutio in Lugdunenſi Concilio edita, de qua in *tit. 1. eod. in 6.* ſcilicet, vt is, qui excommunicationem opponit; ſpeciem illius, nomenq. excommunicatoris exprimat, & ſciat ſe eam debere deferre in publicam notionem, quam intra octo dierum ſpatium (die, quo proponitur, minime computato) manifeſtiſſimis rationibus, & argumentis probare valeat: quod non probantem, iudex in cauſa procedens, in expenſis, quas actor octo currẽtibus diebus ſe feciſſe commonſtrauerit, condemnabit. At ſi deinde inſtantia iudicij durante, ac probationis copia ſuccedente, de eadem excommunicatione, vel alia excipiatur iterum, atque probetur: actor in ſequentibus excludetur, donec abſolutionis gratiam fuerit conſequutus: cætera nihilominus, quæ præiuerant, vim roburq. ſuum obtinebunt. hanc vero exceptionem bis tantum opponi poſſe: ni ex noua emerſerit excommunicatio, aut euidẽs, promptaq. probatio ſuperuenerit de antiqua; quæ ſi poſt rem iudicatam huiuſmodi exceptio proponatur, exequutionem impediet: licet ſententia, quæ præceſſit, non elidatur: ſed ſi actor publice ſit excommunicatus, iudex ex officio ſuo eum repellet, quouſque meruerit habere abſolutionem. Reum verò excommunicatio non excludit, quin in iudicium trahatur; cùm iudicium reddatur in inuitum. *l. Stipulantem. ff. de verbor. oblig.* quapropter omnis legitima defenſio reo, adeo excommunicato reſeruatur, vt excipere, appellare, impetrare, ſi ſit reus principalis, & alia huiuſmodi poſſit. *cap. 5. 8. 10. 11. & vlt.* non æque actor excommunicatus, qui nulla facta excommunicationis mentione, impetrare minime poteſt. *cap. cùm contingat. ſupra de offic. deleg. cap. ex parte. ſupra. de offic. ord. cap. per tuas infra de ſent. excomm. cap. 1. de reſcrip. in 6.* & regulariter excipere ij omnes nequeunt, qui ſimili impedimento laborant. *cap. 1. hoc tit.* Fit quoque de iuriſdictione exceptio; propter quam ſi fuerit appellatum, ac probetur vera: iudex appellationis non debet de principali cognoſcere, ſed ſuperſedere. *cap. 7.* Admittitur & exceptio falſi etiam poſt ſententiam intra xx. annorum ſpatiũ *cap. 6.* Item rei iudicatæ per Eccleſiaſticum iudicem in ſeculari foro, quemadmodum & in Eccleſiaſtico per ſecularem. *cap. vlt. in ſex.* Dantur in hoc titulo & replicationes, quæ à parte actoris veniunt, & exceptiones excludunt. quare dici poteſt, quòd replicatio ſit exceptionis exceptio. ſed contra replicationem ſolet dari triplicatio; & contra triplicationem rurſus, hoc eſt quadruplicatio; & deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor obijcit. *d. l. 2. in fine.* Euenit tamen quandoque, vt non admittatur replicatio. poteſt enim quiſque ſuam Eccleſiam tuendi gratia opponere exceptionem excommunicationis, periurij, vel aliam legitimam exceptionẽ, nec per replicationem excommunicationis, vel periurij repelli poteſt. *c. 8. eod.* quod ex 5. *compil. tit. de repli.* eſt exhauſtũ. Item aduerſus exceptionem iuriiurandi replicatio doli mali non datur, cùm iudex id agere debeat, ne de iureiurando cuiuſque quæratur. *l. aduerſus. ff. eodem.*

De

De præſcriptionibus. *Tit. 26.*

PRAESENS titulus tantam cum ſuperiore cognationem, aut potius affinitatem habet, vt parum, aut nihil admodum inter ſe differant. Præſcriptio nihil aliud eſt, quàm exceptio. *l. 9. ff. de tranſact. l. 50. §. 1. & §. vlt. ff. de iud. l. 12. §. 1. ff. de inoffic. teſtam.* & alibi paſſim. quamobrem Tribonianus in Pandectis, & Codice, cum titulo de exceptionibus adiunxit & titulum de præſcriptionibus; atque ideo longi temporis præſcriptionem exceptionem longæ poſſeſſionis appellauit Vlpianus in *l. 5. ff. de diuerſ. tempor. præſcript.* dicuntq. exceptionẽ temporis, & præſcriptionem pro eodem. *l. 1. & l. 5. ff. ſi liber. ingen. eſſe dicatur.* Sic & apud Oratores; nam & M. Tullius de *Orat. Vt petitor rurſus cum peteret, ne exceptione excluderetur.* Ex hoc tamen haud eſt Raymundus vlla dignus reprehenſione. etenim Tribonianus, qui Pandectarum, Codicisq. librorũ compilator fuit, alios tum in Pandectis, tum in Codice dedit de præſcriptionibus titulos. nam in Codice à *tit. 33. ad 41. vſque* ſemper egit de præſcriptionibus; ſed Raymundus, qui quoad fieri potuit, breuitati ſtuduit, ſumpta occaſione, de omni præſcriptionum tractatu dicere voluit. Quare hic tractatus ſpecialem deſiderabat titulum, non cum ſuperiore eſſe coniunctus. Immo & Raymundus pro vſucapione vſus eſt verbo præſcriptionis: præſcribere enim hic eſt idem, quod vſucapere. Quamquam præſcriptio nihil aliud eſt, quàm exceptio: & vſucapio acquiſitio dominij *l. 3. de vſucapione* nec quiſquam proprie latineq. loquendo, alio pene ſenſu præſcriptionem vſurpauit: ipſi tamen Canonum ſacrorũ conditores atque iuris vtriuſque interpretes, pro vſucapere dixerunt præſcribere fundum, agrum, aliamue rem; cum ſoleat aliàs datiuo coniungi, vt paſſim videas apud iuriſconſultos, & alios Latinæ linguæ auctores. Ideo in hiſce libris noſtris nullus habetur titulus de vſucapionibus, vt in Digeſtis, & Codice: & ſi diligentius perquiramus, videbimus, Iuriſconſultos, & Impp. poſſeſſionem, ſiue acquiſitionem longi temporis, præſcriptionem appellaſſe, vt in *l. ai à quo. ff. de vſucapion.* in *l. qui alienam. ff. de euict.* in *l. quinque pedum. C. fin. regund.* & in *§. ex his Inſtit. per quas perſon. nob. acquir.* Epiſcopus ſi aliquem locum, pagum, vel ciuitatem ad vnitatem Eccleſiæ conuertit, nemine per triennium repetente, ſuum, ſuamve facit *cap. 1. hoc tit.* rem vero priuati triginta annis præſcribit Eccleſia, quæ etiam in alterius parochia 40. annorum ſpatio decimas. *cap. 3. & 6.* Laici vlla ſpiritualia iura, in quorum numerum & decimæ referuntur, ſibi præſcribunt vlquam. *cap. 7.* Inter duas Eccleſias prædiorum fines 40. etiam annis, non currente belli tempore; quo tempore, 40. ſcilicet annis, bona paterna contra Romanam, aliasque Eccleſias filij hæreticorum præſcribunt. *cap. 2. in ſexto.* Cæterùm aduerſus Romanam Eccleſiam centum deſiderantur anni. *cap. 13. & cap. 14. hoc tit. & cap. 4. infra de conſir. vtil. vel inutil.* Atqui procurationes, quæ debentur Legatis, & Nuntijs Apoſtolicis; & obedientia, quæ ſuperioribus præſtatur, nullo vnquam tempore. *cap. 11. 12. 16.* quamuis Abbas Epiſcopalia iura in quibuſdam interdum excipiat, vt in *cap. 18.* Vbique tamen neceſſarius eſt titulus, qui poſſeſſioni cauſam tribuat præſcribendi. niſi tanti temporis ſit præſcriptio, vt eius contrarij non extet memoria. *cap. 1. in ſexto.* Verùm quoniam omne, quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt. *cap. litteras. ſupra. de reſtit. ſpol.* nulla valet, ex Alexandri iij. & Innocentij iij. conſtitutionibus, *cap. 5. cap. vlt. hoc tit.* abſque bona fide longi temporis præſcriptio, etiam ſi excedat hominum memoriam. quod iam olim apud veteres Romanos in xij. tab. ſcriptum erat: *Rei furtiuæ æterna auctoritas eſto.* Illa tamen eſt differentia, quòd Romani ab initio dumtaxat bonam fidem deſiderabant: noſtri verò ſemper.

De ſententia, & re iudicata. *Tit. 27.*

IVDEX, auditis de re, ſiue lite actionibus, dein exceptionibus: quod æquum, & iuſtum videtur ſibi, definit. Idcirco ſententia erit de re, ſeu lite, vltima iudicis definitio. quod intelligo de definitiua. Interlocutoria enim eſt, quæ nec condemnationem, nec abſolutionem amplectitur, ſed quæ de aliquo cauſæ articulo profertur. ex quo differentiam eſſe conſtat maximã inter hanc, & illam. namq; definitiua, quæ condemnationem, vel abſolutionem non continet, pro nulla habetur. *cap. ei qui. §. definitiua. 2. q. 6.* Res iudicata eſt lis, aut illud omne, de quo ſententia dicta eſt; vel, vt Modeſtinus loquitur, quæ finem controuerſiarum pronunciatione iudicis accepit. quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. *l. 1. ff. eod. de re iudic.* Et hic titulus licet de ſententia, & re iudicata inſcribatur, eſt tamen longe generalior: & ſub ſe comprehendit fere omnes titulos Codicis à 42. ad 60. Sententia, de qua hic, vt ſententia, dici poſſit, ex legibus, & canonibus ferri debet; alioquin nulla eſt; nec eſt opus ab ea appellare. *cap. 1.* Canones autem, legesve multa deſiderant: ac primum, vt quoad fieri poteſt, celeriter terminetur. *cap. 2.* Ne feratur quidem ſine ſcripto: ne dicatur, ſed legatur. *l. vlt. C. de ſenten. ex breuil.*

*breuil.recit.cap.7.& cap.8.2.q.1.*Non notis, ſed claris diſcernatur litteris *l.vlt.C.comminat.epiſt. ſubſcript.*Ne per alium, ſed per ſe legatur,recitetur; alioquin ſententiæ non meretur nomen.*l.1. C.de ſent.ex breuil.* & *d.c.7. &* 8. Ex hac tamen regula excipiuntur Epiſcopi, & alij, quos ob dignitatis prærogatiuam ampliori decet honore fulgere ; quibus ſententiam ab eis ferendam per alium recitare permiſit Bonifacius viij. *cap. vlt. in ſexto.*quemadmodum. Impp. Valens, Valentinus, & Gratianus, præfectis prætorio, & alijs, qui illuſtrem adminiſtrationem gerunt,vti quæſtores, præfecti vrbi, magiſtri militum, magiſtri officiorum,comites ſacrarum largitionum,comites rerum priuatarum,comites ſacri patrimonij, &, ſi qui ſunt illuſtres alij, qui vel per officium ſuum, vel qui alienum miniſterium ſuſceperunt, ſententias per alium poſſunt recitare. *l.2.C.de ſenten.ex breuil.*qui & verbo ſententiam dicunt. Caſſiodor. in *for. quæ dabatur PP.* ſcribit ; quod Contius in *d.l.2.* admonuit. Item ſedendo, non ſtando.*d.cap.vlt.* Non æque aduocatus. *l. quiſquis.C.de poſtul.* Si plures iudices, ſiue magiſtratus ſint, ſiue iudices, arbitrive à magiſtratu, aut à partibus dati : eorum vnus alijs præſentibus vel mandantibus, poteſt ſcriptam ſententiam recitare, ita vt verbis pluralibus vtatur : vtputa, Nos tales iudices. *cap. 4. in 6.* Item præſentibus omnibus,quorum de re agitur.*l.de vnoquoque.ff. de re iud.l.1.& l.7.C. quomodo & quan.iud.c.cauſant.3.q.9. cap.18.hoc tit.* Sed vocatus ad ſententiam ſi non comparuerit, eo abſente fertur ; tenetque, niſi legitimam abſentiæ cauſam probauerit.*d.cap.18.*vel extra vocantis territorium vocatus in ius degerit. *clem.2.eod. l.vlt.ff.de iuriſd.* Poſtulant etiam, vt iuris ordo, æquitatisq. vigor ſeruetur ; æquitatis, nec ex ſummo iure oriatur iniuria ; item iuris ordo, quia ſententia contra ſolitum iudiciorum ordinem prolata, auctoritatem rei iudicatæ non obtinet. *l.prolatam. C.de ſenten.& interloc.* Qualis verò hic ordo ſit, mihi videtur recte dixiſſe Accur.in *d.l.prolatam.* ſcilicet, vt offeratur libellus,lis conteſtetur,iuretur de calumnia,depoſitiones teſtium deſcribantur, & publicentur, ſcribatur ſententia, à iudice recitetur. hactenus Accurſius. Addo ex *cap.19. 2.q.1.*vt conſulto, non temere feratur ; vt publico, non priuato loco.*l.6.C.de ſent.& interloc.*nõ exemplis, ſed legibus.*l.13.eod.c.17. & cap.25.* ſane quippe ratio exemplis anteponenda eſt:cui quidem & exempla concordant : Auguſtinus ad Marcellinum, *Ius vocat, ratio ſiue leges, quæ naturali ratione conſtituunt.cap.vlt.9.diſt.*& quamquam *cap.19.* aliter videatur dicere ; *Quia* (inquit) *cæteri iudices iudicare teneantur in ſimilibus caſibus, ſicut ſummus Pontifex :* non eſt tamen dicendum, quòd exemplis, quàm legibus vtendum ſit ; ſed eundem ordinem, quem ſummus Præſul ſeruat, cæteri iudices in iure dicundo debent obſeruare. Attinet & ad iuris ordinẽ, vt iudex canonum auctoritate, non ſuo ſenſu iudicet.*cap.1.ſupra de conſtit.*Item,vt condemnatio fiat in eum, in quem lis eſt cõteſtata,in procuratorem, vel in dominium litis.*l.1. de tit. de ſentent. & interlocu. cap. querelam.ſup. de elect. cap.penul.ſupra de procur.*Vt iudex de eadem re ſuam, ſiue prædeceſſoris ſui ſententiam non reuocet. *d.cap.ei qui.§.item ſi ſententia.l.1.C.ſent. reſcind.non poſſ.l.42.ff.eod. de re iudic.* Ad quod pertinet, quod Suetonius ſcribit, Iulium Cæſarem tantum iniecciſſe metum Conſuli deſignato, vt eum haud piguerit ſententiam ſuam, quia mutare perquàm turpe erat, interpretatione lenire. Porrò ſententia contra leges, canones,Eccleſiam, iniquæ conſuetudinis prætextu, vel abſentem non contumacem,matrimonium,nullam vim habet. Item ſi iniquitatem contineat manifeſtam, ſi ab excommunicato proferatur;& alijs ſimilibus caſibus. At quid ſi ordinarij duo haud prætermiſſo iudiciorum ordine,diuerſas pronuntiauerint ſententias ? Gregorius ix. in vlt. huius tituli conſtitutione ſanxit, ſententiam pro reo tenere, niſi in fauorabili cauſa, matrimonio videlicet, libertate,dote,ſeu teſtamento. Si delegati diſſentiunt, ad delegantem eſſe eundum; ſi arbitri, neutram valere. Sed dubitatio eſt, num iudex in ſententia omnia, quæ ipſum mouent, debeat exprimere ? Hanc hæſitationem ſuſtulit Innocen.in *cap.16.* vt non opus ſit neceſſario. Quælibet autem ſententia iuſte lata ſtatim ſortitur effectum, niſi ab ea fuerit appellatum. *cap.14.*ſtatim, hoc eſt infra 10. dies. *cap.13.* & tunc à ſuperiori confirmatur. *cap. 4.* & exequutioni mandatur.*cap.ſicut.2.q.1.& cap.135.q.9.* reiq. iudicatæ actio datur ei, pro quo lata eſt ſententia aduerſus condemnatum, hæredemvè eius.*l.8.& l.9.C.de reb.cred.& iureiur.* & *l. 6. ff. de re iud.* & hæc de definitiua. Eſt & de interlocutoria; ſic dicta, quaſi iudex interloquendo iudicet abſque ſcripturæ ſolemnitate, non facta condemnatione,non abſolutione, ſed iuſſu quodam in principio,aut medio litis præpoſito,quod ad explicandæ litis præparationem pertinet ; & nec litem finit, nec actionem perimit. *l.7.& l.9. C.de ſentent.& interloc.*quæ & retractari poteſt. *d.l.9.*ſiue Ordinarij ſit. *l.quod iuſſit. ff. de re iud.* ſiue delegati. *c.cum ceſſante. infra.tit.1.* ſiue arbitri.*l.qualem.§.vlt.ff.de arb.* Attamen ferri debet cum cauſæ cognitione, & iudice ſedente, non procedente. *cap.4.§.à iudice.3.q.3.l.4.ff.de dilat.*Et tranſit in rem iudicatam,ſi infra decennium non fuerit appellatum. *cap.cum dilectus.in fin.ſupra de elect. cap.ſignificauerant. ſupra de teſtib.* Tranſit, inquam,quo ad duo,vt re medio

appel-

appellationis attentari nequeat, & vt excipiatur ex ea *d. cap. cùm dilectus*. non vt agatur actione in factum, quemadmodum ex definitiua *dd.ll.*8.& 9.*C.de reb.cred.& iureiur.*

De appellationibus recusationibus, & relationibus. *Tit.* 28.

SEntentias sequitur appellatio; quæ à minori iudicio ad maius tribunal fit.*cap.anteriorum*, 2. *q.*6. Erit igitur querela non acquiescentis sententiæ minoris iudicij ad maius, adiutorium.*cap. omnis oppressus.* & *cap.placuit.* 2. *q.* 6. quamquam sacri canones ante, & post litis contestationẽ, & in prolatione sententiæ, atque post, singulis tribuunt appellandi facultatem.*cap.*12.*cap.non ita.*2.*q.*6. quod ius ciuile non admittit. *l.* 36. *C. eod.* & *tot. tit.C.quor.appell.non recip.*& *tit.de sent.& interl.* Sed quoties extra iudicium fit, quæ & passim fit, quæque sine vlla grauaminis assignatione admittitur, non vere dicitur appellatio, sed prouocatio ad causam. *cap.*5. *hoc tit.* Non item cum in iudicio: voluit enim Innocentius iij. *cap.* 59. ante sententiam ab idoneo iudice ad superiorem iudicem neminem appellare; nisi rationabili aliqua, probabiliq. causa ipso coram iudice exposita; & coram arbitris communiter electis, appelletur. Est autem hic titulus non minus generalis, quàm superior, licet tribus videatur capitibus contineri: quæ etsi hoc titulo comprehendantur, appellationes non sunt. Recusatio est exceptio, apud Ciceronem *lib. de inuent.*1. *Iudiciale est*, inquit, *quod positum in iudicio habet in se accusationem, & defensionem, aut petitionem, & recusationem*. Sic recusare iudicem dicimus. *l.apertissimi.C.de iudic.*& apud Innoc.iij.*cap.*46. & hoc satis est argumento; nam qui appellat, eximitur iurisdictione eius, à quo appellat, si iudex est datus.*cap.*39. Si ordinarius, item eximitur quo ad causam, in qua appellat, sed in alijs non æque.*cap.*24. potest nihilominus pendente causa ordinarium recusare, nisi notorium sit crimen.*d.c.cap.*24.& *d. cap.*5. & *cap.* 14. Atqui recusatus iudex iurisdictionem retinet, potestq. cogere arbitros eligere.*d.l.apertissimi. cap.*61.& tertium, si non conueniunt addere. *cap.suspicionis.supra de offic. deleg.* aut causam alteri committere, vel ad superiorem transferre. *d.cap.*61. & *cap.*4.*supra de foro compet.* Quòd si arbitri intra tempus à iudice sibi præfixũ suspicionis negotium haud diremerint, iudex ex tunc in principali causa ius dicere poterit. *cap.*2.*in* 6. Recusatur autem iudex multis, varijsq. de causis; vti si dominus litigatoris sit, familiaris, affinis, comes, eiusdem ciuitatis. si ab eo appellatum sit, recusari potest pendente causa in alijs, si consimilem habuerit causam, & in alijs plerisque casibus, qui legentibus obuiam veniunt. Coram iudice, vti dixi, dicetur suspicionis causa, & corã arbitris probabitur.*d.cap.*61.& *d.cap.suspicionis, cap.*41.*hoc tit.* Neque Relatio appellatio est, cùm relatio fiat ante, & post sententiam; appellatio tantum post.*l.vlt.C.de sent. & interloc. l.penult. C.quorum appel.non recip.d.cap.*59. Symmachus *lib.*10. *Epist.*29. *Verecunde potius, quàm iure suscepi prouocationem, non extante sententia*. Relatio est, cùm ad Principem refertur, vt apud eundem Symmachum *eod.lib.*10. *Epist.*45. cum nõnullis alijs subsequentibus. hoc est, cùm iudex dubitat quid statuere debeat de eo, quod agitur apud se, vel post sententiam, à qua appellatur, & appellatio non recipitur, donec Princeps æstimauerit, an relatoris sententia sequenda sit, vt in *l.penul ff. de appell. recip. vel non.* Appellatio fit à partibus, relatio à iudice; quocirca in *l.* 2. *C.de offic.vicar.* legitur; *Relationes iudicum libenter audiuimus*. Ad relationem scribit Princeps, vel patricij viri, consulares, præfectorij, atque alij ab eo electi.*l.iubemus.C.eod.de appell.*& à tali rescripto appellat nemo. Hinc haud male possumus dicere, Relationem esse consultationem iudicis ad Principem, cum etiam in *tit. Codicis de Relat.* frequenter Relatio consultatio dicatur. Debet autem fieri relatio integra, ac plena instructio, vt omnem omnino causam relationis series comprehendat. *l.*3. *C.de relat. l.*5. *C. de appell. l.*6. *ff. de interd. & releg. cap.bonæ memoriæ.*2. *supra.de postulat.prælat.cap.licet.supra de offic. deleg.* atque consultationis exemplum illico partibus edi.*d.l. penult.ff. de appell. recip.* & *l.vlt.ff. quand.appell.sit.cap.*68. *hoc tit.*& omnia denique acta, gesta, relationis refutationes, relatoris opiniones; vt si altera litigantium pars viderit relationem minus plenam, aut falsam, ab ipsa possit appellare.*l.*1.*C.de relat.*& *l.*6.§. *super his.*& *l.*18.19.*C.de appell. cap.*33. *supra de offic. deleg.* Facta ergo relatione, nemo appellat: quia sero appellatur, sed dum Principi scribitur, licet. *l.*1.*in princ.ff.quand.appellat. sit.* & *l.vlt. C. eod. quand.appell.cap.biduum.*§. *si aduersus.* & §. *vlt.* 2. *q.* 6. A sententia appellare potest, ne dum victus, sed omnis etiam, cuius interest.*cap.*17.*sup. tit.prox.l.*5.*ff.eod.* vel quibus mandatum est, vel qui alienum gerunt negotium, quod mox reus ratum habeat; & cuius etiam non interest, pietatis, atque humanitatis gratia. *cap.*29. 2. *q.*6.*l.*1. & *l.*6.*ff.de appell.recip.cap.*1.*in* 6. Aliquando ab eadem sententia vtraque pars appellat, respectu diuersorum capitum. *cap.significauerunt.supra de testib.cap.Raynutius.*& *cap.Raynaldus. infra. de testam.* Quare vna sententia pluribus cõdemnatis, si vnus solus ad appellationis beneficium

conuo-

conuolauerit, illius victoria iure communi cæteris ſuffragatur, ſi omnes iure communi iuuentur. *cap. penult. hoc tit.* Generalem vero appellationē non valere ex *cap. 2. &* 18. intelligimus. At quādocumque appellare licet, à minori ad maius iudicium appellatur. Si forte ad minus fieri contingit, ſententia tranſit in rem iudicatam. *l. 1. §. ſi quis. ff. eod.* ſi ad maius, ideſt, cùm ad Archiepiſcopum debuiſſet, ad Patriarcham appellaſſet, nihil ei officit error: quia hic remittit ad illum, ad quē prius debuit appellare. *d. l. 1. §. ſi vero.* Ordo appellationis eſſe debet, vt ſupra *de maior. & obed.* dixi: ni conſuetudo, aut fortaſſe ſingulare ius aliquod aliter poſtulet, vt in *cap. 3. §. 1. & §. debet. in ſexto.* ſiquidem omiſſis medijs, directe ad ſummum Eccleſiæ iudicem fieri poteſt appellatio. *cap. 7. 54. 56. hoc tit. & cap. 4. cum ſeq. 2. q. 6.* niſi fiat à ſeculari iudice, qui ex temporali iuriſdictione Romoan Pontifici non ſubeſt. Regulariter tamen iure ciuili, ſi appellatio directe ad Principem fiat, omiſſis medijs, ad eos remittit Princeps. *l. 21. ff. eod.* etenim à Principe non appellatur; item à Papa, cùm ipſi ſint, qui prouocentur. Papa de aliorum ſententijs iudicat, de ipſius nemo. *cap. cunctā. 9. q. 3.* Item à Senatu, & plerumque à iudicibus à Principe datis *l. 1. ff. à quib. appel. non lic.* Itē à præfecto prætorio. *l. vnica. C. de ſentent. præf. prat. d. l. 17. ff. de minor.* licet ex eius ſententia poſſit quis reſtitui in integrū. Sed cur tam varie? Quoniam appellatio iniquitatis ſententiæ querelam continet; in integrum reſtitutio erroris proprij veniæ petitionem, vel aduerſarij circumuentionis allegationem habet. etiam à ſententia Præfecti vrbi olim non licuit appellari. *l. 23. C. Theodoſ. eod.* id notat & Balſamon in *can. 12. Syn. Antic.* quod Symmachus etiam videtur dicere in *Epiſt. 55. eod. lib. Tunc*, inquit, *ſententiam meam defenſor venerabilis domus inclinata prouocatione ſuſpendit: ſed cùm huius rei nullum exemplum cognitionalis extare ſuggereret, nihilominus ſubiectam vocem libenter admiſi.* & ſic poſtea licuit, vt videri eſt *eod. Cod. Theod. l. 30. & l. vlt. eod. de iis, qui per met. iud. & l. 12. C. de ad. f. priuat.* Item ab arbitris compromiſſarijs, quibus, inquam, compromiſſum eſt pœna adiecta. non æque ab arbitris iuris, vt in *cap. peruenit. 11. q. 1.* in *d. cap. ſuſpicionis. ſupra. de offic. deleg. & d. cap. 61. hoc tit. l. vlt. C. de iudic.* item ab exequutore, niſi in exequendo excedat modum. *cap. 43. hoc tit.* Ab eo autem, à quo appellarum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, dimiſſoriæ litteræ dirigi debent: quæ vulgo Apoſtoli appellantur, vt ait Paulus *lib. 5. ſent. tit. 36.* hinc in Pandectis *tit. de libellis dimiſſorijs*, qui Apoſtoli dicuntur. qui quomodo concipiantur, ac eorum formam docet. *cap. 30. 2. q. 6.* Nullus ad Apoſtolicam Sedem abſque illis valet appellare, ſiue appelletur in iudicio, ſiue extra, ſiue ſuper interlocutoria, ſiue grauamine aliquo. *d. cap. 1. in ſexto.* non enim ſufficit appellanti probare ex cauſa huiuſmodi, ſi non doceat eſſe veram. *cap. 70. hoc tit.* & requiſitus iudex, ſi non tradit Apoſtolos, ſiue litteras dimiſſorias, & procedit in cauſa, nullus eſt proceſſus. *cap. 4. in 6.* quam conſtitutionem interpretatur Bonifacius Octauus, vt cum debita inſtantia, loco, ac tempore congruo requiratur. *cap. 6.* At ſi appellans non petierit eos in termino ſibi à iudice aſſignato, videtur ſuæ renuntiaſſe appellationi. *clem. 2. eod.* Olim eat appellandum infra biduum, vel triduum ex die latæ ſententiæ. *cap. 28. 2. q. 6.* Hodie decennium. vt in *tit. ſuper.* dixi, & in *cap. 8. in 6. & cap. 27. 2. q. 6.* quod ex die ſententiæ latæ cōputandum eſt; ita vt iudex ſui in publico copiam faciat. *d. cap. 28. §. cæterum.* An imputetur appellanti, quòd ad iudicis domum non venerit, quodque in hortos non acceſſerit, & vlterius quod ad villam ſuburbanam? Et magis eſt, vt non debeat imputari. Si aduerſus abſentem nō per contumaciam pronūciatum fuerit, non currit tempus, niſi fuerit per procuratorem defenſus. *l. 3. C. quom. & quan. iud.* At quæſtio eſt num poſſit quis ſæpius appellare? Olim in vna, eademq. cauſa ſemel, non iterum licebat; hodie ex Iuſtiniani conſtitutione *lib. 7. C. tit. 70.* etiam ſecundò, non item tertio apellare licet. nam qui duobus iudicijs ſuperatus eſt, ad tertium confugiendi ius non vtique habet. Idem etiam Alexander iij. & Honorius iij. videntur conſtituiſſe in *cap. 39. & cap. 65. infra hoc tit.* vt ſi ab Epiſcopo aliquis appellet ad Archiepiſcopum, ab Archiepiſcopo poteſt appellare ad Patriarchā, ſed non à Patriarcha, quo iure plerumque in foro non vtimur; ſed ad Pontificem Maximum etiam appellant, ſiue per reſtitutionem, vt in *l. 17. ff. de minor.* ſiue per ſupplicationem, vt in *c. 8. ſupra tit. prox.* per quam & à Senatu, atque à Principe. Verum quia maieſtate principali indignū eſſet, ſi ab ipſo appellaretur, vulgo reuiſionem vocāt. Item à iudicibus à Principe datis cum clauſula, appellatione remota, *d. cap. 8. & 9. ſupra tit. 1.* Quum autem ſententia eſt iniuſta, ab ea non appellatur, cùm ſit ipſo iure nulla. *l. 2. & 7. C. quando prouoc. non eſt neceſſe.* Et dicitur querela. *dicta leg. 17. & leg. 3. C. quomodo & quando iudex.* ideo Principi preces porriguntur. *d. l. 17. d. cap. 8. & l. vnic. C. de ſentent. præfect. prator. & l. ſi quis aduerſus. cum authentica ibi poſita. C. de precibus Imperat. offerend.* quas Princeps libenter admittit. *cap. paſtoralis. §. preterea. ſupra de offic. delegat.* quod habere locum arbitror in iudice dato, ne poſſit recuſari. ſi fuerit iuſta ſuſpicionis cauſa. iuſte enim petentibus nihil ſolet recuſare Princeps. Caſſiodor. *lib. Epiſt.*

Epist. 1. Epist. 14. Restat adhuc illud ex hoc titulo intelligere, quòd ad prosequendam appellationem datur annus à iure, vel ex iusta causa biennium. *cap. 39. 2. quæst. 6. cap. 5. hoc tit.* quod extendit Clemens V. ad appellationē, quæ extra iudicium fit. *clem. 3. eod.* At si per impotentiam partis omissa sit persequutio, nihil appellanti obstat. *cap. 8.* Vel si ex partium assensu prolata sit dies, tempus à iure vel ab homine constitutum non currit. *clem. 4. eod.* vel per Principem, iudicemvè steterit, quo minus persequatur. *cap. 40. §. sed lis. 2. quæst. 6. Nouell. 93. de appellat. §. sancimus. & Nouell. 119. vt sponsalit. larg. §. hoc quoque. & authen. sed & lis. C. de temp. & reparat.* Appellationis porro illa est vis, vt sententiam extinguat. *leg. 1. in fin. ff. ad S. C. Turpil.* licet à iudice, qui pronunciauit, minus sit recepta. *lege 3. C. eodem de appellat. & d. cap. 4. & 6.* Appellatione sententiam extingui durum videtur, cum apertissime leges dicant, appellatione suspendi sententiam. *l. fin. §. illud. C. de temp. appell.* Attamen Marcianus in *d. l. 1. Quia prouocationis*, inquit, *remedio, condemnationis extinguitur pronunciatio.* & re vera extinctam etiam puto: siquidem pronunciatione prior iudex functus est officio suo. *l. iudex de re iud.* cuius sententia tametsi posterioris iudicis pronunciatione confirmatur, istius tamen, non illius sententia est. *l. furti. §. 1. ff. de ijs, qui notant. infam.* Et dici potest suspendi sententiam quo ad effectum, extingui quo ad pronunciationem, vt pro nulla habeatur, quod pertinet ad auctoritatem prioris iudicis; & ita intellexisse Martianum puto. Quòd si iniusta appellatio pronunciatur, sumptus, quos, dum sequeretur aduersarius impendit, reddere cogatur non simplos, sed quadruplos. *cap. 26. q. 6.* & apud Paulum *lib. sentent. tit. vlt. de meritis appellationum*. Si iuste appellatum sit, & is, qui appellauit, non prosequatur, & prosequatur appellatus: ille in expensas condemnabitur. *cap. 26.* Si aliter non venerit, tanquam in contumacem procedit iudex. *cap. 44.* & prior, vel altera sententia vires obtinebit suas. Si qua sunt alia in hoc titulo digna notatu, alibi recitentur.

De clericis peregrinantibus. Tit. 29.

QVEMADMODVM subuenitur ei aduersus quem lata est sententia per appellationem ad superiorē. *c. cùm sit Romana. & cap. super eo. sup. tit. 1.* ita succurritur illis, qui iter ad Pontificem arripuerunt; vt si eis aliquid subtractum, vel ablatum fuerit, iudex ex officio suo, vt restituatur facere debet; vel permittet, vt eorum parentes, seu agnati, cognati, amici, liberti, serui, aut coloni, tueri possint, ac repetere. *l. vnica. C. si per vim, vel alio modo.*

De confirmatione vtili, vel inutili. Tit. 30.

ALata sententia interdum appellamus; interdum ea à superiore confirmatur. *cap. ea, quæ. & cap. causam, quæ. in fine. supra de sent. & re iudic.* auctoritas enim superioris quod minus solemne est, solemne facit. *l. omnib. C. de testam. & cap. 1. supra de transact.* Atqui impetrata confirmatione, solet cōtingere plerumque, vt quæratur, an vtilis sit, an inutilis. ideoq; recte postponitur hic titulus. Cognoscere autem inferior iudex de re per Rom. Pontificem confirmata minime valet, nisi per falsi suggestionem fuerit impetrata. *cap. 1.* & *cap. 2.* Neque falsa intelligitur, si dictio, scilicet, sicut, & huiusmodi, in ipsa omittitur cōfirmatione. *c. 8.* Neque tenet confirmatio sententiæ, à qua erat appellatum, quousque de appellatione cognoscatur. Et sententia, seu arbitrium, cōtra iuris, aut compromissi formam latum, & per Papam in forma cōmuni cōfirmatum, nullam vim habet. *cap. 7.* Monemur & hoc titulo non valere confirmationem, quam religiosus à Papa super temporali administratione, seu prioratu obtinuit, si se tacuerit regularem. quòd si expressit, rescriptum iudicatur fallum, cùm tale Rom. sedes haud concedere cōsueuerit. *c. 5.* & *6.* & collationem Ecclesiæ alteri factā à Legato, siue ab ipso Pontifice confirmatam, nihil diœcesani iuribus obesse. *cap. vlt.*

DE.

DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII IX. LIB. III.

De vita, & honeſtate Clericorum. *Tit.* 1.

POST Iuris Canonici principia expoſiti breuiter ſunt ordines, gradus, iuriſdictiones, & officia magiſtratuum, qui Eccleſiaſticæ iuriſdictioni præſunt, ac ſimul cum his, quæ ad perſonas, reſq. litigantium initio iudiciorum pertinent, vti ſunt pacta, tranſactiones, in integrum reſtitutiones, arbitraria. Exin partes, ordo, progreſſus, & exitus iudiciorum ciuilium, atque criminalium. Nunc de clericis, apud quos, vt plurimum hæc aguntur; ac primum de eorum vita, & honeſtate. Clerici dicti, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent: Cleros enim Græce, Latine autem hæreditas nuncupatur. *can. 2. diſt. 21. cap. 16. infr. de præbend. & dignit.* generaliter Clericos dici omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt, vt Oſtiarios, Pſalmiſtas, ſiue Lectores, Exorciſtas, Acolytos, Hypodiaconos, Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos. Hinc breuiter Impp. interpretantur eos clericos eſſe, qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt. *l. 2. C. de Epiſc. C. Theod.* B. Hieronymus in *Epiſtola ad Nepotianum; Clericus*, inquit, *eſt, qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ.* Honeſtas igitur clericorum hæc in primis deſiderat; vt laici, dum ſacra celebrantur myſteria, cum clericis non ſtēr, nec ſedeant. Vetus quidem mos fuit clericos à laicis cancellis ſeparare in eccleſia. *can. ſacerdotum. de conſecr. diſt. 2.* qui S. Clementi aſcribitur Synod. Turon. 2. *cap. 4.* Burchard. *lib. 3. decr. cap. 102.* Anſel. *lib. 5. cap. 78.* Iuo *par. 2. cap. 137.* Hierony. *lib. 13. ad Ezechielis cap. 43.* explicans verba illa: *Fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum*, addit: *vt nihil intereſſet inter ſacrum & profanum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, vt vnus laicorum, & clericorum eſſet interitus.* Nec clericum decet cum armis incedere, nec comam, nec barbam nutrire, nec Sanctimonialium monaſteria ſine probabili, & honeſta cauſa frequētare, nec ludicra exercere, nec in cauſis ſibi delegatis, præter victualium expenſas, quidquam exigere; ſed continenter, & caſte viuere; crapula, & ebrietate, mimis, ioculatoribus, hiſtrionibus, tabernis, ludis, veſtibus inhoneſtis, & ornatu minus licito abſtinere, ait enim idem Hieron. in *epiſt. ad Nepotianum*, quæ eſt *ſecunda tomo primo*: *Ornatus, vt ſordes pari modo fugienda ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*: & in *epiſt. ad Heliodorum. 3. eodem tomo de* eodem Nepotiano loquens. *Cultus ipſe, Prouinciæ morem ſequens, nec munditijs, nec ſordibus notabilis erat: nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ deliciæ laudes pariunt.* denique ab omnibus ſecularibus negotiationibus ſe abſtinere; & præſertim à iaculatoria, gladiatoriaq. arte; item à carnificum, ſeu macellariorum officio, vt in *ſex. & in Clemen.* (& ſi tertio monitus non abſtinet, perdit interim clericale priuilegium. *cap. vlt. hoc tit.*) & ſi fieri poteſt, vna domo veſci, atque ſub vno, eodemque tecto dormire, & quieſcere, Deumque ſemper præ oculis habere. clericorum enim profeſſio vita cæleſtis eſt, vt ait Caſſiodorus ad clerum Eccl. Rom. *lib. Epiſt. 8. Epiſt. 24.* Neque debet clericus aduocationibus, conductionibus, vel fideiuſſoribus vacare, vt in *Nouella Leonis Philoſophi 86.* apud Photium in *Nomocanone* relata. qui & in *Nouella 68.* quam refert Balſamon in *gloſſ. cap. 13. de Parochys*; eamq. alibi non inueniri aſſeuerat; qua cautum eſt; Ne clerici, vel monachi Orphanorum rutelas, vel curas ſuſcipiant; quod & Iuſtinianus cōſtituerat in *Nouella 122.* ne Epiſcopi, & monachi ex vlla lege tutores, vel curatores cuiuſuis perſonæ

perſonæ fieri poſſent; Presbyteri, & inferiores cognationis iure poſſent. Caſſiod. *lib.* 12. *Epiſt.* 3. vniuerſis Epiſcopis ſcribens: *Orphanis, viduiſq. contra ſæuos impetus debent placita præſtare ſolatia.* Benignius Chalcedon. Synodus, quæ ad inexcuſabilem impuberum orphanorum, ac viduarum tutelam admitti voluit. *cap.* 3. quo iure vtimur. Quod de nutrienda barba, dicit, non arbitror velle intelligi, vt eam abciſam prorſus habeant. Nam barbæ pili qui nihil moleſtiæ aſſetunt, veluti dignitatem præſtant, virum oſtendunt, & quandam paternam reuerentiam incutiunt. vnde *Leuit.* 19. *Ne corrumpatis effigiem barbæ veſtræ.* Hierony. in 5. *Ezech. Barba virilitatis indicium eſt.* argumento eſt etiam quod ſcribitur in *Pſal.* 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Hanc duplicationem emphaticam eſſe docet Clemēs *Strom.* 3. vt pingat Sacerdotes decoris maſculis, venerabilibus moribus, non mollibus, effœminatis, iuuenilibus. Quod de nimio ornatu dicitur, quid ſit explicat nobis Innoc. iij. in *cap.* 15. *hoc tit.* & Clemens V. *in clemen. vlt.* videlicet, ne clericus publice virgata, vel partita veſte vtatur; neque infula, neque Epitogio, neque caligis ſcacatis, rubeis, aut viridibus: immo contra facienti pœnam conſtituit: vt non beneficiatus per idē tempus ad obtinendum beneficium ſit inhabilis; beneficiatus ſex menſibus fructuum perceptione careat; cui verò dignitatem habent, perſonatum, curamve animarum, atque religioſi omnes, quos oportet per decentiam habitus exteriſeci morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, per annum à fructuum quoque perceptione ſuſpenduntur. quæ omnia accipi debent, niſi timor, ſeu neceſſitas exigat habitum transformari, *d. cap.* 15. & *clem. vlt.* Eſt autem virgata veſtis diuerſi coloris virgis varia, atque diſtincta, vt Iulius Pollux interpretatur; in qua intexebantur virgæ purpuræ, hoc eſt, lineæ. Silius Italicus *lib.* 5. *Veſtes virgata auro.* ideſt virgis, ſeu lineis aureis diſtinctæ. & Virgilius 8. *Aeneid.*

Aurea cæſareis ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis:

Sagulum eſt veſtis genus, quod armis ſuperindui ſolet. Liu. *lib.* 1. *Multi ſæpe militari ſagulo opertum, humi iacentem, inter cuſtodias, ſtationesq. militum conſpexerunt.* Infula dicitur eſſe faſcia ad inſtar mitræ, ſiue diadematis. Feſtus, *Infulas ſacerdotum filamentum vocabant.* Alij ſcribunt infulas eſſe filamenta alba, quibus templa ornabantur: ac moris fuiſſe, vt nubentes, priuſquam nuptiarum feſtiuitas accederet, hoc eſt ſolemnis in mariti domum deductio, *l. ſancimus.* C. *de nupt.* infulis poſtes ornarent. Ipſe infulam eſſe exiſtimo inſigne ſacerdotis quoddam, quo vtebantur in ſacrificijs, vt apud eundem Virgilium *Georgicon tertio.*

Lanea dum niuea circundatur infula vitta.

Et M. Tullius 6 *in Verrem; Preſto mihi ſacerdotes Cereris cum infulis, & verbenis fuerunt. & contra Rul. His inſignibus, atque infulis imperij venditis.* Quare ſummus Pontifex in *d. clement. vlt. Aut infulam ſeu pileum lineum publice non portent in capite.* Epitogium eſt genus pallij, quod ſupra togam ferebatur. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 5. & ita breue eſt, vt toga, ſiue inferior veſtis, nimis oſtendatur: quod clericali habitu indignum viſum eſt. Cætera veſtimenti genera, quorum mentio fit in *d. cap.* 15. & *clemen. vlt.* explicatu opus non habent. Conſtat tandem ex hoc titulo, quanta ſit Epiſcopi auctoritas, vt epitogium à clerico auferre, & pauperibus dare, & eum, qui tonſuram deferre non vult, inuitum poſſit tondere. *cap.* 8. quæ fieri debet ad inſtar ſpheræ. *canon. prohibere.* 23. *diſtinct.* & ex facultatibus Eccleſiæ certum clericorum numerum ſtatuere, & contradictores compellere: ac iſtos in communi viuentes ob iniectionem manuum in ſocios abſoluere, *cap.* 9.

De cohabitatione clericorum, & mulierum. *Tit.* 2.

DECVRSO breuiter titulo generali, de vita, & honeſtate clericorum, datur ſpecialis titulus *de cohabit. cleric. & mulier.* quippe qui non modo ad fœminas, quæ nullo cognationis iure nobis coniunctæ ſunt, ſed & ad matrem, & quamlibet & conſanguineam ſe extendit. *cap.* 1. quod ita intelligendum arbitror, ſi cum ijs clericus immoderatam teneat familiaritatem: ob idque mala ei fama orta ſit. *canon. quorumdam. diſtinct.* 34. & *cap. vlt. hoc titulo.* Idcirco recte in libro Veronenſi, vt diſerte tradit Antonius Auguſtinus *in Notis*, his verbis; *Quapropter vnuſquiſque Epiſcopus in tali re ſtudioſe, ac diligenter curam habere de rebus debet, ne Chriſti Eccleſia poſſit à propriis ſordidari miniſtris; quia cui propria vxor non conceditur, maxime ab omni fœmina eſt abſtinendum.* Diuus Auguſtinus fœminarum quoque omnium, & in eis ſororis, & fratris filiæ contuberniū, familiaritatemq. vitauit: quippe qui ſoleret dicere; *Etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas veniitarent, poſſe ſuſpicionem efficere.* Ideoque clericus cum mulieribus crimine fornicationis ſuſpectis nec debet conuerſari, nec confabulari. quòd ſi ſecus fecerit, & ter monitus non deſiſtit, excōmunicatur ex Eugenij decreto. Idem apud Græcos, vti videre eſt apud Photium in Nomocanone

sit.8. *cap.* 14. quod ita inscribitur, *de Episcopis, & clericis, qui cum introductitijs mulieribus conuersantur.* & in *cap.* 3. *Nicena synod.* & in *cap.* 5. *sexta synod. in Trullo.* & in *Epistola Basilij ad Gregorium presbyterum.* Est & illud in hoc titulo singulare, quòd Prælatus ad concubinã obiurandam cogere minus potest concubinarium; ne in eandem fornicationis labem instinctu diabolicæ fraudis rediens, periurij reatum incurreret. *cap.* 3. Quod si eam non dimiserit, à beneficijs suspenditur; & si noluerit se corrigere, perpetuò remouebitur. tanta est enim huius criminis detestatio, vt si notorium sit (est etenim aliud notorium, aliud occultum; hoc ab Ecclesia toleratur, de illo presbyter canonice condemnatur: quod tunc notorium fit vel per sententiam, aut confessionem in iure factam, seu per euidentiam rei, quæ tergiuersatione celari minus potest. *c.* 7. *& vlt. hoc tit. cap. cum dilectus. in fine. infra de purg. canon. cap. manifesta. cum seq.* 2. *q.* 1.) possumus ab eius officijs (licet quæ sacra sint, coinquinari minime possint. *cap. vlt.* 15. *q. vlt.*) abstinere; vt peccandi licentia cæteris auferatur, & is facilius ad pœnitentiæ fructum trahatur. Et potest hic titulus ad sacratissimas virgines referri: vt quemadmodum clericis non licet extranearum mulierum consortium habere, multo minus licebit monialibus. namque Iustiniani *Nouell.* 6. *de sanctiss. Episc.* Diaconissis interdicitur consortio extraneorum virorum. quam & Photius ipse refert in *d. cap.* 18.

De clericis coniugatis. *Tit.* 3.

MINVS quoque decet clericum sacris initiatum ordinibus nuptias contrahere; alioquin nuptiæ, quas contubernia maluit summus Pontifex denominanda, sunt iure ipso nullæ. etsi longa peracta pœnitentia vitã laudabilem continente, officio suo potest restitui. *c.* 4. qui enim mulierẽ habet, non potest in vitam cõtemplatiuam tendere, animumq. dirigere; sed in re vxoria, & familiari semper est occupatus: cum multa sint connubij onera. hinc Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. grauem coniugij sarcinam intelligẽs, *Si est ita*, inquit, *non expedit homini vxorem habere. cap. omnes.* 32. *q.* 7. Neque is, qui vxorem habet, vacare studijs potest: cuius rei præclarũ præbet exemplum B. Hieron. *contra Iouianum:* quòd cum Cicero post Terentiæ repudium ab Hircio rogatus, vt suam sororem in vxorem duceret: respondit non posse & vxori, & Philosophiæ simul nauare operam. Fortiori sane ratione, & Deo, & vxori haud satis recte possumus seruire. *arg. cap.* 1. 21. *q.* 1. Quare Apostolus *ad Timoth.* 3. *Oportet*, inquit, *Episcopum vnius vxoris esse virum.* Illud quoque vnum hic scire erat necessarium, num inquam, in minoribus constitutus possit impune vxorem ducere? Et posse rescriptum est; Ecclesiastica tamen beneficia dimittere cogitur: & si quid Ecclesiæ, cuius titulo erat ornatus, contulisset; absque vlla controuersia ad eum reditur. Ab eo autem beneficia, non per eundem Episcopum, qui scienter post contractum matrimonij fœdus, contulit. sed per superiorem debent auferri. Potest nihilominus Episcopus coniugatum, si castitatem promiserit, ad ordines, administrationemq. Ecclesiasticam, & beneficium promouere. *cap.* 2. Sic coniugatus clericus, & non beneficiatus ad tonsuram cogi nequit. At si eam ferat, habitumq., duplici clericali fruitur priuilegio: altero, quod Innocen. ij. concessit. *cap. si quis suadente.* 17. *q.* 4. altero, à Bonifacio viij. vt pro commissis ab eo excessibus, vel delictis, tam in criminali, quàm ciuili causa ad tribunal seculare trahi nõ queat. *c. vnico. in sexto.* si inquam, vna duntaxat, & virgo ei fuerit desponsata. *d. cap.* 2. *&* 3. *&* 7. *sup. de big.* Hodie ex Tridẽtina Synod. *sess.* 24. nullum habet priuilegium, nisi ministerij quicquam Ecclesiæ præstet. Colligitur etiam ex *cap.* 6. *huius tituli*, Orientalem Ecclesiam continentiæ votum non admisisse. ob id Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in maioribus contractis iam vtuntur nuptijs. Quare filius Græci sacerdotis licite inter Latinos potest vel ad dignitatem Episcopalem promoueri.

De clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda. *Tit.* 4.

NEQVE decens est, vt qui beneficium habent, huc, atque illuc belluarum more vagentur: immo iustum, atque honestum summis legum Antistitibus visum est, vt ipsi in suis residerent beneficijs: & nisi residerent, atque moniti, legitime vocati, & in termino sibi præfixo non reuersi priuarentur, etiãsi modicæ sint æstimationis, vt in *cap.* 6. idque in Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales locum habet. *cap.* 2. 8. 9. *&* 10. siquidem beneficium omne propter officium, laborem, & industriam conceditur. *cap. vlt. de rescript. in sexto.* Cessante itaque causa, ob quam datur beneficium, ratio postulat, vt à beneficiario id auferatur. Nec valde dissimilis est clericus ab ecclesia sua absens, militiæ desertori: namque cingulum honoris sui eum amittere, & pro ea desertione castigari debere fuit constitutum. *cap. placuit.* 21. *q.* 2. nisi iustum sit impedimentum. idem quoque sanxit Apostolorum *canon.* 14. & 15. Syn.

Ancy-

Ancyranæ *cap.* 18. Syn. Anthioch. *cap.* 3. 13. 22. Syn. Chalc. *cap.* 13. 23. Syn. Laodic. *cap.* 41. 42. Syn. Conſtantinop. *cap.* 2. Syn. 6. *cap.* 17. 18. 20. Syn. Nicænæ ſecundæ. *cap.* 10. Syn. 1. & 2. quæ in ſacra Apoſtolorum æde habita eſt. *cap.* 16. & 42. Tridentinæ Syn. *cap.* 1. & 2. *ſeſſ.* 6. Variæ itē leges emanarunt, quibus nominatim cautum eſt, vt abſentes clerici ſi ad ſuas Eccleſias moniti non redierint, beneficia ipſis adimerentur. Nouella Iuſtiniani *c.* 6. 58. & 123. quanquam Innocentius iij. nullam videatur deſiderare monitionem, ſed vt iure ipſo ſint priuati. *cap. extirpanda. S. qui vero, infra tit.* 1. cui videntur aduerſari prorſus *cap.* 8. 10. 11. & *vlt. huius tit.* de quorum ſententia dicam alibi latius. Iuſte dicuntur impediti, qui in ſeruitio ſui Epiſcopi ſunt, vel ſtudiorum cauſa abſunt, vel pro Eccleſia. item ſi ipſius Romani Antiſtitis familiares ſint; item quos infirmitas, ſeu iuſta, & vrgens corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſat. *cap. vnic. in ſexto.* hi enim præſentes potius, quàm abſentes dici poſſunt. *cap.* 12. & *l. queſitū.* 78. *in princ. ff. de leg.* 3. Quod autem dicimus de Epiſcopi ſeruitio, de duobus tantum dicimus. duo enim dumtaxat abeſſe poſſunt. Nonnulli etiam id habere locum in inferioribus clericis tradunt, dummodo ſit cum diſpenſatione Epiſcopi, vt per Ioan. Andr. *ad cap. ad audientiam.* 15. *verſ. dici poteſt. hoc tit.* quem ibi ſequuntur Butr. *num.* 9. Card. *queſt.* 4. Imol. *num.* 13. Ioann. de Anan. *in princ.* Anchar. *in 5. notab.* Rota diuerſ. *deciſ.* 222. *par.* 2. vbi quærit, an vicarius Epiſcopi poſſit percipere fructus ſui canonicatus ſi abſens ſit: immo ſi Eccleſia ſic deſtituta miniſtris fuerit, vt eorum abſentia noceat, per fructuum ſubtractionem aſſiſtere coguntur; ac etiam alij priuilegio muniti, quapropter ſanctè ſancitum fuit, ne vni plures dignitates, vel alia beneficia aſſiduitatem poſtulantia conferrentur, cùm per ſeipſum, non per ſubſtitutum regere teneatur. *cap.* 3. *hoc tit. cap. dudum.* 54. *ſup. de elect. cap.* 2. *ſupra de offic. vic.* Studiorum verò cauſa abeſſe ita accipi oportet; vt ille ſit in ciuitate in qua artium, & diſciplinarū publice fiat exercitium; non æque in villis, ſeu caſtris. *d. cap.* 12. Quid vero dicemus, ſi quis abſens eſt, & vbi ſit neſcitur? Tribus publicis in eius Eccleſia edictis vocabitur: quòd ſi intra ſex menſium ſpatium non reuertatur, priuabitur. *c.* 2.

Cætera, quæ huc ſpectant, dixi in *titulo ſeptimo. lib.* 1.

Germonij Paratitla.

De præbendis, & dignitatibus. *Tit.* 5.

HIc titulus ad ſuperiores reſpicit, cùm clerici non poſſint honeſtè viuere, niſi præbendas obtineāt, ex quibus ea, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, percipiant. *cap.* 30. *hoc tit. cap. charitatem.* & *cap. quicumque. cum ſequen.* 12. *queſt.* 2. quæ connexationis ratio & ad ſecundam tituli partem attinet. Licet enim poſſit quis condecenter viuere, etiam ſi non vtique habeat dignitatem, dummodo præbendam habeat: attamen ſi dignitatem obtinet, perinde eſt, ac ſi præbendā haberet, ex qua condigne poteſt victum deſumere; aliaque in vſus ſibi neceſſaria. tum quia præbendæ nomine continetur & dignitas, vt infra dicetur. In quibuſdam enim codicibus inſcribitur hic titulus, de præbendis, tantum. ſed non male, & de dignitatibus, propter eminentiam; quia nullum eſt aliud beneficium, de quo tot ſint conſtitutiones, quot de dignitatibus. argumento eſt titulus *C. de ſeruit. & aqua* & *C. de impuber & aljs ſubſtit.* omnes ferè conſtitutiones ſunt de aquæductu, & de pupillari ſubſtitutione. cui conuenit mirifice & illud; *Dixit Apoſtolis, & Petro. Marci vlt. can.* 2. *diſtinct.* 22. & *l. quæſitum. S. vlt. ff. de fund. inſtruct.* Cùm honeſtè igitur viuere minus poſſint Clerici, niſi præbendas habeant; merito ſancitum fuit, ne vllus ordinetur, niſi beneficium obtineat, vnde decenter viuere poſſit; aut ſufficiens patrimonium. Quod cùm in deſuetudinem abijſſet, in vſum reuocauit ſancta Tridentina Synodus. Quare Epiſcopus, ſi aliquem beneficium minime habentem ad ſacros ordines promouerit, de ſuo donec titulum fuerit conſequutus, ei prouidere tenetur. *cap.* 2. 4. 16. 23. & *in ſexto cap.* 5. & *de filijs presbyt. cap.* 5. Ac proinde pati non debet, vt apud vnum ſint duæ, pluresvè præbendæ, aut dignitates: ſed clericus vnam eligere, & alteram omittere; alioquin omnibus priuabitur. *cap.* 5. 7. 13. 14. 15. 18. 28. & *in ſexto cap.* 6. & 18. Niſi clerici illuſtri genere ſint, & litterati homines, qui per ſedem Apoſtolicam poſſunt diſpenſari. *d. cap.* 28. quod Ioannes xxij. reſtrinxit ad Cardinales, & Regum filios, qui propter ſublimitatem eorum, & generis claritatem potioris prærogatiuæ gratia ſunt attollendi. *cap. vnic. Extrauagan. Ioann.* Et contra duobus etenim ad vnam dignitatem, ſiue præbendam ſimpliciter receptis, non tenet receptio, cùm diuidi nequeat. *cap.* 20. 25. & *c. ſi quis iam.* 21. *q.* 2. Si verò duo ſint electi, vterque poteſt in iudices compromittere: & iudices alterum confirmare

poſſunt, & alteri pro bono pacis ex prouentibus prouidere. *cap.* 21. Et vacante vna præbenda, duæ ex ea fieri poſſunt, ſi eius ferunt facultates. *cap.* 26. Vel ei honeſtum onus à Prælato imponi, ad quod præbendarius tenebitur. *cap.* 9. Et ob paupertatem cathedralis Eccleſiæ, licet ei capellas, vt dicunt, adiungere, reſeruata ipſarum presbyteris portione. *cap.* 33. Eſt autem præbenda viris idoneis, & qui poſſunt ſeruire, conferenda. *cap.* 35. & qui reſident in loco, ac curam eius per ſe valent exercere. *cap. relatum. ſupra titulo proximo*. Confertur regulariter à Prælato ipſius Eccleſiæ, in qua collatio fieri debet. *cap. ex frequentibus*. & *cap. ad decorem. infra titulo ſecundo*, quemadmodum & Eccleſiarum collatio. Quæ ad Prælatum iure ordinario ſpectat. *cap. cum nos. ſupra de offic. ordin. cap. ſi quis Epiſcopus*. & *cap. peruenit. prima quæſtione tertia*. tametſi contrarium moribus interdum ſit receptum. *cap. cum Eccleſia Vulterrana. ſupra de electione*. *cap. nulla. infra de conceſſione præbendæ*. ſiue iure ſpeciali. *cap. cum veniſſent. infra tit.* 2. Interdum & ad Prælatum, & ad Capitulum. *cap. poſtulaſtis. infra diſt. titulo de conceſſione præbendæ*. & *infra tit. de iis, quæ fiunt à prælat. ſine conſ. capit*. Interdum ad ſolum Prælatum. *cap. ea noſcitur. dicto titulo de iis, quæ fiunt à prælat*. Interdum à ſolo Collegio collatio fit. *dicto capit. cum Eccleſia*. Atqui vacantia in Romana curia beneficia præter Romanum Pontificem conferre poteſt nemo; ſecus collatio eſt irrita. *cap.* 2. *in ſexto*. Quod Gregorius Decimus intelligi voluit, ſi intra menſem à die vacationis conferat; alioquin illi, ad quos collatio pertinebat, libere illam poſſunt conferre. *cap.* 3. *in ſexto*. Et facta collatio proprio Pontificis Romani motu, pluribus beneficijs in eadem Eccleſia vacantibus ſimul, intelligitur facta de pinguiori; ſi æqualia ſint, ad eum attinet electio, cui gratia eſt conceſſa. *cap.* 24. *in ſexto*. Eſt etiam in hoc titulo limitatio ad ſuperiorem. vt quod enim dixit, qui ſtudendi cauſa in gymnaſium miſſi ſunt, aliquid poſſe ex ſuorum beneficiorum fructibus percipere: hic excipit quotidianas diſtributiones, quas ijs tantum, qui horis interſunt canonicis, exhiberi voluit Honorius Tertius, *cap.* 32. Præbenda veteri loquendi modo legebatur pluraliter neutro genere, vti ex Vlpiano conſtat in *lege inuiti.* 2. *ff. de teſtibus*, & Plautus in *Perſa* ait, *Prædia ædiles locauere*. Gellius *lib.* 15. *cap.* 4. *de Ventidio Baſſo* ſcribens, *Prædia*, inquit, *publice conduxiſſe*. quare non dubito nos poſſe præbendas noſtras neutro genere Latinius dicere. Iure ciuili Præbenda dicitur etiam panis ciuilis, & annonæ ciuiles, vel apud Imperatores, qui non ita emunctæ naris fuerunt, vti Iuriſconſulti; vt in *lege vltima. Codice de quadr. præſcript. lege vltima. C. de iure dot. lege hac edictali. §. his illud. Codice de ſecund. nupt.* & *Nouell.* 88. & *lege* 8. & 9. *Cod. Theod. de ann. ciuil.* Idem in Iuſtiniani *Codice eodem lege prima*, *lib.* 11. quæ quandoque ſtipendia in diuerſis ſpeciebus de publico miniſtrata appellantur. *lege priuilegia. Codice de ſacroſanct. Eccleſ.* Iure autem noſtro præbenda eſt emolumentum ex quolibet Eccleſiæ titulo alicui prouenienſ. Dico ex quolibet titulo, quia Præbenda nomen generale eſt, omnia omnino Eccleſiaſtica beneficia amplectens; *can. ſi quis dator.* 1. *quæſt.* 3. vti videre eſt toto hoc titulo. Idcirco datur titulus de præbendis, non de præbenda; & de præbendis, non æque de beneficijs. ſic & titulus de conceſſione præbendæ, non beneficiorum, non dignitatum. Neque dubium eſt præbendas tam alia beneficia, quàm canonicatum continere. *cap. tua. infra de verborum ſignificationibus*; quamuis vulgo receptum ſit præbendam eſſe canonicatuum dumtaxat. Et dignitatibus. Dignitas definiri poteſt, quòd ſit adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione, vt ſcilicet is dicatur dignitatem habere, qui iuriſdictioni præeſt, vtpote Archidiaconus, archipresbyter, prior, rector, & ſi qui ſunt alterius nominis. Confunditur etiam in præſenti titulo, & alibi paſſim cum dignitate Perſonatus. *cap. dilectus. infra de conceſſione præbendæ*. *cap. ad aures*. 8. *ſupra de Reſcript.* & quandoque officium, vt in *cap.* 1. *de conſuetud. in ſexto*. quæ quidem ſinonyma videntur, vt in *cap. cum acceſſiſſent. ſupra de conſtitut.* quo loco officium, & dignitas, & perſonatus appellatur. Dignitatem verò, & perſonatum parum, aut nihil admodum differre in ſubſtantia exiſtimamus: quamuis Archidiaconus in *d. cap.* 1. *de conſuetud.* aliter ſentiat, quòd ſcilicet, perſonatus ſit quædam prærogatiua in Eccleſia, ſine iuriſdictione, pro qua requiritur reſidentia. *cap. dudum. §. ſed cum in iure. verſ. cum idem de perſonatibus. ſupra de electione*. vt cum quis ſtallum (vt vocant) in choro præ alijs honorificum habet. Officium eſſe rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem ſine iuriſdictione, vti eſt Sacriſtæ, theſaurarij. cui hac in parte aſſentio. Sed hæc nomina ex varietate, vt eleganter adnotauit Abbas Panormitanus, locorum, in vſum potius venerunt, quàm ex rerum ſubſtantia. Dici tamen vere poteſt; quòd Dignitas illa eſt, quæ in iure expreſſa eſt, vt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, de quibus extant ſpeciales tituli *lib.* 1. Vel etſi iure non expreſſa eſt, vſu tamen, ac loci conſue-

conſuetudine comparatum eſt vt ſit dignitas, perſonatus ſit, ſiue perſonatum habere dicatur Eccleſia quælibet, quæ perſonalem exigit ſiue iure, ſiue conſuetudine reſidentiã; licet nec iure, nec conſuetudine pro dignitate habeatur. *c.1.ne cler. vel monach. lib.6.* vti ſunt canonicatus, vel alia, quæ licet dignitatem habere videantur, quod in pluribus contingit cathedralibus Eccleſijs, non habent tamen; vt eſſe poteſt Præpoſitura, Cantoria, Theſauraria, & huiuſmodi alia; quæ conferri ſolent etiam ab ordinarijs. & de hijs intelligi poſſet *cap. Statutum in princ. de reſcrip. lib.6.* ibi, *niſi dignitate præditis aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Canonicis.* quo loco videmus dignitatem à perſonatu, & perſonatum à Canonicatu diſiungi, & tanquam diuerſa poni; ita nec curam habent animarum, nec dignitatem. ſiquidem dignitatis appellatione non venit beneficium curatum: vt ſi Rom. ipſe Pontifex mandauerit alicui de dignitatibus prouideri, niſi expreſſa curati beneficij facta ſit mentio, cura non comprehenditur, cum in eo maius requiratur animi iudicium, perſpicacitas, atque prudentia. *cap.16. in 6.* licet & beneficiũ curatum dignitas dici poſſit. *clem.1.eod.* De hoc titulo multa etiam relata ſunt in *tit. de reſcr. de elect. de ætat. & qualit. de filijs presb.*

De clerico ægrotante, & debilitato. *Tit. 6.*

EX Apoſtoli traditione ad Corin. *Qui ſeruit altari, viuere debet de altari. cap. cùm ſecundum ſup. tit. primo.* Cùm autem præbendæ, atque alia Eccleſiaſtica beneficia ad hoc conſtituta ſint, in dubiumq. venire poſſit. num ægrotantes clerici, qui iam & altari, & præbendis ſunt addicti, ijs vti, fruiue valeant: eleganter præſens titulus ſuperioribus annectitur: quo ſane cauetur, vt clericus infirmus integros beneficij ſui fructus percipiat. *cap.1. Etenim corporalis percuſſio, vtrum pro purgatione,* vt in Regiſtro eſt ſcriptum, *an pro vindicta, contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur. non debet itaque à nobis addi afflictis afflictio; ne nos culpæ (quod abſit) offenſa recipiat.* Si verò ita morbo laborant, vt non niſi cum ſcandalo, & populi abominatione poſſint celebrare, datur eis coadiutor, vel ab adminiſtrationis officio remouetur, relicta eis ex eius facultate Eccleſiæ portione, qua dum vixerint, honeſte ſuſtentari queant. *cap.2.3.4.6.* Epiſcopo ſeni, vel ægroto, vel debilitato coadiutor, cùm ſit de maioribus cauſis, niſi ex ſedis Apoſtolicæ auctoritate, vel ſaltem ab ea confirmatus, non datur. *cap. vnico in ſexto.* Debilitatus dicitur, qui ex aliqua corporis parte eſt mancus, vt muncus, vt cui medietas palmæ cum duobus digitis eſt abciſſa; qui ſi miſſam celebrare prohibetur, cæteris tamen ſacerdotalibus officijs ei fungi permittitur. *cap.2.*

De inſtitutionibus. *Tit. 7.*

RECEPTO in canonicum, quàm primũ fieri poterit, debetur præbenda: & interim quotidianas habebit diſtributiones. *cap. dilectus filius. ſupr. de præb. & dignit. cap. cùm ſuper. inf. tit. primo.* ſed ne plures, quàm ſint præbendæ, recipiantur, certus canonicorum numerus debet ſecundum ipſarum facultatem. Eccleſiarum, in quibus ſuſpiciuntur, inſtitui. *cap.1. & cap. quoniam. ſup. de vit. & honeſt. cler.* niſi ſponte eiuſdem Eccleſiæ clerici velint admittere. *cap.4. cap. cum M. ſupra de conſtit.* Inſtitutio proprie eſt clericorum; quæ ad Epiſcopos, vt aliàs dixi, (niſi ſede vacante, *cap.1. in 6.*) vel eorum vicarios tantummodo ſpectat. *cap.3. & 5.* quippe qui extraneos, atque adeo vndecumque originem habuerint, ſi litteris, & morum honeſtate præditi ſint, ex Innocentij iij. conſtitutione valent conſtituere. *d. cap.1. & 5. cap. eam te. ſup. de reſcrip.* Contra vero is, ad quem dignitatum collatio pertinet, ſe ipſum inſtituere nequit; argumento *l. ille. §. penult. ff. ad S.C. Trebel.* namque prætor hæres inſtitutus ſuſpectam dicens, ipſe ſe cogere non poteſt: quia triplici officio fungi haud queat, vt ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis. ita Epiſcopus, qui abbatiam ſub eius iuriſdictione habet, per ſe ipſe eam non poteſt recipere; cùm inter dantem, & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonarum; Nec ab alio, cum ius conferendi alius non habeat. *cap. vlt. hoc tit.* qui ſi ab ſummo Antiſtite inſtitutus ſit, acquirit quidem prælaturæ titulum, (ſic & cæteri) ſed non idem poſſeſſionem, niſi inſtitutus poſſeſſionem nanciſcatur. *cap. cum in cunctis. §. 1. ſupra. de elect. l. cum heredes. ff. de acquiren. poſſeſſ.* Quapropter nemo definit in priori Eccleſia titulum habere, niſi in ſecunda poſſeſſionem nactus fuerit. *can. ſi qui Epiſcopi. 92. diſt.*

De conceſsione præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis. *Tit. 8.*

ADHVC perſequitur, quem cœpit auctor tractatum: vt iuxta Eccleſiæ facultates inſtituantur clerici; non autem in viuentis locum; ne mortis alienæ votum ingeratur; & Eccleſijs, prælatis, omnibusq. Eccleſiaſticis perſonis periculũ inferatur. *c.2. eod. in 6.* hinc Gelaſ. Papa ab Eccleſiaſtica cõmunione repel-

repellendos eos voluit, qui ſe paſſi ſunt, ſucceſſores viuis ſacerdotibus adhiberi. *cap.* 1. Nam impetrans beneficium viuentis delinquere dicitur. Caſſad. *deciſ.* 21. *de præbend.* Sarnen. *ad regul. de impetr. benef. viuen. q. vlt.* & latius *ad reg. de verisim. q.* 6. Paleot. *deciſ.* 24. Simon. *deciſ.* 23. Creſcen. *deciſ.* 116. Hinc Cantuccius *in deciſ.* 9. *num.* 2. *par.* 2. *diuerſ.* dicit, præſumptionem excluſiuam delicti eſſe faciendam. *l. merito. ff. pro ſocio. cap. fin. de præſumpt.* Et præſumendum eſſe pro impetrante. Quod impetratio ſit valida, & legitimo tempore facta, ſcribit Pureus *deciſ.* 427. *lib.* 3. Cantucc. *d. deciſ.* 9. *num.* 4. Ergo quod occaſione quadam alibi, vt in *cap. ex par. ſupra de offic. deleg.* dixit ſoli Romano Pontifici non vacatia beneficia conferre licere; dat hic ſpecialem titulum de conceſſione præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis; ne beneficia non vacantia concedi, nec permitti debeant, neque ius patronatus, antequam vacet. *cap. vlt.* immo vacantia conferuntur, non obſtante appellatione eorum, quibus promiſſa fuerunt, antequam vacarent. *c.* 3. ſecus verò ſi prælatus promiſit, cum poterit; tunc obligatur. *cap.* 14. qui & alteri beneficium conferendi poteſtatem tradere poteſt. *cap.* 11. Porrò vacantia beneficia ſi intra ſex mẽſes, ex Lateranenſi Concilio is, ad quem collatio attinet, non cõtulerit; ab Epiſcopo ad capitulũ, vel à capitulo ad Epiſcopum, demum ad proximum ſuperiorẽ deuoluitur. *cap.* 2. quod ad Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum non extendi eleganter Innocentius Tertius eſt interpretatus. *cap.* 12. Et tempus Lateranenſis Concilij non à vacationis tempore, ſed ab ipſius notitiæ die computatur. *cap.* 5. Atqui ſi duo littéras de vno, eodemque beneficio obtinuerint, quis erit præferendus? Primus, licet poſterior prius litteras præſentauerit, & receptus ſit: quia inſpicitur data. *cap.* 7. *de præbem. & dignit. in ſexto. & cap. ſi eo. de reſcript. lib.* 6. etenim litteræ ad beneficium impetratæ, quæ alterius non faciunt mentionem, etiam ſi colorata ſit alterius poſſeſſio, non valent. *cap.* 6. Quid ſi tres in vna, eademq. Eccleſia præbendam expectent? Primus, Martini auctoritate, alter auctoritate Bonifacij, tertius eiuſdem Bonifacij auctoritate, cum prærogatiua, vt omnibus præferatur receptis non Bonifacij auctoritate? Præbendæ hoc ordine conceduntur; prima, quæ vacabit, ſecundo; ſecunda tertio, tertia primo. *cap.* 7. *eod. in* 6.

Ne ſede vacante aliquid innouetur. *Tit.* 9.

POSTQVAM de inſtitutionibus, beneficiorumq. collationibus eſt actum, recta via ad titulum deſcendit generalem, vt ſede vacãte collatio ad prælatum ſpectans, vel inſtitutio, vel iudicium contra Eccleſiam habitum, & alia id genus facta, irrita fiant. Quamnis capitulum ſede vacante præſentatos à patronis, ſi fuerint idonei, admittere, eoſque inſtituere in beneficijs, ad quæ præſentati fuerint, poſſit, licet ad Epiſcopum, ſi extaret, admiſſio, atque huiuſmodi inſtitutio pertineret. *cap.* 1. *de inſtit. in ſexto.* quod in præſentatis dumtaxat, non in eligendis obtinere arbitramur. Verum ſi collatio communiter ad Epiſcopum, & capitulum ſpectat: defuncto Epiſcopo, confert capitulum. *cap.* 6. *in ſexto.* At ſi ad Epiſcopum de conſilio, ſeu aſſenſu capituli, illo enim inhabili, niſi ſit in mora, non confert capitulum. Si ad capitulum cum conſilio Epiſcopi: huius morte, vel abſentia interueniente recte confert. *d. cap.* 1. §. 1. *et* 2. Sed an Eccleſia vacans, quæ œconomum, ſyndicum, aut defenſorem, actoremve habet, per eam poteſt agere, aut conueniri? Dubitationem facit *cap. vlt.* ibi, carente legitimo defenſore. ſolutio eſt, quod vbicumque legitur vacantem Eccleſiam poſſe conueniri, non de œconomo, vel procuratore intelligi debet, ſed de coadiutore, qui omnem habet adminiſtrationem tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus. *cap.* 1. & *cap. quamuis.* 7. *q.* 1. Vacante tamen ſede, capitulum, ex Tridentinæ ſynodi decreto, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomũ vnum, vel plures fideles, & diligentes diſcernat, qui rerum Eccleſiaſticarum, & prouentuum curam gerat, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Sedes hic vacare dicitur, quæ prælatum non habet. quanquam ea, quæ hæreticum habet, nullum habere fingitur. *cap.* 1. *ſupr. de præſcrip.*

De ijs, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli. *Tit.* 10.

QVEMADMODVM regulariter ea, quæ ſede vacante, à capitulo fiũt pro infectis habentur, ita irrita erit Epiſcoporum, & Abbatum donatio, venditio, commutatio, alienatio, inſtitutio, deſtitutio, conceſſio, confirmatio, atque prælatorum præſentatio, abſque clericorum collaudatione, & ſubſcriptione. *c.* 1. 4. 5. 6. Et (quod plus eſt) Epiſcopus Eccleſias alijs

aliis Eccleſijs, vel obuentiones ipſarum de conſenſu patroni ſine conſenſu capituli ſui concedere prohibetur. *cap.* 8. *&* 9. In re temporali alienata taciturnitas capituli, vel ratihabitio pro conſenſu ſuſcipitur. *cap.* 2. *&* 3. Et donatio decimarum, quam laicus de ſolo Epiſcopi conſenſu Eccleſiæ facit, valet; ſi decimæ illæ ſint, quæ laicis in feudum perpetuo fuerant conceſſæ: cum Lateranenſi Concilio interdictum ſit, ne quælibet religioſa perſona Eccleſias, & decimas de manibus laicorum abſque Epiſcoporum conſenſu recipiat. *cap.* 7. & *ſup. de præben. cap.* 31. Habetur tandem ex vltima huius tituli conſtitutione, capitula cathedralium Eccleſiarum ad concilia Prouincialia vocari, atque admitti debere.

De ijs quæ fiunt, à maiori parte capituli. *Tit.* 11.

QVAEDAM ſunt negocia, quæ ita omnino Epiſcopi, & collegij, vel Abbatis, & conuentus diſcreta videntur, vt in ijs nullus Epiſcoporum, Abbatumve deſideretur conſenſus, vt in *cap. edoceri. ſup. de reſcript.* quæ cùm à maiori parte capituli, atque ſaniori peraguntur, ſuum ſortiuntur effectum: niſi à paucioribus contrarium probabili ratione oſtenſum fuerit. vt hic in *cap.* 1. & *ſup. de elect. cap.* 2 2. 53. *&* 57. Item prælatus poteſt cum maiori parte collegij, etiam contradicente minori, pro euidenti Eccleſiæ vtilitate aliquid ſtatuere. *cap.* 3. Maiorẽ partem eſſe credimus, quæ maior eſt numero. ſed dici etiam poteſt maior, quæ ſortiori ratione mouetur. *can ſana.* 9. *diſt. can. multi.* 40. *diſt.* vti in *tit.* 6. *lib.* 1. diximus. Si vero inter ipſos prolixitas quæſtionum, & difficiles cauſarum nodi oriantur, ad ſedem Apoſtolicam referuntur, vt procedat ab ipſa Apoſtolica ſede ſententia, ducens in certitudinem dubia, & obſcura producẽs in lucem, & litigantium diſſenſione ſopita, ſuum iuſtitia tueatur, & ſequatur actorem. *Namque ſummi Eccleſiæ antiſtites*, vti gladio Salomonis, qui ſecat vtrumque, reddens vnicuique quod ſuum eſt, *veri Salamonis*, vt in *cap.* 3. tertiæ cõpilationis legitur, *diuina dignatione tenent gladium; quem tunc prudenter exercent, cùm quæſtiones in eorum auditorio legitime ventilatas, mediatas iuſtitia definiunt.* Quæ quidem verba eſſe ipſius Innocentij iij. ad Auguſtinum Propoſitũ conſcripta indicat ſatis reliqua capitis pars, quæ adhuc in hiſce noſtris libris extat. Iſt & illud ex hoc titulo diligenter obſeruandum, canonicorum neminem poſſe ſine Epiſcopo, & aliorum fratrum aſſenſu interdicere, eo quòd penſio Eccleſiæ debita non reddatur. *cap.* 2.

Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. *Tit.* 12.

PERTINENT potiſſimum ad hũc ſuperiores tituli: namque res, de qua pluribus iam ſermo eſt habitus, hoc deficiente legitime confici non poterat, cùm in Lateranenſi ſynodo apertiſſimis verbis interdictum ſit, ne quis conferendo beneficium Eccleſiaſticum, prouentuum partem ſuis vſibus retinere præſumat: & ab Innocentio iij. conſtitutum, beneficia ſine diminutione debere conferri. *cap. ſi quis prebendas.* 1. *q.* 3. Item ab alijs, vt in *cap. maioribus. cap. vacante. & cap. cùm cauſam. ſupra. de præben. & dign.* Quòd ſi exigatur aliquid, ſimoniacum eſt. Si vero ante donationem donator prouentus perceperit, diſtinguendum eſt: aut ante donationem conſtitit, vt ipſi fructus, ſeu prouentus ad tempus pro iuſta, & neceſſaria cauſa retineantur; aut verò conuenit cum eo, qui eſt beneficium adeptus, vt dato ei beneficio, retineat ſibi prouentus: hoc nullo prorſus modo permitti, illud poſſe non inſubtiliter fuit ab Innocentio iij. hic deciſum.

De rebus Eccleſiæ alienandis vel non. *Tit.* 13.

NVLLA ratio ſinit, vt qui de ſuo in Eccleſiam non contulerit, quicquam ei detrahat: nam quod pro communi vtilitate datum eſſe dignoſcitur, proprijs cuiuſq. vſibus applicari minus debet. *l. actione. S. Labeo. ff. pro ſocio. & cap. ratio. ſupra. de præben.* qui autem alienat, ius in re habere videtur. atqui prælati Eccleſiaſticarum rerum domini nõ ſunt, ſed procuratores. *cap.* 2. *infra. de donat.* Qui Eccleſiæ conditionem meliorem facere poſſunt, deteriorem non item. tametſi prælatos poſt factam bonorum Eccleſiaſticorum diuiſionem. *cap. redditibus. cap. vobis cap. quatuor.* 12. *q.* 1. vere dominos eſſe eius fructuum portionis, quæ ſibi contigit, recte exiſtimauit D. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. quem ſequutus eſt Adrianus 4. *ſent.* & Dominicus Soto *lib. de iuſt. & iur.* 10. *q.* 4. *art.* 3. *&* 4. Didacus Couarr. in *cap. cum in officijs. infra de teſtamen.* & per conſequens non tenentur ad reſtitutionem fructuum, quos vltra neceſſaria in profanos vſus coniecerint, etſi mortaliter peccant. Hinc merito præſens titulus ſuperioribus ſubijcitur: vt ne ij, qui præbendas, aliaſq. Eccleſiaſticas dignitates diuino quodam fauore ſunt conſequuti, eas ſubtrahant; ac proinde

alienatio facta non tenet, etiam pœnæ iuramenti religione ſancita. *cap.2. eod. in ſexto.* niſi cum legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, & pro euidenti Eccleſiæ vtilitate ſit. *cap.1. & cap.12.* Alienationis autem verbo comprehenditur conditio, donatio, venditio, permutatio, emphyteuſis, perpetuus contractus. *cap.5.* perpetuaq. locatio. *cap.9. & clem.1. eod.* atque manumiſſio. *cap.* 3. & 4. à quibus ſe omnes abſtinere debent, ne bona, & Eccleſiæ iura laicis ſubijciantur. Epiſcopi contra facientes, ab officio, & adminiſtratione, & clerici id negligentes à beneficiorum perceptione ſuſpenduntur. & laici, qui vſurpare poterunt, nuſquam, niſi moniti ſtatim reſtituerint, excommunicationis ſententiam incurrent, niſi cum collegij conſenſu, ac ſedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia perficiatur alienatio. *d. cap.* 2. Terra non fertilis Eccleſiæ dari poteſt in emphyteuſim ei, cuius diligentia, atque cura reducitur ad culturam. *cap.7.* exin poſſeſſiones minus vtiles pro vtilioribus de conſenſu capituli poteſt alienare, vel permutare. *cap.8. & vlt.* de menſa tamen nunquam. *d.c.8. in princip. & cap.10.* alioquin Eccleſia, tanquam enormiter læſa, reſtituitur. *cap.11.*

De precarijs. *Tit.* 14.

DIximvs proximiori titulo, appellatione alienationis venire donationem. Vnde mirum videri non debet, ſi hic ſequatur titulus. etenim precarium magis ad donationem, & beneficij cauſam, quàm ad negotij contracti reſpicit. *l. interdictum ff. de prec.* Inſcribitur verò hic titulus, de precarijs, eo quia & ad precarium ſpectat. Precaria conceſſio longe differt à precario, quo de agitur in Pandectis. eſt enim Precariæ contractus, ſpecies contractus colonarij, vti cùm prædium ruſticum, vel vrbanum datur in aliquod tempus, quod eſt quinquennij; quo elapſo, is qui dedit, ſeu eius ſucceſſor, reuocat; qui & iterum concedere poteſt. ſed deinceps in quinquennium ſemper tenetur reuocare. Hic ſane contractus Iuriſconſultis ignotus videtur fuiſſe. Precarium, de quo *in tit. 26. lib. 43. Digeſtorum*, eſt, quod precibus vtendũ datur tamdiu, quamdiu patitur is, qui conceſſit, cuius etiam ſit mentio *in cap. vlt. huius tit.*

De commodato. *Tit.* 15.

CONSTAT ſatis ad donationem magis, quàm ad negotium contractum precarium ſpectare. verum quoniam ob affinitatem quandam, quam precarium habet cum commodato, contractus eſt factus. *l. cõtractus. ff. de reg. iur.* inter eoſq. tantum differre, quantum inter genus & ſpeciem afferebat Labeo *l.1.§.1. ff. eod.* ideo poſt precarium, de commodato agi voluit Roman. Pontifex; licet is, qui rem precario habet, de dolo tantum teneatur; & qui commodato, de dolo, & culpa, adeoque leuiſſima: non de caſu fortuito; niſi forte cum poſſet res commodatas ſaluas facere, ſuas prætulit, vel inita ſit conuentio, ſeu in mora fuerit. Precarium enim abſque certi vſus præfinitione conceditur: & ita quandocumque reuocari poteſt. *l. cum precario. ff. de precar. cap. vlt. ſupr. tit. prox.* Commodatum ad certum vſum. Vnde commodatum cum Iuriſconſul. in *l. 2. ff. ſi cert. pet.* definire poſſumus, quòd ſit id, quod gratis vtendum datur, vt idem ipſum, finito vſu, in quem datum eſt, reſtituatur. Addidi præter Paulum, gratis; vt ipſum à locatione ſepararem: nam mercede conſtituta, locatio fit. *§. vlt. Inſt. de mandat.* Ex hoc autem contractu duæ oriuntur actiones; Directa commodati actio eſt, quæ datur ei, qui commodauit, vel eius hæredi in eum, qui commodatum accepit, vel in eius hæredem. Contraria eſt, quæ datur ei, qui commodatum accepit contra eum, qui commodauit, vel eius hæredem. *l. in commodato. §.1. ff. eod.* & *l. ex depoſiti. ff. de act. & oblig.* Contraria, quòd quaſi ex oppoſito reſpiciat directam. Hinc in Pandectis videmus hunc titulum ita inſcribi, Commodati, vel contra. Sic in titulo depoſiti, & mandati. Sunt & alij contractus, qui vtramque habent actionem, ſcilicet directam, & contrariam, vt tutelæ, negotiorum geſtorum. non item pro ſocio: ex vtroque enim latere competit directa; non ex vno directa eſt, ex altero contraria: quoniam res communis eſt omnium æquo iure, & pari; nec potior vnius ſocij ratio eſt, quàm alterius. Si vero poſt diſtractam ſocietatem aliquid in rem communem impẽderit ſocius, actione pro ſocio id non conſequitur: quia non eſt verum, pro ſocio, communiterve id geſtum eſſe: ſed communi diuidundo. *l. actione. §. ſi poſt. ff. pro ſocio.*

De depoſito. *Tit.* 16.

BONA fides etiam exigit, vt depoſitarius res ſuas ſaluas faciẽs, & depoſitas amittens, de dolo teneatur, ac de culpa, ſi ſeipſum depoſito obtulerit, vel ſi aliquid pro cuſtodia receperit; adeoque pro fortuitis caſibus, ſi pactum, aut culpa, ſiue mora interceſſerit. Depoſitum eſt, quod ad cuſtodiendum alicui datur. *l.1. in princ. ff. eod.* quod regulariter fit deponentis gratia. Quamobrem Eccleſia pro depoſito penes clericum ipſius facto, non

tenetur;

teneatur; niſi conſtet rem in vtilitatem ipſius Eccleſiæ fuiſſe verſam. Intelligimus ex *cap. 1. in fine*, clericum ad torturam, ſeu quæſtionem poni poſſe, ſi libere furtum confiteri, & rem furto ſubtractam reddere noluerit.

De emptione, & venditione. *Tit.* 17.

SEQVITVR de ſingulis fere contractibus dicere, & maxime de ijs, qui ſunt vltro, citroq. obligatorij. Emptio, quemadmodum pater ſine filio eſſe nequit, ita ſine venditione ſtare non poteſt. Venditorem rem venditam emptori tradere oportet, & emptorem pretium venditori facere. Vnde ſi res empta non præſtatur, in id quod intereſt agitur. *l. 1. in prine. ff. de act. emp.* Quamquam emptor, ſi in pretio ſoluendo moram contraxerit, vſuras dumtaxat præſtabit, & non omne omnino, quod venditor mora non facta conſequi potuiſſet, hoc eſt, id quod intereſt. cuius rei elegans extat Hermogeniani reſponſum in *l. vlt. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Re quoque euicta tenetur venditor emptori de euictione, tribus exceptis caſibus à Gregorio Nono enumeratis in *cap. vl.* Voluit etiam Alexander Tertius, & Innocentius iij. venditionem valere, etſi venditor vltra dimidium iuſti pretij deceptus ſit: hunc tamen poſſe agere, vt vel res reſtituatur, vel iuſtum pretium ſuppleatur. *cap. 3. & 6.* Quod Cæleſtinus Tertius, ad rem propter nuptias vxori donatam extendit; ita, vt mulier conſentiat, & vt res in vtriuſque vtilitatem verſa ſit, atque alia bona maritus habeat. *cap. 4.* Debent verò Epiſcopi, necnon presbyteri diligenter attendere, ne carius res tranſeuntibus væneant, quàm mercato venire poſſunt. *cap. 1.* Ac vt menſuræ, atque pondera iuſta ſint. quæ ſi quis lucri gratia mutare præſumpſerit, triginta dies pane, & aqua pœnitentiam agere cogitur. *cap. 2.* At ſi in venditione apponitur pactum de re recuperanda poſt certum tempus, modico conſtituto pretio: non venditio, ſed pignus præſumitur. & iſta pactio iure ciuili proprio nomine dicitur Antichriſis, vt in *l. ſi ii. §. 1. de pignor. & hypoth.* Hoc eſt cùm ex parte venditoris minus pretium interuenerit; quaſi vſurarius contractus iure noſtro. *cap. 5. hoc titulo.* non quod de ſui natura contractus præſumatur fœneratitius, eo quòd viliori pretio res væneat, quàm fuit vendita prius; ſed quia in ſpecie *d. cap. 5.* non venditio vere erat, ſed mutuum, quodam venditionis velo adumbratum. Sed an contractus emptionis, & venditionis annui cenſus cum conditione reuéditionis dicatur vſurarius? exempli cauſa, ſi Cyriacus à Smaragdo domum, prædiumve ruſticum pretio aureorum 100. hac appoſita conditione acceperit, vt prædium penes venditorem ſit, annua penſione conſtituta: an Cyriacus, vti vſurarius plecti poſſit? Olim non mediocriter dubitatum fuit. hodie ex Martini V. & Calixti iij. conſtitutione non ſupereſt vllus dubitationi locus, quin non liceat nobis ita contrahere; ac perpetuò licitum eſſe contractum. *cap. 1. & 2. eod. extrauag. comm.* quamquam iſta maiorem poſtulant indaginem; ſed non eſt in præſentiarum inſtituti noſtri, altius iſta repetere.

De locato, & conducto. *Tit.* 18.

LOCATIONEM, & conductionē proximam eſſe emptioni, & venditioni, ijſdemq. iuris regulis cōſiſtere nemo ambigit: nam in emptione pretium, in locatione merces. Sed emptionis, venditionisq. verbo vtimur promiſcue, ita & locationis, & conductionis. Locare proprie eſt in loco ponere: inde locarium veteres appellabant mercedem, quæ pro ſtabulo, vel taberna datur, vbi quis conſiſtit. Varro *de lingua Latina. lib. 4.* Locatio eſt operarum, ſeu rei ad vſum facta ad tempus conceſſio, certa mercede conſtituta. Dixi ad tempus, eo quia res Eccleſiæ perpetuo locari non queūt. *cap. ad audientiam ſupra de rebus Eccleſ. alienan. vel non.* Locator eſt, qui dat; conductor, qui accipit. Hic etiam interdum ante finitum conductionis tempus licite à conductione ſummouetur; vt ſi reficere domum oportuerit; vel vbi peruerſe fuerit conuerſatus; vel ſi canonem per biennium non ſoluiſſet; denique ſi neceſſitas poſtulet, vt dominus domum inhabitet; relicta tamen pro reliqua temporis parte mercede: quæ relinqui etiam debet ob ſterilitatem ſine culpa conductoris contingentem, de prædijs locatis, niſi tanta fuerit præcedentis, vel ſequentis anni vbertas, vt valeat compenſari. *cap. 3.* Prouentus decimarum perſonæ Eccleſiaſticæ locare poſſunt. *cap. 2.* & emphyteutica, meliorationes, ac ius ſibi competens, Eccleſia primum requiſita, alijs vendere. *cap. vlt.* Prohibentur verò per excommunicationis ſententiam ij, qui conductionis ante tempus aliorum hoſpitia, abſque eorum conſenſu, conducunt.

cap. 1. hoc titul. quæ conſtitutio videtur in ſtudioſorum gratiam promulgata; ſiquidem Bononienſi fauet vniuerſitati.

De

De Permutatione. *Tit. 19.*

ITEM ſimilis eſt emptioni, & venditioni Permutatio; in eo tamen differunt; quòd emptio, & venditio nuda contrahentium volũtate contrahitur, permutatio re. *l.1.S. item emptio.ff.eod.* hinc dicere poſſumus, Permutationem eſſe contractum, quo res datur, vt alia accipiatur. etſi res omnes permutationẽ non recipiunt, vt ſunt ſpirituales cum temporalibus. *cap.vlt.* Neque mancipia Eccleſiæ niſi ad libertatem, vel niſi fugitiua ſint. *cap.3.& 4.* Neque præbendæ pacto præcedente; Neque beneficia propria auctoritate. *cap.5. & 7.* tametſi Eccleſiæ iura, & proprietates adinuicem poſſint permutari; & pro minus valentibus pretium ſuppletur. *cap.6.* ita vt permutatio fiat iuris ordine ſeruato; alioquin per ſucceſſorem reuocatur. *c.2.* Fieri enim debet beneficij permutatio in manibus ordinarij. *cap.1. in fex.* Quod conferre tandem nequit, niſi permutare volentibus. *Clem.1. eod.* Et facta ex vna parte permutatione, ſi per alteram ſteterit, quo minus impleatur, reſtituitur pars. *cap.8.* Licet quoque Principi rem mobilem pro immobili (ſi aliqua probabilis ratio id expoſcat) ab Eccleſia accipere: ita tamen, vt res, quam præſtat, maior ſit, vel ſaltem æqualis, præcedente ſuper hoc pragmatica forma. quæ verba relata ſunt *in cap.1. ex Concilio Siluan.* quæ magis Raymundi, vt Antonio Auguſtino viſum eſt, quam Concilij videntur eſſe; ex Irnerij verbis poſitis in *auth. ſed &.* C. *de ſacr. ſanct.eccleſ.* quæ & Gratian. refert. 10. *q.2. c.ea.* Hinc male recentiores quidam in *additionibus. d.auth.* exiſtimarunt res Eccleſiæ poſſe alienari, etiam quoad directum dominium, adeo quòd nulla ſubſit neceſſitas, nullaque vtilitas, & dummodo nullum ſubſit damnum. Atqui aliter apparet in *Nouella de non alienand. aut permut. reb. Eccleſ. S. ſinimus igitur.col.2. titul.1.* ex qua auth. eſt hauſtum. *Recompenſam*, inquit, *dari eis ab eo, qui percepit, æqua, aut etiam maiore quàm data eſt.* & ſubiungit: *Quid enim cauſetur Imperator, ne meliora detè cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum eſſe, & facile dare; & maxime ſanctiſſimus Eccleſijs, in quibus optima menſura eſt donatarum eis rerum immenſitas.* Sed ijs poſtea addidit: *Et recompenſauerit mox rem meliorem, & vberiorem, & vtiliorem, ſit ea permutatio firma.* Ex quibus verbis intelligimus Imperatorem ſtatuiſſe id, quod oportuit, videlicet Eccleſię conditionem debere ſemper fieri meliorem, non item deteriorem. Hinc obiter admonere oportet, quòd pleræq; authenticæ in Codice relatæ ita ab Irnerio ſuccinctæ, & reſectæ ſunt, vt non ſatis feliciter Iuſtiniani Nouellis reſpondeant. Quare ad Nouellas ipſas, ex quibus excerptæ ſunt, recurrendum eſt, ne incaute Irnerij verbis decipiamur.

De Feudis. *Tit. 20.*

FEVDVM eſt etiam ex numero eorum, quæ alienationis nomine veniunt. Et cùm aliquid in feudum datur, imminuuntur Eccleſiæ facultates. Quare meritò poſt præcedentes titulos, de Feudis agitur. Vocem autem Feudi Iſydorus à fœdere deduxit; Obertus, vt Gallorum diligentiſſimus ſcriptor Cuiatius lib. de feudis primo refert, à fidelitate, vel fide. quod ego quoque rectius puto, vel eo maxime, quod ij, qui rem à domino iure feudi acceperunt, dicantur eſſe eius Leudes, ſiue Leodes: nam Germani feudum appellant Leudum, ſiue Lethem. Feudum eſſe Germanicum vocabulum non eſt dubitandum. & Feudum eſt ius, ſeu res, cuius acceptione dominis homagium, ac fidelitatem exhibere conſtringuntur, *cap. ex diligenti. infra de ſimon.* Itaque Epiſcopus tribus caſibus, non obſtante iuramento de non infeudando, antiquum feudum ad Eccleſiam reuerſum, nouo vaſallo poteſt concedere. quibus & quartum adiecit Innocentius iij. in *cap.per tuas. inf. de donat.* Et propter feudum nouum ius à ſummis Pontificibus factum eſt, vt ſi dominus à vaſallo in pignus feudum receperit, non teneatur fructus in ſortem imputare; dummodo vaſallus interim à ſeruitio, quod pro feudo domino præſtare tenetur, liberetur.

De pignoribus, & alijs cautionibus. *Tit. 21.*

DIVNGITVR titulus de pignoribus, quæ & alienationem ſapiunt; qui enim pignori dat, alienare quodammodo videtur. *l. cũ hic ſtatus. S. ſi maritus. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Et quæ in bonis noſtris non ſunt, obligari non poſſunt. *l. qui filios. C. quæ res pig. oblig. poſſ.* Quamobrem neque vaſa, neq; veſtimenta Eccleſiæ, niſi iuſtiſſima vrgente neceſſitate, pignerari debent. Super his Stephanus, in illis Xyſtus Rom. Pontifices, vt auctor eſt Damaſus in vtriuſque vita, conſtituerunt, ac etiam Iuſtinianus in vtriſque. *l. ſancimus.* 18. C. *de ſacroſanct. Eccleſ. & Nouell.* 120. *de alien. & emphy. S. penult.* & Antoninus Imp. in locis religionis. *l.3. C. quæ res pign. oblig. poſſ.* Neque liber homo; eadem ratione, qua loca religioſa, & præmia ſacra, quia in bonis debitoris non ſunt. *cap.2.* Neque res in dotem datæ. *cap.5.* Sed an

eadem

eadem ratione, qua superiora? Dubitationem facit *L quamuis. ff. de iur. dot.* vbi legitur, fundi dotalis penes maritum esse dominium. Verius tamen est in bonis mariti dotem esse; vxorem verò dominam esse. *l. Lucius. §. item respondit. ff. ad municip.* ea siquidem in bonis nostris numerantur, quorum domini non sumus, sed in quæ ius quoddam aliud nobis competit. *l. bonorum. 49. ff. de verb. signif.* at quia maritus quasi quidam dominus est, & pro domino habetur: iuris fictione res dotales in bonis eius esse dicuntur. ea tamen fictio non vtique operatur, quo minus possint res dotales pignori obligari, & quin liceat mulieri contra quemlibet bona mariti detinentem agere. *d. cap. 5.* At qui rem alienam, vel Ecclesiæ pro necessitate propria obligat, cogitur, vel eius hæres, redimere, & Ecclesiæ restituere. *cap. 3.* Et quia vero domino pignus acceptat, si tot fructus ex pignore perceperit, vt satisfactum sit sorti, tenetur integrum pignus restituere. *c. 6.* Item is, qui lege commissoria rem suam pignorauit, post diem potest redimere, si iuste impeditus in diem statutum non redemit. *cap. 7.* Additur & hoc titulo *cap. 4.* quod in *titul. 17. cap. 5.* dixit, pignus præsumi, si in venditione adijcitur pactum de retrouendendo post præfixum certi temporis spatium, modico constituto pretio; etiam fructibus in sortem computatis, aliquid vltra sortem recipiendo; contractum esse fœneratitium. Dico fructibus in sortem computatis; siquidem ea conditio licet non sit contraria naturæ ipsius contractus venditionis, vt fructus sint venditori restituendi: est tamen propria pignoratitij contractus: nec mirum, si cum alijs coniecturis vsuræ præsumptionem indicat. nam; hoc pactum, quasi inusitatum, & insolitum in contractibus venditionum, fecit fraudem præsumi. Nec facit, quòd cedat in præiudicium, & damnum eius, contra quem est fraudis suspicio: quia ob nimiam cautelam fraus plerunque detegitur, vt Accur. *in l. si quis sub condit. ff. de condit. instit.* cuius rei ratio est, quòd non solet emptor sibi auferre ea, quæ iure retinere potest, maxime cùm sit homo diligens, & studiosus paterfam. nisi, vt quodam liberalitatis velo, maiorem dolum vellet obtegere. *l. cum de indebito. ff. de probat.* Attamen illa clausula, imputandis fructibus in pretium, per se non operatur, vt contractus sit vsurarius, immo contrarium operatur effectum; neque si in pacto de retrouendendo apponatur, quod vel collatum sit in emptoris, siue venditoris voluntatem; quia cedit in venditoris vtilitatem. Quare perperam dixerunt nostri ex *d. cap. 4.* tria fore necessaria, vt venditionis contractus censeatur fœneratitius; videlicet pactum reuendendi collatum esse in emptoris voluntatem, clausulam de computandis fructibus in sortem, item quòd reuenditio maiori pretio, quam ipsa venditio fieri debeat. Sed vnum sufficit, quod maiori pretio væneat, quam prius fuit vendita, vt præsumatur fœneratitius. Nec facit, quòd contueuit vsuras exercere: id enim amplificat, quia licet non consueuerit, quoties erit adiectum, vt maiori pretio væneat, est fœneratitius. Inscribitur autem hic titulus de Pignoribus, & alijs cautionibus. Namque pignus appellatum est à pugno, eo quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Vnde recte, vt ait Gaius, quidam putarunt pignus proprie rei mobilis constitui. *l. plebs. 237. ff. de verb. sign.* Ob id quoque Alexander iij. sanxit adiudicata alicui possessione, non sufficere ei pignora dari, nisi corporalem contineat possessionem. *cap. 6. supra de sent. & re iudic.* Enimuerò pignus hic accipitur etiam pro hypotheca. & quanquam pignus re contrahatur, hypotheca nudo pacto; & pignus ciuile negotium sit, hypotheca ab iure honorario capiat substantiam; nihil tamen inter se pignus, & hypotheca differunt præter nominis sonum. *l. 5. in fine. ff. eod. §. inter pignus. Instit. de action.* ac proinde vna actione vtimur. Quod cum intelligere minus posset Laurentius Valla, ansam Iurisconsultos reprehendendi habuit; quemadmodum & in ipsa pignoris definitione. Sed melius, rectiusq; faceret, si in grammaticorum dũtaxat regulas operam impendisset, quam in messes alienas suam falcem immittere. Et alijs cautionibus. Cautio enim genus aliquando est. sic cauere per fideiussores. *l. 25. §. vlt. ff. de recep. arb.* cauere pignoribus. *l. vlt. §. si legatarius. ff. quorum legat.* ita cautum, & satisdatum, cautio, & satisdatio sæpissimè seperantur. *l. 1. ff. de rip. munt. l. penul. ff. de peti. hared. l. 57. ff. de rei vind.* sic varie varijs in locis accipitur. Etenim relicto vsufructu, vel rei immobilis, vti pecuniæ, Gregorius ix. idoneam cautionem exhibendam esse sanxit, scilicet saluam ipsarum substantiam facere. quam cautionem interpretor, vt satisdet, vel creditori cauear instrumentis publicis, & alijs huiusmodi, vt in *cap. 3. infr. tit. 2.*

De Fideiussoribus. *Tit. 22.*

QVEMADMODVM clericus res Ecclesiasticas nequit pignori dare. *cap. 1. supra titul. 1.* ita nec fideiubere sine sui prælati licentia, & maioris partis capituli; Neque mutuum recipere; & recipiens punitur, nisi mutuum in Ecclesiæ vtilitatem versum constet. *c. 4.* Nec pro se fideiussorem dare; & si dederit, indemnem seruare oportet. Compelliturq; creditor, qui principalis dicitur, à fideiussione fideiussorem liberare. *cap. 2. & 3.* Fideiussor contra debito-

debitorem agere potest, antequam soluat, vt à fideiussione liberetur: vt si diu in debiti solutione moram fecerit, si bona sua dissipare cœperit, vel si fideiussor ad solutionem condemnatus fuerit. *cap. vlt.* Fideiubere est fidem suam pro alio obligare. Cicero *pro Flacco: Fide aliena pecuniam mutuam sumere, & dato fideiussore sumere.* hinc fideiussor, qui alieno nomine obligatur. *l. 1. §. verbis. ff. de oblig. & actionib.*

De solutionibus. Tit. 23.

QVi dat fideiussorem, satis videtur obligatus: at qui soluit, omni obligatione liberatur. *Institut. quib. mod. toll. oblig. in princip.* Quòd si contigerit clericum ante solutionem debiti, quod pro vtilitate, & necessitate Ecclesiæ sibi commissæ contraxit, mortem obire: sicut filius pro patre, ita prælatus pro prædecessore soluet. *cap. 1.* Sed si prælatus pro alienis negotijs Ecclesiam obliget, ipso iure est suspensus ab administratione & spiritualium, & temporalium; neque vllo obligatur iure Ecclesia. Et ne ipsi Ecclesiæ, ipsiusq; clericis fraus fiat, inhibitum est, ne literas, sigillave, quibus obligari Ecclesia posset, præstent. *cap. 2.* Quòd si clericus non habet, vnde suis possit satisfacere creditoribus, nec excommunicari debet, nec molestari. Interim tamen idoneam præstabit cautionem; vt si forte pinguiorem fortunam nactus fuerit, se soluturum promittat. *cap. 3.* Cùm autem soluit, & conqueritur indebitum soluisse, probare debet. *l. cum de indebito. ff. de probat.* nisi aduersarius solutionem inficiatus exinde conuincatur; tunc huic incũbit probandi onus. *c. vlt. huius tit.*

De donationibus. Tit. 24.

REDIT ad eum, quem instituit tractatum, de singulis alienationis partibus. Donationem alienationis nomine comprehendam esse nemo dubitat, ex *cap. vlti. sup. de reb. eccl. alien. vel non.* Donatio appellata est à dono, quasi doni datio. Donationis porrò verbum, simpliciter loquendo, omnem donationem comprehendit, siue mortis causa, siue non mortis causa factam. *l. alienatio. ff. de verb. sign.* Proprie tamen dicitur donatio, cùm quis ex mente liberalitatis gratia aliquid dat, vt accipientis fieri, nec vllo casu ad se reuerti velit, Iuliano autore in *l. 1. ff. eod.* & hæc inter viuos dicitur. Quæ causa mortis dicitur, de qua hoc titulo nihil, est cùm quis habere se mauult, quàm eum, cui donat, magisq; eum, cui donat, quam hæredem suum. *l. 18. & l. 35. §. 1. ff. de don. mor. caus.* Qui igitur donare promisit aliquid, cum illud tanquam debitum præstare iustum est. *cap. 1.* Quam liberalitatem, atque munificentiam, inconsulto capitulo, & in detrimentum Ecclesiæ, prælatus nequit exercere. *cap. 2.* Quòd si contentiente patrono, aliquam Ecclesiam, ex qua multos habebat prouentus, Episcopus simpliciter viris religiosis concesserit: excepto cathedratico, etiã prouentus debentur: & patronus quod suum est, conferre intelligitur. est enim in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs plenissima adhibenda interpretatio. *cap. 6. & 7.* & facienda semper in meliorem partem. *l. quoties. ff. de reb. dub.* Quare clausula onerosa post multas donationes apposita, proximam donationem respicit, non item alias. *d. cap. 6.* quod est in donatione præcipuum. *cap. inquisitioni. supr. de appellat.* Sed, vt vbique legitima sit Episcopi donatio, consensus est sui capituli perpetuo requirendus. Ex quibus facile etiã intelligere neque monachum, siue filium fam. neque conuersum, quicquam donare posse, cum nihil proprij habeant. *can. abbati. 54. distinct.* Atqui donatio, quam Episcopus religiosis, pijsq; locis facere potest, egredi non debet quinquagesimã, vel centesimam partem, nisi amplius, sine Ecclesiæ damno, necessitati alterius Ecclesiæ poterit subuenire; tunc enim ex sedis Apostolicæ licentia, permittetur. Facta verò quinquagesimæ, vel centesimæ graui cum Ecclesiæ damno, legitime poterit reuocari. *cap. 9.* Quod à Gregorio ix. extenditur ad quemlibet donatorem, vt ingratitudinis causa possit reuocare donationem. *cap. 10.* quemadmodum constituit & Constantinus in *l. 2. C. de liber. & eor. liber.* libertatem. Illa autem ingratitudo esse potest, si donatarius in donatorem manus iniecerit; siue ei atroces iniurias, aut graue rerum suarum damnum, atque vitæ periculum inferre ausus fuerit: quod tamen ad hæredem non tranſit. Alijs etiã multis casibus impune reuocatur donatio; vt si in ea apposita sit conditio. *cap. rerum. infra de cond. appos.* ob pacti turpitudinem. *cap. de hoc autem. cap. veniens. & cap. audiuimus. infra de simon.* enormitatem. *c. si quis transitur. 13. q. 2.* suscipientium fraudem. *cap. constituit. 16. q. vlt.* filiorum natiuitatem. *cap. vlt. 17. quæst. 3.* Hinc D. Augustinus *serm. 52. Quicumque vult, exheredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: immo, Deo propitio, nemnem inueniat.* Item propter culpæ defectum. *cap. quod à te. sup. de iur. iuran.* Interdum quoque reuocatur, quatenus excedit. *c. si quos de seruis. 12. quæst. 2. l. sanximus. C. eod.* Item si iurisdictio auferatur. *ca. si Imperator. 96. dist. fin.* Cæterùm hic hospitalarijs facta est potestas, vt etiam in suum præiudicium, & se, & do-

mum

mum ſuam alteri religioſæ domui ſubijcere, ac donare poſſint. *cap.*8. Repetit etiam hoc titulo *cap.*4. quod in *titul.*8. dixit, quòd Eccleſia non vacans nequeat in beneficium concedi; addit tamen in proprietatem poſſe, cum Epiſcopi auctoritate, & ſine prælati præiudicio.

De peculio Clericorum. *Tit. 25.*

CVM res Eccleſiæ donare ſit clericis interdictum: cõſequenter ponit de peculio clericorum; hoc eſt; num de peculio dare poſſint clerici. Peculiũ dictum eſt, quaſi puſilla pecunia, ſiue puſillum patrimonium. Peculium autem Tubero apud Vlpianũ in *l.*5. *ff. eod.* ita definiebat, *Quod ſeruus domini permiſſu ſeparatũ à rationibus dominicis habet, deducto inde ſi quid domino debetur.* Et quod de ſeruo, idem de filiofamilias erga patrem dicemus. Peculij multas, ac varias eſſe differentias nemo ignorat. Ex quibus eſt caſtrenſe; & quaſi, ideſt, quod filijsfamilias in palatina, vel forenſi militia verſãtibus, vel clericis factis quæſitum eſt, ab eo, quòd ad exemplum caſtrenſis per ſimilitudinem quandam introductũ eſt. *l.*1. §. *ne caſtrenſe. ff. de collat. bon. l. ſacroſanctæ. C. de epiſc. & cler.* Erit autem clericorũ peculium vel profectitium, vel aduentitium. hoc, quod & quaſi caſtrenſe dici quo ad clericos poteſt, cùm quis vel ex ſua diligentia, opera, vel donatione, non reſpectu Eccleſiæ, ſed ſui, acquiſiuit, cui voluerit poterit relinquere teſtamento, vel donare. *d. l. ſacroſanctæ. c. quia nos. c. requiſiſti. inf. tit.*1. de illo non æque: quod profectitium haud male appellari poteſt, quòd ab Eccleſia proficiſcatur. quinimo præſumitur de bonis Eccleſiæ, ſi antequam beneficium adeptus eſt, nihil habebat, acquiſiuiſſe. *c.*1. & 4. Et emptarum rerum de bonis Eccleſiæ confici debet inſtrumentum Eccleſiæ nomine; alioquin ab adminiſtratione ſummouetur prælatus. *cap.*2. Meliorationes verò in rebus Eccleſiæ factas, etiam ſi beneficium dimittat, quoad vixerit, habere debet; non item de ijs teſtari. *cap. vlt.*

De Teſtamentis, & vltimis voluntatibus. *Tit. 26.*

A Contractibus tranſit ad vltimas voluntates; & meritò: vti enim clericus res Eccleſiæ vendere, donare, perpetuò locare, & alia id genus nequit: pari ratione de rebus Eccleſiæ, vel intuitu eius acquiſitis, teſtari non valet. *c.*1. 2. 7. 9. Neque valet legatum de bonis Eccleſiæ relictum: quamuis aliàs nudis verbis relictum valeat. *c.*4. & 5. atque aliquid eleemoſinæ gratia erogatũ. *c.*8. & *c.*12. adeoq; de bonis Eccleſiæ. Cæterùm teſtamentum quodlibet omnes obtinebit vires: etſi coram presbytero parochiali, ac duobus duntaxat teſtibus conditum: vel duobus tantum teſtibus ad pias cauſas. *cap.*10. & 11. Ratio eſt elegans: In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. quod admittendum putarem, ſi hi duo viri bonis moribus præditi ſint: non autem ſi mendaces ſint, cùm Eccleſia mendaces non admittat. *can. ego ſolũ. 9. diſtinct.* Eſt etiam hoc titulo aliud ius nouum, videlicet, filium de reſtituenda hæreditate grauatum ſub conditione, vel in diem, duplicis quartæ deductionem habere. *cap.*16. & 18. Et cùm moribus receptum ſit, vt quis liberis impuberibus teſtamentum facere poſſit. *l.*2. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* ſi pater filio in pupillari ætate morienti ſubſtituerit, mater nullam detrahit quartam, neq; partem iure naturæ debitam. *c.*1. *in ſex.* quia patris potius cenſendum eſt, quàm filij teſtamentum. quare ab Vlpiano reſponſum fuit, *Et quiſquis impuberi teſtamentum facit, ſibi quoque debet facere.* Cæterùm ſoli filio non poterit. *d. l.*2. §. *quiſquis*; niſi forte miles. *l. miles.* §. *vlt. ff. de milit. teſtam.* Item aliud ius nouum; vt teſtamentum valeat in alterius diſpoſitionem commiſſum. *cap.*13. quod veteres iuris auctores in nullius alterius ſtare arbitrio voluerunt. *l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit.* Et cùm publice expediat, ſuprema hominum iudicia exitum habere: niſi in annum à die monitionis teſtaméti fiat exequutio, ipſa deuoluitur ad Epiſcopum; ab eoque inter dicitur res omnis in teſtamento relicta hæredi, ſi iuſſa teſtatoris non adimpleuerit. *cap.*3. 6. & *cap.*17. Item Epiſcopus ab religioſis rationem debet exigere, etiam exemptis, de teſtamentorum executionibus; &, ſi in illis deliquerint, quas geſſerant, illos punire. *Clem. vnica. eod.* Quòd ſi executores ab ipſo teſtatore fuerint relicti, vno defuncto, vel exequi nolente, reliqui, vel vnus, executionis officiũ exercebunt, ne defuncti voluntas impediatur. *c.*2. *in ſex.*

De ſucceſsionibus ab inteſtato. *Tit. 27.*

QVI teſtamenti factionem habet, vel inteſtati, vel teſtati exitum facit. Inde clericus, cui mentem compoti de rebus proprijs teſtandi facultas iure data eſt. *cap. vlt.* ſi inteſtatus deceſſerit, nullo prorſus relicto conſanguineo; quaſi filius ei ſuccedit Eccleſia. *c.*1. Aliter in presbytero, qui antequam ſacris fuiſſet ordinibus initiatus, ſeruus erat, obſeruatur. cuius bona ex propria virtute acquiſita, parentibus etiam extantibus, in quatuor partes diuiduntur: quarũ vna Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pau-

peribus,quarta datur parentibus; ita ſi capaces ſunt,vel ſi hæretici non ſunt. *cap. ſane profertur. 24.q.2. & cap.ſi quis Epiſcopus.inf.de hæret.* tunc Epiſcopus partem parentibus debitam in vſum Eccleſiæ commutabit. *cap.2.*

De Sepulturis. *Tit. 28.*

SOLENT vt plurimum homines in vltimo vitæ periculo poſiti ſibi ſepulturam eligere:quod quidem conceditur non tantum maritis, ſed etiam vxoribus. *l.7.*quaſi eo tempore viri legibus ſint ſolutæ. *l.quod ſponſæ.C. de donat.ante nupt.* Quid ſi non eligit mulier?In mariti ſepulchro condenda eſt. Quid ſi plures habuit maritos?Cũ vltimo ſepelitur. *c.3.§.vlt.in ſex.* Idẽ de filijs familias puberibus,ac patribus, non impuberibus: pro quibus eligere pater poteſt,ſi hoc habet conſuetudo. *c.7.§.vlt.hoc tit.& c.4.in ſex.* Qui autem inteſtatus diſcedit,in maiorum ſuorum monumentis humari debet. *c.1.* exemplo arbitror multorum, quorum mentio in ſacris literis fit.nam *Geneſ.*50. Ioſeph in Aegypto vitam finiens, fratres ſuos deprecatus eſt,vt tempore viſitationis ſuæ,oſſa ſua ſecũ ducerent: atq; ea in parentum monumentis ponerent.Dictum quoque eſt Prophetæ Domini, qui contra Dei præceptum comederat in Bethel, *Non inferatur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorũ.* Regum etiam 13.lib.3. de quibuſdam ſcriptum eſt: *Obijt & adpoſitus eſt ad patres ſuos:* hoc eſt in ſepulchro patrum ſuorum, vt Machabæorum *lib.1.c.9.* quod & Romani obſeruarũt. *l.alumnæ. §.Seia.ff.de adim.legat.* Hoc in excommunicatis locũ non habet, exemplo fortaſſe illius Prophetæ: immo eorum oſſa in Eccleſiaſtico cœmiterio ſepulta, ſi cognoſci, ac diſcerni poſſunt, debent refodi,atq; ab Eccleſia longe proiici; niſi à proprio parocho in articulo mortis fuerint abſoluti. *c.12.& 14. hoc tit.* Qui verò ſcienter illos ſepeliunt, ac nominatim interdictos, vel manifeſtos vſurarios,excommunicati ſunt. *Clem.1.eod.* Non eligens, nec propriũ tumulum habens, in parochiali Eccleſia ſepelitur. Quòd, ſi alienus parochus fuerit,ſepultum corpus, ac omnia, quæ ratione ipſius obueniũt,proprio parocho tenetur reſtituere. *c.5.* qui in ſuis in alieno ſolo humatis portionem canonicã ſemper habet, quæ ex loci conſuetudine æſtimatur. *c.2.3.4.8.9.10.* ac nuper Tridentina Synodus.*c.13.ſeſſ.25.* niſi forte defunctus adhuc in ſanitate conſtitutus, ſe, bonaq; ſua alijs Eccleſijs obtulerit. *d.c.4.* Hinc religioſi, ni multum à monaſterio diſtent, alibi nequeunt eligere ſepulturam. *c.vlt.in ſex.* Sed an is,qui caſu vita priuatus eſt,priuandus ſit ſepultura? Minime. *c.2.* ita ſi ſemel illo anno Pœnitentiæ ſacramentum,ac ſacram Euchariſtiam ſuſceperit. *c.omnis vtriuſq; inf.de pœnit.& remiſſ.* alioquin ei denegatur:quemadmodũ Iudęis,Paganis,& hæreticis. *c.Eccleſia.2.de conſecr.1.diſt.* atq; ijs,qui decimas Eccleſiæ debitas à ſe iniuſte poſſeſſas non reſtituunt. *c.prohibemus.inf.tit.2.* & ijs qui noua vectigalia ſine Principis conſenſu imponunt. *c.innouamus.inf.de cenſib.* item furibus, latronibus, atq; raptoribus. *c.2. de fur.* & *c.2.de rapt.* & ijs qui in duellis, & torniamentis animas profuderũt. *c.1.de torniam.* demum ijs, qui mortem ſibi conſciuerunt ob ſceleris conſcientiã,vel propter ſua flagitia interfecti ſunt.*c. placuit.23.q.5.* Sed quid ſi tædio vitæ,vel impatientia doloris alicuius, vel alio modo vitam finiunt? Ego, licet de iure ciuili horũ donatio valeat, itemq; teſtamentum. *l.vlt.§. ſi quis autem. ff.de bon.eor.qui ant.ſent.mor.ſib.conſc.l.6.§.quòd ſi quis tædio.ff.aniuſt.rupt.teſt.* priuandos tamen eſſe Chriſtiana ſepultura haud dubito; niſi forte furoris ergò ſe interemerint:nam & apud veteres Romanos,adſtipulãte Cornelio Tacito *lib.hiſt.5.* qui publicatis bonis damnati erant, ſepultura, prohibebantur.Et apud veteres Hebræos carere ſepultura graue animaduerſionis genus iudicatum eſt,teſte Olympio ad *c.15.Iob.* Regi Hieroboam, qui Idola coluerat,prædixit Deus 3. *Reg. c.14.* animaduerſiones & ſupplicia,quibus in eũ vſurus erat. *Qui mortui,* ait, *fuerint de Hieroboã, in ciuitate comedent eos canes:qui autẽ mortui fuerint in agro,vorabunt eos aues cæli.* Ioram quoq; quia in vijs patris ſui Ioſaphat minimè ambulauerat,mortuus eſt infirmitate peſſima,& non fecit ei populus ſecundum morem exequias, ſicut fecerat maioribus ſuis. 2.*Paral. c.21.* Locus religioſus pro fodienda ſepultura,vendi nõ debet. *cap.3.* Nec de eligenda ſepultura, paciſci licet. *c.1.in ſex.* Quamquam qui defunctorum oblationes aut negant Eccleſijs, aut difficulter reddunt,tanquam egentium necatores, excommunicantur. *c.9.10.11.13.q.2.* Cæterũm quo loco cadauer imponi debet? Olim fuit maiorũ inſtitutis receptum,vt in Eccleſia nullatenus ſepelirentur,ſed in atrio,aut in porticu,aut in exedris Eccleſiæ. *c.15.eod.13.q.2.* Nec olim Athenienſes locum ſepulturæ intra vrbẽ dabant,quod religione ſe impediri dicerẽt,vt Seruius Sulpitius apud Cicer.*lib.4.Epiſt.54.* ſcribit.quod & apud ipſos Romanos lege xij.tab. cautum fuit: *Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, neve vrito.* Tradit etiam Chryſoſtomus *homil.66. ad populum Antiochenum,* Conſtantinum magno honore affectum, quòd pro foribus piſcatoris corpus eius ſepulturæ mandatũ fuerit: factusq. ſit Conſtantinus piſcatoris ianitor. Legimus, Theodoſium iuniorem, patrem quoque Archadium, necnõ auum Theodoſiũ in dextra ſublimi Apoſtolorum

ſtolorũ templi porticu ſepultos. Niceph. *lib.* 14. *c.* 58. Fuit tandẽ in concilio Magũtienſi conſtitutũ, vt intra Eccleſias Epiſcopi, Abbates, digniq; presbyteri, & fideles laici ſepeliri poſſent ex eo, puto, quod Gregorius *in lib. Dialogorum* 4. *c.* 50. ſcriptum reliquit, quòd cùm grauia peccata non deprimunt, tunc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur: quia eorum proximi quoties ad eadẽ ſacra loca veniunt, ſuorumque ſepulturam aſpiciunt, recordantur, & pro eis domino preces effundunt. Idcirco in loco tãtum ſacro, & religioſo ſunt fideles humandi. *c.* 3. Quod & Ethnici obſeruarunt; Voluerũtq; locum prophanum, in quẽ humanũ corpus eſſet illatum, religioſum fieri. *tot. tit. ff. de relig. & ſumpt. fun. & de mort. inferend.*

De Parochijs, & alijs Parochianis. *Tit.* 29.

DIXIMVS ex *cap.* 1. & *cap. ex parte. ſupr. tit. prox.* eum, qui exitum inteſtati facit, debere in ſua parochia ſepeliri; & in eo, qui alienam elegit, habere ſuam Eccleſiam canonicam portionem: cui titulo hic vicinus eſt, in quo & de alijs iuribus, quæ Parochus in parochianis habet, agitur, ſiue, vt diebus dominicis in propria parochia miſſam audiant; vel, ſi extra parochiam, oratorium habere voluerint; in Paſchate, Natali Domini, Epiphania, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, ac Natali ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur, in parochijs miſſas audiant. *can. ſi quis etiam, extra de conſecr. 1. diſt.* & his diebus alienos parochianos parochus ad miſſam minus debet admittere. *cap.* 2. Neq; ij ab alio Epiſcopo abſque ipſius Parochi licentia ordinari, neq; queunt iudicari. *cap.* 3. Et facti alterius Parochiæ, vel diœceſis, decimas pro prædijs in parochia poſitis tenentur ſoluere; cætera iura vel Epiſcopalia, ſeu diœceſana prælatis, ſeu Parochianis, quos apud Domicilium tranſtulerunt, præſtare. *cap. vlt.* atque etiam perſonales decimas. *cap. ad apoſtolica. infra tittul.* 1. Docemur item ex *c.* 1. quod ex concilio Aphricano translatum eſt, quemadmodum Parochiæ inter Epiſcopum Epiſcopo hæretico ad Catholicam vnitatem reuerſo ſubſtitutum diuidi debeant. Tum ex *cap.* 4. Parochiarum, ac diœceſum quaſdam præſcribi poſſe: vt quæ certis limitibus ſunt diſtincta, nequeant: quæ certis limitibus vallata non ſunt, poſſint; & in eadẽ prouincia triennio, extra nullo vnquam tẽpore. idem in *c. quicumq; c. licet. c. inter*, & *c. dilectio.* 16. *q.* 3. Parœcias appellarunt veteres fana illa, & Eccleſias quæ ſingulis aſſignantur presbyteris in cuiuſq; Epiſcopi diœceſi. Sed paulatim corrupto nomine Parochię appellari cęperunt. Non me latet parochiã vſurpari pro tota diœceſi cuiuſq; Epiſcopi, quæ multas complectitur Eccleſias. *c. bona rei.* 12. *q.* 2. & *c. Apoſtol. inf. de don.* & Rothaldus in *Epiſt. ſua ad Nicol. P. Max.* quæ inter Epiſtolas ipſius Nicolai inſeritur: *Quem*, inquit, *ipſe mox excommunicatum in carcerem retrudi iuſſit, illumq; depoſitũ, genitalibus truncum in mea parochia Eccleſia reſtituit.* Sed tunc aliter accipitur. nec mihi diſplicet, quod Budæus adnotauit, nẽpe hęc aliter Latinè exprimi poſſe; vt Curia dicatur, quam nos parochiã vocamus; Curiales parochiani ipſi; & Curio presbyter, qui parochianorum curationẽ, & gubernationem habet, nam & apud nos parochia, cura vulgò dicitur. Eſt igitur Curia, ſiue Parochia locus Deo dicatus, in quo Eccleſiæ ſacramenta fidelibus adminiſtrãtur; Parochus eſt, qui adminiſtrat, Parochiani, qui ipſius ſunt iuriſdictionis. Eſt autem dictus Parochus, eo quia iam olim erant Parochi, qui legatis publice Romam miſſis ſalem, & ligna ſuppeditabant: vt docte adnotauit Acron in illud Horatij: *Et Parochi qui debent ligna ſalemq.* quorũ appellatione omnia, vt idem Acron exiſtimauit, holpitibus neceſſaria veniunt. Sic apud nos Parochi dicuntur, quoniã ea omnia, quæ ad æternam vitam conſequendã ſunt neceſſaria, accepta ab Epiſcopis auctoritate, nobis perhumaniter ac abunde impendunt.

De Decimis, Primitijs, & Oblationibus. *Tit.* 30.

COHAERET hic titulus ſuperiori optima, ac manifeſtiſſima ratione: nam cum Parochi diuina miniſteria fidelibus ſuppeditent; & quilibet mercenarius dignus ſit mercede ſua: Deo primum, à quo cuncta procedunt, gratiæ agendæ ſunt; deinde ſacerdotibus eius, vt D. Hieron. *ſuper Malachiam* monuit, ac miniſtris, à quibus docti ſumus. Gratias autem idẽ Hieron. interpretatur decimas. *c. reuertimini.* 16. *q.* 1. Deus enim, qui dignatus eſt totũ dare, decimam dignatur recipere, nõ ſibi, ſed nobis profuturam. *c. decimæ. eod.* 16. *q.* 1. Decimæ autẽ ita ex debito requiruntur. *c.* 14. *hoc tit.* vt qui eas dare noluerint, res alienas inuadant. *c. decimæ. d.* 16. *q.* 1. quas ſi ſacerdoti dare noluerint, impio, vt D. Auguſt. *ſer.* 119. ait, dabunt militi. Debentur igitur iure diuino, atq; humano Decimæ de qualibet re nobis quoquo iure competenti. Vnde ille apud *Lucam* 18. Publicanus, *Decimas do omniũ, quæ poſſideo.* Inde tres decimarum ſpecies conſtituere poſſumus: vt quædã ſint perſonales, quę ex opere perſonali, vt ex artificio, militia, negotiatione, & ſi quid aliud eſt, quædã prædiales, quę ex prędijs debẽtur, vtpote fructus eorũ; quędam deniq; mixtę, de quibus in dubiũ veniri poteſt, vtrum perſonales, an prædiales, nimirum de

apibus, agnis, & fœtibus aliorum animalium, quæ ſunt in paſcuis, & gregatim paſcuntur, ac de lana; de ſtagnis quoque & fluminum, & lacuum, piſcarijs, venationibus, molendinis, atque ſyluis cæduis: niſi forte hæc habeantur pro vſu, & vſu ſuo, aut ſine fraude donare contigerit: tunc non ſoluitur decima, ex conſtitutione Bonifacij octaui. *cap. vnic. §. de piſcarijs. eod. extrauag.* Horum omnium rerum decimæ ſtatim dandæ ſunt, antequam vlla fiat ſeparatio. & prædiales ſunt præſtandæ nullis deductis expenſis, cenſu, tributo. *cap. 7. 22. 26. 28. 34.* non item quæ ex negotiatione proueniunt. *d. cap. 28.* Decimas ergo à laicis dandas eſſe clericis, quaſi Deo, ne vllo quidem tempore dubitatum fuit. quas & veteres Herculi, alijsq; gentium ſimulatis Dijs ſæpe pollucere, ac conſecrare ſolitos fuiſſe accepimus. exin Decimas Suetonius in Caligula appellaſſe videtur miſſilia, & teſſeras, quas Imperator ſcenicis ludis ſpargebat: atque ita populo Rom. veluti decimam dabat. Sed hæc non tam certa, quàm altera incerta, ſcilicet an clerici à clericis Decimas exigere poſſint, ex *cap. 2. huius tit.* qui locus ita noſtrorũ ingenia torſit, vt quid diſcas, omnino ignores. Mihi tamen Paſchalis Romanus Pontifex huius nominis ſecundus ſe ſatis ibidem explicaſſe videtur: vt clerici à clericis decimas non exigant; his exceptis, qui ſpiritualium miniſteriorum labores à clericis accipiũt. clerici enim cùm in minoribus (appellatione clerici omnes ſacris initiati veniunt, vt in *tit. 1 ſupr.* diximus) ordinibus conſtituti ſint, maiorum opera indigent, vt ſcilicet adminiſtrentur Eccleſiæ ſacramenta, & ea omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Idcirco in *cap. 1.* legimus, Leuitas, qui inferiorum miniſteriorum gradum obtinent, nempe Diaconi, ſacerdotibus decimas dediſſe: non autem leuitas leuitis, neque ſacerdotes ſacerdotibus. neque valet diſtinctio illa aduentitia, vt clerici teneantur clericis de fructibus prædiorum; & non de acquiſitis ex diligentia: quia ex eodem *cap. 2.* quod erat in prima collectione 7. hæc eliciuntur verba: *Nouum genus exactionis eſt, vt clerici à clericis frugum decimas, vel animalium exigant. nuſquam in lege Domini hoc præcipi legimus.* Monachi verò debent ſoluere pro prædijs nouiter cultis decimas, pro quibus prius ſoluebantur. *cap. 4.* quanquam ab Hadriano Ciſtercienſibus, templarijs, & hoſpitalarijs conceſſum ſit, vt decimam prædiorum, quæ propijs manibus, vel ſumptibus excolunt, nõ dent. quod ab Alexandro iij. ad cæteros religioſos eſt extenſum: & amplius nihil de hortis & animalibus altis præſtent. *c. 10.* de quibus neque leproſi tenentur. *cap. 2 inf. de Eccl. ædif. & rep.* & Paſchalis Quartus ad Epiſcopos, & milites, vt de acquiſitis in bello non ſoluant decimas. *c. decimas. 16. quæſt. 1.* Sed illos de fructibus prædiorum, quæ poſt generale concilium acquiſiuere, decimas ſoluere voluit Innocentius iij. *cap. penult.* niſi expreſſe priuilegiati ſint ex Alexandri iiij. *cap. 2. §. penul. in ſext.* Atqui priuilegium de decimis noualium non ſoluendis non impedit, quominus præſtentur decimæ tempore impetrati priuilegij poſſeſſæ. *cap. dudum. infra de priuileg. & exceſſ. priuileg.* Et qui priuilegio ſunt indulti ſuper decimis non ſoluendis, pro prædijs, quæ ab alijs conducunt, non intelliguntur exempti. *cap. 8.* Et de laboribus conceſſum priuilegium etſi noualia comprehendat. *cap. 12.* non trahitur ad fundos, qui alijs ad colendum dantur. *cap. 11.* Et illud ſi enormiter nocere cœperit, reuocatur. *cap. 9.* Et in feudum conceſſæ decimæ, quas laicus nemo, etiam Imperator, poteſt concedere. *cap. 25. & c. 31. hoc titul. & c. 31. ſupr. de prabend.* ad noualium nunquam extenduntur. Et, vt paucis comprehendam, tenentur omnes, etiam ludæi pro prædijs, quæ colunt. *cap. 16. hoc tit.* Inſuper ſacroſancta Tridentina Synodus *cap. 12. ſeſſ. 25.* præcepit omnibus, cuiuſcunque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio pertinet, vt eas, ad quas de iure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcunq; alijs Eccleſijs, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſoluant; qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione, abſoluantur; ex eo, quod in *Exod. 22.* legitur; *Decimas, & Primitias nõ tardabis offerre. & Leuit. vlt. Quicquid decimum fuerit, ſacrificabitur Domino.* Sunt autem Decimæ tributa agentium animarum. *cap. 26. hoc tit.* ſic dictæ, quoniam ſi decimam dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis, & animæ conſequeris, vt tradit Auguſtinus iam citato *cap. decima.* Titulus hic factus eſt tripartitus, quia non Deo tantum Decimæ debentur, verum etiam Primitiæ, & Oblationes. Vnde Genes. *Decimæ, & Primitiæ meæ ſunt.* Primitiæ dicuntur primi fructus ex agro, & ex alia qualibet re percepti, qui Deo offeruntur. Romani quoque priſci, auctore Plinio *lib. 18. c. 2.* non guſtabant vina, aut nouas fruges, priuſquam ſacerdotes primitias libaſſent. Primitiarum ſit mentio duntaxat in *cap. 1.* & Oblationum in *cap. 17.* Eſt enim oblatio id, quod non ex debito, vt Decimæ, debetur, ſed quod ſponte Eccleſijs ad honorem Dei offertur, vel clericis ex conſuetudine, aut ex aliqua inita conuentione, vt ſunt mortuorum oblationes, de quibus ſupra. Oblatio igitur ſui natura eſt voluntaria: ſecus ſi aliunde accedit obligatio. S. Thomas 2. 2. *quæſt. 86. art. 1.* Ioan. à Turrecrem. *ad can. omnis. de conſecrat. diſtinct. 1.*

Anton.

Anton. *in Summ. 3 part. tit. 2.* Abbas, & alij ad *rub. 5. de paroch.* Oblationum verò vſum in Miſſæ ſacro antiquiſsimum fuiſſe pluribus veterum auctorum ſententijs comprobat 10. Stephanus Durantus *lib. 2. de ritib. eccl. cath. cap. 26. nu. 7.* prout *num. 10.* oſtendit aliquo tempore moris quoque fuiſſe, vt eorum nomina, qui obtulerant, à Diacono publicè recitarentur: quem, quia cæpit offerentium paucitate, vel ſacerdotum cupiditate in laudem peccantium mutari, grauiter reprehendit S. Hieronymus in *Hier. c. 11. lib. 2. & Ezechiel. cap. 18. lib. 6.*

De regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem. *Tit.* 31.

EXPOSITIS tantum ijs, quæ ad ſeculares clericos (clericorum enim alij ſunt ſeculares, alij regulares) pertinent; neceſſe erat, vt & de regularibus ſpecialis daretur titulus. Dicitur regularis is, qui è ſeculo ad religionem monaſticham, ſeu Canonicorum regularium eo animo tranſit, vt earum canonibus, ſeu regulis obtemperet. & licet Canonici regulares regulæ inſeruiant laxiori, à ſanctorum tamen monachorum conſortio non exiſtimantur ſeiuncti. *cap. quod Dei timorem. inſ. de Statu monachor.* Verùm ad religionem nullus admittitur, niſi volens, & ætate idoneus. *cap. 1.* Quare pubes religionem ingreſſus, poſt annum à parentibus nequit reuocari. Et ſi per vim factus fuerit, poſt annum exire; neque à proprijs parentibus trahi poteſt. *cap. 2.* etenim videtur ſublata eſſe timoris cauſa, & ſpontaneus conſenſus acceſsiſſe. Neque obſtat *cap. cùm virum. hoc titul.* quia licet eſſet velata, fuit tamen ante ætatem canonibus definitam. & ob id non cogitur maior facta ſequi patris voluntatem. ſed contra, ſi poſt 12. annum permanſit in religione: ex eo enim, quòd in religione ſtetit, maluiſſe videtur. *l. ſi patre. ff. de rit. nup.* ita etiam in carnali matrimonio, quod etſi per metum, qui in virum fortem cadere poteſt, contractum, non tenere per manum traditum eſt. *cap. 1. ſupr. de ijs, qui vi met. cauſ. cap. diſcretionem. infra de eo qui cogn. conſ. vx. ſuæ.* attamen iſte metus purgari etiã poteſt per ſpontaneam tãti temporis cohabitationem, ex qua æſtimari poſſit ſublatam fuiſſe timoris cauſam, & ſpontaneum conſenſum acceſsiſſe. *cap. ad id. infr. de ſponſ. & matr.* Filia itaq; minor 12. annis à parentibus monaſterio tradita, maior facta ſi habitum religionis induerit, & exierit: redire ſtatim cogitur: quamuis valeat etiam ſine habitus ſuſceptione: quia non facit habitus monachũ, ſed regularis profeſsio. *c. 13.* Atqui profeſsio ante 14. annum in maſculo, ſicut furioſum, non obligat; niſi maior factus ratum habuerit, *cap. 8. 11. & 14.* Niſi triduo perſeuerauerit, libere vxorem poterit ducere. Et qui profeſſus eſt, licet in clauſtro permanſerit nuſquam, ad obſeruantiam regularem compellitur. Hodie à concilio Tridentino conſtitutum eſt *cap. 15. ſeſſ. 25.* in quacumque religione tam virorum, quàm mulierum, profeſsionem ante annum decimum ſextum non fieri; & antea factam nullam inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcunque effectus. Profeſsione legitime celebrata, monacho peculium habere, & ad aliud monaſterium tranſire abſque Abbatis licentia minus licet. *cap. 5. 7. & 9.* Canonicus regularis effici monachus poteſt, ſi religio, ad quam tranſit, ſit ſua ſtrictior. *cap. 10.* Deinde Alexander iij. in *cap. 18.* omnibus ad ſtrictiorem priore conuolare permiſit. Contra, Martinus iv. qui mendicantes non mendicantium religionem ingredi, nullo fucato colore, ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obſeruantiæ poſſe voluit; alioquin tam recipientes, quàm ipſi, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt. *cap. 1. eod. extrauag.* Et hinc mihi mirum in modum placet, quod deuotiſſimus Bernardus ſanctus dicitabat, *Nemini ſatis licere ex vna ad aliam religionem quantumuis ſtrictiorem tranſire. quòd ſi prima, quam ingreſſus es, laxior forte videtur, te in eadem ſtrictiorem agere vitam poſſe nemo prohibet.* Hic titulus eſt etiã de Prælatis, vt nullus abſque Rom. Pontificis licentia, quauis occaſione poſſit deſerere præſulatum: quoniam ſicut maius bonum minori bono præfertur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præponitur. Et hoc caſu recte doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti antefertur. *d. cap. 18.* Item de coniugibus, qui religionem profitendo ab inuicem diuertere poſſunt. aliter ſi ſe abiurant, & non continent. *cap. 19.* Concludit tandem, fugitiuos monachos ſingulis annis requirendos eſſe, & cogendos, vt ad monaſterium redeant.

De conuerſione coniugatorum. *Tit.* 32.

QVOD in *cap. 19. tituli ſuperioris* caſu quodam modo dictum eſt, de eo hic datur titulus ſpecialis. Euenit enim interdum, vt etſi ſponſalia, arrarumq; datio præceſſerint, ac nuptiæ contractæ, conſummataq; ſint, coniuges mutuo conſenſu poſſint à concubitu ſe abſtinere, ac religionem ingredi. *cap. mulier. cum ſeq. 33. quæſt. 5. & cap. 20. hoc tit.* Dico mutuo conſenſu: quoniam coniugatus ad ſacros

ordines non valet promoueri, niſi ipſa vxor continentiam promittat. *cap.* 4. 5. 8. *& cap.* 13. Nec ad Epiſcopatum, niſi mulier religionem profiteatur, ac velamen ſibi velamen imponat. *cap.* 6. At copula non ſequuta, etiam inuita ſponſa, ad Deum tranſire poteſt; & contra. *cap.* 2. Conſummato matrimonio, mulier maritum repetere, non obſtante profitendi licentia, poteſt, ſi ipſa de incontinentia ſit ſuſpecta, nec religionem ingrediatur. *cap.* 1. & 17. Nec valet, quòd præſtitum ſit iuramentum. *d. cap.* 19. *ſupr. titul. prox.* Non item ſi mulier adulterium commiſerit, etiã ſi dolo inducta ſit, vt marito ingredi monaſterium permitteret. *cap.* 16. Qui verò conſentiente vxore monachalem habitum ſuſcepit, licet non introiuerit monaſterium, mortua vxore, cum alia contrahere nequit, etiamſi mulier ſemper diſſimulaſſet. *cap.* 9. & 10. Mulier verò, quæ continentiam vouit, tenetur marito debitum reddere: quanquam ad tempus voto conſenſit. *cap.* 11. Et ratio eſt, ne in adulterium caderet. D. Auguſtinus *ad Editiam Epiſt.* 199. *Nam*, inquit, *ſi vir continere voluiſſet, & tu voluiſſes: ſibi reddere debitum cogeretur: & illi Deus imputaret ad continentiam, ſi non ſua, ſed tua cederet infirmitati. c. ſecundum.* 33. *quæſt.* 5.

De conuerſione infidelium. *Tit.* 33.

DATVR etiam ſpecialis titulus de conuerſione infidelium: qui ad ſuperiorem quo pacto cohereat, conſtat aperte ex *cap. vlt. tit. ſuperioris*: ſcilicet vt mulier, quæ in fide remanſit, poſſit etiam nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, ob quam ab eo fuerat iudicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem libere tranſire. Loquitur enim hic titulus de ijs, qui relicto Iudæorum, omniumq; errore hæreticorum, ad religionem Chriſtianam omnis veræ religionis, & fidei perpetuam matrem, & magiſtram confugiunt. quibus ſingulariter conceſſum eſt, nuptias cum vxoribus eorum, quos in belli certamine interfecerunt, contrahere. Item ſi pater infidelis ad fidem ſe conuertat, (non æque ſi mater) prolem apud patrem ali debere; optima ratione, cùm filius in patris ſit poteſtate: tum propter fauorem Chriſtianæ fidei. quam ob rem filium cùm mater religionem Chriſtianam ſit ingreſſa (non item eum pater) matrem ſequi poſſe reor ex *cap. vlt. ſupra de ſer. non ordin.*

De voto, & voti redemptione. *Tit.* 34.

SOLENT plerunque tranſeuntes ad religionem, vel ante, vel poſt religionis ingreſſum, Deo vouere. & quamuis titulus ad alios etiam extendatur: tamen cùm omne votum, in religionis votum poſſit commutari. *ca.* 4. *hoc tit.* & apud D. Thomam 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. recte adnectitur ſuperiori. Eſt autem votum promiſſio alicuius rei Deo facta ab ijs, qui abſque alterius auctoritate poſſunt vouere. Dixi, ab ijs: quoniam aliqui ſunt, qui ad religionem vouendam alterius conſenſum deſiderant; vt Epiſcopus Papæ. *cap.* 7. *hoc tit. cap. licet. ſupr. de regul. & tranſ. ad relig.* impubes patris, aut tutoris. *cap.* 1. & 2. 10. 1. *quæſt.* 1. ſeruus domini. *cap. ſi quis incognitus.* 17. *q.* 2. vxor viri. *ſupra de conuerſ. coniug.* monachus Abbatis. *c. monachi.* 20. *quæſt.* 4. Inſcribitur titulus de voto, & voti redemptione, propterea quod non ſatis eſt vouere, ſed reddere oportet: vnde Propheta *Pſal.* 75. *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro*: quaſi nihil ſit tam debitum, quàm quod votum eſt: atteſtante quoque Ciceronе ad Atticum: *Sed iam quaſi voto quodam, & promiſſo me teneri puto.* Atqui votum, vel voluntatis eſt, vel neceſſitatis: huius hic nulla fit mentio: de quo tamen mihi videtur loqui D. Auguſtinus in *c. ſunt.* 17. *q.* 1. *Sunt quædam*, inquit, *quæ etiam non vouentes debemus: quædam etiam, quæ niſi vouerimus, non debemus.* Illa interpretor neceſſitatis, vt ad fidem ſeruandam, & alia omnia, ſine quibus ſeruari homo nequit, vt in *can. prima. de conſecr.* 4. *diſtinct.* & *c. charitas. de pœnit.* 2. *diſtinct.* Iſta poſteaquam Deo promiſimus, neceſſariò reddere conſtringimur, vt religionis, caſtitatis, vel viſitandi Ieroſolymam, & alia loca longe, aut procul exiſtentia, & alia huiuſmodi, quæ poſſunt auctoritate ſuperiorum commutari. Voluntatis quoque votum duplex eſt; alterum ſimplex, alterum ſolenne. Simplex eſt, cui nulla adhibetur ſolennitas. Solenne æſtimamus ſolum ex continentia. & iſtud perficitur tribus tantum modis; vno, profeſſione vera, & expreſſa; altero præſumpta, & occulta, vt *ſupra de regul.* vltimo ſuſceptione ordinis, ſolenne fit continentiæ votum. *c. diaconi.* 28. *diſtinct.* & *c. cùm ſi in præterito.* 84. *diſtinct.* Nihilominus tamen quod ad Deum attinet, ferè obligat ſimplex, quàm ſolenne; quemadmodum iuramentum, & ſimplex promiſſio: cùm, Deus nullam eſſe velit differentiam inter iuramentum, & ſimplicem loquelam. *cap. iuramenti* 22. *quæſt.* 5. Votum ex natura ſui eandem habet obſeruantiam; vtrunque eſt obſeruandum

uandum perpetuo: vtriuſque prætermiſſio mortale producit peccatum. Verum quoniam Eccleſia conſiderat circumſtantias: vt *can. homo. 40. diſtinct.* & ſolemnitates verborum obſeruat, in *cap. rurſus. infr. qui cler. vel vouent.* ideo diuerſum ius ſtatuit: videlicet vt ſimplex impediat matrimonium contrahendum; ſolemne iam cõtractum dirimat; vt fuſius dicturi ſumus in *d. tit. qui cler.* Eſt enim voti ſolemnitas ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta, *cap. vnic. eod. in ſexto.* Hinc puto poſſe haud male aduerſus D. Thomã 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. & alios magni nominis viros defendi, Rom. Pontificem propria diſpenſatione ex iuſta cauſa, quæ æquam, iuſtamq. diſpenſationem efficiat, ſolemne continentiæ votum tollere; neque obſtare *cap. cum ad monaſterium. infr. tit. primo.* vbi, neque ſummum Pontificem poſſe contra caſtitatem, & paupertatem monachorum licentiam indulgere ſcriptum eſt. quia, etſi ſummus Eccleſiæ Princeps nequit concedere monacho, vt exiſtens monachus poſſit vxorem habere, poteſt eum tamen à voto, & religione eximere; & ſic exemptus nuptias contrahere valebit: qua de re latius, vt res poſtulat, alibi differendum arbitror. Idcirco teor ſummum Præſidem, ſi viderit id expedire Chriſtianæ reipublicæ animarumq. ſaluti, voti obligationem poſſe remittere, vt in *cap. officij. 38. in fine. ſup. de elect.* nam & ſacroſanctа illa Tridentina Synodus in *cap. 5 ſeſſ. 24.* permiſit ſecundo gradu inter magnos Principes ob publicam cauſam nuptiarum fœdera iniri poſſe, cùm id canonibus aduerſetur. Fatebor tamen, ſummum Eccleſiæ antiſtitem hiſce iuribus raro, & non niſi ex cauſa, & euidenti, ac manifeſta Catholicæ religionis vtilitate vti debere. Cæterum quod de iureiurãdo dictum eſt, idem ad votum transferri haud male poteſt. Sed cùm votum omne in religionis ingreſſum poſſit commutari, quaſi fiat in melius; & ex vna religione tranſiri ad ſtrictiorẽ religionem, nulla etiam obtenta ſuperioris licẽtia. *cap. licet ſup. de reg. & tranſeunt. ad relig.* dubitatur ex *cap. 1. huius tit.* quid ſi non fiat in religionis ingreſſum, fiat tamen in melius (Deus enim Opt. Max. melius & gratius acceptat id, quod melius fit. *cap. 8. hoc tit.*) an fieri poſſit abſque ſuperioris auctoritate? Varia eſt huiuſce rei interpretum ſententia. Verum mihi videtur dixiſſe, quod oportuit, Illuſtriſſimus Caietanus. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. tunc neceſſariam eſſe ſuperioris auctoritatem ad voti commutationem, cùm ille, qui vouit, dubius, & incertus eſt, an fiat in melius commutatio: & ita *cap. 1. huius tit. eſt intelligendum.* vbi vero is, qui votum emiſit, certus eſt commutationem fieri in melius, nulla erit ſuperioris auctoritas neceſſaria. Idem voluiſſe D. Thomam *d. art.* 12. apparet, dum ſcribit, ſuperioris, & prælati auctoritatem neceſſariam eſſe in commutandis votis ad definiendum quid ſit Deo gratius. Non diſſentio tamen ab Innocentio in *d. cap.* 4. tutius eſt commutare vota cũ ſuperioris auctoritate, quàm propria. Habemus quoque in hoc titulo, ex ſola conceptione boni explicandi non obligari quẽm ad bonum conceptum exequendum. *cap.* 3. & ad ſolum Pontificem Romanum pertinere Vltramarinum voti in eleemoſynam, vigilias, orationes, & ieiunia commutare. *cap.* 7. Et ex cauſa poſſe differri. *cap.* 5. & 9. Et in minori ætate non tenere. *c.* 2. Et viros ſine vxorum conſenſu hoc votum emittere, ac vxores illos ſequi, ſi voluerint. *d. cap.* 9. S. *quod autem cum ſeq.* Et hæredem laicum ad exequutionem voti vltramarini, ad quod ſe pro defuncto obligauit, per excommunicationem compelli. *cap.* 6. Hocq. votum prælatum etiam profeſſum emittere poſſe. *cap. vlt.* Et qui religionem vouit, ſi voto non completo creatur Epiſcopus, renunciare debet, & votum adimplere. *cap.* 10. *hoc tit.*

De ſtatu Monachorum, & Canonicorum regularium. *Tit.* 35.

HIc titulus reſpicit ad titulum 31. in quo de tranſeuntibus ad religionem actum eſt, in hoc vult dicere, qui nam debeat eſſe ſtatus tranſeuntium, ſiue monachorum, & canonicorum regularium. & primum oportere, etſi habitus non facit monachum, veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatẽ intrinſecam oſtendant. Nec ſingulos per villas, & oppida diuagari; nec ſolos inter ſeculares ſtare. quinimo olim dicebantur Monachi verbo Græco homines à cæterorum conſortio ſeiuncti; & quietam, tacitamq. vitam duriſſime, ac laborioſiſſime in montibus, ſaltibus, atque ſpeluncis degentes, idque certis legibus, ac inſtitutis. Ijdẽ, & hæremitæ, & Anachoretæ, ac Helycaſtræ appellari ſolebant, vt auctor eſt Iuſtinianus *Nouell.* 5. vnde D. Hieronym. *ad Paulinum*: quæ eſt 14. *lib.* 2. *Si cupis*, ait, *eſſe quod dicer is, monachus, hoc eſt, ſolus, quid facis in vrbibus? quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? ceſſi cupis.* 16. *q.* 1. Idem in *Epiſt.* 6. *eod. lib.* 2. *ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ. Quid facit*, inquit, *in turba qui ſolus eſt?* & Pelagius Pontifex hæc tria ipſis adſcripſit, quietem, orationem, & laborem manuum. *cap. de præſentium.* 16. *q.* 1. Labore enim ſuo monachi olim ſibi, alijsq. egenis victũ parabant; vt viri patres tradiderunt ſæpe. immo apud priſcos receptum fuit, vt monachus, qui non operatur, latroni par ſit iudicandus: vt in

hiſtor. Tripar. *lib.* 8. *cap.* 1. Et quanquam certis horis in vnum locum conuenire eos moris eſſet, attamen ſimul non commorabantur, ſed domunculas ſparſim per montes, ſaltusvè extructas habebant. Tandem vtilius, ac decentius fore duxerunt, ſi ſe omnes in vnum reciperent, & communiter viuerent, non ſoli in ſpeluncis delitescerent. *cap. ſi clericatus.* 16. *q.* 1. quod & Imperator conſtituit *Nouell.* 133. & ſummi Eccleſiæ rectores confirmarunt. *cap. monachorum.* 20. *q.* 4. Sed nec ſacerdotes erant, nec clerici, ſed quaſi cæteri ex populo, qui laici Græcè vocantur. Neque immerito B. Hieronymus clericos monachorum eſſe patres dicit, ad Furiam de viduitate ſeruanda ſcribens *epiſt.* 19 *lib.* 2. Et ad communem omnium ædem ſacram percipiendo. rum ſacramentorum cauſa accedebant, vt Abbas in *cap. dilectus. infra tit.* 2. & Iuſtinianus ſatis oſtendit in *d. Nouell.* 133. ac plerumque ſacerdotem accerſebant, qui ipſis miſſarum ſolēnia celebrabat. *cap. hinc eſt. in fin.* 16. *q.* 1. Et diſtinguebantur clerici à monachis. *d. cap. hinc eſt.* & *l. generaliter. C. de epiſc. & cler.* Poſtea fuit cōceſſum, vt & clerici eſſent. ſic paſſim omnes monachi ſine vllius Eccleſiæ gubernatione ſacerdotes creari cæperunt, vt ea re maiorem ſibi dignitatem conciliarent; atque vt reipub. more viuerent, vnum tanquam Principem ſibi conſtituerunt, qui cæteris præeſſet in monaſterio, quemadmodum clericis cuiuſque Eccleſiæ præeſt Epiſcopus: & ille à noſtris Abbas, à Græcis, & maxime à Iuſtiniano, Archimandrita, & Cœnobiarcha vocatur. In hoc noſtro titulo agitur item de cibis, ſilentio, concilijs celebrandis, inſtitutionibus, præſidentibus capituli, viſitatoribus; item quæ eſſe debeat monachorum correctio, quæ Abbatum, quæ viſitatorum. Item ne monachi pretio recipiantur, nevè peculium habeant. Ita eſt proprietatis abdicatio regulæ monachali adnexa. *cap.* 6. *hoc tit.* vt neque Roman. Pontifex niſi ex magna cauſa contra eam poſſit diſpenſare, vt ſuperiori tit. Et regularis quoque Canonicus, qui in morte non reſignauit proprium, non debet cum alijs ſepeliri, ſed ſepultus exhumari, & proijci. *cap.* 4. quamuis Regulares ſcilicet Canonici poſſint ad Eccleſiarum parochiarum regimen in presbyteros ordinari. *c.* 5. dummodo non ſint translati. *cap. quia vero* 11. *in fin. ſeſſ.* 14. *Concil. Trident. de reform.* Et illa fere omnia ad Alcetrias, ſeu, vt vulgo dicuntur, moniales, extenduntur. *cap. vlt.* Quæ tacite, vel expreſſe profeſſæ, clauſuras monaſterij exire non poſſunt; Nec alij ad illas intrare, niſi aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. *cap.* 1. *eod. in* 6. *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *in Concil. Trid.* Hinc coguntur tēporales iudices, ſeu Domini, item q. Eccleſiaſtici, & in temporalibus, & ſpiritualibus concedere per Eccleſiaſticam cenſuram, vt in curijs Abbatiſſæ per procuratores litigent. *d. c.* 1. §. *penul.* Quòd ſi Principibus ſecularibus fidelitatis ſacramentum præſtare minus per procuratorem potuerint, poterunt exire, & perſonaliter iurare. *d. cap.* 1. §. 2. Et in monaſterijs non mendicantium, ex eius facultatibus ſorores ſunt recipiendæ; alioquin non valet receptio. *d. cap.* 1. §. 1. Multa etiam conſtituit Clemens V.

De religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ. *Tit.* 36.

POSTQVAM dixit ſatis de ſtatu Monachorum, & Diœceſanis, quippe qui monaſterijs non debent aliquid inferre moleſtiæ, præterquam in cauſis correctionis. *cap.* 1. *tit. præcedenti:* tranſit ad illorum domos. Domus autem hic accipitur pro monaſterijs, templis, xenodochijs, & alijs huiuſmodi ad pias cauſas conſtructis. *l. orphanotrophos.* & *l. omnia. C. de epiſc. & cler. cap.* 3. *hoc tit.* Et hæc ædificari debent auctore Epiſcopo. *cap. quicumque.* 16. *q.* 1. adhibita ſolemnitate, qua de agitur in *can. neme de conſecrat.* 1. *diſt.* & in *Nouell.* 131. *de Eccleſ. tit.* §. *ſi quis autem voluerit.* Quæ, cum Eccleſiæ ſint ædificatæ, atque ipſæ religioſæ domus, Epiſcopo, in cuius diœceſi inſurgūt, ſubiectæ ſunt. *cap. baſilicæ.* 16. *q.* 7. & *cap. monaſteria.* 18. *q.* 2. & *d. cap.* 3. Niſi exemptæ. *cap.* 6. *hoc tit.* vel præſcriptione. *cap. auditis. ſupra de præſcript.* Subſunt autem duplici iure, diœceſano, & iuriſdictionis. Illud conſiſtit in cathedratico exigendo, item in tertia, aut in quarta oblationum. & huic ſubiectæ ſunt omnes Eccleſiæ, præter monaſteria. *cap. inter cætera.* 10. *q.* 3. *cap. cū pro vtilitate.* 16. *q.* 1. *cap. quàm ſit.* 18. *q.* 2. Iuriſdictionis ius conſiſtit in conferendis ſacramentis, in cauſarum cognitionibus, & in coercendis delictis. & huic ſubijciuntur & ſeculares, & regulares clerici. *can. accedens.* 50. *diſt. cap. interdicimus.* 16. *q.* 1. *cap.* 1. 18. *q.* 2. & capellæ. *cap. conquerente. ſup. de offic. deleg.* Sed an poſſit hoc vtrumque ius remittere Epiſcopus, controuerſia eſt. Ego poſſe non ſum neſcius ex *d. cap.* 6. & *cap. cum venerabilis. inf. de cenſ.* & *cap.* 16. *q.* 2. Et renunciando Epiſcopalia iura, ſibi poteſt retinere cenſum. *d. cap.* 6. Quòd ſi in dubiū venerit, in cuius diœceſi baſilica ſit conſecranda, ille cōſecrabit Epiſcopus, qui prius in illo loco iura Epiſcopalia exercuit. *cap.* 1. Neque iure cadit Epiſcopus, in cuius diœceſi ſitum erat monaſterium, quod Papa vnit monaſterio alterius diœceſis. *cap.* 2. Petens autem Eccleſiam quo ad temporalia, & ſpiritualia, probato eam in ſua diœceſi eſſe, obtinet in ſpiritualibus; non item in temporalibus, niſi

niſi aliter doceat. *cap.*7. Atque eius auctoritate locus ſemel ad vſum pium conſtitutus, amplius nequit ſecularibus deputari. *cap.* 4. Inſtitui autē noua domus, ſeu religio, ſine auctoritate Pontificis Rom. ſicut collegium inconſulto Principe, minime licet. *l.* 3. *ff. de colleg. cap. vlt. hoc tit.* Nec Abbas pluribus monaſterijs præeſſe poteſt, nec monachus in diuerſis locum habere. Eſt & illud ſub hoc titulo ſciendum, comprehēdi & hic mulierum religionem, vel ſtatum potius, quæ vulgo Beguinæ nuncupantur. quarum ſtatus primum à Clemente V. in *clem.* 1. *eod.* inhibitus fuit, tum à Ioanne 22. *cap.* 1. *extrauag.* tādem ab eodem Ioanne permiſſus. *cap. vnic. extr. commun.* vt ſub illo habitu mulieres fide dignæ, quæque nec ſint culpabiles, nec ſuſpectæ, poſſint viuere. Veniunt hoc etiam titulo moniales omnes, quæ licet olim poſſent extra mœnia vrbium, atque oppidorum, monaſteria habere: hodie tamen poſt Concilij Tridentini conſtitutionem, ſanctimonialium monaſteria extra nequeunt conſtitui; quinimo ibi conſtituta, intra vrbium, oppidorumvè ſepta reduci debent. *cap.* 5. *ſeſſ.* 25.

De capellis monachorum, & aliorum religioſorum. *Tit.* 37.

ADHVC deſiderabatur hic titulus, quo intelligeremus quodnā habeant ius monachi, atque religioſi alij in capellis. Nomine Religioſi veniunt etiam clerici ſeculares, quorum mentio in *cap.* 2. apertiſſime fit; quo etiam cauetur, vt Eccleſia non cathedralis nullum ius in alia Eccleſia ſibi poſſit vendicare, niſi id ſibi deberi vel præſcriptione, vel alia legitima ratione probauerit. Ius vero, quod monachi in capellis habent, diuerſum eſt. Aut enim illud obtinent ex fundatione, aut laici donatione, aut Epiſcopi conceſſione. In hoc, ſi pleno iure Epiſcopus donauit, temporalia, & ſpiritualia, & inſtitutiones habebunt. *cap. viſis.* 16. *q.* 2. In illis temporalia dumtaxat; ſpiritualia Epiſcopo intelliguntur reſeruata. Et ſic interpretari oportet *cap. ſane. d. q.* 2. *Sacerdotes*, inquit, *de populi quidem cura Epiſcopis rationem reddunt; abbati verò pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubiectionem exhibeant. & ita ſua cuique iura ſeruentur.* Ad hoc etiam facit *cap. in Lateranenſi. ſupra de præbend.* In ijs, quas habent ex laicorum donatione, ius præſentandi obtinent. *cap. ſicut ſupr. de ſupplen. neglig.* Ad parochiales igitur Eccleſias non monachi, etiam ſi ibi habitent, ſed ſeculares presbyteri debent inſtitui ab Epiſcopis. *c.* 1. vt eis reſpondeant de animarum cura, & de ijs, quæ ad Epiſcopum pertinent. *d. cap. in Lateranenſi*. Neque obſtant *cap. doctos. & cap. ſi monachus. cum ſeq.* 16. *q.* 1. in quibus apparet monachos ſacerdotes, ſicut ſeculares, poſſe animarum curam gerere. quia cùm dubium eſſet, num poſſent: reſponſum eſt à ſummis Pontificibus poſſe, hoc eſt ex officio Presbyteri, & ex neceſſitate, vt in *cap. ſunt nonnulli. d. q.* 1. Sed ſi ſecularium copiam habemus, non licet, cùm ſint clauſtrales. Hinc videmus Honorium iij. ex Lateranenſi Concilio prohibuiſſe, ne in prioratibus ſinguli monachi ſtent; ſed vt ordinarius compellat abbatem, vt monachos reuocet ad clauſtrum, vel vt ſocios eis adiungat. *cap. vlt.* Sed quod nōnulli putant ex *cap. penult.* non poſſe Rom. Pontificem contra conciliorum generalium decreta reſcribere: male. non valet quidem illud reſcriptum; quia Concilij, cui derogatum eſt, non eſt facta mentio: ſed ſecus ſi mentio facta fuerit; argumento *l. ſi quis in principio. ff. de leg.* 3.

De iure patronatus. *Tit.* 38.

QVAE dicta ſunt in præcedenti, veluti præludia quædam ſunt, aut præparationes ad hunc titulum: in quo fuſe de iure patronatus agitur. Eſt autem Ius patronatus, auctoritas præſentandi, vel aſſentiendi in re Eccleſiæ ante conſecrationem collata. Dixi, auctoritas, non poteſtas: quia patronus auctoritatem in libertos habet, poteſtatem non æque. Hoc enim dictum arbitror ex illo, quod & patroni in libertorū perſona, bonisq. habebant, operarum videlicet exactionem, inteſtati ſucceſſionem, bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *tit. de iure patron. in Pandectis.* Liberti appellātur, qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. *l.* 6. *ff. de ſtat. hom.* Manumiſſio dicta de manu datio: nam quamdiu quis eſt in ſeruitute, tandiu manui, & poteſtati ſuppoſitus eſt. *l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur.* Data itaque libertate, non dominus, ſed patronus dicitur, eo quia in poteſtate ſeruū amplius non habet. Sed quia ius aliquod ſibi retinuit, patronus appellatur. ita qui ius patronatus conſtituit, extra bona ſua illud emit; quoddam attamen ius ſibi adhuc competere voluit; vt eſt præſentandi, vel adſentiendi. *cap.* 12. 22. 27. 29. Si verò intra tempus Lateranen. Concilij non præſentat; aut ſi plures ſint patroni, & in præſentando diſcordant; Epiſcopus Eccleſiam ordinabit: *cap.* 3. *& 12. cum citatis.* Habent & aliud ius patroni; vt primi in proceſſione incedant. *cap. pia mentis. cap. Fringētius.* 16. *quæſt.* 7. Tenentur quoque Eccleſiam ab omnibus iniurijs defendere. *cap. filijs.* 16. *quæſt.* 7. Quòd ſi forte fortuna vergant ad inopiam, de ipſius Eccleſiæ bonis aluntur. *cap. filius. & cap. quicumque eod.*

eod. quæſt. 7. & cap. 25. hoc titulo. Quocirca illi duo ſatis recte traditi ſunt verſus:

Patrono debetur honos, onus, utilitaſq.;
Præſentet, præſit, defendat; alatur egenus.

Ius vero patronatus alienare eis minus licet, niſi cum vniuerſitate. *cap. 6. & 7. 16.* Cedere tamen cum Epiſcopi auctoritate gratuito poſſunt: niſi loco religioſo illud cõtulerint: tunc nullus Epiſcopi conſenſus deſideratur. *cap. 8.* Quod elegantem habet rationem: nam cùm ius patronatus ſit ſpiritualibus annexum. *cap. 3 ſup. de iudic.* ius noſtrum libenter admittit, vt id, quod eſt ſpirituali annexum, à laico ad Eccleſiam reuertatur. *cap. cum Apoſtolica. §. ſtaliter. ſupra de ijs, quæ fi. à præl. ſine conſ. capit.* Valet quoque donatio de iure patronatus, nulla præcedente Epiſcopi auctoritate, ſi longa præſcriptione fuerit munita, vel conſenſerit diœceſanus. *cap. 11.* Pro hoc ius patronatus nomine, quandoque legitur Aduocatio. *cap. 6.* interdum ſimpliciter Patronatus, Vicedominatus, Cuſtodia, & Guardia. *cap. 23.* tum etiam Frequentatio, & Proceſſio. *d. cap. pia mentis. cum ſeq.* Sunt & alia plura ad hunc tractatum pertinentia. qui verò illa deſiderat, Decretalium libros legat, eoſq. diligenter expendat. hæc in præſentia ſatis nobis ſufficiunt. de ijs etiam in Sexto, & in Clementinis.

De cenſibus, exactionibus, & procurationibus. *Tit. 39.*

QVAM apte cohereat hic titulus ſuperioribus, ex eo licet intelligere, quòd ſupra de domibus religioſorum, capellis, atque iure patronatus actum eſt. Cùm autẽ omnis anima ſit ſublimioribus ſubdita poteſtatibus; ideo præſtantur tributa. quia hæc, auctore S. Auguſtino ſuper Epiſtolam ad Romanos, eſt probatio ſubiectionis. & cum Epiſcopis ſubdita ſint loca pia omnia. *cap. de xenodochijs.* & *cap. cum dilectus. ſup. de relig. dom.* debentur eis cenſus, exactiones, & procurationes. Apoſtolus: *Si vobis ſpiritualia ſeminauimus, non eſt magnum, ſi carnalia veſtra metamus.* quæ verba etiã olim, ſi Contio credimus, erant in *cap. 17.* inſerta. Hæc inter ſe non parum differunt. Cenſus enim eſt annua penſio, quæ debetur Epiſcopo de bonis Eccleſiæ. *c. quæſitum in fi. 1. q. 3.* addo de bonis Eccleſiæ; quia non, vt iure Digeſtorum, quo duplex eſt cenſus, & ſoli, & capitis; licet Epiſcopo taleis, & exactionibus ſubditos grauare. *cap. 1. & 6. S. prohibemus. hoc tit.* Exactio eſt tributum quoddam, quod extra ordinem exigitur, cuius fit mentio in *cap. 10. & 12.* idque neceſſitatis cauſa permittitur. *d. §. prohibemus.* Procuratio apud Ciceronem *lib. Acad. 1.* eſt adminiſtratio: *Dum me* inquit, *ambitio, dum honores, dum cauſæ, dum Reipub. non ſolum cura, ſed etiã procuratio multis officijs implicatum, & conſtrictum tenebat.* Hic pro alio habetur ſignificatu, qui vnde emanauerit, nondum percepi. namque procuratio eſt expenſarum per viſitatores factarum ſolutio. cuius ſæpiſſime hoc titulo fit mentio. In eo etiam viſitationis certus conſtitutus eſt modus. *cap. 6. & cap. 17.* & in *cap. 1. eod. in 6.* & nouiſſime taxatus à Benedicto xij. *cap. vnico extrauag. comm.* & non modo Epiſcopis, verum Archiepiſcopis quoque, Cardinalibus, Legatis, Nuncijs, Archidiaconis, Decanis. *cap. 14. 17. 23. 25.* Quæ recipi procuratio non poteſt in pecunia, ſed in victualibus. *cap. 1. 2. in ſexto.* ſeu, volentibus viſitatis, in pecunia pro victualibus. *cap. 3. eod. in ſexto.* Neque vna die plures procurationes recipi, licet plura viſitentur loca. quod de Archiepiſcopis dictum eſt, vt poſſint etiam viſitare prouinciam, ac etiam iterare, etſi ſuffraganei non ſunt negligentes. & tunc confeſſiones omnium audire, abſoluere, & pœnitentias imponere. *cap. 5. in ſexto.* Monemur & hoc titulo nec licere Epiſcopo nouum cenſum imponere. *cap. 3.* nec veterem augere. *cap. 7.* nec valere iuramentum ſuper hoc acceptum. *cap. 20. & cap. 26.* Item omnem, qui noua ſine Principis conſenſu, imponit pedagia, communione priuari. *cap. 10. hoc tit. cap. vlt. ſup. de treug. & pace.* Item omnes, qui à clericis pedagia, vel guidagia exigunt. *Clement. vlt. eod.* Pro dote autem cuiuſque Eccleſiæ Manſum integrum conſtitui oportet. quod ſane vocabulum apud Latinos auctores haud inuenio, duobus exceptis, Caſſiodoro & Gregorio: qui & maſſam pro manſo dicunt. veteres Metatus appellabant; quoniam in agrorũ diuiſionibus, & aſsignationibus menſores adhibebantur, qui & Finitores quãdoque à Cicerone nuncupantur; quaſi manſus ſit neque domus, neque area, neque ortus, ſed ager certi modi, ac menſuræ. Vnde mirum minime videbitur, ſi manſi ethymon tradere nequimus; cùm etiam de huiuſmodi ſignificatione iuris noſtri interpretes nondum inter ſe conuenerint. alij ſiquidem exiſtimant Manſum eſſe tantam terræ quantitatem, vt ex ea ruſticus vna cum familia ſua poſsit viuere. Hæc approbat Cuiacius *lib. de Feudis 1. tit. 1.* dum dicit, *Manſum eſſe fundum, vnde quis ſe, & familiam ſuam tueri ſatis commode poteſt.* Alij prædium, ex quo & panis & vinum percipitur ad Euchariſtiam conficiendam. alij, quòd ſit dos, quæ pro Eccleſia conſtituitur, ex qua nihil tenetur, præter Eccleſiaſticum, quod interpretor cathedraticum, ſoluere. *cap. 1. huius tit.* alij aliter. At hæc vltima opinio, vt Panormitanus tradit, magis communiter eſt recepta; mihiq. longe verior videtur.

Albertus

Albertus enim Krantzius in Vuandalia *lib.* 4. *cap.* 15. *Assignauitq. trecentos mansos Ecclesiæ in perpetuum seruituros. Item Adolphus trecentos quoque mansos permisit duci, vt per manum eius assignarentur in dotem Ecclesiæ.* & c. 25. *Erat Episcopus in Vagriam; adhibitis viris industrijs, æstimari faciat prædia; quod defuerit de trecentis mansis, ego supplebo,* &c.

De consecratione Ecclesiæ, vel altaris. *Tit.* 40.

CVM Procuratio debeatur pro visitatione, in qua plerumque fit consecratio, ideo hic subijcitur titulus. exin videmus Gregorium Nonum in *cap. vlt. supr. tit. prox.* pro oratorijs priuatis prohibuisse, ne procurationes exigerentur; innuentem quodammodo neque benedictione, neque consecratione eis opus esse. Inscribitur titulus hic de consecratione Ecclesiæ, vel altaris. quia contingit quandoque, vt Ecclesia non indigeat eô consecratione, quamuis secus altare; vt si remotum fuerit. *cap.* 1. vel lapis sigillum continens confractus, diminutusve fuerit. Fieri autem potest consecratio tam priuatis diebus, quam dominicis. *cap.* 2. Item plura altaria in eadem Ecclesia, sicut plures Episcopi simul possunt consecrari. *cap.* 3. Atqui consecratio non fit cuiusque Ecclesiæ, nec Episcopus primum lapidem ponere, nec Crucem figere potest, nisi prius, dote ei constituta. *can. nemo. de consecr. 1. distinct.* & *cap.* 8. *hoc tit.* Vnde B. Ioan. Chrysost. *homil.* 18. *in Acta Apost. Quasi,* inquit, *ducta vxore, vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis, dotem inscribe illi; ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur.* Nec alius præter Episcopum consecrare; nec Episcopus alij inferiori gradu mandare. *cap.* 9. quia id Episcopalis ordinis est. Et polluta Ecclesia propter homicidia, atque hominum vulnera, vt in *cap.* 4. vel in ea excommunicatorum corpora sepulta. *cap.* 7. quibus & cœmeterium illi contiguum pollutum etiam esse intelligitur. *cap.* 1. *eod. in sexto.* non reconsecrari, sed aquæ duntaxat solemniter benedictæ aspersione debet reconciliari. quemadmodum enim infans semel baptizatus non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus iterum est consecrandus, nisi sit omnino igne consumptus, ac penitus dissectus. *can. Ecclesijs semel de consecrat. 1. distinct.* Neque si tectum illæsis parietibus, corruerit, iterum consecratur Ecclesia, nisi fracta sit altaris mensa. *cap.* 6. *hoc tit.* Nec mirum videri debet, quod Ecclesia, & altaria, & huiusmodi alia consecrentur; quia cum non sint gratiæ susceptiua, *sed quia* (vt ait B. Thomas 3. *par. q.* 83. *art.* 3.) *ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta reddunturad diuinum cultum.* Qui etiam postea addidit, *Ecclesias ante consecrationem emundari, & exorcizari, vt exinde virtus inimici expellatur. Eademq. ratione Ecclesia, quæ sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerunt, reconcilientur: quia per peccatum tibi commissum, apparet aliqua operatio inimici.* Vnde in Conc. Melden. *cap.* 8. referentibus Burchard. *lib.* 3. *cap.* 16. Iuone *lib.* 2. *cap.* 9. Gratian. *de consecr. dist.* 1. *can. Ecclesia* 17. sancitum fuit, altaria, de quorum consecratione ambigatur, consecrari. Carolus Magnus *lib.* 1. *cap.* 151. apud Ansegisum Abbatem, *Vt Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.*

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis Officijs. *Tit.* 41.

RECTE dici potest hunc titulum superiori esse subiectum: cùm basilicæ omnes absque missarum solemnitate non debeant consecrari, *can. omnes de consecr. 1. dist.* vel, quia non licet Missas celebrare nisi altare prius consecratum fuerit. Concil. Aquenti, seu Aquisgran. *cap.* 23. & 24. monemur Christianã Religionem ex antiqua patrum traditione domos in honorem Dei ædificasse, & dedicasse; altaria item erexisse, & sacrosancto Chrismate perunxisse. Et in eo additur, & sacramento Eucharistiæ, rectissime. non enim perficitur missa, si altaris sacramentum omittitur; de quo obiter dixit in *tit.* 1. *lib.* 1. hic quasi dat specialem titulum: qui non solum in ijs, quæ ad fidem spectant, sed & in alijs, quæ circa tantum sacramentũ obseruari debent, versatur. Docet etenim grauius peccare eum, qui missam celebrat, & Eucharistiam non conficit, quàm eum, qui cum in mortali crimine sit constitutus, consecrat. *c.* 7. ille enim Deum, & populum decipit; hic Deum solum. *Nam,* ait B. Augustinus contra Petilianũ, & Gratianus in *cap. Dominus.* 1. *q.* 1. *si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuique est, qualis quisque fuerit:* quia illud Apostoli ad Titum 1. scriptum est: *Omnia munda mundis.* Conficitur autem Eucharistia pane azimo, non fermẽtato, vino & aqua. *cap. vlt.* Hinc S. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 47. Calicem vocat temperamentum; & ab initio *lib.* 5. Calicem mixtum. Quibus congruit, quod scribit B. Cyprianus *lib.* 2 *epist.* 3. *ad Cæcilium, alias* 48. de qua in *can.* 2. *de consecrat. dist.* 2. enarrans verba illa Salomonis: *Bibite vinum, quod miscui vobis vinum,* inquit, *mixtum declarat*

declarat, ideſt, calicẽ Domini aqua, & vino mixtũ prophetica voce denunciat, vt appareat, in paſſione Dominica id eſſe geſtum, quod fuerat ante prædictum. Pluſque vini, quàm aquæ infunditur. *cap.* 13. Idque varijs rationibus quas recenſent Magiſter Sentent. *lib.* 4. *diſt.* 12. Alex. de Ales 4. *par. q.* 32. *memb.* 5. *art.* 3. S. Thomas 3. *par. q.* 74. *art.* 8. Quæ poſt conſecrationem vere ac realiter in Chriſti Domini corpus illud idem, quod natum ex Virgine in cælis ſedet ad dexteram Patris, mutatur; & ita, vt panis, & vini ſubſtantia omnino eſſe deſinat. quod exinde Græcè Euchariſtia dicitur; Latine, vt D. Gregorio placuit *cap. multi.* 1. *q.* 1. bona gratia interpretatur. Tria ſunt in hoc ſacramento diſcreta, forma ſcilicet ſenſibilis, veritas corporis, & virtus ſpiritualis. Forma eſt circa panem, & vinum; veritas carnem continet; virtus vnitatem, & charitatem efficit. Debet autem Euchariſtia munde ſeruari. & in eius leuatione, & delatione populus ſe inclinare. & cùm ad infirmum defertur, ferri in decenti habitu, atque luminibus. *cap.* 10. Illud quoque dicere erat neceſſe, quòd ſi verba ſint in Canone Miſſæ, quæ ab Euangeliſtis dicta non reperiãtur, credere debemus, ea à Chriſto Apoſtolos, & ab Apoſtolis eorum ſucceſſores accepiſſe. *cap.* 6. Sed an ſacerdos poſſit vinum perfundere, poſtquam totum Euchariſtiæ accepit ſacramentum? Niſi eodem die aliam debeat miſſam celebrare, poteſt. *cap.* 5. At pluries in die conſecrare decet minime; ſiquidem, ait Alex. Papa in *can. ſufficit. de conſecrat.* 1. *diſtinct.* Valde fœlix eſt, qui vnam digne poteſt miſſam celebrare; Niſi in Natiuitate Domini, aut id poſtulet neceſſitas. *cap.* 3. Monemur quoque in hoc titulo propter miſſam ſpecialem, miſſam de feria non eſſe dimittendam. *cap.* 2. Immo in Eccleſijs collegiatis duas debere celebrari, alteram pro defunctis, alteram pro feſto, vel feria; prout tempus exigit. *cap.* 11. Non æque in die Cœnæ Domini: ſolus enim Epiſcopus, quem & chriſma conficere oportet, miſſarum ſolemnia celebrabit. Item in miſſa commemorationis, licet propria dicatur præfatio: non tamen dicitur hymnus angelicus, nec ſymbolum. *cap.* 4. Et diuinis officijs: eo quia ſacerdotem non modo miſſam celebrare, ſed diurnum quoque, atque nocturnum officium dicere oportet. *cap.* 9. Quod in ſeptem horas diſtribuitur ex Propheta, *Pſal.* 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Ex cauſa tamen conceditur vno tempore, nullo poſito interuallo, eas ad veſperas vſque dicere. *cap.* 1. Ad hoc officium clerici etiam religioſi, domeſtici, ac Cardinalium, vel Epiſcoporum commenſales tenentur. *Clem. vlt. eod.* quinimo Prælati, ad quos ſpectat correctio, & illis negligentibus, ſuperiores ipſorum debent eſſe ſolicti, vt horis debitis in cathedralibus, regularibusq., & collegiatis Eccleſijs horæ canonicæ deuote, & ſingulis diebus pſallantur; in alijs Eccleſijs conuenienter, & debite. *Clem.* 1. *eod.* Qui vero tenentur horas canonicas recitare, nec recitant, varijs afficiuntur pœnis; ex contemptu aut negligentia id cõmittentes ſeraliter peccant: ſi ex ignorantia, vel obliuione, venialiter tantũ. S. Anton. *par.* 3. *tit.* 18. *cap.* 4. §. 1. Angel. *in voce Hora.* §. 16. & 18. Sylueſt. *in verb. Hora. q.* 12. Nauarr. late *lib. de orat. & horis Canon. cap.* 10. diſtributionibus quotidianis priuantur. *cap.* 2. *de cler. non reſid. lib.* 6. *Clem. vt ij, qui de stat. & qualit.* & *cap. cum nulla. Extrauag. comm. de præben.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Priuantur tandem beneficijs. de tempore magna eſt altercatio inter Sotum, & Nauarrum. Io. Stephanus Durantus *lib.* 3. *cap. vlt. num.* 7. *de ritib. Eccl. Cath.* qui ſit, recte explicat: ad quem lectorem relego.

De Baptiſmo, & eius effectu. *Tit.* 42.

QVAMVIS Baptiſmus ſit, vt omnes ſacrarum litterarum patres tradidere, veluti cæterorum ſacramentorum ianua, quo Chriſto renaſcimur. *cap. veniens. infra tit.* 1. de ſacramento tamen altaris prius actum eſt; tum quia in miſſa ſit neceſſarium; tum quia, vt in Pomeridianis ſeſſionibus interdum dixi, omnium ſacramentorum auctorem Chriſtum Dominum admirabili quodam modo in ſe cõtinet, à quo tanquam à fonte cætera manant. Atqui de baptiſmo ſubijcitur, quia ab eodem Chriſto conſtitutus eſt. apud *Ioan.* 13. *cap. filius.* & *can. non dubito. de conſecr.* 4. *diſtinct.* Baptiſmum quidem Græcum eſſe nomen nemo neſcit: quod etſi omne ablutionis genus etiam ſignificet: tamen hic non quamuis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum ſacramento coniungitur. Et eſt Baptiſmus ſacramentum regenerationis per aquam in verbo: ipſe namque Saluator dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et Apoſtolus ad *Epheſios.* 5. cùm de Eccleſia loqueretur, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo.* quod etiam apertiſſimo D. Auguſtini teſtimonio demonſtratur: *Accedit verbum ad elementũ, & fit ſacramentum.* Siquidem ſacramentum non eſt, vbi deſunt verba, ſcilicet, *Ego te baptizo*, &c. vel elementum aquæ. *cap.* 1. & *cap.* 5. *hoc tit.* Dicit, *Et eius effectu.* Effectus Baptiſmi multi ſunt: præcipue autem, quòd cum ex Adam filij iræ naſcamur, per Baptiſmum in Chriſto filij miſericordiæ renaſcimur; Et filij Dei effecti, æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur; &

Chriſto

Chriſto, tanquam membra copulamur, & connectimur. Item quòd actuale, & originale peccatum eo exoluitur. Illud tamen, quod iam cõſenſu contrahitur, ſine conſenſu non relaxatur. *cap. 3. §. verum.* Originale in paruulis dimittitur. *d. cap. 3. in princ.* & in §. *ſed adhuc.* & in Concil. Triden. *can. 13. ſeſſ. 7. de bapt.* Qui alio profitente baptizandi ſunt, quia adhuc loqui, vel credere neſciunt. Sicut etiam ægri, muti, ſurdi, quorum vice alius profitetur, vt pro eis reſpondeat, dum baptizantur. *can. paruuli. de conſecr. 4. diſt.* In adultis nec originale remittitur peccatum, nec actuale, niſi baptiſmo conſentiant. Hinc ab Innoc. iv. fuit conſtitutum, neminem debere cogi ad baptiſmum ſuſcipiendum. *d. cap. 3. in fin.* Neque quemlibet ſeipſum poſſe baptizare, etiã in articulo mortis. *cap. 4.* Neque à Latinis baptizatum poſſe à Græcis iterum baptizari. *cap. vlt. huius tit.* & *can. retulerunt. de conſecr. 4. diſtin.* Si verò dubitatur, an quis ſit baptizatus, nécne; poterit baptizans his verbis vti: *Si non es baptizatus, ego te baptizo: ſi es baptizatus, non te baptizo. can. presbyteri. §. quod ergo. diſt. 68.* & *cap. 2. hoc tit.* Debet autem baptiſma in fontibus Eccleſiarum, non in priuatis domibus concedi. *Clem. vnic. eod.* Etſi ab initio naſcentis Eccleſiæ in fluminibus, in fontibus, in domibus, in carceribus, in vijs etiam credentes baptizabantur. *Matth. 3. Marc. 1. Lucæ 3. Act. 8. & 16.* At verò creſcente, vt ait Strabo. *lib. de reb. Eccleſ. cap. 26.* rerum progreſſu, ac temporum, Religionis honore, inſtitutionum Eccleſiaſticarum vſque ad plenitudinem decus creuit, & huius Myſtici lauacri gradatim in maius celebratio. Quare ampliſſima baptiſteria in Eccleſijs inſtituta fuere; in quibus ſolemnibus cæremonijs ſacerdotes ſacramentum fidei exhiberent.

De presbytero non baptizato. *Tit.* 43.

BAPTISMVM eſſe tanquam ianuam ad cætera ſacramenta ex eo apparet, quòd ſi non baptizatus ſacerdotalem ordinẽ ſit adeptus, debet baptizari, & iterum ordinari: quia in ordinatione non eſt gratiam baptiſmi conſequutus. *can. presbyteri. §. quod ergo. diſtinct. 68.* nec ordinis characterem recepit. *cap. 1.* Et qui putat ſe eſſe baptizatum, ſtatim atque ſcit non eſſe baptizatum, debet baptizari. *cap. vlt.* & iterum ad ordines promoueri. Ea tamen omnia, quæ geſſit, rata, firmaque eſſe exiſtimo. argumento eſt *l. Barbarius. ff. de offic. prator.* non quia, vt communi errore traditum eſt, communis error ius faciat, cùm vel apud Philoſophos, vel Iuriſconſultos id ſcriptum reperiatur nuſquam (quamuis enim *l. 3. ff. de ſupell. leg.* id expreſſe legatur; non ſunt tamen Pauli verba, ſed librarij forte errore prodita: quippe qui eam legem ita intellexit, vt error teſtatoris ius faceret: vt candelabrum argenteum retuliſſet in argento; cùm in ſupellectili annumerari, & apponi deberet) ſed illa rata voluit Populus Romanus ob publicam vtilitatem. magnum enim fuiſſet Reipubl. detrimentum, ſi omnia ab eo facta pro infectis haberentur. ita humanius eſt, vt geſta à presbytero non baptizato rata ſint. nam qui credit ſe eſſe baptizatum, cùm non ſit, & de hoc ſeculo tranſit, tanquam baptizatum diuinam gloriam conſequuturum eſſe aſſeruit Innocentius iij. *c. 2. hoc tit.* quanquam D. Auguſtinus ad Petrum Diaconum ſcribens in *can. firmiſſime. de conſecr. 4. diſtinct.* dicat, nullo modo quem poſſe ſaluari abſque baptiſmate. intelligendus tamen eſt de eo, qui potuit baptizari, & neglexit: ille verò credidit, & ſaluus factus eſt, ac ſi cæleſti lauacro eſſet purificatus, propter ſacramenti fidem. *cap. debitum. ſup. tit. 1.*

De cuſtodia Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum. *Tit.* 44.

HIC titulus neceſſario reſpicit titulum 41. cùm in *cap. ſane.* idem prope ſancitum ſit. Additur hic, vt Euchariſtiæ cuſtodia clauibus conſeruetur; item Chriſma. In ſecunda conſtitutione prohibet, ne laicorum ſupellex, niſi vrgeat neceſſitas, in Eccleſia ponatur. Oratoria verò, vaſa, corporalia, veſtimenta miniſtrorum, munda ac nitida ſemper conſeruari oportere. Nimis abſurdum videtur in ſacris ſordes negligere, quæ neque in profanis decent. D. Hieronymus, *epiſt. 17. lib. 2. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ delitiæ laudes pariunt.* de rebus profanis intelligit. Clemens *epiſt. 2. ad Iacobum fratrem Domini* de Sacramento Euchariſtiæ ſermonem habens ait: *Reliquias fragmentorum corporis Domini cuſtodire debent, ne quæ putredo in ſacrario inueniatur, ne cũ negligẽter agitur, corpori Dominico grauis inferatur iniuria.* Frequentius pixide, ſeu arcula Euchariſtia ſuper altare includitur: quod conſtitutum fuit ſynodi Turonen. *cap. 4. apud Burchard. lib. 5. Decret. cap. 9.* Vt omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur, ad viaticum recedentium à ſeculo. Vnde hic *cap. 1.* conſtituitur pœna, qua afficiendus eſt presbyter, qui

negligenter Euchariſtiam cuſtodit: qua de re plura in *cap. Siper negligentiam. can. qui bene de conſecr. diſtin. 2.* Capella Toloſ. *quæſt.* 218.

De reliquijs, & veneratione ſanctorum. *Tit.* 45.

POST ſacramenta, cuſtodiri quoque debent ſanctorum reliquiæ; eiſque adhibenda eſt veneratio maxima, ſi Romana Eccleſia pro ſanctis eos habet, & recepit; ante non licet, etſi facta fiat miracula. Sed cùm ſedes Apoſtolica pro ſanctis illas receperit, nec vendi, Concilio Lateranenſi. *cap. 6.* vetante, nec paſſim eas oſtendi decet, nec cum humanis cadaueribus ſepeliri. *cap.* 2. & vt Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in *l. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* optime ſanxerunt. & Honorius, & Theodoſius in *l. 3. eod. Nemo*, inquiunt, *martyres diſtrahat, nemo mercetur.* Martyres Conſtantinus Harmenopolus vertit, *ſanctorum reliquias*, & quidem recte. Huiuſmodi autem ſanctorum reliquiæ non propter ſe, vt inſenſibilia corpora ſunt, ſed propter ſpiritus, quorum inſtrumenta fuerunt, & ad quos ei dinem certum ſunt ſortiti, veneramur. B. Thom. *3. par. q. 25. art. 6. ad* 2. Quare videmus, non modo ſpiritus beatitudine donatos venerandos eſſe, ſed & ſacris eorum oſſibus, cineribus, & alijs exuuijs honorem maximum habendum eſſe: ita tamen vt diximus, vt ſpiritus qui gratiæ diuinæ naturæ capaces ſunt, per ſe, & propter ſe honorentur: vti poſt alia Concilia ſanxit Tridentinũ *ſeſſ.* 25. & videri poſſunt, quæ *infr. tit. de Eccl. ædif.* diximus Et ſub hac ſanctorum veneratione continentur etiam nonnullæ feſtiuitates ſanctorum; quæ cum contigerint, debent homines à laboribus ceſſare, & diuinæ meditationi animũ dirigere, de quibus in *tit. de Parochijs*. Aliæ etiam ſub officio duplici debent ſoléniter celebrari, vt duodecim Apoſtolorum, quatuor Euangeliſtarum, quatuor Eccleſiæ Doctorum, & Confeſſorum, vt Gregorij, Auguſtini, Ambroſij, & Hieronymi. *cap. 1. eod. in ſexto.* feſtum Corporis Chriſti, feria quinta poſt octauam Pentecoſtes. Et qui in feſto, vel infra octauam, officio, vel horis interfuerint, certas conſequuntur indulgentias, de quibus in *Clement. 1.* Eaſdem Sixtus Quartus indulſit ijs, qui Conceptionem immaculatæ, ac Beatæ Mariæ ſemper Virginis deuote celebrabunt, & in eodem feſto, & eius octauis officijs interfuerint. *cap. 1. eod. extrag. commun.*

De obſeruatione ieiuniorum. *Tit.* 46.

PARS eſſe tituli ſuperioris videtur. etenim reliquiæ eorum, qui apud Deum gratioſi ſunt, non extrinſeco tantum cultu veneradæ ſunt, ſed intrinſeco etiam, nempe oratione, continentia, abſtinentia, vigilia, & caſtitate. Verum Romana Eccleſia omnibus vigilias conſtituere noluit, ſed quibuſdam tantum. in quibus ſicut in feria ſexta, & ſabbato, atque etiam quadrageſima, ab eſu carnium, & aliorum quoque ciborum qui ſementinam trahunt originem carnis, videlicet à lacte, caſeo, & ouis abſtinere oportet. *can. de eſu. de conſecrat. 3. diſtin.* & *can. denique 4. diſt.* Quod extendi noluit ſummus Pontifex ad infirmos, & debiles. *cap. 2.* Quid ſi vigilid occurrerit in Dominica? In ſabbato ieiunatur. *cap. 1.* Ob excellentiam feſti conceſſum eſt ab Honorio iij. vt ſi feria ſexta Natiuitatem Domini venire contigerit, eo die carnibus veſci liceat, exceptis profeſſis, & vouentibus. *cap. volt.* Vigiliæ ſunt excubiæ nocturnæ. vigiliæ dicebantur quoque inſomnia. quæ in locis ſacris fiebant: nam apud Plautum in Aul. *Vigilia Cereris*, quæ & nocturna ſacra dicuntur, legimus. quibus in æde Cereris peruigilabant mulieres; quæ & Myſteria, & Initia appellabantur. ea enim nocte cum viro concumbere piaculum erat. Quem ethnicum morẽ, in melius conuertit Rom. Eccleſia; nam in exordio Eccleſiæ apud ſanctorũ reliquias, ſuorumq. maiorum ſepulturas ſolebãt plerumq. Chriſtiani homines vigilare, vt in hiſtoria Tripartita; & mẽminit Lactantius *lib. 7. c. 19.* & Tertull. *lib. 2. ad vxorem*, qui & ſtationes eas dicit: quod ſane vocabulum, ductum, & vſurpatum à Romana militia, hæſit in vſu Chriſtianorum. Faciebant ſtationem milites, præſidium certo loco agitantes; hinc & ſtationarij appellati. ſic viri Chriſtiani nunc in hoc fano, nunc in illo, interdum apud martyrum ſepulchra, ſtantes, & attenti Deum precabantur. idq. maxime fiebat die Dominico, vt idem Tertull. de corona militis. Ijs autem poſtea tandem ob hominũ malitiam, atque flagitiũ ſublatis, primũ ab Elibertina ſynodo *canone* 35. fuit inhibitum, ne fœminæ in cœmeterio peruigilent, eo quòd ſæpe ſub obtẽtu orationis ſcelera latenter committerent. quam ob cauſam & olim id apud ethnicos fuit prohibitum, vt à Romulo, vt auctor eſt Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. 2.* & oſtendit Cicer. *lib. de legibus 2.* verbis illis: *Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter illa, quæ populo rite fiant.* Quæ verò pie, ſanctèque fiunt, neri poſſe D. Hierony. aduerſus Vigilantium in Epiſt. ad Riparum presbyterũ defendit.

Verum

Verum iſtas, vti dixi, pernoctationes & vigilias apud Eccleſias non de facili admittunt, qui rerum Eccleſiaſticarum curam gerunt, ea, vt dicebam, ratione, quòd experimento cognouerint, frequentiſſime vigilantes eas temere, ac paſſim multis ſceleribus, crapulis, ebrietate polluere in maximum Chriſtianæ religionis detrimentũ, & grauem ignominiam. Vnde ſublatis vigilijs, retinuerunt ieiunium. quod frequenter tamen vigiliarum retinet nomen; licet vulgo ieiunium dicatur abſtinentia à quolibet cibo vſque ad horam nonam; vigiliæ à cibis quibuſdam in ieiunio vetitis. Varie autem in libris noſtris accipitur ieiunium. Ieiunium magnum, & generale eſt, per quod omnes tenentur abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis ſeculi voluptatibus, quod eſt perfectum ieiunium. *can. ieiunium. de conſecr. 5. diſtinct.* Hic verò eſt abſtinentia à quibuſdam cibis, & abſtinentia vſque ad horam nonã; quod videtur indicare D. Hieronymus in *can. ſunt tibi, eod. de conſecr. diſt. 5. Sunt tibi*, inquit, *ieiunia pura, continua, moderata q., ideſt quotidie eſurire, & quotidie prandere, & à prandio vſque ad ſequentem diem nihil comedere.* De ieiunijs, & eorũ obſeruatione multa ſcripſit Didacus Couarr. *lib. 4. variar. reſolut. cap. 20.* De vigilijs, præſertim nocturnis, plura collegit Ioann. Stephanus Duran. *lib. 3. cap. 4. cum ſeq. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ.*

De purgatione poſt partum. *Tit. 47.*

QVONIAM in veteri lege interdictum mulieribus erat; propter venerationem quandam, quam Eccleſijs perpetuo adhibebant, ne poſt partum Eccleſias intrarent, niſi quibuſdam lapſis diebus, de quibus in *can. 1. & 2. diſtinct. 5.* ideo hic titulus ſuperioribus copulatur: in quo deciſum eſt, poſſe mulieres, ſimul atque ſunt enixæ, Eccleſiam introire, & Deo pro ſuſcepta prole gratias agere. Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe fuit, vt & legis tranſlatio fieret. *cap. 3 ſupra de conſtit.* quia vmbra legis euanuit, & veritas Euangelij illuxit. illa per Moſem data eſt, & veritas per Ieſum Chriſtum eſt facta.

De Eccleſijs ædificandis, vel reparandis. *Tit. 48.*

PERTINET præſens titulus ad titul. 40. ſed propius accedendo, nunc agitur de ædificandis, vel reparandis Eccleſijs ea ratione; quoniam ſuperioribus titulis de ſacramentis, & reliquijs ſanctorum, & de purificatione dixit. quæ omnia non in aulis, aut triclinijs, alijsve priuatis ædibus fieri, cuſtodirive debent. *Clement. vnic. de Baptiſ.* ſed in Eccleſijs Deo dicatis, in quas conueniunt Chriſtiani, myſteriorũ, ſeu, vt loquitur *l. 5. C. de ſacroſan. Eccl.* cæleſtium ſecretorum gratia. Habentes itaque beneficium in Eccleſia, quæ reſtauratione indiget, tenentur in expenſas ſubuenire. *cap. 1.* ac ipſi Eccleſiarum rectores, de fructibus earum, ſi eis ſuperſunt, ad reparationem, & inſtaurationem cogi poſſunt. *cap. 4.* Et Epiſcopus, non obſtante iuramento de rebus Eccleſiæ non alienandis, populo indicẽti nouas baſilicas ædificare. *c. vlt. hoc tit. c. vt ſuper. ſup. de reb. Eccl. non alie. & c. vlt. 10. q. vlt.* Et propter nimiam Eccleſiæ diſtantiã, noua Eccleſia in ipſius parochia erigi, ac certa portio de antiqua ei aſſignari. *cap. 3.* Leproſis quoque, quod cum alijs cohabitari nequeant, ſine parochiæ præiudicio, propriam Eccleſiam, propriumq. presbyterũ habere permittit. *cap. 2.* Voluit etiam Vrbanus iij. ſecularem Eccleſiam abſque aliquo Eccleſiarum detrimento ad ſtatũ regularem poſſe reparari. *cap. 5. hoc tit.* Cæterũ ſciendum eſt, proprium ſemper fuiſſe Chriſtianorum, atque præcipuum, templa extruere, & exornare: quod vbique per orbem ædificatæ aperte teſtantur Eccleſiæ, vt late dixi in *cap. 1. nu. 11. cum ſeqq. lib. 3. de ſacrorum Immunitatib.* Addo, quod, etſi Sanctorum nomina templis tribui, & nominibus Sanctorum Baſilicæ ornari ſolent, non ex eo fit tamen, quin honor ſoli Deo debeatur. Aug. *lib. 1. cap. 11. contra Maximum.* Sed quoniam honoramus, teſtimonio Hieron. in *epiſt. aduerſus Vigilantiũ ad Riparium*, reliquias Sanctorum, vt eum, cuius ſunt martyres, adoremus. Aug. *de Eccleſ. dogm. c. 73. Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum martyrum reliquias, tanquã Chriſti membra ſinceriſſimè honoranda, & Baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta, diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo, & deuotione adeundas credimus.*

De immunitate Eccleſiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. *Tit. 49.*

AEDIFICATIS ergo Eccleſijs, & conſecratis (quanquam etiam non conſecratæ, quæ proprie baſilicæ dicuntur, ſi in eis diuina miniſteria celebrantur, gaudent immunitate. *cap. 9. hoc tit.*) priuilegia impartiuntur, item cœmeteriij. Cœmeterium eſt locus Eccleſiæ coniunctus, in quo Chriſtiani ſepeliuntur: quod idem eſt, quod dormitorium mortuorum; quia ibi mortui dormire dicuntur.

Nam Lazarum Chriſtus dixit dormire, cum tamen obijſſet. *Ioan.* 11. Eos qui mortem obierũt, Apoſtolus, nob mortuos, ſed dormientes appellat *ad Theſſ.* 4. vbi B. Hieronymus ait: eos dormientes appellari, quia certum eſt, reſurrecturos, ſcu, vt ſcribit S. Auguſtinus *epiſt.* 122. & alibi, propter futuram reſurrectionem, velut euigilationem. A quo non diſſentit idem ipſe Hieronymus *in epiſt. ad Theodorum. lib.* 3. *In Chriſtianis*, inquit, *non eſt mors, ſed dormitio, & ſomnus appellatur.* Cui conſentit etiã Chryſoſt. *homil.* 11. *ad popul.* dicens: *Mors non eſt mors, ſed ſomnus & dormitio temporaria.* Cœmeterium per circuitum maioris Eccleſiæ eſſe debet quadraginta paſſuum; minoris vero triginta. *can. ſicut.* 16. *q.* 4. Cùm igitur Eccleſia ſit domus orationis, & non ſpelunca latronum, *Ioannis* 2. aut ſanguinis forum: ſeculares iudices nec in ea, nec in cœmeterijs ſanguinis cauſas poſſunt agitare. *cap.* 5. Sed conuenientes ibidem, nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, à quo aliud ſub cælo non eſt datum hominibus, in quo ſaluos fieri credentes oporteat, videlicet Ieſu Chriſti, qui ſaluum fecit populum à peccatis eorum, laudant, colunt, venerantur. quo circa in ea ceſſare debent vniuerſitatum, ſocietatumq. concilia, conciones, publica (vt dicunt) parlamenta, vana, & profana colloquia, confabulationes, negotiationes, ſiue nundinarum, ac fori cuiuſque tumultus, atque omnes ſecularium iudiciorum ſtrepitus. *cap.* 6. *& cap.* 2. *in ſexto.* Epiſcopi quoque à Conc. Tridentino *ſeſſ.* 22. decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ, iubentur vana, & profana colloquia, deambulationes & ſtrepitus ab Eccleſijs arcere: *vt domus Dei*, ait Synodus, *vere domus orationis* videatur. eademq. ratione theatrales ludi, & moduli, necnõ laruarum ludicra, ac ſpectacula in Eccleſijs prohibentur. *cap. cùm decorem. de vit. & honeſt. cler.* vbi gloſſa *can. cantantes. diſt.* 92. *can. nullus de conſecr. diſt.* 5. Concil Afric. tempore Bonifacij Papæ *cap.* 27. Concil. Baſileen. *de ſpectacul. in Eccleſia non faciendis.* Et S. Chryſoſt. *Homil.* 24. *in Act. Apoſt. Nunquid*, ait, *theatrica ſunt, quæ in Eccleſia geruntur?* Fruitur quoque Eccleſiæ immunitate reus criminis ad eam confugiens. *can. eos.* 87. *diſt.* & *cap.* 7. *hoc tit.* vt ab ea ad mortem, aliamve pœnam corpoream trahi nequeat, quodcumque patrauerit crimen; niſi vel publicus latro ſit, vel nocturnus agrorum depopulator, quiuè itinera frequentata, & vias publicas obſideat, inſidiasve in viatores paret. *d. cap.* 6. vel ſeruus, niſi præſtito prius de eius impunitate à domino iuramento. Is vero, qui ſpe immunitatis in Eccleſijs, ſiue cœmeterijs delinquit, ſpe legis fruſtratur: nullo enim Eccleſiæ commodo vtitur, qui eam violat. *cap. vlt.* Adduntur tandem priuilegia perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum, vt immunes ſint ab omnibus publicis muneribus, à collectis, angarijs, & perangarijs. Quòd ſi laicorum neceſſitas poſtularet, & eorum facultates non ſupperetẽt, à clericis ſubſidia poſſunt petere, ex Innocentiana conſtitutione *cap.* 7. *hoc tit.* Et hæc anſam quodammodo laicis Principibus obtulit, clericos, Eccleſiasq. expilandi. quibus vt obuiaret Bonifacius viij. *in cap. eod. in ſexto.* edixit, vt quicumque Eccleſiaſticus, cũiuſuis nominis, vel generis tributum laicis ſolueret, aut promitteret abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate, ſententiam excommunicationis incurreret. Quam Bonifacij conſtitutionem cùm Benedictus xj. declaraſſet ad eos non extendi, qui ſponte ſoluiſſent, vel qui à ſponte ſoluentibus accepiſſent. *cap. vnic. extrauag.* Clemens Quintus ſanxit Bonifacij conſtitutionem, cum ſuis declarationibus, & quicquid earum cauſa ſequutum eſſet, reuocari oportere, & pro nullis, & infectis haberi, vtque omnino Lateranenſe, & generale Concilium ſeruaretur in ijs, quæ de hac materia decreuerunt. *Clement. vnic. eod. tit.* Inſuper Tridentina ſynodus. *c.* 20. *ſeſſ.* 25. ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, item alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarum, libertatisq. Eccleſiæ, & aduerſus eius violatores editas confirmauit. Poſſunt item Eccleſiaſticæ perſonæ omnem ſuam iuriſdictionem, atque auctoritatem libere exercere, bonis acquiſitis, & acquirendis frui, eaq. diſtrahere, atque retinere. *cap.* 1. *in* 6. *eod.* Et ad forum ſeculare nequeunt trahi. *cap.* 1. *& 2. ſupra de foro compet.* Immo excommunicãtur ij, qui impediunt ſuper cauſis, quæ ad forum Eccleſiaſticum de iure, ſiue de conſuetudine pertinent, litteras à ſede Apoſtolica impetrari. Item temporales domini prohibentes ſubditis, ne cum perſonis Eccleſiaſticis contrahant, vel communia obſequia exhibeant. *cap.* 4. *&* 5. *eod. in ſexto.* Et rerum ad eas pertinentium. In domibus enim ipſarum Eccleſiarum ſecularis Iudex ius dicere, iudicare, vel hoſpitium quærere, poteſt nuſquam. *cap.* 1. *hoc tit. & cap.* 1. *in* 6. Neque ruſticus Eccleſiæ rura deſerere, & priuatorum poſſeſſionibus culturam adhibere. *cap.* 2. Quare Immunitatem dicere poſſumus eſſe priuilegium, ſeu remiſſionem à iure ad non ſubeunda munera: Et Immunem, qui nullum vectigal pendet, quique muneribus vacat. *l.* 3. *ff. de tut. immunit.* Vnde Feſtus; *Immunis eſt qui nullo fungitur officio.* Sed de ijs omnibus immunitatum priuilegijs diffuſe actum eſt *lib. noſtro.* 3. *cap.* 15. *cum duobus ſeqq. per totum. de ſacror. Immunit.*

Ne

Ne Clerici, vel Monachi ſeculari-bus negocijs ſe immiſceant. *Tit.* 50.

MERITO hic titulus vltimum locũ occupat, tanquam clauis totius huius libri, cùm ad vitam, honeſtatemq. clericorum pertineat; ne ſe immiſceant negotijs ſecularibus. Namque *in clericorum miniſterio conſtituti*, vti Cyprianus *ad clerum Turnenſem epiſt. 6. lib. 1.* ſcribit, *non niſi altari, & ſacrificijs deſeruire, & precibus, atque orationibus vacare debent*. Scriptum eſt enim; *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt poſſit placere ei, cui ſe probauit*. quod vt facilius, ac melius poſſet peragere, plura ei conceſſa ſunt priuilegia. Multa verò ſunt, quibus ſe clericus implicare prohibetur; veluti munera iniuſta, contentiones, lites, rixæ, aleas amare, conductores ſecularium rerum, aut procuratores eſſe; ornamentum inconueniens quærere; in delitijs viuere; gulæ, & ebrietati indulgere; pondera iniuſta, ſeu menſuras habere; negotium omne iniuſtũ exercere; canes, aut aues ad venandũ ſequi, tabellionatus officiũ exercere, vel ſanguinis iudiciũ agitare, aut ſententiam dictare. Habenti tamen iuriſdictionem temporalẽ licet delegare, vt iuſtitia exerceatur; ſi opus eſt, etiam inferatur pœna ſanguinis. *c. vlt. eod. in 6.* His adnumerantur legum, phyſicæq. ſtudia, in quæ nec monachi, nec ſeculares clerici ex Honorij conſtitutione debent incumbere. *cap. vlt.* His etenim opprobrium eſt, inquit Iuſtinianus, ſi peritos ſe velint oſtendere forenſium diſceptationum. *l. repetita. C. de Epiſc. & cler.* quod habere locum in ijs, qui parochiales Eccleſias obtinent, quique capellas ſub ſe non habent, noluit Bonifacius viij. *cap. 1. in ſex. eod.* Legibus tamen ſtudendi ſolet impartiri facultas, & maxime ſecularibus clericis; cum eis expediat & propter regimen temporaliũ, quod Eccleſia habet, ſcire leges: argumento *can. ſi in adiutorium. 10. diſtin.* tum quòd plerumq. eueniant caſus, de quibus numquam Rom. Pontificibus contingit ſtatuere, & in iure ciuili expreſſi ſunt. *cap. 1. infra. de noui oper. nuncia.* Quæ ratio fortaſſis mouit magnum illũ iuris doctorem, ac maximum Rom. Eccleſiæ Principem Innocent. iv. vnà cum tota Lugdunenſi Synodo, vt non modo iuris ciuilis ſtudium permitteret beneficiarijs, ſed vacationes quoque, & immunitates ſtudioſis largiretur.

cap. 2. de priuileg. lib. 6.

DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII IX. LIB. IV.

De ſponſalibus, & matrimonijs. *Tit.* 1.

EXACTIS diligenter ijs, quæ ad Baptiſmum, Euchariſtiam, aliaq. ſacramenta, vno excepto de Pœnitentia, quo de agitur *lib. vlt. tit.* 28. operæpretium fuit, vt & de matrimonio titulus, eiuſque omnis tractatus fieret; ecce tur. qui quòd longiorem ſermonem poſtularet, quodammodo ſeparatus eſt ab alijs, & reſeruatus in hunc locum, in quo ipſius matrimonij habetur ratio, tam coniunctionis naturalis, quàm ſacramenti. Nãque matrimonium duplicem habere rationẽ nemo inficiari poteſt: quòd vel vt naturalis conſtitio, (coniugium enim non ab hominibus inuentum, ſed à natura) vel vt ſacramentum, cuiusuis naturalium rerum conditionem longe ſuperat, à nobis eſt conſiderandum. Vt autem de ijs, quæ ad nuptiarum explicatum attinent, pertractet abunde ſummus Pontifex, rem à principio, ducit, quod à ſponſalibus manat; cùm ipſa matrimonium ſoleant præcedere. Siquidem nuptiarũ ſpem, quæ ex quodam contrahentium conſenſu æſtimatur, ſponſalia appellamus. Idcirco tum à Florentino Iuriſconſulto in *l.* 1. *ff. eod.* tum à Nicolao Papa in *cap. noſtrates.* 30. *q.* 5. ſponſalia definita ſunt, quòd ſint mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum. Perite nimirum vterque repromiſſionis dictione vſus eſt, quòd ex propria ſignificatione pro reciproca promiſſione accipiatur, quæ vere in ſponſalibus fit: quia hinc inde reciproca eſt promiſſio. Dicta verò ſunt ſponſalia à ſpondendo, quòd olim per ſponſionem contraherentur, cùm veteribus moris eſſet, futuras ſibi vxores ſpondere, & ſtipulari. *l.* 2. *ff. eod.* Veteribus autẽ interpretor Latinis. etenim in Latio primum moris, ac iuris fuit, vt is, qui vxorem ducturus erat, abeo, vnde ducenda erat, ſtipularetur eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem ſpondebat. is contractus ſtipulationum ſponſionumque, dicebatur ſponſalia. Gellius *lib.* 4. *cap.* 4. atque is dies ſponſalis appellabatur. Varro *lib. de lingua latina.* 5. Qui mos licet ad nos non peruenerit omnino, eius tamen nomen retinuimus. Sponſaliorum duæ ſunt ſpecies; nam vel in præſens tẽpus contrahuntur, vel in futurum. ſi in hoc, permiſſum eſt recedere; non æque in illo. Sed magis propria, & frequentior tam apud Iuriſconſultos, quàm Pontifices, eſt vltima ſponſaliorum, atque ſponſarum ſignificatio. nam proprie ſponſas intelligimus, quas de futuro paciſcimur. & ſponſalia quæ in præſens tempus contrahuntur, potius nuptiæ, quàm ſponſalia dicuntur; tametſi vere, ac proprie nuptiæ non dicantur, niſi animorum coniunctio præeat, & ſubſequatur corporum commixtio. *cap. debitum, ſupra. de big. non ord.* Et quanquam haud minima eſt differentia inter ſponſalia contrahere, & promittere ſe ſpõſalia contracturum, vt argumento eſt *l. ſi pœnam ff. de verbor. oblig.* nihilominus tanta eſt vis illius promiſſionis, quæ in matrimonij contractu fit, vt nefas ſit ab illa recedere; immo conſtat contrahere prorſus debere eum, qui promiſit aliquam in vxorem habere, vt in *cap.* 2. *cap.* 10. & *cap.* 22. *hoc tit.* facit & *cap.* 11. *primæ collect. huius tit.* ex quo *cap.* 2. eſt deſumptum. & D. Thom. in 4. *diſt.* 27. *q.* 2. ſcribit mortaliter peccare ſponſum, qui non vult conſenſum coniugalem præſtare, etiãſi nullum interpoſitum ſit iuramentum, cùm Deus inter hoc, & ſimplicem promiſſionem, vt aliàs dictum eſt ex *cap. iuramenti.* 22. *q.* 5. nullam velit eſſe diſtantiam. Sed hæſitatio eſt, an ille cogi poſſit ad contrahendum. *d. cap.* 2. & *cap.* 17. dicũt cogendum non eſſe; contra *d. cap.* 10. immo per conſu-

ed by Google

cenſuram Eccleſiaſticam compellẽdum, vt contrahat. Ego omiſſo catalogo Doctorum, ac aliorum interpretum varijs opinionibus, dicam *c.2. & cap.17.* debere intelligi de ijs, qui ſibi inuicem matrimonij fœdus inire promiſerunt, ſibiq; inuicem obligationem remiſerunt. tunc commouendi ſunt, vt fidem præſtitam, præſtitumque iuramentum obſeruent. quòd ſi monitis acquieſcere noluerint, cogi non debent, cum coactiones ſoleant plerunque difficiles exitus habere. *c.10.* intelligitur ſi alter eorum vult valere contractum, petitque ab Eccleſia, vt quod ſibi promiſſum eſt, opere adimpleatur; alter non æque. & tunc iſte per cenſuram Eccleſiaſticam compellitur. de his alibi latius. Quid verò iuris erit de eo, qui aliquam verbis in præſens tempus conceptis, atq; iureiurando in vxorem habere promiſit, tum mauult religionem ingredi? an compelletur? Propter vim iuramenti tutius eſt, vt contrahat, & non cognita muliere ingrediatur. *cap.16.* An valeat pœnæ ſtipulatio adiecta, ſi non ſequantur nuptiæ? Valere haud puto. inciuile enim eſt, vinculo pœnæ matrimonia obſtringi, cùm in contrahendis nuptis libera poteſtas eſſe debeat. *d.cap.17. & cap.29.* Arras tamen datas, niſi legitima inſint impedimenta, eum, per quem ſtetit, quo minus contraherẽtur, repetere non poſſe credo. ex *l.vlt. C. eod. l.Titia. ff. de verb. oblig.* arra eſt res fauorabilis, pœna odioſa; quod eſſe minus debet in matrimonijs. An ſponſalia, quæ de futuro dicimus, iuramento confirmata, per ſecunda de præſenti diſſolui poſſunt? Poſſe ſtatuit Innocentius iij. *cap.22.* Sed contrarium eſt receptum in ſponſalibus de præſenti, quæ per ſubſequens matrimonium etiam carnali copula conſummatum non diſſoluuntur. *cap.5. inſ. de ſponſ. duor.* Altera huius titul. pars eſt de Matrimonijs, quæ ſequuntur ſponſalia. Matrimonium eſt *viri, & fœminæ legitima coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. cap.1. 27. quæſt.2. cap.1. 29. quæſt.1.* Addidi egomet, *legitima*; etenim non ſeruato Eccleſiaſtico ritu, ac more, non matrimonia, ſed contubernia, fornicationes, ſtupra, vel adulteria nuncupanda ſanxit Alexander tertius. *cap. ſane ſacerdotes. ſupra de cleric. coniug.* & Euſtachius in *cap.1.30. quæſt.5.* Etenim maris, & fœminæ coniunctio ſine matrimonio, etiam iure naturali nõ eſt licita, vel in ſimplici fornicatione. D. Thomas. 2.2. *quæſt.154. art.4.* & in *4. ſent. diſt.33. quæſt.1. art.3.* Lactantius Firmianus *lib.6.c.23.* quinimmo Ariſtoteles *lib. Politicorum 7. cap.16.* concubitum omne alterius quàm coniugis, penitus interdicendum cenſet: eumque qui contra fecerit, grauiter puniendum. *Coniunctio*: quoniam etſi multa perfecto matrimonio ineſſe debeant, conſenſus ſcilicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea efficitur pactione, & coniugum copulatio, qua matrimonium conſummatur; nihil eorum tamen matrimonij vim, & rationem proprie habet, niſi obligatio inſit illa, & nexus. qui coniunctionis vocabulo ſignificatus eſt. Et hæc coniunctio, quam matrimonium appellamus, multiplex habet nomen, Connubij. *cap. connubia. 32. quæſt.2.* Coniugij. *c. aliquando. 32. quæſt.2.* Nuptiarum, & Matrimonij. *l. ſi ita pater. ff. de ritu nupt. c. nuptiarum. 27. quæſt.2. Indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*: indiſſolubili vinculo naturam declarat, quo vir, & vxor colligatur: iuxta illud Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Sed an verba ſint de ſubſtantia matrimonij? Non eſſe conſtat, quia per verba non contrahitur. *cap.25. & 26.* Verum quia matrimonium non eſt ſimplex, vel nuda donatio, ſed mutua pactio: hinc fit vt conſenſus alterius tantum ad coniungendas nuptias ſatis eſſe non poſſit, ſed duorum inter ſe mutuum eſſe oportet. ad declarandum verò mutuum animi conſenſum, verbis opus eſt. *cap.25.* Verba, quibus animi conſenſus exprimitur, præſentis temporis ſignificationem habere oportet. nam quæ futurum tempus reſpiciunt, non coniungunt, ſed ſpondent. At cur ſancitum eſt, vt muti, itemq; ſurdi poſſint contrahere; non æque furioſi, & impuberes? *cap.23. 24. & 25.* Quoniam matrimonium æſtimatur ex ſolo conſenſu. *cap. ſufficiat. 27. q.2. l. nuptias. ff. de regul. iur.* qui furioſis, atque impuberibus ineſſe non poteſt; ſecus mutis, & ſurdis: qui licet loqui, aut audire non poſſint, verborum loco ijs ſunt tum mutus, tum ſigna, quæ ipſum conſenſum aperte iudicant. Colligitur etiam ex *cap.19.* mulierem, quæ vltra ſeptennium abſentem habet maritum, de cuius morte, vel vita intelligere valuit nuſquam, ad ſecunda vota non poſſe tranſire, niſi certum de viri interitu nuntium acceperit. *Quemadmodum enim matrimonium non facit coitus*, (vt docte ratiocinatur Io. Chryſoſtomus. *in Homil.26. in Matthæum*,) *ſed voluntas: ita non ſoluit illud ſeparatio corporis, ſed voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem ſuam, & aliam non accipit, adhuc eſt maritus: nam etſi corpore ſeparatus eſt, tamen adhuc voluntate coniunctus eſt. cap.2.27. quæſt.2.* Cætera, quæ hoc titulo habentur, ſparſim in hoc libro explicabuntur.

De deſponſatione impuberum. *Tit. 2.*

AFFINITATEM hic titulus quantam cum ſuperiore habeat, nemo eſt, qui neſciat; cum illo de ſponſalibus in genere agatur, in hoc de impuberum. Impubes eſt, qui ex habitu corporis pubertatem non oſtendit, quique generare nondum poteſt, vt Iſydorus *lib. Ethymol.* 11. *c.* 2. ex quo caput iij. huius tituli eſt hauſtum. quæ definitio Priſci diffinitioni ſatis videtur conuenire; qui apud Vlpianum in *frag. tit.* 11. eum Puberem eſſe dicit, in quem vtrunq; concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum. licet aliter Caſſiani, atque aliter Proculeij. Maſculus igitur minor 14. annis impubes eſt; fœmina minor 12. poſt hanc ætatem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit. tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Fœminæ tamen propter votorum feſtinationem, & à tutela maturius biennio liberantur, & ad nuptias ſunt idoneæ: Macrobius *lib.* 1. *in ſom. Scip. cap.* 6. Minori verò 14. & 12. annis iure ciuili nuptiæ erant interdictæ. *l. minorem. ff. de rit. nupt.* Ius tamen Pontificium coniungi permiſit, pacis, & publicæ quietis cauſa. *cap.* 2. quod plerunque fit inter Principes hoc tempore. *Namq, maximi*, vti vir doctrina præſtans Duarenus ait, *cuiuſque belli, ſicut comœdiæ, exitum eſſe aliquod matrimonium quotidie videmus, & experimur.* Et ille contractus, qui inter impuberes fit, ſiue inter puberem, & impuberem, non matrimonium dicitur, ſed ſponſalia, licet verba de præſenti enunciata ſint. *cap. vlt. huius titul.* Sponſalia iam ab exordio ætatis effici poſſunt, modo contrahentes, quod faciunt, intelligant, ideſt niſi ſint minores ſeptem annis. *l. in ſponſalibus. ff. de ſponſal.* & *cap.* 4. 5. 12. 13. *hoc tit.* Nec malitia vlla, vt male doctiſſimi viri exiſtimauerunt, in ſponſalibus poteſt ſupplere ætatem. ſecus in matrimonijs. *c.* 9. quia breuis admodum eſt ætas, vt nequeat ſupplere malitia ætatis defectum. Ita & Harmenopolus intellexiſſe videtur *lib.* 4. *tit.* 1. *Qui id quod*, inquit, *ſit, intelligit, ſponſalia contrahere poteſt, ideſt ſi ſeptem annis minor non ſit.* Extat quoq; apud eundem Harmenopolum Cæſaris Leonis conſtitutio, ſeu, vt vocat, Nouella; cuius verba hæc ſunt: *Nos quoq; ſancimus, nec ſponſalia quoquomodo infra ſeptem annos contrahi.* Tunc pater pro filio poteſt ſponſalia contrahere. *cap.* 1. non æque pro pubere, niſi ei inſit conſenſus: qui deinde nequit diſſolui. *d. cap.* 9. Contra, impubes maior factus: ſed non ante pubertatem. *cap.* 8. Et illum, qui primò pubes fit, alterum oportet expectare. *cap.* 7. niſi maior inuita cum minore contraxerit; tunc illum expectare minime tenetur. Neque impubes deſponſata, & facta pubes auditur, ſi alteri nubendi licentiam petit, & vir ſe eam cognouiſſe iuret. *cap.* 6. Neque niſus ad copulam non ſequutam facit matrimonium. *cap.* 10. *hoc tit.* & *cap. vlt. ſup. tit. prox.* Sponſalia autem infra ſeptem annos inita, nullum pariunt publicæ honeſtatis impedimentum. *cap.* 4. *hoc tit.* idem in *cap.* 5. Et quamquam diuerſum ius ab Eugenio in *cap.* 5. *ſup. tit. præced.* videatur conſtitutum, vt oriatur publicæ honeſtatis iuſtitia: debet tamen intelligi, ſi illæ duæ, de quibus idem Eugenius loquitur, concurrant cauſæ, cohabitatio ſcilicet, & carnis attrectatio. alioquin nullum eſt impedimentum, niſi facti ſint maiores ſeptem annis. *cap.* 12. *hoc tit.* Quod autem pertinet ad publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimentum, noluit ſancta Tridentina ſynodus, etſi ſponſalia valida fuerint, vt primum gradum excedant. *c.* 3. 24. *ſeſſ.* Eſt & illud in hoc titulo obſeruandum, male Iſydorum in *cap.* 3. dixiſſe: *Et puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt.* cùm hæc ſignificatio, ſiue ethymon longe à grauitate, ac lepore Latini ſermonis diſtet. nam apud Iureconſultos, & alios Latinos auctores Puerperæ quæcunque fœminæ appellantur, quæ ex partu ſunt recentes, vti apud Paulum in *l. illa verba optimus. ff. de verb. ſign.* Priſcianum *lib.* 6. Gellium *lib.* 12. *c.* 1. Tacitum, *lib.* 15. Seneca *lib.* 3. *de Beneficijs. c.* 35.

Sed ager filius, ſed vxor puerpera tenet.

Terentius in Andria:

Multo rectius eſt,
Quàm illam puerperam nunc duci hac per viam ægrotam.

Plautus in Amph.

Poſtquam parturire hodie vxor cœpit tua,
Vbi vtero exorti dolores; vt ſolent puerperæ,
Inuocat Deos immortales, vt ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto.

De clandeſtina deſponſatione. *Tit. 3.*

PERSEQVITVR quem cœpit auctor tractatum. Et quia interdum, ac ſæpe, clam matrimonium contrahebatur: quid de eo iuris ſit, docet; nam ſi qua mulier clam eſſet deſponſata, & vir ſeu mulier huiuſmodi deſponſationem inficiatur: viro ſemper incumbit onus probandi. *cap.* 1. quod inductum puto ex ſententia D. Ambroſij, quam refert Gratianus in *cap. quod propoſuiſti. §. hic ſi quis.* 32. *quæſt.* 7. vt vir non ſexu, ſed animi virtute appellatur: mulier non ſexu corporis nominetur, ſed

ſed mentis mollitie. Attamen videtur expreſſe contra iuris regulam, vt ei, qui dicit, non qui negat, incumbat onus probandi. *l. eum, qui dicit. ff. de prob.* quod, vt ait Ber. in foro ſeruatur, ſcilicet vt viro matrimonium negante, mulieri incũbat probatio; quaſi idem ſit mulieris, & viri iudicium. *cap. Apoſtolus.* 32. *q.* 7. Sic non probato matrimonio, Eccleſia ſimul cohabitare non impellit. *cap.* 2. Quid ſi alter contrahentium vtatur verbis dubijs, animo decipiendi mulierem? Nõ tenet matrimonium in foro pœnitentiali, nec adeo ſi eam poſtea cognouerit. Secus in iudiciali foro. *cap.* 26. *ſup. de ſponſalib. & matrim.* Quòd ſi perſonæ contrahentium clandeſtina matrimonia voluerint publicare, ab Eccleſia comprobãda, & accipienda ſunt, ac ſi in Eccleſiæ conſpectu eſſent contracta. *d. cap.* 2. Attamen ab Innocentio iij. in Lateranenſi Concilio, ex quo c. 3. huius tituli eſt exhauſtum, ſancitum eſt, vt cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſijs per presbyteros publice deberent proponi, competenti termino præfinito; alioqui ſobolem ex ipſis clandeſtinis coniugijs ortam, in gradu, inquam, prohibito, eſſe illegitimã, etiamſi parentes inter eos eſſe affinitatem ignorauerint. Et ſacerdotes tam ſeculares, quàm regulares, ſi tales coniunctiones prohibere contempſerint, vel eis adfuerint, per triennium ab officio ſuſpendi. Et contrahentes etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia plecti, tanquã Eccleſiæ mandatum contemnentes. *cap.* 1. *infr. de matr. contr. cont. interd. Eccleſ.* Quam conſtitutionem, cùm in deſuetudinem abiret ob hominum inobedientiam, confirmauit Tridentina ſynodus, eamque mirabiliter auxit *c.* 1. 24. *ſeſſ.* quoniam, etſi nulli dubium eſt clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, firma, ac vera eſſe matrimonia, irrita tamen, ac nulla, ſi prætermiſſæ fuerint ſolemnitates illæ, de quibus in *d. cap.* 1. prorſus eſſe decreuit, hoc eſt, ſi aliter, quàm præſente parocho, vel de ipſius parochi, ſeu ordinarij licentia, duobuſque, aut tribus teſtibus fuerit matrimonium contractum. *d. cap.* 1. §. *qui aliter.* Quare ſciendum eſt, in toto Tridentini Concilij volumine nihil fere noui, præter hoc, eſſe ab illis ſanctiſſimis Patribus conſtitutum. Neque iniuria, cùm ex illis clandeſtinis nuptijs innumera oriẽtur crimina, quibus vt occurreret, neceſſe fuit, vt id lege decerneretur.

De ſponſa duorum, & ſponſo duarum. *Tit.* 4

HIc titulus in libris noſtris inſcribitur tantum de ſponſa duorum; in veteri Tarraconenſi libro, & de ſponſo duarum; & rectè mea ſententia, cùm in *cap.* 1. *& c. vlt.* de ſponſo duarum ſermo habeatur. quibus cauetur virum, qui duas verbis in præſens tempus prolatis deſponſauit, primæ (etſi prius ſecundã cognouerit) debere adhærere. Habetur de ſponſa duorum in *cap.* 2. quod præcepit dimittendam eſſe illam ab eo, qui cùm alteri iam fuiſſet deſponſata, auſus eſt eam in vxorem recipere; tum quadraginta dies in pane & aqua (quod quarentenam appellant) cum ſeptimo, ſequentibus annis eum pœnitere. quo in loco carentenam legendum eſt, quaſi quadrageſimam, non Carenam, vt in vulgaris Codicibus: quod eleganter in margine Contius adnotauit. quam lectionem & agnoſcit, & approbat Antonius Auguſtinus in Notis. quamuis alias Caninam dici exiſtimaret, ea ratione, quòd pane, & aqua veſcerentur, vt canes, non alijs lautis cibis, vti cæteri homines. Illud poſtea maluit, quod aptius ſit tam pœnitentijs, quàm indulgentijs. Nec aliter dici poteſt, cùm quadrageſima, quadraginta diebus conſtet; tum vulgo apud nos quarentena frequenter dicatur, quoties pœna intra illud temporis ſpatium alicui conſtituitur. ſic quoque legendum eſt in *cap. accuſati. 1. infr. de accuſat.* Additur in *cap.* 4. huius tituli, lite pendente non poſſe eum, qui in cauſa matrimoniali appellauit, aliud matrimonium contrahere; quod ſi contraxerit, fieri ſeparationem. quod ita intelligo, ſi primum tenet coniugium; alioquin peracta pœnitentia de crimine commiſſo, haud fieri ſeparationem. *cap. cùm in Apoſtolica ſup. de ſponſalib.* Nomen autem ſponſi, & ſponſæ quandoque accipitur pro viro, & vxore, ſicut vir & vxor pro ſponſo, & ſponſa. Hinc videmus apud Matthæum *cap.* 1. dum Angelus Ioſephum alloqueretur, dixiſſe, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; & *eod. cap. Ioſeph virum Mariæ.* Quapropter B. Hieronymus ibi; *Cùm Virum*, inquit, *audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis ſcripturarum, quòd ſponſi viri, & ſponſa vocentur vxores. cap. genuit.* 27. *q.* 2. Pauci tamen, aut admodum nulli loci ſunt, ipſo Matthæi excepto; in quibus ſponſa vocetur vxor. Illud non ſine myſterio, ſed maximis de cauſis factum fuit; de quibus Origenes, Ignatius, Ioan. Chryſoſtomus, itemq. Hieronymus. ſed de ijs alijs pluribus. Inſtituti enim noſtri in hoc exordio eſt capita rerum attingere,

tingeré, non ea ſingillatim tractare, quæ propriam diſputationem requirunt.

De conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel in alijs contractibus. *Tit.* 5.

OMNIS impoſſibilis conditiò, quæ & turpis eſt, cùm non dicamur poſſe, quod honeſte non poſſumus, vt eleganter Papinianus in *l.filius.ff. de condit.inſtit.* contractum vitiat. *l.impoſſibilis.ff.de verbor.oblig.l.impoſſibilium.ff.de regul.iur. cap.vlt.ſupra. de pact.* Matrimonium tamen ſub quacumque conditione contractum, quantumcumque turpi, niſi penitus ſit contra matrimonij ſubſtantiam, ſuum ſortitur effectum. Eſt autem conditio contra matrimonij ſubſtantiam, vtpote, ſi alter alteri dicat; Tecum contraho, ſi prolis generationem euites, vel donec inueniam aliam honore, ac fortunis digniorem, aut formoſiorem, elegantioremve; aut ſi pro quæſtu adulterandam tradas, vt in *cap.vlt. hoc tit.* Sed contrahens ſub honeſta, & probata conditione, ante conditionis euentum non compellitur matrimonium cõſummare. *cap.*5. niſi poſtea pure conſenſerit. *c.*3. aut eam cognouerit; quia à conditione tunc videtur receſſiſſe. *cap.*6. *&* *d.cap.*3. Additur, *Vel in alijs contractibus:* quia ſumpta occaſione, dicit de manumiſſo ſub conditione, & de re Eccleſiæ donata, quæ poſtmodum à donatore nequit reuocari, niſi talis ſit conditio, vt ea ceſſante, debeat reuocari. *cap.*2. *&* *cap.*4.

Qui clerici, vel vouentes, matrimonium contrahere poſſunt. *Tit.* 7.

ADDVNTVR hoc titulo aliæ cauſæ, quibus nuptias contrahere prohibemur; vt ſi clerici facti, ſacrosq. ordines adepti ſumus. *c.*1. *cap.*2. etenim in minoribus ordinibus conſtituti, niſi voto, aut religionis habitu prohibeantur, vxorem ducere poſſunt. *cam.de bis* 28. *diſtinct.* Eos attamen adhortatur Leo, vt cum virgine contrahant, vt ſi deinceps ad alios gradus prouehi voluerint, poſſint. *can.feriatim.*32. *diſtinct.* Soli igitur maiores clerici à coniugio coguntur abſtinere, etiam ſi irregulares facti ſint. *d.cap.* 4. quia characterem retinent. Vouentium quoque alij vxorem habere poſſunt, alij non item; quòd hi ſolemniter vouerunt, illi ſimpliciter. hoc vòti genus impedit matrimonium ne perficiatur, ſed non dirimit contractũ illud, contractum, & perfectum diſtrahit. *cap.* 3. *&* *cap.*7. Facit autem votum ſolemne, cùm quis ſe religioni deuouet, & ſuſcepto habitu profeſſionem facit. *d. cap.* 3. ſimplex, cùm quis vouet caſtitatem. *cap.*5. *&* *cap.* 6. vel quis extra religionem à non competenti habitum ſuſcipit, & monaſterium non ingreditur. *cap.* 4. ſed de his latius diſputatum eſt in *tit.*34. *lib.*3.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. *Tit.* 8.

PROPONITVR alia ſpecies prohibitarum nuptiarum, caueturq. ne is, qui viuente vxore aliam conſciam duxit, vel eam, quæ in vxoris ipſius mortem eſt machinata, eas in vxores habere poſſit; ſed contractis nuptijs fieri ſeparationem. *cap.* 3. 4. 5. quod & iure ciuili olim fuit receptum. *l.Claudius.ff.de ijs, quib.vt indig.* Cum ea verò, quæ ignorabat maritum eſſe, vel cum qua non eſt copula ſequuta, aut viuente vxore ſequuta eſt coniunctio, nulla tamen de contrahendo fides præceſſit: tenet, valetq. matrimonium. *cap.*1.2.6.7.8. Immo exiſtimo eum, qui adulteram, (exceptis his) ad legitimum thori conſortium inuitauerit, ſibi valde pro remiſſione peccatorum proficere, quaſi errorem ab errore reuocando. *cap.inter opera. ſup. de ſponſalibus.*

De coniugio leproſorum. *Tit.* 8.

LEPRA poſt ſponſalia de futuro ſuperueniente, quis impune ab eis poteſt recedere. *cap.vlt.* aliter verò, ſi contractæ nuptiæ de præſenti ſint. *cap.*1. Et quanquam leproſi à ſanis debeant ſeparari. *cap.cùm Apoſtolus.ſupr.de Eccl. ædif.* tanta eſt huius ſacramenti vis; vt, excepta fornicatione. *cap.*2. *huius tituli,* cùm vir, & vxor vna ſint caro; *Geneſ.*2. ſeparatio fieri poſſit nuſquam. Sed ſibi inuicem reddere debitum tenentur, niſi ad perpetuam continentiam vouendam poſſint induci.

De coniugio ſeruorum. *Tit.* 9.

IN ſpecie huius tituli de alio etiã agitur impedimento, quo ſtante diſſoluitur matrimonium. Si ingenuus enim cum ancilla contrahat, quam nulli eſſe poteſtati ſubiectam exiſtimabat, ſimulatq. ancillam eſſe ſciuerit,

ſciuerit, poterit, ea non amplius cognita, dote prius reſtituta, ad ſecundas nuptias libere conuolare. *cap. 2. & cap. 4.* & filium ex ea ſuſceptum in ſua poteſtate habere, etiam non obſtante contraria conſuetudine. *cap. 3.* Idem de ingenua, quæ ſeruo ignoranter nupſit, dicere poſſumus. error enim perſonæ, & conditionis connubij conſenſum minime admittit, vt docte Gratianus ratiocinatur in *cap. 1. §. error verò 29. q. 1.* Atqui ſeruus inuito domino matrimonij fœdera iniit, nec liberatur à poteſtate. *cap. 1.* nec contractum diſſoluitur. *cap. vlt. 29. q. 2.* Conſentiente tamen domino, vel diſſimulante, tantus eſt matrimonij, libertatisq. fauor, vt libertatem conſequatur. *l. vnica. S. ſed etſi quis. & auth. ad hoc. C. de Latin. lib. tollend.* & *§. ſi verò decretum. authen. de nupt.*

De natis ex libero ventre. *Tit.* 10.

EADEM prope eſt in ſpecie huius tituli ratio, quæ eſt in *cap. 2. ſup. tit. 1.* vt natus ex libero patre, libertatem nanciſcatur; ideoque multo magis ex libero ventre. *cap. vlt. ſupr. de ſer. non ordin.* Eſt autem hic titulus de muliere quadã nomine Muræna per epiſtolam manumiſſa, quæ cùm liberos peperiſſet, eos Romanæ Eccleſiæ actores in ſeruitutem redigere volebant; vti apud Iuonem legitur, cuius verba ſuis elegantiſſimis Notis Antonius Auguſtinus inſeruit: forte quia eorũ mater erat Eccleſiæ actoribus debitrix. quod plane ex vltimis verbis Gregorij Primi, non autem noni, vt in vulgatis codicibus, verum eſſe poſſumus haud male colligere. *Durum eſt*, inquit, *vt ſi alij pro mercede libertates tribuunt, ab Eccleſia, à qua tueri debent, reuocentur.*

De cognatione ſpirituali. *Tit.* 11.

INVTILES quoque nuptias facit cognatio ſpiritualis, quæ ex ſacro Baptiſmatis fonte oritur. *l. ſi quis alumnam. C. de nupt.* quam inductam eſſe puto hac potiſſimũ ratione, quia cùm infans baptizatur, & loqui adhuc, & credere neſcit, alio profitente baptizatur. *can. paruuli. de conſecrat. 4. diſtinct.* qui & fiduciarius dici poteſt, cùm apud Deum pro illo fideiuſſor exiſtat, & hic varijs nominibus appellatur, vt fideiuſſor. Auguſtinus. *ſerm. 116. et 215.* Suſceptor, Dionyſius Areopag. *cap. de Baptiſ.* Tertull. *de corona milit. cap. 3.* Offerens, Iuſtinus *quæſt. 56. ad Orthod.* Sponſor. Tertull. *de Baptiſ. cap. 18.* Item fidei doctor Auguſt. *in epiſt. 23. ad Bonifacium.* Dicitur etiam patrinus, & compater. Nec immeritò ſuſceptor dicitur, fidei doctor: quia vt idem D. Auguſtinus monet in *can. vos ante 104. de conſecr. 4. diſtinct.* tanquam pater illum admonere debet, vt ſemper caſtitatem cuſtodiat, iuſtitiam diligat, charitatem teneat: & ante omnia ſymbolum, & orationem Dominicam eum docere oportet. & cùm ad id teneatur quaſi pater, videtur inita cognatio. Et quemadmodum inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio, vt *tit. 1.* dicam, iniungit: ita potius à carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare illos, quos per cæleſte ſacramentum regeneratio ſancti Spiritus coniunxit. *c. ita. 30. q. 3.* Idque apertius vetitum eſt in Concilio Nicæno *can. 21. & can. 23.* apud Turrianum. & *ca. 69.* ex Truſſanis, qui ſub ſextæ ſynodi nomine circumferuntur. vbi Balſamon & Maguntia. *can. 56. can. peruenit. 35. q. 1.* Zonaras in *Nicephoro Phoca* ſcriptum reliquit, Patriarcham Cõſtantinopolitanum Nicephorum omni tonſurato ſolo prohibuiſſe, quòd Theophanonem duxiſſet, cuius liberos e ſacro baptiſmate ſuſceperat. Hæc ergo cognatio naſcitur inter patrem baptizati, & vxorem leuantis; & inter patrem baptizati, & ipſam leuantem, ſeu tenentem; necnon inter filios duorum compatrum, per quorum alterum deuentum eſt ad compaternitatem; inter baptizatam quoque, & filium baptizantis; inter quos hæc ſpiritualis cognatio matrimonium impedit, etiamq. cõtractum dirimit. Hodie tamen ex Oecumenico Tridentino Concilio hæc cognatio contrahitur dumtaxat inter virum, & fœminam ſuſcipientem, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizatum, & baptizantem, baptizatiq. patrem, ac matrem. *cap. 2. 24. ſeſſ.* Et quia hæc cognatio valde impedit nuptias, eadem Tridentina ſynodus decreuit, vt vnus tantum, ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummum vnus, & vna, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant. Quòd ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo prorſus modo contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus minime obſtantibus. vt *cap. vlt. eod. in ſexto.* Cognatio verò per cathechiſmum, qui baptiſmo tanquam exordiũ eſt, impedit matrimonium, non autem dirimit. *cap. 5. & cap. 2. eod. in ſexto.* Neque vir, & vxor ſi filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperint, debent ſeparari, ſiue ignoranter, ſiue ſcienter id fecerint. Nam ſi ex ignorantia, vt ait Alexander iij. *cap. 2.* id factum eſt, eos ignoratia excuſat: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus; ſi dolo tamen, vt matrimonium dirimeretur, pœnitentia dignos eſſe ſemper exiſtimaui ex *d. cap. 5. hoc tit.*

De

De cognatione legali. *Tit. 12.*

IMPEDIT quoque connubium cognatio legalis; quę ex adoptione contrahitur. nam, vt non obſcure docet Modeſtinus in *l. 1. ff. de adopt.* filiosfamilias non tantũ natura, verum etiam adoptiones faciunt. Si qua igitur per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu conſtat adoptio, inter me, & ipſam nuptiæ conſiſtere nequeunt. Qua in re reprehendenda eſt opinio quorundam exiſtimantiũ, hodie collateralem cognationem locum non habere, cùm adoptatus non tranſeat in poteſtatem extranei adoptantis, ex Iuſtiniani conſtitutione in *l. penul. C. de adop.* etenim inutilis, & nullius momenti eſſet hæc Nicolai conſtitutio: cùm nuptiæ ſint etiam iure gentium prohibitæ inter eos, qui cùm in adoptionem dantur, in eorum tranſeunt poteſtatem, vt aui, vel proaui tam paterni, quàm materni. *l. vlt. in fin. ff. de condit. ſine cauſ.* Neque (quod plus eſt) extraneus eam, quæ ſibi per adoptionem filia, vel neptis eſſe cœperit, vxorem ducere poteſt; quamuis eam emancipauerit. *§. ergo Inſtit. de nupt.* Idem quoque Nicolaus Papa in *cap. ita diligere. 30. q. 3. Quandoquidem*, inquit, *nec in eos, qui natura, & eos, qui adoptione filij ſunt, veneranda Ro nanæ leges matrimonia contrahi permittunt.* Itaque collateralis cognatio adhuc locum habebit.

De eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vel ſponſæ. *Tit. 13.*

HIC titulus eſt etiam de ijs, quæ nuptijs impedimento ſunt. & eſt ac ſi inſcriptus eſſet de nefarijs, & inceſtis nuptijs. cùm inceſtum committere intelligatur, vti Paulus in *l. ſororis. ff. de rit. nupt.* qui ex ijs, quas legibus, aut moribus prohibemur, vxorem ducere, aliquam duxerit. Sed & Papinianus in *l. ſi adulterium. 38. §. 1. verſ. nonnumquam. ff. ad leg. Iuliam de adul.* per illicitam matrimonij coniunctionem inceſtum admitti docuit. hinc & ab Imperatore Alexandro in *l. 4. C. de nupt.* reſcriptum eſt, crimen ſtupri committi, ſi liberi concubinas parentum ſuorum in vxores duxerint. nam ſi quis matrem, vt in ſpecie *cap. 2. huius tituli*, ſponſæ ſuæ cognouit, propter affinitatem, quam in cognoſcenda matre contraxit, ſponſalia de futuro diſſoluuntur; & viro maior, quàm pro adulterio, pœnitentia imponitur; & ea peracta, cum alia ex diſpenſatione connubium contrahere poterit. Cæterum ſi ſponſam, vel ante, vel poſt matrem cognouit, nunquam eam, vel aliam poteſt accipere in vxorem. *cap. 2. 8. 9.* Fit quoque diuortium, ſi vitricus priuignam cognouerit, vel, vt loquitur *cap. 1. huius tituli*, filiaſtrã, quippe qui à matre debitum nec petere, nec filiam vnquam vxorem habere poterit. Nec priuigna, itemque vitricus vllo vnquam tempore cum alijs poterunt contrahere. Fit & in eo, qui illam ſibi copulare præſumpſit, cuius antea ſororem adhuc ſeptennem contractus ſponſalibus polluit. *cap. 7.* Aliter in eo, qui poſt initum matrimonij fœdus, cum ſorore legitimæ coniugis fornicatur; quia ſi vxor, quæ à viri commixtione propter publicam honeſtatem ſe deberet abſtinere, in continentia minus ſtare poteſt, debitum petere poterit. namque affinitas poſt matrimonium inique contracta, ei nocere non debet: ſed vir cum Dei timore coniugale debitum illi præſtabit. *cap. 10. & cap. vlt. hoc tit.* Admonet & *cap. 3.* diuortium non debere fieri ex dicto vnius aſſerentis affinitatem inter coniuges præceſſiſſe: *& cap. 5.* Neque ad coniugum confeſſionem, neque adeo ſi rumor viciniæ conſentiat; niſi hæc fuerint publica, atque notoria, aut idoneis teſtibus comprobata.

De conſanguinitate, & affinitate: *Tit. 14.*

EXPOSITIS iam multis, quæ nuptias prohibent, conſequens eſt, vt tractet & de conſanguinitate, & affinitate, quæ etiam nuptijs maximo ſunt impedimento; quinimo ſæpe contractas reddunt inutiles; & tales contrahentes ſcienter, ipſo iure ſunt excommunicati, vt illi qui cum moniali. *clem. 1. eodem.* Quod iam quaſi à mundi primordio fuit conſtitutum optima, ac multiplici ratione. nam inter parentes, & liberos pudor quidam natura mentibus hominum inſitus concubitum vetat. *l. adoptiuus. ff. de rit. nupt.* Ne liberi parentibus miſceãtur, aut parentes liberis, à Dijs prohibitum eſſe etiam Xenophon *lib. 4.* ſcribit, quòd ſit ius naturale mentibus inditum; quoniam & plurima irrationabilia animalia id nos admonent, vt ait Iuſtinianus in *Nouell. 12. de iniuſtis, & nefar. nupt.* Franciſcus Connanus *lib. iuriscuulis primo cap. 6. num. 10. Non ſunt hæ leges*, inquit, *contra naturam, quæ quorundam inter ſe matrimonia prohibent: id enim pro cuiuſque populi, & ciuitatis vtilitate ſtatu ſolet, & meo quidem iudicio non repugnante natura: velut ea, quæ inter agnatos, & affines induxta eſt matrimonij religio, primum, vt videtur, Hebræorum legibus inſtituta, deinde etiam ab omnibus fere populis comprobata.*

Prohi-

Prohibitæ etiam ſunt, vt charitas hominum, quibus eſt vtilis, atque honeſtiſſima concordia, in plures familias manaret, & ſpargeretur. denique ne cognationis nomina ſimul confunderentur, vt frater, idemque pater diceretur, vt ait Auguſtinus *lib. de ciuitate Dei, 15. cap. 16.* Et cùm frater parentum ſit vice parentum, non licet cum eius vxore contrahere, cùm vna caro fuerint. *cap. ad ſedem. 35. quæſt. 5.* Hinc Claudius Cæſar Neronis, pater apud *Tacitum lib. 12.* vehementer obiurgatur, quòd Iuliam Agrippinam ex fratre neptem in vxorem acciperet: *At*, inquit, *noua nobis in fratrum filias connubia.* licet Claudius Senatum ingreſſus, decretum poſtularet, quo iuſtæ inter patruos, fratrumque filias nuptiæ etiam in poſterum ſtatuerentur. Quod etſi Imperator ob imperij vim obtinuerit, non eſt tamen in conſequentiam deductum, vt videre eſt in toto iuris ciuilis corpore. immo idem Tacitus *lib. 12.* de Iudæorum more, ac ritu agens: *Profana illic*, inquit, *omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta. quia alienarum concubitu abſtinent: inter ſe attamen nihil illicitum.* Eſt autem conſanguinitas ſanguinis coniunctio; vt in illo Virgilij,

Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum.

Sic conſanguinei fratres dicuntur de vno patre nati, vt Caius *lib. 2. Inſtitut. 2. tit. 8.* definit; generalius Caſſius in *lege 1. §. conſanguineos. ff. de ſuis, & legitim.* qui ſanguine connexi ſunt. Conſanguinitatis iura à patre oriuntur. *l. 4. ff. vnde cognat.* Neque refert eademne matre, an ex diuerſis geniti ſint. *leg. 3. C. de legit. tut. l. 1. 3. 6. & l. 14. C. de leg. hæred.* & alibi paſſim. Affines ſunt viri, & vxoris cognati: dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diuerſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & alter ad alterius cognationis fines accedit. *l. 4. §. affines. ff. de grad. affinitat.* Vnde affinitatem non male definiemus; *Ciuile vinculum ex nuptijs, ſponſalibusvè deſcendens.* dico *Ex nuptijs*: quoniam coniungendæ affinitatis cauſa eſt ex nuptijs. *d. §. affines. Sponſalibusvè*, eo quia oritur ex ſponſalibus publicæ honeſtatis iuſtitia: vt in *tit. primo huius libri* diximus. Sic maritus, vel ſponſus cum conſanguinea vxoris, vel ſponſæ non contrahit. Cæteri tamen mariti conſanguinei cum conſanguineis vxoris iuſte contrahunt; ſcilicet & pater, & filius cum matre & filia. *cap. 5. hoc titulo.* Permittuntur autem hoc in titulo nuptiæ quædam, quæ olim erant prohibitæ, veluti cum ea, quæ quinto, vel ſexto gradu, ac ſeptimo diſtat. *d. cap. ad ſedem.*

Germonij Paratitla.

Hodie verò prohibitio copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedit. *cap. 8.* Si autem, alter contrahentium diſtet quarto gradu, alter quinto, abſque diſpenſatione licet contrahere, ex Gregorij Noni conſtitutione. *cap. vlt.* quam intelligi volumus de ijs, qui ex larere coniunguntur: nam inter aſcendentes, & deſcendentes tam ciuili iure, quàm Pontificio matrimonium prohibetur; idque vſque in infinitum abſque vlla graduum diſtinctione. *l. nuptiæ. 53. & l. vlt. ff. de rit. nupt.* Quòd ſi quis intra hos, aliosq. prohibitos gradus ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparatur, & ſpe diſpenſationis carebit perpetuò. Idem Tridentina ſynodus. *cap. 5. 24. ſeſſ.* Infidelis tamen, qui in gradu prohibito à lege canonica contraxit, poſt acceptum baptiſmi ſacramentum non ſeparatur. *cap. 4. hoc titulo.* Et eius proles eſt nulla exceptione legitima. *cap. vlt. infra, qui filij ſint legit.*

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi. *Tit. 15.*

HAEC etiam ſolent matrimonium non modò impedire, ſed & contractum dirimere. Frigidi hic, ni fallor, pro ſpadonibus, prout in iure ciuili, accipiuntur; qui naturali quodam morbo ſteriles ſunt, ac proinde generare minus valent. non quod genitalibus membris careant; ſed quia morbo quodam, vitiovè corporis affecti ſunt, quo natura implicata eſt, atque impedita; vt in *lege ſi quis poſthumos. ff. de liber. & poſthu.* Frigidus igitur matrimonium inire minus debet. quod ſi inierit, iuſte fit diuortium. Et quod de viro, idem de muliere intelligendum eſt ex *cap. 3. huius tit.* ita tamen, ſi ambo nuſquam ſe inuicem cognouiſſe dixerint: & coram propinquis, tactis ſacroſanctis Euangelijs, iurauerint. *cap. 5. 6. & cap. vlt.* At ſi Eccleſia fuerit decepta, hoc eſt, ſi cum alia contraxerit, Eccleſia ad primum, & primam redire compellet. Contrahens verò ſcienter cum impotenti ad copulam, nunquam ab ea ſeparatur: conſueuit enim Romana Eccleſia ſtatuere, vt quas tanquam vxores habere non poſſunt, habeant, vt ſorores *d. cap. 3.* Quod de frigidis, idem plane de maleficiatis dictum puta. Maleficiatus dicitur, qui malis iactatur artibus, ita, vt coire non queat. Magi ſunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. hi ſunt qui permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo: ac ſine

vllo veneni hauſtu, violentia tantum carminis interimunt: Vnde Lucanus,

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit.

Quo de crimine Plautij Siluani Prætoris Numitina vxor accuſata fuit, quòd marito carminibus, & veneficijs vecordiam iniecisſet. Tacitus lib. 3. Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quoſcumque perimant malis artibus inimicos: vti D. Auguſtinus tradit *lib. de ciuit. Dei* 18. *cap.* 18. & Iſidorus *lib.* 8. *cap.* 9. *etby.* ex quo deſumptum eſt *cap. nec mirum.* 26. *q.* 5. B. Hieronym. *in Daniele cap.* 2. maleficos ait eſſe, qui ſanguine vtuntur, & victimis, & ſæpe corpora contingunt mortuorum. Eorum appellatione & venenarij continentur. vt *l.* 1. *C. de malefic. & ma.* indicat qua docemur plus eſſe veneno neci dare, quàm gladio occidere. Iſti ergo Malefici appellantur; & qui eorum maledictis artibus vexantur, maleficiati nominantur. Additur in hoc titulo, Et impotentia coeundi; quod verbum geneale eſt, tam de ijs quibus natura impedimento eſt, quàm ijs, quibus ætas: vt videlicet qui debitum reddere non poteſt, impotens ſit, & minus aptus ad nuptias. *cap.* 2. *huius tit.* Sed incurrit hic haud mediocris dubitatio; ſi connubia intra illud tempus canonibus definitum contracta non perficiantur commixtione corporum, vel maxime ſi vis generandi marito non inſit: vtrum repudium fieri poſſit, an expectandum ſit tantum temporis, ex quo æſtimari poſſit, an ſit ex ætatis defectu, an ex frigiditate? Cælestinus *hic in cap.* 5. eos debere per triennium ſimul cohabitare reſcripſit. Ipſe verò, maritum quouſque ad vigeſimum primum annum peruenerit, à fœmina expectari oportere hac ducor ratione; quòd medicorum Princeps Galenus *lib.* 4. *de ſanit. tuenda*, virum perfectè idoneum ad coitum, ſeu ad generationem non eſſe, niſi illud tempus expleuerit, diſerte docuit. Cui tamen non obſtat Cælestini conſtitutio, cùm debeat intelligi de viro in perfecta ætate conſtituto: qui licet iam annum vigeſimum primum egreſſus ſit, eum tamen mulier trium annorum ſpatio tenetur expectare.

De matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. *Tit.* 16.

HIc titulus eſt, veluti appendix ad titulos ſuperiores, quo ſuppletur, quod illis deeſt. Nam hoc quidè conſtat ex illis, mulierem, vel virum, contractis iam ſponſalibus, ad ſecundas nuptias non debere lite pendente conuolare; cùm ſit eis ab Eccleſia interdictum. Si verò ſponſalia de futuro tantum cum primo contracta ſint, & alij nubat, non ſeparatur à ſecundo; ſed eis imponitur pœnitentia, tanquam contra Eccleſiæ interdictum facientibus. *cap.* 2. Quandoque ſeparantur, quouſque cauſa interdicti fuerit cognita; aut ſi inter conſanguineos celebratæ nuptiæ ſint; qui donec cauſa cognoſcatur, debent ſeparari. *cap.* 1. *& vlt.* Hoc autem interdictum poteſt Epiſcopus facere, ad quem ſpectat matrimonialium cauſarum cognitio. *cap. accedentibus. inf. ait exceſſ. prælat.* & *c. cum in tua. ſup. deſponſ.* & *cap. vlt. inf. qui matr. accuſ. poſſ.* & Archidiaconus, ſi longa conſuetudine munitus fuerit, vt de cauſis matrimonialibus cognoſcat. *cap. litteras. ſup. de reſtit. ſpolia.* prout ego in locis mihi ſubiectis. Item Archipresbyteri. *cap.* 1. *ſup. de conſan. & affin.* Itidem quilibet Parochus, ſi canonum ſtatuta non ignoret. *d. cap.* 1. tametſi hunc locum de ijs, qui iuriſdictionem habent, ſcilicet Abbatibus, Epiſcopis, noſtri iuris interpretes intelligendum eſſe obſtinate cõtendunt. Poteſt tamen Parochus, etiamſi iudicandi poteſtatem non habet, interdicere; itemq. inueſtigare, num inſtet neceſſitas, & legitima necne ſit cauſa. At *d. cap.* 1. debet intelligi de iudice; quòd ſcilicet iudicare de nuptiarum cauſis nequeat quis, niſi iuriſdictionem habeat vel propriã, vel alienam. Poteſt etiam ex Innocentij cõſtitutione in Lateranenſi Concilio inquirere, vtrum aliquod impedimentum obſtiſtat, quo minus nuptiæ poſſint contrahi. *cap.* 2. *& cap. cum inhibitio. ſup. de cland. deſponſ.* Sponſaliorum fœdera inire abſque Parochi licentia nequit quiſpiam; neque alterius parochiæ ſponſos ſine illorum Parrochi licentia matrimonio coniungere, vel benedicere Parochus poteſt, ex Concilij Tridentini conſtitutione *cap.* 1. *ſeſſ.* 24.

Qui filij ſint legitimi. *Tit.* 17.

EXpeditis ijs, quæ nuptijs ſunt impedimento, caſq. inutiles reddunt; conſequenter quærit, qui nam filij ſint legitimi; vtpote ſi filius ex eo, qui viuente prima, aliam duxit in vxorem, & ex hac natus ſit: an ſit legitimus, quaſi contra Eccleſiæ interdictum matrimonio natus. Reſcripſit Innocentius iij. ſi ſecunda ei ignoranter nupſit, proles ex ea eſt legitima. *cap.* 14. Item diuortio canonice facto, ante ſententiam geniti atque concepti, legitimi ſunt. *cap.* 2. Nati quoque ex muliere, quæ per iudicium Eccleſiaſticum à priore ſeparata, viuente illo, nupta ſecundo eſt, legitimi habentur. *cap.* 8. Necnon nati ex clandeſtino matrimonio ab Eccleſia approbato. *cap.* 9.

Ideo

Ideo naturales liberi per ſubſequens parentum coniugium legitimantur. *cap. 1. & cap. 6.* Non item ſpurij: qui etiam ab omni parentum hæreditate ſecluduntur. *cap. 3. & cap. 6. hoc tit.* & *auth. licet patri. C. de natur. liber.* De bonis tamẽ paternis ali debent. *cap. cùm haberent. in fi. ſup. de eo, qui dux. in matr. quam poll. per adult.* Geniti vero matrimonio contra publicæ honeſtatis iuſtitiam contracto, illegitimi habentur; & ad ſucceſſionem parentum non admittuntur. *cap. 10.* Dubitatio autem eſt, num legitimare Romanus Pontifex poſſit tam ad hæreditatem, quàm ad dignitatem. Poſſe conſtat ex *cap. 13.* licet inuitus hoc peragat in ijs, qui ſuperiorem temporalem habent. Cæterum ſi Eccleſiæ Princeps ad dignitatem legitimat, ad Epiſcopalem extendi noluit Gofredus: ſed rectius Panormitanus; quippe qui ad eam extendi voluit. Sed non ſatis recte idem Panormitanus exiſtimauit id poſſe fieri ex *cap. Oſius. 56. diſtinct.* cùm ij, quorum mentio fit in *d. cap. Oſius.* non fornicatione, ſeu adulterio orti ſunt, ſed legitimis nuptijs: quæ facerdotibus ante prohibitionem vtique licitæ erant: & in Orientali Eccleſia vſque hodie eis licere probatur. *can. Cænomanenſem. §. cùm ergo. 56. diſtinct.* qua de re in *tit. 17. lib. 1.* Sic proles infidelium, qui poſtea conuertuntur, legitima eſt, etiamſi parentes ſint in gradu prohibito lege Pontificia. *cap. vlt.* Verum legitimari ſpurios nõ poſſe arbitror: cùm non poſſint, teſtante Domino *Deuter. 23.* vſque ad decimam generationem Eccleſiam ingredi: & ſacri canones eos promoueri ad ſacros ordines prohibeant. *d. cap. 13.* & *cap. niſi cum. §. perſonæ. ſup. de renuntia.* & *cap. innotuit. ſupr. de elect. in tertia compil.* & apud Contium, & Antonium Auguſtinum; ex cauſa tamen diſpenſari poſſunt.

Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari. *Tit. 18.*

HAOTENVS de matrimonijs, & eorum impedimentis: reſtat de diuortijs. Verùm quoniã diuortium fieri non poteſt, niſi præcedat accuſatio: ideo non male hic titulus ſubijcitur. Omnibus tamen non licet accuſare: ſoli enim marito, & vxori licet de impedimento, de quo *tit. 15.* diximus, accuſare. Si de conſanguinitate, affinitate, cognatione ſpirituali, vel publicæ honeſtatis iuſtitia, decet prius maritum, & vxorem, tum parentes; qui ſi defuerint, proximiores etiam admittuntur. Optimam ſane rationem reddit Clemens iij. in *cap. 3. huius tit.* cur parentes extraneis præferantur:

Germonij Paratitla.

quoniam geneologiam cum teſtibus, & chartis, atque ex maiorum recitatione memoria tenent. Si ſimul ad accuſationem adulterij venerint maritus, & pater mulieris; magis eſt, vt maritus præferatur. Nam & propenſiore iure, & maiore dolore executurum eum acculationẽ credendum eſt. Hinc videmus iam Neronis imperio interdum marito factam fuiſſe poteſtatem cognoſcendi de capite mulieris. Nam, Cornelius Tacitus *annal. lib. 13.* ait, *Pomponia Græcina inſignis fœmina Plantio nupta, ac ſuperſtitionis externæ rea, mariti iudicio permiſſa: iſq. priſco inſtituto propinquis coram, de capite, famaq. coniugis cognouit: & inſontem nunciauit.* quod ius patri nunquam conceſſum fuiſſe legi. Legimus tamen ius filias in adulterio repertas occidẽdi patri conceſſum; non æque marito. etenim plerunque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: mariti autem furor, & impetus facile fæuientis fuit refrænandus. *l. nec ea. ff. ad leg. Iul. de adult.* In accuſatione igitur adulterij præuenienti marito, tempora non cedunt patri. *l. 1. §. vlt.* & *l. 3. ff. eod. ad leg. Iul. de adult. cap. meritis. infra de adult. & ſtupr.* Ideo acculatio, & teſtimonij propria voce fit, non litteris. *cap. 2.* Admittuntur quandoque & idonei teſtes pro impedimento matrimonij, ſi reus ſit abſens, & contumax. *cap. 1.* Necnon lapſo denunciationis tempore, ſi extra diœceſim ſint, vel iurent nullam denũciationis notitiam habuiſſe. Repelluntur autem accuſantes matrimonium propter quæſtum; item qui denunciationis tempore tacuerint, niſi denunciationem probabili ratione ignorauerint, vel iurauerint de nouo didiciſſe. *cap. 5. & c. vlt.* Tandem monemur ex *cap. 4.* eam, quæ inuita contraxit, ſi ſponte dein cognita ſit, matrimonium accuſare non poſſe. & ratio eſt, quia ſponteneus conſenſus; qui in nuptijs præcipue deſideratur, *cap. ſufficiat. 27. q. 2.* videtur acceſſiſſe. *cap. ad id ſupra de ſponſ.*

De diuortijs. *Tit. 19.*

DIVORTIVM eſt *inter virum, & vxorem iudicio Eccleſiaſtico ſeparatio*: ſeu, vt vult M. Tullius pro Cluentio, affinitatis diſſidium. Ego dixi, *iudicio Eccleſiaſtico*; quoniam abſque eo, nec valet, nec tenet ſeparatio. *cap. 3. 4. & 6. hoc tit.* Sed compelluntur ſimul cohabitare: niſi mulier poſtquam fuit dimiſſa, adulterium commiſerit. *d. cap. 4.* Eſt enim fornicatio præcipua cauſa diuortij. quare Dominus apud Matth. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Excepta igitur fornicationis

cauſa, vxorem non licet dimittere. *Vſque adeo fœdus illud* (inquit Auguſtinus *lib. de bono coniugali cap. 7.*) *initium nuptiale cuiuſdam ſacramẽti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritũ fiat.* Ideo matrimonium illud, etſi thoro, non tamen vinculo illo, quo indiſſolubili maritus, & vxor colligati ſunt, ſolutum eſt. *cap. litteris. ſupr. de præſumpt.* quamuis neoterici quidam in hoc plurimum, & fruſtra torqueantur, quos haud parum miror ea non animaduertiſſe, quæ Euangelica lectio apud *Matth. 19. & Lucã 16.* docet. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam ob fornicationẽ, & aliam duxerit, mœchatur*; quam refert hic *cap. 8.* Ipſe Eccleſiæ Princeps, & Apoſt. 1. *ad Corinth. 7. Vxor à viro ne ſeparetur: quòd ſi ſeparata fuerit, manet innupta, aut marito reconcilietur.* Nihilominus tamen ſit diuortium plurimus alijs de cauſis; de quibus paſſim ſuperioribus titulis. vel etiam ſi alter coniugum in mortem alterius eſt machinatus. *cap. 1.* Vel impedimentum ſit aliquod notorium; Aut ſi paganus ad viam veritatis ſe conuertat, qui plures habuit vxores, primæ, relictis cæteris, adhærebit. *cap. 3. 8. & vlt.* Siue alter fidelium coniugum labatur in hæreſim. *cap. 6. & 7.* Nec obſtat, quod ait Apoſtolus *ad Corin. 1. cap. 7.* vt mulier infidelis poſſit cum viro fideli, & contra, cohabitare. quoniã ſi Apoſtolus iam à primordio Eccleſiæ prohibuiſſet ne Chriſtiani cum gentilibus nuptias inirent, maximum tibi peperiſſent odium, & ab omnibus, quaſi nimis ſuperſtitioſi, quòd à vitæ conſuetudine, & ciuitatum moribus abhorrerẽt, reiecti, ac pro nihilo ſemper habiti fuiſſent. quo factum eſſet, vt fides catholica non ita late, longeq. vt fecit, diffeminata fuiſſet, ſed breuiſſimis contineretur terminis. At cùm Eccleſia fuit altiſſimis defixa radicibus, vt nulla vi poſſet demoueri, ſancitum eſt in Concilio Toletano quarto, vt apparet in *cap. Iudæi. 28. q. 1.* niſi vterque fidelis eſſet, fieri ſeparationem; quod confirmarunt & Vrbanus iij. & Innocentius iij. *d. cap. 6. & 7.* & Gregorius ix. in *cap. vlt. ſi pr. de conuerſ. coniug.* Sed dubium eſt, num is, qui remanſit in fide, ad ſecunda vota iure tranſire valeat. Innocentius ſtatuit non poſſe. Iecus is, qui cùm infidelis eſſet, relicta infideli vxore, in fidem Chriſtianam cooptatus eſt. Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non eſt tamen ratum: inter fideles autem verum, ratumq. exiſtit. Etenim matrimonia licet apud pleraſque gentes ſemper ſacroſancta fuiſſent, aliquidq. diuini habere exiſtimarentur, atque ob eam rem gentes ipſæ vagos concubitus à naturæ lege prorſus alienos eſſe, itemq. ſtupra, adulteria, & alia libidinis genera inhibenda eſſe duxerint: eorum tamen connubia nullam penitus Sacramenti vim habuerunt. & ob id rata non erant apud illos. Si autem matrimonium, vt ſacramentum eſt, Chriſti coniunctionem cum Eccleſia indicat: ſequitur neceſſariò, vt quemadmodum Chriſtus ab Eccleſia ſe nunquam diſiũgit, auctore Apoſtolo *ad Epheſ. 5.* ita ab vxore vir, quod ad connubij obligationem pertinet, non queat ſeparari. *cap. omne 27. q. 2.* Ex quibus conſtat fidelium nuptias perfectione, ac nobilitate tam Iudæorum, quàm Gentium connubijs longe præſtare. quamquam dubium non ſit, quin Iudæorum coniugia maiori, quàm cæterarum gentium ſanctitate prædita eſſent; cùm promiſſionem accepiſſent, fore aliquando, vt omnes gẽtes in ſemine Abrahæ benedicerẽtur. *Gen. 22.* Eorum tamen coniunctiones vera ſacramenti ratione caruerunt, vt omnes Theologi fatentur. Altera ratio eſt, cur maritus fidelis nequeat quo ad vinculum, ab vxore, quæ in hæreſim eſt lapſa, diſſolui, & cum alia contrahere: quia frequenter eueniret in odium coniugum, vel quando ſibi inuicem diſplicent, quòd ſi eas poſſent in tali caſu dimittere, ſimulatrent hæreſim. *d. c. 7. in fine.* Diximus matrimonium propter adulterium mulieris ſeparari; Quid ſi poſtea fornicetur vir? Sanxit Alexander iij. matrimonium redintegrari. *cap. 5.* quod eſt obſeruatione dignißimum. Conſtat denique *in cap. 1. & 2.* ob homicidium, furtum, & aliud huius generis crimen, non fieri ſeparationem, niſi ad infidelitatis maleficium trahere vellet. Reſtat videre, quomodo fiat diuortium. Olim ratum non erat diuortium, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum eius, qui faciebat diuortium. *l. nullum. ff. de diuor. & repud.* namque libellum diuortij per libertum mittebant. *l. in prouincia. ff. de rit. nupt.* & M. Tullius in Top. *Si viri culpa factum eſt diuortium, & ſi mulier nuncium remiſit.* Qui ritus & apud Hebræos videtur obſeruatus, *Deut. 24.* & Dominus apud Matth. loco citato: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij*: quaſi vti libertum eſſe alteri, ſi vellet, nubere. Sic hodieque Honorij iij. ſanctione diuortium non fit, vel inter frigidos, vel maleficiatos, atque impotentes ad copulam, niſi ipſi coniuges cum ſeptima proximiorum manu iuraueriat ipſos ſe aliquam cognouiſſe. *cap. vlt. ſupr. de frig. & malef.* Fit eſt dictum Diuortium vel à mentium diuerſitate, vel quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. *l. inter diuortium. 191. ff. de verbor. ſignif. l. 2. ff. eod.* Nam & aquarum diuortium legimus: Cicero ad Atticum; *Amanus*, inquit, *Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit.* & itinerum diuortia, hoc eſt vias in diuerſas tendentes; vt illud Virgilij Aeneid. 9.

Obiectum equites ſeſe ad diuortia nota.

Scilicet, vt Seruius recte obſeruauit, ad diuerticula

ticula militaris vix. legitur & apud Tacitum *lib.* 12. *Arctissimo inter Europam, Asiamque diuortio Byzantium in extrema Europæ posuere Græci.*

De donationibus inter virum, & vxorem, & de dote post diuortium restituenda. *Tit.* 20.

VEL ante, vel post contractas nuptias, solet maritus vxori, vel vxor marito donare. quæ ante fit, fit à marito, & donatio propter nuptias dicitur; quæ post, ab vtroque potest fieri, & dicitur donatio inter virum, & vxorem. illa permittitur, ista non aliter, nisi certis conditionibus. Quinimmo fuit iam olim moribus receptum, donationes inter coniuges inualidas esse, ac proinde prohibitas, varijs de causis; ne mutuo se amore inuicem spoliarent; & ne matrimonia venalitia essent; ne concordia pretio conciliari videretur; nevè ditior in pauperiem incideret, nevè pauperior ditior fieret. *l.* 1. 2. 3. *ff. eod.* sed vt amorem honestũ solis animis æstimarent. vel, vti diserte Plutarchus in præceptis connubialibus scribit, *Legibus donatio est inter virum, & vxorem prohibita, non vt alter ab altero nihil accipiat, sed vt omnia inter se communia esse ducant.* quod satis Gordiani sententiæ cõuenire videtur in *l. aduersus. C. de crim. expil. hared.* vt vxor rei diuinæ, atque humanæ domi socia suscipi dicatur. De eadem tamen donatione extat Antonini Caracallæ Imperatoris Oratio, quæ duo habet capita. alterum de donationis prohibitione. *l.* 3. *ff. eod.* alterũ de eiusdem donationis confirmatione. *l. cùm hic status. ff. eod.* Vtrũmque caput comprehendit vlt. huius tit. constitutio; vt constante matrimonio donatio non valeat inter coniuges, ex qua alter fit pauperior, alter locupletior. & vt valeat, si donatoris obitu confirmatur: quæ tamen penitus euanescit, si reuocetur ab eo tacite, vel expresse, & qui donatum accepit, præmoriatur. Propter nuptias donatio valet. est enim proxima doti donatio propter nuptias. sicut enim vxor dat viro dotem tam ante, quàm post nuptias, sic vir etiam celebrato, ac consummato matrimonio, ad compensandam dotem, quam ab vxore accepit, recte donat. *l. vlt. in princ. C. de don. ante nupt.* & *S. aliud. Instit. de donat.* Sed dubitari posset, num hoc donationis genus vltima huius tituli constitutione prohibeatur. Et dicendum est non prohiberi; quia ob causam est, non simplex donatio. vnde antipherna à Græcis dicuntur, quæ ita donantur. *d. l. vlt.* Et de Dote post diuortium restituenda. Soluto matrimonio dos, & pars eorum, quæ communiter acquisita sunt, est restituenda. *cap.* 1. & 2. nisi mulier ob causam fornicationis à viro recesserit, sine iudicio Ecclesiæ, siue auctoritate propria; tunc nec dotem, nec dotalitium potest repetere. *cap.* 4. Dotalitium existimo dici, quod Græci Hypobolon nominant apud Harmenopolum *lib.* 4. *tit.* 8. & 10. & apud Latinos donationem ante, vel propter nuptias. Sed hodie perpetuo dicimus propter nuptias, quia correcta re, & nomen emendari oportuit. *d. l. vlt.* Qui autem sententiam diuortij fert, & de dote pronunciare debet. *cap.* 3. Et quemadmodum dos, dissoluto coniugio, ad mulierem reuertitur, pari iure donatio propter nuptias ad virum. *cap.* 5. & *vlt.* Nisi in contrarium faciat consuetudo, pactumvè de lucranda dote, & donatione propter nuptias. ita vt pactum ex Gregorij rescripto in *d. c. vlt.* fit æquale. Sed dubitatur maxime, num pacta solum debeant esse æqualia, non æquales quantitates. Olim solum æqualia pacta; hodie etiam æquales quantitates esse debere sanxit Iustinianus *Nouell.* 97. Ego puto hoc Gregorij rescriptum ex cõsuetudine capere interpretationẽ, vt æqualia sint pacta, non æquales quantitates. potest enim dos esse mille, & donatio propter nuptias ducentorum, & quinquaginta aureorum. & ita fere vbique seruatur. Quid si maritus vergat ad inopiam, an mulier potest dotem repetere? Magis est, vt nequeat. quia si & vxoris corpus est creditum, multo magis modicum dotis. Omni tamen meliori cautione est illi danda; vel saltem mercatori committi, ne mulier priuetur dote, & eius commodo maritus; sed vt parte honesti lucri valeant onera matrimonij sustentare. *cap.* 7. Est autem donatio propter nuptias contractus, qui fit propter dotem, & propter nuptias, vel pecunia matrimonij ergo data. sæpius citata *l. vlt. in fine.* Dos verò est, vt definitur à Varrone *lib. de ling. Lat.* 4. pecunia nuptiarum causa data, vel pecunia nuptiarum causa marito data vel promissa. Addidi, marito, ad differentiam donationis propter nuptias; & promissa; quia quandoque promittitur, & non datur. potest tamen ex illa maritus agere.

De secundis nuptijs. *Tit.* 21.

ERAT adhuc hic titulus necessarius, cùm iure ciuili mulier, quæ intra id tempus, quo lugere virum moris erat; scilicet vnius anni, ante quam virum elugeret, ad secundas nuptias festinaret, esset infamis. *l.* 1. *S. qui eo. ff. de ijs, qui not. infam. l. decreto. C. eod.* Nam cum Apostolus *ad Corinthios* 1. *cap.* 7. dicat:

dicat: *Mulier viro ſuo mortuo, ſoluta eſt à lege viri ſui: in Domino nubat, cui voluerit:* ſummi Pontifices Vrbanus iij. & Innocentius iij. noluerunt mulieres, quæ ante tempus luctus nuberẽt, notari infamia. *cap.* 4. *& cap. vlt.* Ipſi tamen non adhortantur, vti quidam male ratiocinantur. Cùm idem Apoſtolus loco citato, maximis continentiam etiam in coniugatis commendat laudibus; tum apud priſcos, quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur; vel adſtipulante Valer. Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. *de nupt.* quo tempore neque vllum fuit nuptijs viduarum ſolemne proprium, adeo vt feſtis diebus poſſent celebrari. Cuius rei rationem reddit Verrius Flacus apud Varronem, & Plutarchus in Problematis. Nouitiani quoque qui ſunt in Phrygia, ſecundas nuptias non receperunt: qui Conſtantinopoli verò habitant, neque recipiunt omnino, neque reiciunt. qui partes in Occidente incolunt, omnino recipiunt. Cauſas, & auctores eiuſmodi diuerſitatis fuiſſe Epiſcopos, qui varijs temporibus Eccleſijs præerant, ſcribit Socrates *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.* 5. *c.* 21. Quòd ſi ſe abſtinere potuerint, maioris caſtitatis, & temperantiæ argumentum præbebunt: præſertim quæ ex priori matrimonio liberos habent. nouis etenim maritis non ſolum res filiorum, ſed etiam vitam addicunt; vt eleganter Conſtantinus Imperator in *l. lex quæ. §. lex. ff. de adminiſt. tut.* paulò rectius, quæ liberos non habent: quoniam vt ait Claudianus:

Naſcitur ad fructum mulier, proleque futuram.

Admonentur & hoc titulo Parochi; vt non benedicant ſecundas nuptias. Rationẽ nemo, quod viderim, affert: ego illam eſſe puto: quòd primæ nuptiæ à Domino ſunt inſtitutæ, ſecundæ permiſſæ. Et primæ ſub benedictione Dei celebrantur ſublimiter, ſecundæ verò etiam in præſenti carent gloria. S. Ambroſius 1. *ad Corinth.* 7. Magiſter *in* 4. *diſt. in.* 42. *in fine.* Nam etiam ſi vnus duntaxat coniugum fuerit benedictus, non debet iterari benedictio. & contra faciens, ab officio, beneficioq. ſuſpenditur. *cap.* 1. *& cap.* 3. In cap. 2. idem ius conſtituit Lucius iij. quod Clemens iij. in *cap. in præſentia. ſup. tit.* 1. *huius lib.* vt mulier incerta de viri morte, nequeat alteri nubere. quòd ſi nupſerit, tenetur reddere, & non exigere debitum. Interim ſi de prioris mariti vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem reuertitur. Et quod de muliere, idem de viro dictum puta.

†

DECRE-

DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII IX. LIB. V.

De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. *Tit.* 1.

POST materiam iudiciorum ciuilium dãtur causæ iudiciorum criminalium, quæ proprie accusationes dicuntur. est enim accusatio, criminalis iudicij persequutio. & hæc exigit inscriptionem, si inquam, in modum accusationis tendat. Namque potest tribus modis opponi crimen, denunciando, excipiendo, & accusando. Quando in modum denunciationis opponitur, non est inscriptio necessaria. *cap.* 16. tunc fit ad correctionem dumtaxat. Sed cùm in modum accusationis, opus est inscriptione, quoniam ad depositionem instituitur accusatio. Cùm autem excipiendo crimen est obiectum, vel est obiectum, vt ab accusatione aliquis repellatur; vel vt quis à promotione officij, seu beneficij excludatur: & quia impedit promouendum, in hoc desideratur inscriptio, in illo non æque. *d. cap.* 16. Et quàm sit necessaria inscriptio, constat ex *cap.* 14. cùm accusator ante inscriptionem possit impune ab accusatione desistere; licet deinceps non audiatur, si voluerit accusare. Hinc constitutum arbitror ab Innocentio iij. *cap.* 15. ad persequendam accusationem criminalem procuratorem non admitti: quia tenetur ad pœnam talionis. Neque admittitur inimicus. *cap.* 1. 13. & 19. Neque inimicis cohabitans. *cap.* 7. Neque publicus concubinarius, & excommunicatus. *c.* 20. Nec conspirator, & qui non præmonuit. *cap.* 2. Item laici contra clericos repelluntur. *cap.* 10. & alij multi, de quibus in *cap. prohibentur.* 2. *q.* 1. Hi tamen omnes si suam iniuriam exequantur, mortemq. propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur. *d. cap. prohibentur.* & *l.* 1. 2. & 11. *ff. eod.* Neque in criminibus exceptis, vt est simoniæ, hæresis, & læsæ maiestatis. vt *cap. si dominus. cap. tanta. inf. de simon. cap. oues.* 2. *q.* 7. *cap. sanè.* 15. *q.* 3. *l. si quemquam. C. de Episcop. & cler.* Neque propter publicam vtilitatem ad annonam pertinentem. *d. cap. prohibentur.* S. *mulierem.* In his hac conditione admittuntur, si bono zelo, non odio procedunt. *cap. licet Heli. cum seq. inf. sit.* 2. Sed qui de certo crimine est accusatus, ac semel absolutus, de eodem nequit iterum accusari. *cap.* 6. Habetur & hoc titulo, qualiter, & quando prælatus ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, etiam prælatorum, debeat procedere; siue secularium, siue regularium. *cap.* 24. Et quo facilius eorum excessus euitarentur, sancitũ fuit, vt Metropolitani singulis annis debeant prouinciale Concilium celebrare, & Episcopi Episcopales Synodos. *cap.* 25. illud à synodo Tridẽtina longius accepit tempus, non æque istud; nam hodie Metropolitani quolibet triennio dumtaxat tenentur: sed Episcopi singulis annis. *cap.* 2. *sess.* 24. Est etiam hic Monachis facta potestas accusandi Abbates, & vt de bonis monasterij expensas litis habeant necessarias. *cap.* 11. & *cap.* 26. Quòd si denunciatio fit de dilapidatione, inquiritur super veritate; & interim interdicitur illi facultas alienandi. *c. vlt.* Sed illud erat adhuc necessarium, Quibus coram fieri oporteret prælati crimination̄em. Et statutum fuit, vt coram illis, quorum interest. *cap.* 3. Et omnis, qui de aliquo accusatur crimine, vel denunciatur, pendente negotio promoueri haud potest. *cap.* 4. Et presbyter ebriosus missam celebrans, non præmissa digestione, & accusari potest, & Ecclesia priuari. *cap.* 12. Additur de Inquisitionibus. Inquisitio est merum iudicis officium ad inuestiganda delicta, aliaq. ad causam præsentem necessaria. Inquisitori autem ius factum est, vt si non seruauerit debitum

Inquisitio

inquiſitionis ordinẽ, ſe caute, & prudenter poſſit corrigere. Ordo inquiſitionis duo continet: alterum, quòd regulariter non fit inquiſitio niſi contra infamatum. *cap.* 19. *& cap.* 21. §. 1. *&* §. 2. niſi reus præſens tacuerit. *cap. vlt. eod. in ſexto.* quare agenti poſſeſſorio in beneficialibus non obſtat exceptio criminis, niſi de eo ſit infamatus. *cap.* 23. Alterum, quòd ex quo de infamia conſtat, inquiri debet de veritate, vt paſſim hoc titulo habetur. Exemplum enim dedit Deus Opt. Max. cuius oculis omnia nuda, & aperta ſunt. *cap. Deus.* 2. *q.* 1. & *cap.* 24. *hoc tit.* cui licet ſatis conſtaret de exceſſibus, & malis Sodomæ: tamen Geneſ. 18. *Deſcendam*, inquit, & *videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam.* & apud Lucam *cap.* 16. legitur, quòd villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audiuit ab illo; *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Et quamuis ex auctoritate D. Auguſtini ſuper Gen. de morte Abel, *euidentia patrati ſceleris non indigeat accuſatoris clamore. cap.* 9. idq. Ambroſ. in *c. manifeſta.* & Nicolaus Papa in *cap. quæ Lotharius.* 2. *q.* 1. probant. attamen hæc pugnantia non ſunt: quia iudex ex eo, quòd crimen eſt notorium, nullo accuſante poteſt in cauſa procedere. Sed non temere iudex in prolatione ſententiæ procedere debet, ſed conſulto, diligentiq. veritatis inueſtigatione adhibita. & ita intelligere oportet *d. cap. Deus & cap.* 24. Reſtat verò hæſitatio adhuc illa: an is, contra quem inquiritur, poſt confeſſionem audiatur, volens excuſationes probare. Ab Innocentio iij. reſcriptum eſt admitti in ijs, quæ confeſſionem non perimunt, ſed exponunt; non autem ſi iurauit plenam, & meram veritatem dicturum *cap.* 18. Tertia huius tituli pars eſt de Denunciationibus. Denunciatio, vt ex ſuperioribus licet intelligere, eſt admonitio, quæ iudici fit vel ad correctionem alicuius, vel ad accuſationem. In hac neceſſaria eſt inſcriptio; in illa non item. Et quemadmodum accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio; ſic & denunciationem charitatiua, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio præuenire. *cap.* 24. *in fin.*

De calumniatoribus. *Tit.* 2.

CALVMNIA eſt malitioſa, & mẽdax infamia. *l.* 1. §. 1. *ff. ad S.C. Turpil.* ſic Calumniator, qui temere alicui controuerſiã mouet. *l. cui neceſſitas.* §. 1. *ff. de lib. cauſ.* ac proinde accuſator, qui in probatione criminũ deficit, punitur; *can. calumniator.* 2. *q.* 3. quia animo calumniandi videtur crimina propoſuiſſe. *cap.* 2. Ex quo colligi differentia videtur inter hoc ius, & ciuile; quòd ciuili, niſi in euidenti calumnia deprehenſus, accuſator non punitur. *d.* §. 1. *ad Turpil.* quanquam meo iudicio non ita generaliter accipi debet diſpoſitio *d. cap.* 2. Sed cùm prælati ab inferioribus accuſantur, vt hic; inconſulto: facilitas accuſantis calumniæ loco cedat; & tunc non defatigatur accuſatus. *cap.* 1. *ſup. tit.* 1. Sic Subdiaconus calumnioſe accuſans Diaconum, ſubdiaconatu priuatur, & publice verberibus caſtigatur; tandem in exilium mittitur. *cap.* 1. *huius tit.* Is etiam, cuius accuſatione aliquis ad mortem condemnatur, niſi pro pace accuſauerit, quadraginta dies cum ſeptem ſeq. annis pane, & aqua debet pœnitere; vel ſi debilitatus eſt, per tres quadrageſimas. *c. accuſaſti. ſup. tit.* 1. ſi temere ſcilicet accuſauerit. nam probato crimine, liberatur acculator. *c. illud.* 23. *q.* 4. Quinimmo in correctione malorum Deus omnipotens placatur: vti oſtendit Gregorius *lib.* 7. *Epiſt.* 5. ſcribens Brunichidæ Reginæ Francorũ, ita dicens: *Si quos violentos, ſi quos adulteros, ſi quos fures, vel alijs prauis actibus ſtudere cognoſcitis, Deum de eorum correctione placare feſtinate: vt per vos flagellum perfidarum gentiũ, quod (quantum videmus) ad multarum nationum vindictam excitatum eſt, non inducat.* & D. Auguſtinus in *Epiſt.* 54. *ad Macedon. Non fruſtra ſunt inſtituta, poteſtas regis, & cognitoris ius: vnguleæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni pacis: habens omnia iſta, modos, cauſas, rationes, vtilitates. Hæc cum timentur, & mali terrentur, & boni quieti inter malos viuunt.* Quare vigor publicæ diſciplinæ poſtulat, ne crimina remaneant impunita. *l. illicitatio.* §. *quod illicite. ff. de public. & vectig. can. eſt iniuſta.* 23. *q.* 4. alioqui per impunitatis audaciam, qui nequam ſunt, nequiores fierent. *cap. vt famæ tuæ. infr. de ſent. excom.* Sed quilibet denunciator in probatione criminum deficiens, ab officio, & beneficio ſuſpenditur, donec innocentiam ſuam purget. *cap. vlt. huius tit.*

De ſimonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur. *Tit.* 3.

A Perſonis tranſit ad rem ipſam, ideſt ad accuſationem, & primo ad capitale ſimoniæ crimen; quia eius reſpectu cætera crimina pro nihilo quodammodo habentur; vt ait Innocẽtius iij. in *cap.* 32. *hoc tit.* & Paſchalis in *cap. vlt.* 1. *q.* 7. Et quanta ſit huius criminis labes, ex eo apparet, quòd & ſerui aduerſus dominos admittuntur: cùm eis vix aduerſus dominos

minos conſiſtere permiſſum ſit. *l. vix. ff. de indic.* item meretrix, ac quilibet criminoſi. *cap. 7. hoc tit.* Simonia eſt cùm id, quod gratis dari, accipiq. debet, pretio datur, & accipitur. Dico dari, accipique, quia tam is, qui ſpirituale gratis non dat, cùm dare debeat, quàm qui accipit, & Eccleſia priuatur, & ſacerdotij honore ſpoliatur. *cap. presbyteri. 1. qu. 1.* Et gratia ſi gratis non datur, ſeu accipitur, gratia non eſt. *cap gratia. 1. q. 1.* Committitur autē ſimonia pluribus modis; veluti ſi Epiſcopus pro ordine conferendo, vel eius miniſtri, vel notarij temporale aliquid exegerint; aut pro conſecratione Epiſcoporum, aut Abbatum benedictionibus; aut pro religionis ingreſſu, ſi pretij quicquam recipietur, aut paſtus, iocaliaue ex pacto, vt in *cap. 1. eod. extr. commun.* Item pro prioratibus, capellis conſecrādis, prælatis inſtituendis, concedenda ſepultura; pro chriſmate, oleo ſancto, benedictionibus nubentium, exequijs mortuorum, alijsvè ſacramentis. Eſt item ſimonia, pro temporali obſequio Eccleſiaſticum beneficium promittere; pretio, vel fauore peccatorem celare; vel reconciliare non pœnitentem, vel digne pœnitentem à reconciliatione remouere; pro habendis ſpiritualibus homagium facere; ſeu aliquid exigere pro abſoluendo excommunicatum, pro inueſtitura, vicariatu, aliaque adminiſtratione rerum ſpiritualium, ſeu Eccleſiaſticarum habenda; & alia generis eiuſdem non pauca. Omnes autem ſimoniaci cuiuſcumque dignitatis, aut ſtatus, ſunt ipſo facto excommunicati. Nec habent ſimoniace ordinati ordinis executionem. Et electiones, aut aliæ promiſſiones per ſimoniam factæ, non valent, nec ius percipiendi fructus tribuunt. Mediatores etiam ſimoniæ eadem cenſura ligantur; qui à ſolo Papa abſoluuntur. & omnes prædicti ſunt Romano Pontifici reuelandi. *cap. 2. eod. extra. com.* Non cenſetur tamen ſimoniaca ordinatio, vel conſecratio, etſi ordinatori aliquid donatum fuerit non ex pacto, ſed ſponte. quæ exceptio aliam habet exceptionem; vt res data ſit modici pretij; quæ animum recipientis inclinare, aut mouere ad optata non queat. c. 18. *infra. hoc tit.* quod interpretationem capere poteſt ex *l. plebiſcitū. ff. de offic. præſid.* Neque ſimoniacum eſt, ſi pro conferendis ſacramentis, aut mortuorum exequijs aliquid ex conſuetudine exigatur. immo Ordinarius, vt ne immutetur laudabilis iſta cōſuetudo, inuigilare debet. c. 42. Secunda tituli pars, *Ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur*, ad declarationem potius ſimoniæ adiecta eſt, quàm vt ſpeciale aliquid contineret, cùm omne quod exigitur, vel pro ſpiritualibus promittitur, ſimoniacū ſit. Atqui mirum non eſt, cùm in illa collectione, quæ Concilio Lateranēſi ſub Alexandro iij. coniuncta eſt, pars ſecunda longam hanc habet inſcriptionem, *De ſimonia, & ne merces pro Eccleſiæ conſecratione recipiatur, vel pro monachatione, vel pro ſacramentis Eccleſiæ, vel pro licentia docendi; Neve prælati vices ſuas ad cauſas terminandas, vel regimen Eccleſiarum ſub annuo pretio committant; Neve ſubditos taleis vexent, vel pœna pecuniaria multent.*

Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant. *Tit. 4.*

HVNC titulum eſſe partem ſuperioris conſtat ex collectione Lateranenſis Concilij, de qua tit. ſuperiori ſermo fit. Et tituli Inſcriptio totum prope titulum declarat: prima pars, in *cap. 1. & cap. 2.* ſecunda in *cap. 3.* vt regimen Eccleſiæ non debeat committi ſub annuo cenſu. & ratio eſt elegans; quoniam dum ſacerdotium ſub huiuſmodi mercede vænale diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur, tametſi ab initio cenſualis poſſit fieri Eccleſia. *cap. ſcientes. & cap. prohibemus. ſupra. de cenſib.* Qui verò pecuniam dederit, vt Epiſcopalem, vel ſpiritualem iuriſdictionem exerceat, ſuo officio priuatur; & Epiſcopus hoc officium conferendi poteſtatem amittet. Fructus ſub annuo cenſu libere concedi poſſe, ex *cap. vlt. huius tituli*, & *cap. querelam ſupra de iureiuran.* haud eſt dubitandum.

De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. *Tit. 5.*

EADEM eſt ratio præſentis tituli, quæ ſuperioris, vt hic ſcilicet ſit tituli tertij pars: nam ſi merces pro docendi licentia recipitur, ſimonia eſt. & ſi quis vendiderit ipſam docendi licentiam, aut idoneum ad docendum interdixerit, beneficio priuatur, vt in Lateranen. ſynodo ex qua caput 1. huius tituli deſcriptum eſt, ab illis ſanctiſſimis patribus fuit conſtitutum. Et ſi forte quicquam promiſſum, vel datum eſt & exactum reſtitui, & promiſſum remitti oportere ſanxit Alexander iij. etiam ſi longa id conſuetudine ſibi vendicaſſent. *cap. 3.* Immo in generali Lateranen. Concilio Innocentius iij. decreuit *cap. 4.* vt in qualibet cathedrali Eccleſia, vel alia in facultatibus ſufficienti, à prælato, aut capitulo vnus debeat magiſter eligi, & ei vnius præbendæ redditus aſſignari; in

Meuo-

Metropolitana verò Theologus. Et his Clemens V. in Concilio Viennenſi addidit, & ſanxit in ſtudijs Romanæ curiæ, Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantino, debere præter alios conſtitui magiſtros Catholicos, & linguis Hebraica, Arabica, & Chaldæa peritos, duos ſcilicet pro qualibet lingua. quibus in Romana curia legentibus per ſedem Apoſtolicam competentibus ſtipendijs, & ſumptibus prouideri; in ſtudijs Pariſien. per Gallorum Regem; in Oxonienſi, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, ac Vualiæ; in Bononien. per Italiæ; in Salamantino per Hiſpaniæ prælatos, monaſteria, capitula, conuentus, collegia exempta, & non exempta, & Eccleſiarum rectores. Et non modo magiſtri, verumetiã ſcholares de fructuum perceptione, & prabẽdarum ſuarum, & beneficiorum, ac ſi præſentes eſſent, plene gaudere, & frui poſſunt. *cap. vlt. huius tit.* (quibus pijs conſtitutionibus inhærẽs, ſacroſancta Tridentina ſynodus eas magno deſiderio amplectens, confirmauit *cap. 1. & cap. 2. ſeſſ. 5.*) Magiſtri ſcilicet donec docuerint, ſcholares ex Honoriana conſtitutione, per quinquennium, & ex Bonifacij Octaui, per ſeptennium. *cap. cùm ex eo. de elect. in ſexto.* in quo Epiſcopis ius factum eſt; vt iuſte poſſint etiam curam animarum habentibus licentiam impartiri. vltra ſeptennium non æque, ac ne ante quidem ſeptẽnium poteſt ſcholaris cogi præter Hypodiaconatum, ordines ſuſcipere. Sed dubium eſt, num is, qui iuri Canonico operam dat, ijs priuilegijs gaudere, ac frui poſſit? nam in *d. cap. vlt.* Honorius iij. dixit *in Theologia*; & Tridentina ſynodus, *qui ſacram docuerint ſcripturam.* Hoſtiẽſis exiſtimauit ad ius canonicum non extendi: contra Archidiaconus, & Abbas; & rectius, mea ſententia, cùm ius canonicum verã ſit Theologia; immo & ius ciuile vna cum canonico vtile eſt, & perquam neceſſarium: vt *tit. vlt. lib. 3.* diſſerui. Et quantam afferat nobis neceſſitatem ius canonicum, ex eo conſtat apertius, quòd non tantum quæ Theologiæ ſunt, ſed & iuris ciuilis præſtat; docet naturam contractus, vltimas defunctorum voluntates tuetur, mulieribus dotes conſeruat, magiſtratuum officia diligenter perſequitur; quid Deus ſit; & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Principem eſſe commonſtrat; Sacramentorum vim oſtendit; eorum miniſtros cõſtituit, ac adminiſtrationis tempus, & locum deligit; cæremonias, atque ritus in Eccleſia neceſſarios ſanxit. quæ omnia non vlla indigent probatione; cum paſſim tam apud Gratianum, quàm apud Gregorium Nonum, Bonifacium viij. Clementemq. v. & alios expreſſe videantur. Sunt & alia non pauca, vt matrimonij cauſæ, Eccleſiaſticorum beneficiorum tractatus; quæ ſola iuris canonici diſciplina docet. Ipſa quoque eſt, quæ Theologiæ plurimum cõfert auctoritatis. Quid ſunt Theologorum lucubrationes, niſi à ſacris canonibus approbentur? qui etiam ſacrarum Scripturarum volumina, ſi vera ſunt, approbant; ſin minus, vt apocrypha, reprobant, & damnant. Nec vllus liber etſi elegantiæ omnis, & ſanctitatis plenus, abſque illorum auctoritate, & conſilio imprimi, nec legi poteſt. quare dicendum eſt cap. vlt. eſſe ad ius canonicum extendendum. Illud hic admonere oportet, quòd Clemens V. *in Clem. vlt. eod.* decreuit, vt is ad quem ſpectat magiſterium, vel doctoratum tribuere, prius à candidato recipere debeat iuramentum, quòd in ſolemnitate ſua non expẽdet vltra ſummam trium millium Turonen. argenteorum. quod ſi non fecerit, etiam ſi ſit Epiſcopus, per ſex menſes à collatione magiſterij eſt ſuſpenſus.

De Iudæis, Sarracenis, & eorum ſeruis. *Tit. 6.*

POSTQVAM dixit abunde de ijs, qui rerum omnium largitorẽ Deum maxima afficiunt iniuria, veluti ſimoniaca hæreſi, qua nullum eſt ſcelus, & peccatum grauius, nullum deteſtabilius, vt ſuo loco actum eſt: inde dicere inſtituit de Iudæis, & Sarracenis, qui Omnipotenti Deo nullam, vel non eam, quã debent, venerationem adhibent. Iudæi dicebantur Hebræi: ſed cùm liberati eſſent Aegyptiorum ſeruitute, & in deſerta quadam Syriæ parte conſediſſent, amiſerunt vetus nomen Hebræi. & quia Princeps examinis eorum Iudas erat, Iudæi ſunt appellati; & terra, quam incoluere, Iudæa, vti tradit Firmianus *lib. 4. cap. 10.* Tacitus lib. 21. *Iudæi*, inquit, *Creta inſula profugos, nouiſſima Lybiæ inſedìſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Iouis pulſus, ceſſerit regnis. Argumentum e nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montem. Accolæ Idæi, aucto in barbarum morem cognomento. Iudæos vocitari quaſi Idæos, quidam regnante Iſide exundantem per Aegyptũ multitudinem ducibus Hieroſolymo, ac Iuda, proximas in terras exonerat.* Sed potius dicti ſunt à Iuda, qui quartus ex Lia Iacob filius fuit. nam Geneſ. *cap. 29.* habetur: *Quarto concepit, & peperit filium, & ait: modo confitebor Domino. & ob hoc vocauit eum Iudam.* Et 70. Interpretes, *Nunc etiam in hoc confitebor Domino. Ob id vocauit nomen eius Iudam.* Horum Iudæorum ſectã haud prohibent ſacri canones; immo eis permittitur veteres ſynagogas poſſe retinere, vel ſi corruerint, reædificare, non æque nouas cõſtituere. *cap. 3. & cap. 7.* Item circumcidere. *l. circũcidere. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Quare ad ſacrum Baptiſma

ptiſma trahendi non ſunt inuiti, nec ſine iudicio puniendi, nec rebus ſuis priuandi, nec in cœmeterijs, aut ſuis feſtiuitatibus perturbandi, nec eorum cœmeteria violanda, vel corpora exhumanda. *cap.* 9. Sed habitu debent vti tali, tam viri, quàm fœminæ, vt à Chriſtianis diſcerni poſſint. *cap.* 15. Et oſtia, atque feneſtras die veneris ſancta apertas habere non debent. *cap.* 4. Iuriſdicendi, iudicandique poteſtate fungi non poſſunt. *l. vlt. C. eod.* Neque vllo penitus publico officio præfici. nimis enim abſurdum eſt, vt blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim poteſtatis exerceat; vt diſerte ait Innocen. iij. *cap.* 16. Iudæi ad fidem conuerſi illud à Ioanne xxij. conſequuti ſunt priuilegium, vt poſteaquam ſacro baptiſmatis fonte regenerati ſunt, omnia bona, quæ ante habuere, ſine vlla prorſus moleſtia retinere poſſint, ne eorum deterior conditio foret. *cap. 2. eod. extraua. comm.* iuſte, vt interpretor, acquiſita. Sarraceni longe peiores: quamobrem non modo eorum ſecta, ſed etiam commercium eſt interdictum. Et ſi quis eis arma, ferrum, galeas, nauesvè detulerit, vel vendiderit, excommunicatur, & anathematizatur; & ſi in eorum nauibus, triremibusvè gubernationis curam geſſerit, proprijs bonis priuatur, & capientium ſeruus fit. *cap.* 6. *& cap.* 17. Sarraceni ſunt poſt Nabathæos, à Sarra, vt ait Stephanus, dicti. Sarra eſt pars Arabiæ. cuius rei auctorem laudo Plinij *lib. 6. cap.* 28. *Nabathæis*, inquit, *Thimanæos iunxerunt veteres: nunc ſunt Taueni, Suelleni, Sarraceni, Arrateni*. Sarraceni hic habentur, prout in titulo Codicis, Pagani: in hoc etiam titulo Pagani nomine pro Sarracenis vtuntur Pontifices, vt in *cap.* 10. 16. 18. Poteſt enim dici Sarracenus cultor ſimulacrorum, & dæmonum, & maxime Mahometi, vt in *clem. vnic. eod.* Ad quã ſectam ſi quis pro Euangelica veritate diſſeminãda maluerit accedere, prius habita Prælatorũ ſuorum licentia, liberã habet auctoritatẽ Apoſt. exequendi facultatem. *d. cap.* 10. Additur, *Et de eorum ſeruis*. Appellatione ſerui veniunt dumtaxat qui dominis ſubiecti ſunt. hic verò Pontifices Romani, quaſi accommodantes ſe ad communem loquendi vſum, ſerui nomen ad liberas etiam perſonas, quæ bona fide, & mercede ſeruiunt, hoc eſt, mercenarios, extenderunt. Non licet itaque Iudæis Chriſtianum mancipium habere, neque Chriſtianos ſeruientes. Nefas ſiquidem eſt religioſiſſima mancipia impiiſſimorum inquinari dominio. *l. vlt. C. Th. Ne Chriſt. manci.* vel vt ſcriptum eſt in Concilio Manticonẽſi primo, *Nefas eſt, quem Chriſtus redemit, blaſphemum Chriſti in ſeruitutis vinculis retinere.* quinimmo ſeruus ab Iudæo emptus, ſi Chriſtianus fieri deſiderat, duodecim ſolidis redimi poteſt. quòd ſi intra tres menſes vænalem nõ exhibuerit, nullo dato pretio, ad libertatem perducetur. *cap. vlt. hoc tit.* Et B. Gregorius in *Epiſt.* 35. *Epiſtolarum Regiſtrat. ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanũ*, ex qua deſcriptum eſt *cap.* 2. *ſup. de conſtit.* voluit, vt Iudæi, qui Chriſtiana mancipia emerint, intra diem quadrageſimum eos vendere teneantur. Excommunicantur tandem Chriſtiani omnes, ſi eis, vel Sarracenis, ſeu Paganis ſuas locauerint operas, ne, inquam, eorum filios nutriant, nevè domi ſeruiant. Adſcriptitijs autem, qui & liberi ſunt, in illorum prædijs remanere conceſſum eſt. *cap.* 2.

De Hæreticis. *Tit.* 7.

RECTE datur titulus hic. cũ enim in ſuperiori dictum ſit de Iſs, qui nati, ac alti videntur in falſa religione; nunc apte de ijs, qui cũ in vera, & catholica religione nutriti eſſent, ob quandam animi duritiem, aut obſtinationem potius, in hæreticorum pernicie ſunt lapſi, ita vt fidei certitudinem non habeãt, vt hic ait Stephanus Papa. *Namque hæreticus*, vt ait *l. 1. C. eod. eſt, qui leui argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite detectus fuerit deuiare;* ſeu, vt Auguſtinus tradit in *lib. de vtilitate credendi*, eſt, *qui alicuius temporalis commodi, & maxime vanæ gloriæ, principatusque ſui gratia, falſas, ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur*. Balſamon verò apud *Photium tit.* 12. Hæreticos dicit omnes eſſe, *qui ſacramentis quæ dantur à ſacerdotibus, in Dei Eccleſia non communicant*. Hæreſis Græce dicitur, auctore B. Hieronymo ab electione, quòd ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. *cap. hæreſis. 24. q. 3.* Et non ſolum ipſi, verum etiam eorum erroribus credẽtes hæretici ſunt. qui omnes ad fidem redire nolentes, in perpetuo carcere ad agendam pœnitentiam detruduntur, & omni beneficio priuantur, ac eorum bona fiſco aſſignantur. *cap.* 10. etiam ſi filios habent catholicos: in Eccleſiæ videlicet iuriſdictione Eccleſiæ fiſco applicantur, in Imperiali fiſco ſeculari. ſi clerici ſunt, degradentur. *cap.* 9. & eorum bona Eccleſijs, quibus præerãt, tradantur. *cap.* 13. §. 1. Tum per Eccleſiam damnati, ſeculari foro relinquuntur. Ipſis ita damnatis, damnantur & eorum libri, & quicquid ſcripſerint. *cap.* 4. Hærencorum verò receptores, fautores, defenſores, aduocati, tabelliones, & omnes, qui eis conſilium, auxilium, fauorem præſtant, infamia notantur, excommunicantur, ab officio ſuſpenduntur. Immo Epiſcopus hæreticos inſtituens, etiam poſt mortem anathematizatur, nec inter Dei ſacerdotes vnquam connumeratur. Nec hæretici aliquid ex teſtamento

capere

capere poſſunt.c.4. nã, vt diſerte Balſamon ſcribit, *Teſtamentum vt contra leges factum, irritũ eſſe, & hæredes hæreticos nihil ex eo capere poſſe.* Datur quoque hoc titulo crucis charactere ſignatis idem priuilegium, quo gaudent ij, qui in Terræ ſanctæ ſubſidium accedunt, quò facilius ſe ad exterminãdos hæreticos accingant.*cap.*15. §. *catholici.* Videmus & hic appellatione hæreticorum venire laicos, qui prædicant: quia ſecundum Apoſt. *Epheſ.* 3. *alios Dominus dedit Apoſtolos, alios prophetas, alios autem doctores.* Cùm ergo Doctorum ordo ſit quaſi præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quiſque indifferenter prædicationis officium vſurpare. etenim, vt idem Apoſt. *ad Rom.*10. nobis ſcriptum reliquit, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Laicis igitur cuiuſcumque profeſſionis ſint, atque gradus, prædicare, occulta conuenticula facere, ſacerdotesvè reprehendere interdicitur. *cap.* 12. & *cap.*14. & Epiſcopi id negligentes, ab Epiſcopali dignitate remouentur. de ijs fuſius *eod. in ſex.*

De ſchiſmaticis, & ordinatis ab eis. *Tit.* 8.

MERITO hic ſequitur titulus: quia etſi ſchiſma hæreſis non ſit, plerumque tamen in hæreſim vertitur, vt de ſchiſmate Donatiſtarũ ſcribitur in *l.*4. *C.Th. ne ſacr. bapt. iter.* de quibus etiam loquens Auguſtinus ait, *In hæreſim ſchiſma verterũt.*& Hieronymus in Epiſtola ad Titum.cap.3. *Nullum ſchiſma*, inquit, *non ſibi aliquam hæreſim confingit, vt recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* Inter hæreſim tamen, & ſchiſma hoc intereſt, quòd hæreſis ab initio peruerſum dogma habet; nõ autem ſchiſma; ſed tandem definit in hæreſim. *can. inter* 24.*quæſt.*3. Schiſma eſt ab vnitate deceſſio. Hinc ſchiſmatici, qui ab vnitate catholicæ Eccleſiæ ſunt diuulſi. Nam cùm vna ſit Eccleſia, de qua in Canticis Canticorum 6. dicitur: *Vna eſt columba mea:* nullam aliam eſſe conſtat, niſi quæ in Apoſtolica radice eſt fundata: à qua ipſam fidem per vniuerſum terrarum orbem propagatam eſſe nemo poteſt dubitare, vt dicit Pelagius Papa in *cap. pudenda.* 34.*q.* 1. Haud vllus etiam dubitare debet, ſchiſmaticum omnem, veluti hæreticum, niſi ad vnitatem Eccleſiæ reuertatur, ad æterni ignis incendium damnari, teſte B. Auguſtino de fide Catholica, ex quo cap.3. tituli ſuperioris eſt deſumptum. Lactãtius *lib.*4. *cap.vlt. Sola*, inquit, *Catholica Eccleſia eſt, quæ verum retinet cultum; hic eſt fons veritatis, hoc domicilium Dei, hoc templum Dei: quod ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exierit, à ſpe vitæ, & ſalutis æternæ alienus eſt.* idem Innocen.iij.in *cap.*1. §. *vlt. ſupr. de ſumm. Trinit.* His ſtantibus, facta fuit huius tituli ſecũda pars, Vt ordinationes, beneficiorum collationes, & Eccleſiaſticarum rerum alienationes per ipſos ſchiſmaticos factæ, nullæ prorſus eſſent. immo à dignitate, & ordine ſuſpenderentur, qui ſponte tenere ſchiſma iurarunt.

De Apoſtatis, & reiterantibus baptiſma. *Tit.* 9.

QVEMADMODVM ex ſchiſmate inciditur in hæreſim, ſic ex ſchiſmate, atque hæreſi ſæpe in Apoſtaſiam. Eſt enim Apoſtaſia, temeraria à fidei ſtatu receſsio: ſic Apoſtatæ tranſgreſſores ſponte legis ſuæ, eiuſq. violatores ab Anacleto appellantur in *cap. beatus.* 3.*q.*4. Sed animaduertere oportet, quòd licet tituli huius inſcriptio generalis ſit, capita tamen ei inſerta hanc Apoſtaſiam non comprehendunt. quare definitioni huic addere poſſumus, quòd ſit temeraria à fidei, obedientiæ, & religionis ſtatu receſsio. Triplex enim eſt Apoſtaſia, perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis. Perfidiæ eſt; cùm quis à tramite Chriſtianæ fidei declinat, vt ſi ex Chriſtiano fit Iudæus, vel Paganus, vel Sarracenus, vti Iulianus apoſtata. *c.non poteſt.*2.*q.*1.*& toto tit. C.eod.* Iſti poſt mortem intra quinquennium, & viui à quolibet, & perpetuò poſſunt accuſari.*l.*2.*et* 4.*C.eod.* In eiſq. hoc proprium eſt, vt eorum flagitia pœnitentiæ non obliterentur. *l.*3. *C.eod.* At ſi pœnitentiam egerint, eos in alio ſeculo gratiam conſecuturos haud dubito: exemplo Apoſtolorum Principis: de cuius fide id ſcribit Ambroſius ſerm. 47. *Fidelior factus eſt Petrus, poſtquàm fidem ſe perdidiſſe deſſeuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amiſit.* Idem in *can. conſiderandum. cum ſeq. diſt.*50. Facit & *cap. à nobis. infr. de ſent. excom.* Inobedientiæ eſt, qua quis ſponte præcepta tranſgreditur, & ſacris canonibus obedire contemnit. *cap. alieni.*3.*q.*4. *cap.*2. *ſup. de maior. & obed.* Irregularitatis, cùm quis à ſtatu profeſſæ religionis, reiecto habitu, diſcedit; qui & Apoſtata dicitur, quaſi à fide religionis recedat; cui in laicali habitu permanere permitti non debet, ſed incarcerari, vt vita dumtaxat miſera ei reſeruetur. *cap.* 5. ad quod reſpicere videntur verba, quæ penes Burchar. in *cap.6. ſupr. de vit. & honeſt. cler.* leguntur: *Quem autem progenitores ad monaſterium tradiderunt, & in Eccleſia cœpit cantare, & legere: nec vxorem ducere, nec monaſterium deſerere poterit: ſed ſi diſceſſerit, reducatur. Si tonſuram dimiſerit, rurſus tondeatur: vxorem ſi vſurpauerit, dimittere cõpellatur.* Additur, *De reiterantibus baptiſma*, quaſi reiterantes

rantes baptiſma Apoſtatæ ſint. *Lapſis etenim*, (ait *l. 3. C. eod.*) *& errantibus ſubuenitur, perditis verò* (hoc eſt ſacroſanctum baptiſma profanantibus) *nullo remedio*. illi ſunt hæretici, vti Accurſius eleganter adnotauit: perditi ſunt Apoſtatæ.

De ijs, qui filios occiderunt. *Tit.* 10.

SATIS ſuperq. dictum eſt de crimine eorum, qui à Chriſtiana religione ad nouas, & profanas ſectas adeuntes Deum offendunt maxime. Conſequens eſt dicere de ijs, qui proprios filios occiderunt, vtpote quod naturæ præceptis aduerſetur prorſus; *Si quidem natura*, vti ait Cicero 4. de finib. *id tributum eſt, vt ij, qui procreati eſſent, à procreatoribus amarentur; quod & fera ipſa obſeruant.* Qui igitur filium occident, vel patrem, matremve: parricidij pœna punietur: ſcilicet ex Conſtantini conſtitutione *l. vnica. C. eod.* vt inſutus culleo, cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, in mare, vel in amnem proiectus vitam amitteret. quod genus pœnæ vſu apud antiquos receptum fuiſſe auctor eſt Cicero *pro Sex. Roſc. Am.* non æque apud Græcos: nam cum interrogatus eſſet Solon, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui patrem necaſſet: reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Attamen Alexander iij. Chriſti veſtigijs inhærens, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur. *cau. agnouimus. 26. q. 6.* mulierem ſponte occidentẽ filium in monaſterium detrudi iuſſit, vt perpetuò pœniteat. & ſi timetur de incontinentia, datur etiam facultas nubendi; ſed imponitur alia pœnitentia, quemadmodum nuptæ. *cap. 2.* Pro ſuffocatis inconſiderate à patre, vel à matre, eis trium annorũ pœnitentia indicitur; quorum vnum peragere tenentur in pane, & aqua, quibus certe indulgere videntur ſacri canones; moti quodammodo ex illo eleganti Tullij loco pro Roſc. *Mihi nam vim, magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionẽ paternus maternusq. ſanguis.* vel vt Zepherinus in *cap. ad Romanam. 2. q. 6. non poteſt, nec debet mater obliuiſci filium ſuum*. vel vt in *l. 1. in fine. C. de proc. fur. Omnem affectum vincit paternus*. Ego tamen eos rogatos velim, vt dum paruulos habent liberos, proſpiciant, vt illorum ſolicitudo & infantia, quàm firmiſſimo præſidio munita ſit.

De infantibus, & languidis expoſitis. *Tit.* 11.

HIC titulus pertinet etiam ad patris immanitatem: necare enim videntur, vt ait Paulus *l. necare. ff. de lib. agnoſc.* non modo ij, qui partum præfocant, verum & ij, qui abijciunt, & alimoniam ei denegant; & ij, qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponunt, quam ipſi non habent. Quare Ambroſius *lib. offic. primo* de languidis dicit: *Paſce fame morientem: quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteris, ſi non paueris, fame occidiſti. can. paſce. 86. diſt.* Expoſiti videntur, qui extra abijciuntur, vti ex Pauli verbis datur intelligi. *d. l. necare.* Hìc verò obſeruare oportet, quòd titulus hic, quamuis de infantibus, & languidis expoſitis dumtaxat habeat, non eſt minus generalis, quã ille Codicis, qui habet, *De infantibus, expoſitis, liberis, & ſeruis, & de ijs, qui ſanguinolentos empſos, vel nutriendos acceperunt*. Nam ex hac Gregorij ix. conſtitutione, qui eos ſuſcipiunt, non poſſunt in eorum perſonis ius aliquod vendicare, nec dominium, nec patronatum, nec patriam poteſtatem: quia & liberi erunt, & ſibi adquirent; vt etiam in *l. vlt. §. ſcimus. C. eod.* In ipſis quoque expoſitis & pater, & dominus, & patronus ius omne ſuum amittit: & ipſi iuris ſui ſunt, & omni gaudent libertate, & ingenuitate: etenim habiti ſunt quodammodo pro derelictis.

De homicidio voluntario, & caſuali. *Tit.* 12.

PROPOSITIS quibuſdam homicidij ſpeciebus, generalẽ dat nobis titulum de homicidio, quod committitur vel voluntate, vel caſu. qui illius rei erũt, ab altari remouentur, & interficiuntur; qui iſtius, non æque: quia nullus ineſt dolus. ea enim, quæ ex improuiſo caſu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ, imputantur. *l. 1. & l. ij. qui. C. ad l. Cornel. de ſicar.* Vel ſi vitæ ſuæ tuendę cauſa, cùm aliter ſe tueri minus poſſet, *c. 2.* latronem occiderit, vel furem nocturnum. *Nam ſi oritur Sol*, vt in Exodo habetur *ſuper eum, reus erit; quia diſcernere poterat*, vt B. Auguſt. in cap. 3. interpretatur, *quòd ad furandum, non ad occidendum veniſſet.* & ideo non debet occidi; quod & lex. 12. tabularum ſanxiſſe videtur, vt auctor eſt Gaius in *l. 4. ff. ad leg. Aquil.* Tenetur quoque vt homicida, licet non occiderit, qui facit, vel dat, ſortilegia, aut venena ſterilitatis. *cap. 5.* quique animo occidendi aliquẽ ſociatur. *c. 6. §. illi.* ſi ex ſua

cauſa mors ſequuta eſt; vel ſi ad homicidium inuitat, etſi minori plectatur pœna. *d. cap. 6. §. qui.* ſicut ſarcinas occidentium cuſtodiens. *d. cap. 6. §. ſi quoque*. Nec non qui aliquem lethaliter occiderit, quamuis ab alijs fuerit extinctus. *c. 18.* Mandauti quoque aliquem verberari, ſequuta mors imputatur. *cap. vlt. eod. in ſexto*. Ex quo cap. admonemur etiam pœnam irregularitatis euadere clericos, ſi de ſuis malefactoribus coram ſeculari iudice etiam de criminibus, ex quibus irrogatur pœna ſanguinis, fuerint conqueſti, ſi proteſtati fuerint, quo ad pœnam ſanguinis non conqueri. Item ei, qui morti auxilium, fauorem, conſiliumvè præſtiterit. *d. cap. 6. §. vlt.* Item ei, qui abortioni cautam dedit, ſi conceptus iam erat viuificatus. *cap. ſicut. hoc tit. & cap. Moyſes. 32. q. 2.* Viuificatum ex Hippocrate interpretor, ſeruato naturæ ordine, qui trigeſimũ diem in vtero agit, in maſculo ſcilicet; in fœmina, vt articulata ſit, & configurationem habeat, deſiderantur quadraginta duo. eiuſdem rei rationem reddit idem Hippocrates lib. de natura pueri, & libr. de ſeptimeſtri partu, fere ab initio. Iſti autem omnes, quanquam vere homicidæ dici nequeant, ad ſacros ordines promoueri non poſſunt, ſed promoti ſuſpenduntur, vt pœniteant. Admonentur tamen iudices in *cap. ſicut dignum. huius tituli.* in imponenda pœnitentia debere attendere circumſtantias, nempe delicti quantitatem, qualitatem, ætatem, ſcientiam, ſexum, conditionem, locum, & tempus, ex quibus vel augetur, vel minuitur delictum. Si verò homicidium caſu contigerit, aut ex re licita, aut ex illicita eſt ſequutum. ſi ex hac, vt homicida punitur: ſi ex illa, aut diligentiam adhibuit, vel ſecus. ſi non adhibuit, ab officio ſuſpenditur. *cap. 6. 8. & 12.* quaſi ſit in culpa.

De torneamentis. *Tit.* 13.

TORNEAMENTA minus antiquo vocabulo dicũtur ludi equeſtres, ſiue alij armorum, ſiue certaminum. Eiuſmodi ludos equeſtres quidem ab Aſcanio Iulo Aeneæ filio, & ab Albanis hunc ad Romanos ludorum morem, atque ad noſtra tempore defluxiſſe credendum eſt. Nam Virgilius lib. 5. Aeneidos, recenſitis ijs, quæ de huiuſmodi ludis fecerat Aſcanius, ſubiungit:

Hunc morem, curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes,
Albani docuere ſuos. hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem,
Troiaq. nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Ideo Troiani ludi dicebantur: & à pueris tantum maioribus, & minoribus in circo celebrantur. Suetonius in Dictatore: *Troiam luſit turma duplex maiorum, minorumq. puerorum.* Idem in Tiberio. idẽ in Claudio. Cornelius Tacitus lib. 11. *Sedente*, inquit, *Claudio Circẽſibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent*. &c. ſed corrupta voce, Torneamenta tandem dicta eſſe à Teutonicis primum auctor eſt Vuolfangus Lazius *lib. 10. Coment. Reip. Rom. cap. 2.* Sed in hoc differunt à veteri Troiano ludicro, quòd non ſolum pueri, ſed viri etiam hodie certant. neque aperto capite, coronatoq., ſed caſſide tecto certamen initur. immo hodie vernacula lingua proprie pedeſtres ludi torneamenta dicuntur. Et vſurpantur in communi lætitia, vt victoria, nuptijs, aduentuq. Principum. Verum quoniã ex ijs quandoq. ſequitur mors, voluerunt Rom. Antiſtites, vt facilius animarũ euitare poſſent pericula, eis, qui in huiuſmodi ludis mortẽ obirent, Eccleſiaſticam ſepulturã eſſe denegandam: licet pœnitentia eis non denegetur. Ijs autem, qui hęc videndi gratia adſunt, & caſu obeũt, ſi Euchariſtiam ſuſceperint, & ſacri olei fuerint vnctione deliniti, ex diſpenſatione datur Eccleſiaſtica ſepultura. Sed quia hæ de torneamentis conſtitutiones interdum plus damni, quàm vtilitatis afferre viſæ ſunt, ideo Ioannes xxii. in extrauag. eod. eas reuocauit; & illa exercentes in excommunicationis, & interdicti ſententias incurrere minus voluit.

De clericis pugnantibus in duello. *Tit.* 14.

HIc titulus & ſi inſcribitur tantum de clericis: eum tamen extendẽdum eſſe ad omnes non dubito, cùm iure noſtro Monomachiam omnem prohiberi conſtet. *c. monomachiam. 2. q. 4.* etiam iure ciuili; quod Alciatus & ipſe fatetur: quam prohibitionem ſubinde confirmauit ſancta Trident. Synodus *ſeſſ. 25. cap. 19.* voluitq. Imp. Reges, Principes, & omnes temporales dominos, qui locum ad monomachiam conceſſerint, eo ipſo excommunicari, & alijs affici pœnis. *Sanè hæc, & huiuſmodi alia ſectantes, Deum ſolummodo*, vt ait Nicolaus Papa, *videntur tentare*. Hic igitur titulus non ſolùm habet locum in clerico, ſed etiam in laico. nam, ſi laicus in duello pugnauerit, deinde clericus efficiatur, ad beneficiã obtinenda fit inhabilis. *deciſ. 63. Dinerſ. par. 3. lib. 1.* Etſi nec clericus, nec laicus qui efficitur clericus, redditur inhabilis, niſi ſequatur mors, vel membri mutilatio, licet in duello fuerit vulneratus. *deciſ. 64. eod. lib. 1.*

qua

qua de re videnda eſt *deciſio 99.ead.par.3.lib.2.* Duellum eſt ſingulare certamen, quod veteres Græci monomachiam appellarunt. noſtri luriſconſulti, quos hic Pontifices ſequi videntur, duellum dixere, quaſi duorum bellum ſit: cùm apud antiquos duellum tranſmutatione litterarum ſimpliciter diceretur, quod nunc bellum eſt. cuius rei auctorem habeo Ciceronem de Orat. *Antiqui*, inquit, *nomina contrahebant, quo eſſent aptiora, vt duellum bellum*. Et Varro lib. de ling. Lat. 6. *Perduellum duellum, id poſtea bellum*. quod in meis Pomeridianis Seſſionibus interdum obſeruaui. Hinc & perduellionis crimen in lege xij. tab. nuncupatur, cùm quicquã hoſtile aduerſus rempub. eiusvè ſecuritatem geſtum eſt. ad Herennium: *Qui perduellionibus vindicat patriam*. Clericus igitur, qui alicui ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit; ſiue victor, ſiue victus fuerit, de rigore iuris, eſt deponendus. Ex hoc duello tamen nec morte, nec membrorum diminutione ſequuta, ab Epiſcopo ſuo poterit diſpenſari. quemadmodum & is, qui enſem, vel pugionem, aliavè arma ad aliquem occidendum conceſſerit, qui nihilominus ad obtinendum beneficium miſericorditer poterit diſpenſari.

De ſagittarijs. *Tit.* 15.

HAEC eſt etiam duelli ſpecies, quę inter Chriſtianos exerceri ſub anathemate interdicitur: cùm ex ea ſæpe hominum mortes, & animarum pericula proueniant. Sagittarij ſunt, qui ſagittas ex arcu emittunt. Additur in textu, *& Balliſtariorum*, quaſi à Sagittarijs differant. qui mihi differre videntur inſtrumento. Porrò illi arcu ſimplici vtuntur, illi balliſta. Balliſtæ erant maxima tormenta bellica, quibus iaciebantur magna ſaxa; vt docet Vitr. *lib.10.cap.18.* propter tamen ſimilitudinem arcus balliſtæ poſtremis temporibus Latinæ linguæ, arcus cum manubrio videntur cœpti appellari balliſtæ.

De adulterijs, & ſtupro. *Tit.* 16.

AB homicidio tranſit ad crimen adulterij, quòd ei ſit coniunctiſſimum. Qui adulterat, quodammodo occidit. Adulterare eſt omne omnino ſyncerum corrumpere. Sic Tryphoninus in *l.fugitiuus. ff. de verbor. ſignific.* Adulterum definit, *qui alienam matremfamilias corrumpit*. Adulterium igitur innuptam committitur propter partum ex altero conceptum; ſeu, vt Feſtus lib. 1. ſcribit ex eo, quod ad alterius thorum accedat. Verum quoniam adulterium non re modo, ſed & mente committi dicitur: aliter poterit definiri, vt ſit coitus ſeu mentalis, ſeu realis per quem alterius thorus violatur. *cap. non ſolum.32. quæſt.7. cap. lex illa. 36. quæſt. 1. l. inter. §. 1. ff. de adult. l. inter ſtuprum. ff. de verb. ſignif.* D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 4.* Lactantius *lib. 6. cap. 23.* qui inquit, *Non tantum adulterium eſt vitandum, verumetiam cogitatio, ne quis aſpiciat alienam, & animo concupiſcat: adulteram enim fieri mentem, ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit. Mens enim eſt profectò, quæ peccat, quæ immoderata libidinis fructum cogitatione complectitur. In hac crimen eſt, in hac omne delictum. Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt, vbi conſcientiam cupiditas inquinauit.* vnde apud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et ſtupro. Stuprum eſt, quod in virginem, vel mulierem vacantem, ideſt viduam, committitur: quamuis his verbis lex Iulia de adulterijs promiſcue vtatur. *l. inter liberas. ff. ad leg. Iuliam. de adult. d.l. inter ſtuprum. ff. de verbor. ſignifi. at.* Qui virginis florem delibat, eam dotare, in vxoremq. habere, volente virginis patre, compelletur. *cap. 1.* Ita lex Attica mulctabat, vt vel duceret ſtuprator, vel dotaret puellam. lex Moſaica, vt dotaret, ac ſimul duceret. *Deuter. cap. 22.* Quòd ſi ſtuprator renuerit, plectetur corporali pœna. *cap. 2.* & excommunicatus in monaſterium, in quo pœnitentiam agat, detrudetur. De adulterij crimine accuſare potius marito conceditur. *cap. 4.* qua de re diximus *lib. 4. tit. 18.* qui ob ſolam ſuſpicionem poteſt accuſare mulierẽ, quæ peracta pœnitentia ad ipſum debet reuerti. Viro tamen, atque vxore adulterium inuicem committentibus, cauſam repudij vterque videtur dediſſe. quod ita accipi debet, vt ea lege, quam ambo contempſerunt, neuter vindicetur: vt neuter conſortium declinet. Paria enim crimina mutua compenſatione diſſoluuntur. *cap. vlt. & l. viro. 40. ff. ſolut. matrim.*

Monemur & illud hic, quod Eccleſia, in qua crimen ipſius adulterij patratum eſt, per aquæ aſperſionem debet reconciliari *cap. 5.*

*

De raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum. *Tit.* 17.

RAPTORES generaliter ſunt, qui per raptum aliquid auferunt: in ſpecie verò plerumque, qui virgines rapiũt, vt in *tit. de raptu virginum. C.* & in *cap. penult. & vlt. huius tituli.* etiam qui vacantem mulierem, vel nuptam rapiunt, tenentur raptus crimine. *l. qui cætu. ff. ad l. Iul. de vi publ.* vel ſacratiſſimas Virgines, quas vulgo moniales vocant. *c. ſi quis. 36. q. 2. l. 1. C. de Epiſc. & cler.* ſic raptus dicitur ab Iſidoro illicitus coitus, à corrumpendo dictus. Vnde qui raptu potitur, ſtupro fruitur. *c. raptus. 27. q. 2.* Ille tamen minus vere raptor dicitur, cui virgo, vt raperetur, conſenſit. *d. cap. penult.* ſi non conſenſit, ſtatim liberatur, & redditur parentibus, & raptor ſeruus fit. *c. de raptoribus. 36. q. 1.* Interim puella conſentiens cum raptore, inire poterit matrimonium. *d. cap. vlt.* ſi in loco tuto, ac libero fuerit conſtituta, nam quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe cõſiſtere matrimonium ſancta quoque Tridentina ſynodus decreuit in *cap. 6 ſeſſ. 24. de reform. matr.* Dicuntur & raptores, & violatores, qui fideles ex iuſta cauſa nauigantes, vel naufragium patientes ſpoliant. *cap.* 3. qui niſi reſtituerint, excommunicati ſunt: & ſi bona ab Eccleſia ablata, in vita, non reſtituerint, vel de reſtituendis non cauerint, morientibus denegatur ſepultura, & alia, de quibus in *cap.* 2. Neque clerici ab ipſis eleemoſynam capere, neque eorum intereſſe ſepulturæ debent. ſi interfuerint, aut pœnitentiam injunxerint, deponuntur & ab officio, & beneficio. Eſt etiam de incendiarijs. Incendiarius verò Eccleſiæ in mortis articulo pœnitens, & abſolutus in cœmeterio poterit ſepeliri. ſed hæredes iuxta defuncti facultates ſatisfacere tenentur. *cap.* 5. Iſtos omnes raptores, incendarios, & violatores extra proprium territoriũ puniri conſtat ex *cap.* 1. Intelligimus etiam ex hoc titulo Eccleſiarum Prælatos ex Principis delegatione de illis omnibus poſſe ius dicere, ac iudicare, eosq. mulctare, & flagellis afficere, non autem pœnam ſanguinis infligere. *cap.* 4. non quia merum imperium non poſſit mandari, vt male noſtri arbitrati ſunt, ſed quoniam ijs, à quibus Domini ſacramenta ſunt tractanda, iudicium ſanguinis agitare non licet. *c. bis à quibus cum ſeq.* 23. *q.* 8.

De furtis. *Tit.* 18.

TITVLVS iſte generalis eſt, qui non abs re vicinitatem tituli de rapt. ſequitur. Porrò furti nomine bene intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. *Non enim rapinam permiſit*, vti D. Auguſtinus libr. quæſt. Exodi teſtatur, *qui furtum prohibuit: ſed vtique in lege veteris teſtamenti, & rapinam intelligi voluit (namque à parte totam ſignificauit) quicquid illicite rerum proximi auferetur. cap. pœnale. 14. quæſt.* 5. Eſt ergo furtum *contrectatio poſſeſſionis fraudulosa rei mobilis, lucri faciendi gratia*. Dico *poſſeſſionis*: ſolius enim poſſeſſionis furtum fit. *leg.* 1. §. *Scæuola. ff. ſi is, qui teſt. lib.* Qui rem alienam, quam non tenet, aufert, poſſeſſionis furtum facit. Neque obſtat, quod ſcribit Paulus Iuriſconſul. in *l.* 1. *ff. eod.* vt furtum etiam vſus fiat, quia Commodatarius, qui re commodata diutius vtitur, vel ea ad aliud, atque accepit vtitur, furtum vſus facit, hoc eſt naturalis poſſeſſionis; quemadmodum debitor, qui pignus contrectat, vel hypothecam diſtrahit. Depoſitarius verò, ſi pro ſuo poſſidere inſtituit eam rem, quam iure depoſiti tenet, ciuilis poſſeſſionis furtum facit. Dixi *contrectatio fraudulosa*: id namque neque fraude fit, neque contrectatione ſola, ſed contrectatione fraudulosa. Fraus in eo vertitur, vt quis rem ſibi alienam habeat; Contrectatio in eo, vt res loco ſommoueatur. *l.* 3. §. *ſi rem. de acquiren. poſſeſſ. Lucri faciendi gratia*; quia qui animo non lucrandi cauſa rem contrectat, furtum non committit. *l. falſus.* §. *qui alienum. l. qui ea mente. ff. eod.* & paſſim. Pœna furti eſt, vt qui hominem furatur, & vendiderit, conuictus morte moriatur. *cap.* 1. quòd iam olim etiam ciuili iure prohibitum eſt, ne ciuis Romanus pro ſeruo væneat, auctore Apuleio 8. Metamor. *Crimen*, ait, *Cornelia legis incurram, ſi ciuem Romanum vendidero.* venditio autem ciuis Romani plagium eſt. *l.* 12. *C. de ingenu. manumiſſ. l.* 1. *C. vbi de crimin. agi oport.* Item furi, atque latroni (eſt enim manifeſta differentia inter latronem, & furem. *l. cùm duobus.* 52. §. *damna. ff. pro ſoc.*) in furando, & depredando interemptis denegantur omnia Eccleſiæ ſuffragia; non atque, ſi peccata ſua confiteri potuerint. Furi verò non manifeſto (conſtat ſiquidem furem & manifeſtũ eſſe, & nec manifeſtum. *l.* 2. *cum ſeq. ff. eod.*) reddita re furto ſubtracta, pœnitentiaq. peracta, ſacri ordines conferri poſſunt; vt ait Alexan. iij. in calce tituli. Et, qui ob neceſsitatẽ famis, ſeu nuditatis, cibaria, aut veſtem furatus fuerit, tribus hebdomadibus iniungitur pœnitentia; ſi reddiderit, iciunare non cogitur. *cap.* 3. cùm in neceſſitatibus

ſtratibus omnia ſint communia. *arg. can.* 1. 42. *diſtin. cap.* 2. 12. *q.* 1. & *cap. quod autem.* 24. q. 7. cui nihilominus modica imponitur pœnitentia. Item qui furto conſentit, & furti reus eſt; & ideo pari ferme plectitur pœna.

De vſuris. *Tit. 19.*

DIvvs Ambroſius libro de bono mortis *cap.* 12. ex quo *can. ſi quis vſuram.* 14. *q.* 2. deſcriptus eſt; *Si quis*, inquit, *vſuram accipit, rapinam facit: vita non viuit.* & Auguſtinus ad Macedonium Epiſt. 54. *An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore?* & idem Ambroſius lib. de Tobia cap. 15. *Sine ferro dimicat, qui vſuras flagitat.* Huc etiam pertinet lepidum illud Catonis dictum apud Ciceronem lib. offi. 2. in fin. poſt multa interroganti cuidam. *Quid fœnus exercere?* reſpondit, *Quid hominem necare?* Quare mirum non eſt, ſi hic ſuperioribus titulis annectitur. *Eſt vſura*, vt ait Ambroſius. cap. plerique 14. q. 3. *quicquid accedit ſorti.* eandem videtur definitionem dediſſe Imp. in *l.* 2. *C. de pign. act.* & Vrbanus iij. in *cap. conſuluit.* ex Ezechiel. cap. 18. *Omnis vſura, & ſuperabundantia prohibetur.* Superabundantiam interpretor, quod ſortem excedit. Quicquid igitur ſorti accedit, cùm vſura ſit, nullo pacto Eccleſiaſticis, Laicisvè exigi permittitur; neque proprio opere *cap.* 4. ſed exactum reſtituitur, etiam ab Hebræis. & ſi moniti non deſiſtent, ſi clerici ſunt, ab officio & beneficio ſuſpenduntur; ſi laici, excommunicantur. *cap.* 7. eſt etenim adeo odioſa, vt nec locari domos ad eam exercendã voluerit Gregorius x. in *cap.* 1. *in ſexto.* quinimmo facientes, dictantes, vel ſcribentes ſtatuta ſuper vſuris ſoluendis, vel non repetendis, & huiuſmodi alijs, & illa obſeruantes, excommunicantur. Eſt & illud ſingulare, quòd fœneratores in cauſis vſurarum edere coguntur libros rationum ſuarum. *Clemen. vnic. eod.* Quòd ſi manifeſti fuerint vſurarij, ad altaris communionem, Eccleſiaſticam ſepulturam, & oblationem offerendã admitti nequeũt. *cap.* 3. contra facientes clerici puniuntur. & licet mandauerint vſuras reſtitui, Eccleſiaſtica tamen denegabitur ſepultura, niſi primo ſatisfiat, vel idonee caueatur. & teſtamenta ipſorum aliter facta non valent. *cap.* 2. *eod. in ſexto.* immo eis mortuis, tenentur hæredes tam ſui, quàm extranei vſuras per ipſos defunctos extortas reſtituere. *cap.* 9. non extantibus facultatibus, debẽt poſſeſſiones emptæ ex pecunia fœnebri vendi, & debentibus recipere, ſatisfieri. *cap.* 5. Conuictus de ipſa vſura per famam, vel alia argumenta, tãquam manifeſtus compeſcitur. *cap.* 15. Varijs modis committitur vſura: vt ſi fructus rei pignoratæ non computentur in ſortem, excepto marito, quippe qui pro dote promiſſa pignus recipiens, fructus in ſortem computare minus tenetur. *cap.* 16. quia fructus dotis cedunt lucro marito propter onera matrimonij. *l. pro oneribus. C. de iure dotium.* Item cùm quis rem maiori, quàm valet, pretio vendit, quia ſolutionem differt: niſi dubium ſit, an ſolutionis tempore erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit. *cap.* 6. *& cap. vlt.* Neque emptor rei minori pretio quàm par eſt, vſurarius habebitur, ſi veriſimiliter dubitetur, an tempore ſolutionis plus, aut minus res ſit valitura: non item ſi certior fuerit. Ob id ſcitum eſt regulariter, vt ſolutas vſuras quiſque poſſit repetere, etiam non obſtante iuramento de non repetendis præſtito. *cap.* 13. Sed regula iſta patitur exceptionem: ſiquidem vſurarius non auditur vſuras repetens, niſi prius reſtituat extortas. *cap.* 14. *& cap.* 17. *hoc tit.* quoniam fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legem. *cap. an ſit. & cap. conſtitutis. ſup. de appell. l. iſti quidem. ff. de quod met. cauſ.* Illud hìc non videtur prætereundum, ſcilicet quòd Rom. Pontifices promiſcue vtuntur his nominibus, vſura, & fœnus. quia quandoque vſura non prohibetur, ſi ad alium contractum præter ſortem aliquid officio iudicis, non lucri cauſa accedat. quod creditor propter debitoris moram conſequitur, vſura eſt, non fœnus, & æquiſsima. fœnus odioſum, propter lucri auiditatem, & ab æquitate diſcrepat aliquanto: non item vſura illa: alioquin melior eſſet conditio debitoris, quàm creditoris, quia locupletior fieret creditoris iactura debitor, contra *l. nam hoc. ff. de condit. indeb.* Nam hoc natura æquum eſt, neminem alterius iactura locupletiorem fieri. *Fœnus autem ex mali fœditate*, aſtipulante D. Baſilio in Orat. de diuitijs, *nomen accepit. vel fortaſſis fœnus dicitur, ob eos dolores, ac moleſtias, quas animis eorum, qui mutuũ ad vſuram acceperunt, afferre ſoleat. ſicut enim dolor parturienti, ſic præſcriptum tempus debitori inſtat. Fœnus ex fœnore, malorum parentum praua ſoboles. Ferunt viperas, materno vtero perroſo, partum edere: pari ratione etiam fœnus, eroſis, ac conſumptis debitorum ædibus, generatur. ſemina temporis progreſſione naſcuntur, animantia etiam tempore perficiuntur: fœnus verò ſimul ac generatur, ſimul etiam parere incipit. Omnes res, quæ creſcunt, vbi iuſtam, ac ſibi propriam magnitudinem attigerint, augeſcere deſinunt: ſed fœneratitia pecunia omni tempore accreſcit.* Vſuras etiam damnat, & deteſtatur Ariſtoteles *Polit.* 4. *c.* 7.

De crimine falſi. *Tit. 20.*

IAM de crimine falſi: *Non facietis*, inquit Dominus Leuit. 19. *furtum, non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Prohibetur autem hoc præcepto non ſolum falſum teſtimonium, Sed deteſtabilis omnis omnino falſitas, ex qua alteri incommodum, aut detrimentum poteſt afferri. Sic ſummi Rom. Antiſtites, qui ſemper Dei præ oculis præcepta habent, hoc titulo voluerunt omnem prorſus falſitatem comprehendi: non modo eum, qui falſo teſtatur, ſed qui ſigno, annulove adulterino, vel, vt noſtri loquuntur, ſigillo falſo, vtitur, falſasq. litteras. in hunc grauiſſimam etiam pœnam conſtituerunt veteres. Cicero pro Flac. *Pœna falſarum, & corruptarum litterarum grauis eſt.* Hunc quoque titulum extendi ad ea arbitror, quæ in tit. Codicis *ad leg. Iul. de falſ.* cum tribus ſequẽtibus habentur. Vt autem falſitas pœnitus euiteretur, primò Lucius iij. ſanxit, ſententiam per falſas litteras latam executioni mandari non debere. *cap.* 2. Et qui eas intra viginti dierum ſpatium non deleuerit, ſententiam excommunicationis incurrit, neque poteſt præterquàm à Rom. Pontifice abſolui. *cap.* 3. *in fin.* Deinde pœnitere nequeunt. ſed ſi clerici ſunt, officijs, & beneficijs priuantur; tandem ſeculari poteſtati, per quam etiam puniuntur laici, traduntur, vt condignam luant pœnam. *cap.* 7. Et ſignum adulterans clericus, etiam deponitur; ac ei character imponitur; demum in exilium mittitur. *d. cap.* 3. Papales verò litteras nouem modis falſas eſſe poſſe docemur ex *cap. licet hoc tit.* Item in ijs Epiſcopus vocetur filius, vel inferior frater, vel ſi vni ſcribitur in plurali. Talis enim ſedis Apoſt. conſuetudo eſt, vt Papa Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, fratres; cæteros Reges, Principes, & alios cuiuſcũque ordinis, & gradus filios in litteris appellet. *c.* 6. Sed illa incurrit hæſitatio; num ob paucorum characterum raſuram, in quo ſuſpicio eſſe non poſſit, falſæ æſtimentur litteræ. Non vtique, ſanxit Innoc. iij. in *fin. tit.* Quid ſi roſæ fuerint? Tunc non præſumuntur falſæ: quia maxima eſt differentia inter roſam, & raſam. raſa dicitur ſcriptura, quæ à fraudulente homine fit; roſa, quando non ab homine, ſed à muribus. roſæ tabulæ dicuntur. *d.* 1. §. *vlt. ff. de bon. poſſeſſ. ſecund. tabul. Falſum eſt*, vt de Inuentione ſcribit Tullius, *in quo perſpicue mendacium apparet.* tametſi falſum aliter poſſit deſcribi; vt ſit, *quidquid*, vt Paul. Iuriſconſ. in ſent. tradit, *in veritate non eſt, ſed pro vero aſſeueratur.*

De ſortilegijs. *Tit. 21.*

FALSARIIS affines ſunt Sortilegi, qui in mera ſunt falſitate. cùm in idolatriam ſæpe incidant, & cũ dæmonibus plerumque pactum, ac fœdus ineant, ſperantes futura poſſe prædicere, vetera rememorare, morbis omnibus remedia, quæ medicorum contemnat diſciplina, adhibere; ſiue in præcantationibus, ſiue in quibuſdam notis, quas characteres appellant, ſiue in ſaluia, & alijs huiuſmodi. & de ijs mihi videtur Plinius *lib.* 28. *cap.* 4. intelexiſſe. quem videtur etiam ſequutus B. Auguſtin. *lib.* 2. *cap.* 23. *de doctrina Chriſtiana.* & in *cap. illud.* 26. *q.* 2. Sortilegi appellatione venire etiam puto ipſos magos, mathematicos, & his ſimiles, ariolos, augures, vaticinatores, ſomniorum interpretes, vt in *tit. de maleficijs.* C. qui omnes ſubijciuntur pœnis legis Corneliæ. *l. ex S. C. ad leg. Iul. de ſicar.* Qui igitur ſortilegia pro re furto ſubtracta, vel deperdita, vt inueniatur, fecerit, vel diuinationes obſeruauerit, quadraginta dies pœnitebit. Presbyter quoque furtum aſtrolabij inſpectione perquirens, ab altaris miniſterio ad tempus ſuſpenditur. Et electio Pontificis ne per ſortes fiat, quaſi ſortilegia ſapiat, ab Alexan. iij. in *cap. vlt.* prohibitum eſt. Neque obſtat, quod D. Auguſtinus teſtatur in *cap. ſors.* 26. *q.* 2. ſors non eſt aliquid mali, verum eſt, vti aliàs dixi. Prohibetur tamen fidelibus, ne ſub diuinationis ſpecie ad antiquos idolatriæ cultus redirent. Si quis ergo quærit, quid nam ſint Sortilegia, reſpondebo, vaniſſimas magicorum perſuaſiones. Hæreſim tamen non ſapiunt ſemper: quare in his intromittere ſe non debent Inquiſitores, niſi ſapiant hæreſim manifeſte. *cap. accuſatus.* §. *ſane de hæret. in ſexto.* quemadmodum & de vſurarum quæſtionibus. *d. c. accuſatus.* §. *de quæſtionib.*

De colluſione detegenda. *Tit. 22.*

COLLVSIO falſitatem etiam cõtinet. Eſt enim Colluſio, ſimulata, & luſoria inter actorem, & reũ conuentio: quæ eo animo fit, vt vnus eorum alterum dolo vincere patiatur, quaſi ei ſponte lite cedat. Cui vt occurrerent ſummi Pontifices, ſanxerunt accuſatorem ab accuſatione deſiſtentem adhuc ſuper crimine illato ex officio ſuo poſſe iudicem inquirere. *cap.* 1. neque abſolutionem de illatis criminibus per colluſionem factam impedire, quo minus iterum accuſare, & inquirere de eiſdem criminibus liceret. *cap. vlt.* atque cõludentem in cauſa beneficij, ipſo priuari beneficio. *cap.* 3. Colludere autem non modo dicuntur rei, & acto-

& actores, ſed & aduocati, qui ſiue priuato iudicio, ſiue publico præuaricati fuerint, hoc eſt prodiderint cauſam, quam tuentur, extra ordinem puniuntur. *cap. ſi quem. §. præuaricator. 2. q. 3.* Item præuaricatores qui patiuntur eum, cõtra quem agunt, vincere. *l. eleganter. ff. de dolo.* Qui in vniuerſum ab accuſatione deſiſtit, Tergiuerſari dicitur; qui vera crimina abſcondit, Præuaricari; qui falſa crimina ſcienter intendit, Calumniari. de quibus omnibus in *d. c. ſi quem. §. notandum.* Aduertere oportet in hoc titul. verba cap. 2. huius tituli non eſſe Gregorij, vt eſt inſcriptio, ſed Ioannis Diaconi in vita ipſius B. Gregorij *lib. 4. cap. 32.* idq. obſeruauit, & recte, Antonius Auguſtinus.

De delictis puerorum. *Tit. 23.*

IN prima Canonum collectione poſt titulum de colluſione ſubijcitur titulus de ſagittarijs. ſed vnde, & qua ratione id venerit, ſuſpicari non poſſum, niſi quòd cap. vlt. tituli huius eſt de puero, qui alium ſagitta interemit. melius verò ſi tit. de ſagittarijs tit. de cler. pug. in duell. vti fecimus, adnectemus: cùm & illa duelli, vt ibi diximus, ſit ſpecies: & ita ſe habeant vulgati Codices, atque Contius. nam in *d. cap. vlt.* ſumpta occaſione, ne nihil dictum omitteretur, dixit, quid de puero agendũ eſſet, qui ſocium ſagitta percuſſit. quòd autem præſens titulus ſuperiores appoſite ſubſequatur: indicant ſatis nobis verba illa in *cap. 1. Quis verò audeat affirmare furta, mendacia, & periuria, non eſſet peccata? at ijs plena eſt puerilis ætas.* Ex quibus verbis Gregorius Nonus, innuit minores. 14. annis poſſe (exceptis carnalibus) committere peccata. & per conſequens poſſe puniri, licet mitius. Alex. verò iij. pupillum 14. ætatis annum nondum agentem, etſi aliquem occiderit, puniri noluit. *cap. vlt.* quod admitto ſi dolo non fecit, nec ſit proximus pubertati.

De clerico venatore. *Tit. 24.*

SVPERIORES tituli fuerunt tam laicis, quàm clericis communes: hic, & nonnulli ſequentes clericorum dumtaxat delicta ample-ctuntur. & primò de clerico venatore; cui venationes, ſylueſtres vagationes cũ canibus, accipitribus, ſeu falconibus interdicuntur. idq. conſtitutum arbitror; quoniam D. Hieronymus dicere ſolebat, *Venatorem nunquam legimus ſanctum. can. 1. 34. diſt. in.* Continetur & hoc titulo pœna, qua mulctatur Epiſcopus, alijq. minores clerici. Porrò Epiſcopus ſi ſæpe in his fuerit detentus, tribus menſibus à communione; ſi presbyter, duobus; ſi diaconus, ab omni officio ſuo ſuſpenditur. At neceſſitatis cauſa videtur conceſſum clericis, etſi Epiſcopo nuſquã. *d. cap. 1.* ac recreationis cauſa, cum modeſtia tamen. quibus & piſcari, apum fabricare aluearia, lina capiendis piſcibus texere, piſcellam iunco componere, caniſtra lentis viminibus plectere, & huiuſmodi alia permittuntur. *can. nunquam. de conſecr. 5. diſtin.* vt manu operetur quis cibum. Sic Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenere accepimus; vt nullum abſque opere & labore ſuſciperent: non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem; ne ſcilicet vagaretur pernicioſis cogitationibus mens. In deſiderijs enim eſt omnis otioſus, vt idem Hieronymus ſcribit ad Ruſticum presbyterum.

De clerico percuſſore. *Tit. 25.*

NEQVE clericis quemquam percutere licet. Percuſſio aut eſt corporalis, aut ſpiritualis. hanc cõmittit, qui incauto, & inutili ſermone infirmorum conſcientiam percutit. *can. ſane. 45. diſtin.* illa fit manibus, pedibus, capite, cubito, aut pectoris, aut humeri impulſu. item baculo, gladio, & alio armorum genere. Et hæc fit, vel odio, vel caſu. Qui malitia, vel odio facit, peccatum committit. *can. cùm beatus. 45. diſtinct.* caſu non æque. Hæc regula hanc habet exceptionem, vt percuſſio licita ſit ei, qui poteſtatem in eum, quem percutit, habet; leui tamen: quia aſperitatis nimiæ increpatio nec increpationem recipit, nec ſalutem. *d. c. cùm beatus.* ſed iſta exceptio aliam patitur exceptionem: quia Epiſcopo proprijs manibus quẽquam cædere interdicitur. *can. non liceat. 86. diſtinct.* ſed per alium licet. *cap. ille qui. 22. q. 5.* Sed & iſta exceptio aliam adhuc videtur pati exceptionem; Siquidem Epiſcopus, vel Abbas clericum per laicum, etiam leuiter cædens, excommunicatur. *cap. vniuerſitatis. infr. de ſentent. excomm.* Hic item conſtituitur pœna, qua mulctatur Epiſcopus, qui crudeliter verberari fecerit quemquam, videlicet; & duobus menſibus à miſſarum celebratione ſe abſtineat. *cap. 2.* Eſt & illud hic ſcitum, vt clericus non præſumatur homicida, neque ita puniatur, ſi in conflictu pro parte violentiam repellente fuit; etſi lapides proiecerit, nullum tamen occiderit; quamquam ibi aliqui mortem obierint. Nec non clericus in minoribus conſtitutus ad maiores commoueri poteſt, licet fuerit in conflictu, in quo ſine eius facto, & conſilio, aliqui interiere.

De maledicis. *Tit.* 26.

QVIDAM codices hunc titulum non habent, quidam habent de clerico maledico. melius hi, qui de maledicis, cùm in *c. vlt.* vtriuſque habeatur mentio, & primum ad omnes extendi poſſit: quoniam non modo Rom. Pontifici, qui vicem Chriſti in terris gerit, ſed & Principi maledicere debet nemo. *cap. paratus. 23. q. 1.* immo proximo non eſt detrahendum. omnis enim, qui detrahit, homicida eſt. *cap. ſumma. 6. q. 1.* Compeſcitur igitur maledicentium temeritas: vt qui contra Deum, vel ſanctorum aliquem, vel beatam Deiparam dixerit blaſphemiam, 7. diebus dominicis præ foribus Eccleſiæ in aperto, dum miſſarum aguntur ſolemnia, exiſtat: & vltimo illorum dominico die, neque pallium, neque calciamentum habeat, ligatus circa collum corrigia, ſeptemque præcedentibus ſextis ferijs in pane, & aqua ieiunet, nec antea Eccleſiam ingrediatur. & alijs pœnis afficitur, de quibus in *cap. vlt.*

De clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante. *Tit.* 27.

POSTQVAM dixit de multis, varijsq. delictis, ob quæ plerunque clerici, aut interdicuntur, aut excommunicantur, ſeu deponũtur, qui nihilominus interdum celebrant, ad eos tranſit: quidque de ijs iuris ſit, exequitur. Dupliciter autem quis excommunicatur; ſiquidem excommunicatio duplex eſt, altera maior, altera minor. hæc à ſacramentis excludit tantum: illa & à ſacramentis, & à communione fidelium. *cap. à nobis. ſupr. de except. cap. penult. infr. de ſentent. excommun.* Atqui multũ differt, à legenè aliquid prohibeatur ſub anathemate, an ab homine. namque ſi aliquid ſub excommunicationis pœna à iudice præcipiatur, exempli cauſa, ſi iudex dicat, Præcipio ſub excommunicationis pœna, ſiue anathematis, vel ſub excommunicatione, ne illud facias: contrafaciens non eſt excommunicatus, ſed eſt excommunicandus. Cum verò excommunicatio à lege lata fuerit, ita, Excommunicamus; quicumque furtiue ad ordines accefferit: præcepto & iuſſui non parens ſtatim eſt excommunicatus. *cap. 1. & vlt. infra de eo, qui ord. fur. ſuſcip.* Depoſitus dicitur degradatus, qui ſcilicet à ſacerdotali ordine, vel ab alijs minoribus ordinibus canonice eſt deiectus. *canon. accedens. 50. diſtinct. cap. 2. de pœn. lib. 6.* Et is ad priſtinũ officium minime admittitur, niſi gradus amiſſos iterum recipiat. *cap. Epiſcopus. 11. q. 3. can. ex antiquis. 54. diſtinct. can. dictum. 81. diſtin. cap. clerici. 23. q. 8.* quamuis characterem, qui animæ imprimitur, amittere non videatur. arg. *cap. licite. 32. q. 7. can. oſtenditur. de conſecr. 4. diſtinct.* vbi gloſſ. Character enim deleri nulla ratione poteſt late S. Thom. *3. par. q. 65. art. 5. & ad 4. diſt. 4. q. 1. & ad Rom. 7.* Magiſter & Bonauentura *in 4. ſent. diſt. 25.* quemadmodum characterẽ ſuitatis ſemel impreſſum, ſecundum Theophilũ, retinet hæres, qui ſe ab hæreditate abſtinet. Clericus itaque depoſitus, qui auſus fuerit oblationem, vt prius facere, ab Eccleſia ſeparatur, & debet omni reconciliationis ſpe carere. *cap. 1. hic. & cap. ſi quis Epiſcopus. 11. q. 3.* Et monitus non deſiſtens, ſeculari iudicio committitur. *c. 2.* Degradatis itaque aufertur executio. S. Thomas *3. par. q. 83. art. 8. & ad 4. diſt. 13. art. 1. q. 4.* Gabriel Biel *ſuper can. Miſſæ. lect. 2.* Ioan. And. *ad cap. degradatio. de pœn. lib. 6.* Et ſi teneantur ad preces canonicas degradati teſtimonio Archid. Card. Alex. & aliorum, *ad can. presbyt. diſt. 28.* Immo viuere tenentur ſecundum Eccleſiaſticas regulas. *can. dictum diſt. 81.* Durand. Specùlat. *in tit. de compet. iudic. addit. S. 1. verſ. 2.* Vel Interdicto. Interdictum eſt de re aliqua prohibitio ſine pœna. Interdicere enim proprie eſt prohibere; vt ait Iuſtinianus *in princ. tit. de interdict.* Excommunicati ergo, & interdicti celebrantes, & moniti, ſi non ceſſant, deponuntur, niſi magna eſſet multitudo: tunc mitigatur pœna. *c. 4. & 6.* Etiam is, qui quidem excommunicationis notitiam adeo per ſolam famã habet, celebrat, de iuris rigore etiam deponi poteſt, & debet. *cap. 5.* Atqui ſe eſſe excommunicatum, cùm ſit, ignorat, celebrando nulla indiget diſpenſatione. Minori quoque excommunicatione excommunicatus celebrans nõ fit irregularis, tametſi peccat; Et poteſt eligere, & omnia, quæ ſunt iuriſdictionis exercere; non tamen eligi, neque ſacramenta conferre; quæ ſi contulerit, tenet collatio, ſuumq. fortitur effectum. *cap. vlt.* Collatio autem beneficij excommunicato facta non tenet; & ſcienter tali conferens, à collatione beneficiorum ſuſpenditur. *cap. 7.* Sed hìc illa incurrit hæſitatio; num excommunicatus poſſit collationem beneficij factam ſibi ante excommunicationem ratam habere, & acceptare, vigore nempe alicuius gratiæ expectatiuæ. quæſtionem facit *cap. vlt. de conceſſ. præben. in ſexto. & cap. ſi tibi abſenti. de præben. eod. lib. ſexto.* quibus in locis aperte conſtat ſolam beneficij collationem abſque vlla poſſeſſionis apprehenſione ius in re, & perfectum tribuere. quinimmo ſummus Antiſtes in *d. cap. ſi tibi abſenti.* ſanxit eum, qui beneficium contulit abſenti, vel præſenti, minime

poſſe

poſſe eam collationem reuocare, nec beneficiũ hoc alteri conferre, niſi terminus illi ad conſentiendum datus eſſet elapſus; quod eſt in beneficijs ſingulare. namque is, qui abſenti rem mittit aliquam, poteſt pœnitere ante abſentis acceptationem. *l. 2. §. ſi quis donaturus. & l. abſenti. ff. de donatio.* ratio eſt, quoniam nemo rem propriam tenetur donare. atqui prælatus dum confert alicui beneficium, nihil ſui donat; cùm ſit merus adminiſtrator; & ad id vel inuitus teneatur, licet ei, in quem beneficium contulit, præciſe conferre haud teneatur. Semel itaque facta collatione, functus eſt officio ſuo prælatus *l. iudex. ff. de re iudic.* Verùm ſi collatio tribuit ius, videtur ſatis excommunicatum poſſe collationẽ beneficij ſibi factam ante excommunicationem, acceptare, & ratam habere. Nihilominus reſpõdendum eſt, quòd, licet collatio ius in re tribuat, & quidem perfectum: id tamen non acquiritur donec fiat acceptatio. *d. cap. ſi tibi abſenti.* Tempore autem acceptationis acquiſitio iuris ſpiritualis fit; quo tempore inhabilis eſt excommunicatus. *cap. 1. de reſcript. in ſexto.* vel dicendũ, Acceptationem beneficij factam ab excommunicato validam eſſe, & efficacem, quo ad voluntatis & conſenſus declarationem, qui conſenſus neceſſarius eſt. *cap. niſi cùm pridem. ſupra de renunciat.* non æque quo ad iuris acquiſitionem; ita ſane, vt ipſum beneficium non acquiratur ratione huius acceptationis, donec excommunicatio abſolutione extincta fuerit. tunc autem, abſque noua acceptatione prorſus acquiri. Hic infligitur etiam maxima pœna ijs, qui in loco interdicto celebrant. Si clericus ſecularis eſt, beneficijs priuatur; ſi monachus, in arctius monaſterium detruditur. *cap. 7. §. vlt.*

De clerico non ordinato miniſtrante. *Tit.* 28.

RECTE iniungitur hic titulus ſuperiori, cùm in illo agatur de illis, qui ordinati cùm ſint, deponuntur, vel excommunicantur; in hoc de ijs, qui cùm minus ordinati ſint in eo, quem gerunt, ordine, deponuntur. Nam qui baptizaueri, vti clericus, cùm non ſit; ſi eſt in minoribus, vel etiam in diaconatu conſtitutus, deponitur, & nuſquam ordinabitur. non item ſi tanquam laicus; cùm inſtante neceſſitate cuique liceat, adeo patri, matriq. *cap. ad limina. 30. q. 1. can. diaconos. 93. diſtinct.* Immo hæreticus, qui & pœnitentiam confeſſo poteſt iniungere. *cap. ſi quem forte. 24. q. 1.* Et Hebræus, ſi Rom. ſeruauerit formam. *can. à quodam de conſecrat. 4. diſtinct.* Item Diaconus miſſam celebrans, ad ſacerdotium nõ promouetur; & à diaconatu ad tempus ſuſpenditur: ad beneficium tamen poteſt diſpenſari. eum tamen Vrbanus huius nominis iij. in fine tituli adhortatur vitam ingredi regularem. Sacrum Miſſæ facere, & diuinam conficere Euchariſtiam ſolis ſacerdotibus rite ordinatis poteſtas conceſſa eſt. *can. 3. Apoſt.* Vnde S. Dionyſius: *Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, ſi quis ea ſibi ſumat, quæ propria ſunt ſacerdotum, neque metu, ac pudore à diuinorum tractatione, præter captum, ac meritum, decernentur.* Nicæna Synodus can. 18. *Peruenit ad ſanctam ſynodum, quod in nonnullis locis, & ciuitatibus diaconi dant presbyteris Euchariſtiam: quod neque canon, neque conſuetudo tradidit; vt, qui offerendi poteſtatem non habent, ijs, qui offerunt dent corpus Chriſti.*

De clerico per ſaltum promoto. *Tit.* 29.

DISPENSATVR is quoque, qui per ſaltum ordinatus eſt, eique, peracta pœnitentia, quam impoſuerit Epiſcopus, ordo præteritus conferri poterit. Dicitur per ſaltum, cùm à ſubdiaconatu, omiſſo diaconatu, ad ſacerdotium tranſit; cum ordines gradatim accipi debeant, argumento *l. vt gradatim. & l. honor. §. gerendorum. ff. de muner. & honor. l. 1. & l. 2. C. vt dignit. ordo ſeruet. lib. 12.*

De eo, qui ordinem furtiue ſuſcepit. *Tit.* 30.

QVAM bene ſuperioribus hic cohæreat titulus, nulla opus eſt probatione; cũ ſe ſatis declaret. Per furtum dicitur ordinem ſuſcipere is, qui clandeſtine promouetur. *cap. vlt. huius tit.* quaſi contra conſcientiam ſuperioris, vti loquitur Innocentius j. in *can. extra. 64. diſtinct.* Item is, qui minores, ſubdiaconatumq. vno, eodemq. die ſuſcipit, furtiue dicitur ſuſcepiſſe in *cap. 2.* Contra igitur hoc facientes, vel lata eſt excommunicatio, vel non. hoc modo, condigna ſatisfactione impoſita, poterit diſpenſari; ſi lata, non æque; quoniam eſt ipſo iure excommunicatus: vt tit. 27. dixi. & tunc niſi habitu regulari induatur, ac in eo aliquid temporis honeſte, & cum laude fuerit verſatus, non vtique poteſt ad ſacerdotium conſcendere, vti Alexander iij. ſanxit.

De

De exceſsibus prælatorum, & ſubditorum. *Tit.* 31.

SVPERIORES tituli temeritatẽ coercent eorum, qui vel contra iuris ordinem adminiſtrant, vel ordines ſuſcipiunt. Hic coercet auaritiam Prælatorum in ſubditos, & alios exceſſus tam ſubditorum, quàm prælatorum, ſed maxime de auaritia, nempe quæ eſt omnium malorum radix, vt Ambroſius ſcribit in *can. bonorum. 47. diſtinct. Non deſunt plerique*, vti Gregorius ix. in cap. 16. tradit, *tam Eccleſiarum prælati, quàm alij, qui cæca cupiditate ſeducti, propriæ auiditati ſubtrahi reputantes, quicquid religioſis fidelium pietas elargitur, quietem ipſorum multipliciter inquietant*. Porrò debent prælati ſe paſtores, non percuſſores eſſe recordari, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non eis dominentur, ſed illos tanquàm filios, & fratres diligere; elaborareq., vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant: non autem talleis, exactionibus, alijsvè grauaminibus vexare: à quibus vt ſe abſtinerent prælati, eos puniendos eſſe decreuit Alexan. iij. *Miniſtri* etenim dicuntur, vti Chryſoſtomus homil. 2. in Epiſt. ad Philip. cõmentus eſt; & *Paſtores*, quòd miniſtrent magis, quàm dominentur cæteris, & gregem ſibi commiſſum paſcant. Quod verbum ijs conuenire, qui alios gubernandos ſuſceperunt, indicat Homerus; cùm Agamennonem ſubinde vocat, ποιμένα λαῶν, id eſt paſtorem populorum. Sed & Epiſcopi quoque, quaſi (vt alibi dictum eſt) ſpeculatores ſunt dicti. Eadem prope ratione Arcadius Iuriſconſultus in *l. vlt. ff. de muner. & honor.* Epiſcopos appellat illos, qui pani, cæterisq. venalibus rebus, quæ ciuitatum populis quotidianũ victum ſuggerunt, præſunt. Exceſſus igitur appellatione multa veniũt: vt ſi Epiſcopus abſque vlla cauſa Eccleſiam alteri ſubiectam ab illius dominio voluerit liberare. *cap.* 2. Seu habens collationem beneficij, illud ſibi aulus fuerit conferre. *cap.* 3. Vel vicarius ſibi ipſius Eccleſiæ, cui præeſt, perſonatum contra iuramentum præſtitum vſurpauerit: Aut impoſuerit grauamina religioſis, quorum regula à ſede Apoſtolica eſt approbata; Vel fratribus Prædicatoribus, & Minoribus. *cap.* 6. & 17. Aut interdicti ſententiam violauerit. & tunc ſuſpenditur ab officio, beneficio, ac omni iuriſdictione. *cap. vlt.* Et ſubditorum: Quippe qui non tenentur parere ſuperiori aliquid exigenti, vel præcipienti aduerſus priuilegium à ſuperiori conceſſum. *cap.* 5. Neque valet excommunicatio contra eos lata. *cap.* 7. Horum verò exceſſus ſunt: Si inuenti fuerint amorem quærere, vbi non eſt, vbi venus in aliam mutatur formam *cap.* 4. qui clerici ſunt, deponuntur, & in monaſterium detruduntur; ſi laici, excommunicantur. Vel ſi qui de ſuo crimine publice gloriantur. *cap.* 9. Qui auctoritatem, conſilium, auxilium directe, vel indirecte homicidio præſtiterint; qui ſi clerici ſunt, irregulares efficiuntur. *cap.* 10. Qui de matrimoniali cauſa cognouerint, aut pœnitentias publicas, & indulgentias, cùm ad ſolos Epiſcopos ſpectent, conceſſerint, niſi eis aliquo ſpeciali priuilegio competat, vti diximus *ſup. de matrim. contract. cont. interd. Eccl.* Qui contra iuramentũ negauerint, prælatum non eſſe dominum ſuum, atque coram iudice ſeculari de ipſo conqueſti fuerint; Aut ſi ipſum inuaſerint: & tunc ex Honorij iij. cõſtitutione *cap.* 15. deponũtur. Quivè Eccleſiam ſuam abſque ſui Epiſcopi conſenſu alteri vnire voluerint: quod etiam Metropolitani interueniente auctoritate non queunt. *cap.* 8. *infra hoc tit.*

De noui operis nunciatione. *Tit.* 32.

QVI nouum opus facit, exceſſum facere videtur: nouũ dico, quod nondum factum eſt, & prohibetur ne fiat. Namque Vlpianus in *l.* 1. §. 1. *ff. eod. Hoc*, inquit, *edicti, remediumq. operis noui nunciationis aduerſus futura opera inductum eſt, non aduerſus præterita*. Ea tamen eſt huius edicti vis, vt ſiue iure, ſiue iniuria opus fiat: per teſtationem, denunciationemvè inhibeatur; quapropter Eccleſia poſt noui operis nunciationem conſtructa, ædificantis ſumptibus demolietur. Permittitur quoque opus nouum nunciantis optio: vt vel ſatisdationem de opere demoliendo accipiat, & interim ædificare ſinat; vel vt compellat ceſſare conſtruentem quouſque docuerit, eum ius nullum in loco ædificandi habere. quam in rem trium menſium ſpatium definitum eſt. *cap. vlt. hoc tit.* Et id cum magis ad ciuile iudicium ſpectet, Lucius iij. in *cap.* 1. hic reſpondit non vtique ſecundum iura Pontificia tantum, ſed & ciuilia debere terminari. Quo monemur recurrendum eſſe ad ius ciuile, vbi iuris canonici conſtitutiones deſunt nobis. qua de re alibi etiam facta eſt mentio.

De

De priuilegijs, & exceſsibus Priuilegiatorum. *Tit.* 33.

SOLENT haud raro qui aliquo ſunt indulti priuilegio, eo abuti, in prauosq. mores, ac vſus id cõuertere. quamobrem hic titulus factus eſt, quo docemur quemadmodum intelligi debeant priuilegia, quibus concedantur, ad quos extendi poſſint. ea non violanda, & huiuſmodi alia, de quibus paſſim. Eſt autem priuilegium ius ſingulare, hoc eſt priuata lex, quæ vni homini, vel loco, vel collegio, & ſimilibus alijs conceditur. *can. priuilegia. 3. diſt.* quæ & beneficia appellantur. Iabolenus in *l. penult. ff. de conſt. princ. Beneficium*, inquit, *Imperatoris, quod à diuina ſcilicet eius indulgentia proficiſcitur, quàm pleniſſime interpretari debemus.* Ea etiam perſonales conſtitutiones dicuntur; & ad exemplum non trahuntur. *l. 1. eod. ff. de conſt. prin. cap. 9. hoc tit.* Lex eſt commune præceptũ, vt vult Papinianus *l. 1. ff. de legat.* vel, vt Atteius Capito apud Gellium, generale iuſſum populi, aut plebis rogante magiſtratu. Sic lex de vniuerſis, priuilegium de ſingulis: namque veteres priua dixerunt, quæ nos lingula dicimus. Hinc B. Hieronymus, *Priuilegia ſingulorum communẽ legem facere non poſſunt. cap. non exemplo. 20. q. 2.* Significat quoque priuilegium prælationem, & prærogatiuam quandam. qua in debiti repetitione chirographarij creditores alijs creditoribus præferuntur. quod indicat nobis titulus *de priuilegijs creditorum. ff.* qui in vulgatis codicibus ab alijs eſt diſtinctus: in Pandectis verò Florentinis coniunctus eſt titulo *de bon. aut. iud. poſſ.* Eſt etiam priuilegium, vt vxor pro dote cæteris creditoribus etiam anterioribus & expreſſam hypothecam habentibus præferatur. Eſt & illud beneficium, ſeu priuilegium, cùm alicui loco conceditur Epiſcopum habere: quem tamen Leo Papa primus inſignibus dumtaxat, & populoſis locis tribuendum eſſe conſtituit; neque iniurta, quia numeroſitate Epiſcopalis dignitas vileſceret. Item priuilegium eſt, quo indulti ſunt Templarij, & Hoſpitalarij, vt ſemel in anno poſſint celebrare in loco interdicto. *cap. 3. §. quodſi.* Vt decimas non dent; de quibus abunde in tit. de decim. Vt in oratorijs priuatis campanæ publicę teneri poſſint. *cap. 10.* Vt Eccleſia duplici vtens priuilegio, licet ex vno ſuccumbat, ex alio ſe iuuare queat. *cap. 14.* Vt Clerici Eccleſias ſibi ſubiectas poſſint in proprios vſus conuertere. *cap. 19.* Vel quod monaſterio alicui conceditur veluti, vt monachi minus poſſint excommunicari. *cap. 21.* vel interdicti tempore confratres ſuos valeant ſepelire. *cap. 24.* Vt Epiſcopi, qui non fuerunt cauſa interdicti, clam poſſint celebrare. *cap. 25.* Vt quis valeat vbique nulla ſuperioris habita licẽtia miſſam dicere. *cap. 30.* Vt aduerſus Eccleſiam non fiat præſcriptio niſi triginta, vel quadraginta annis. *cap. 6. & 15.* Item quòd Patriarchæ poſt Rom. Pontificem primas obtineant; ac Conſtantinopolitanus primam, Alexandrinus ſecundam, Antiochenus tertiam, Hieroſolymitanus quartam ſedem habeat. quod deinde in Florentino Concilio *ſeſſ. vlt.* fuit confirmatum. Vt hi pallio vtantur, idque ſuffraganeis ſuis elargiantur. Vt Dominicæ Crucis vexillum ante ſe vbique deferri faciant, niſi aderit Rom. Põtifex, aut eius Legatus inſignibus Apoſtolicæ dignitatis vtens. Vt omnes eorum ſubiecti ad eos appellent, ſaluis appellationibus ad ſedem Rom. interpoſitis. *cap. 23.* Vt Archiepiſcopi per loca exempta prouinciæ ſuæ crucem ante ſe deferant, populo benedicant, & alia, vt in *clem. vlt. eod.* Vti Abbates poſſint vti mitris, & alijs Pontificalibus. Sed exempti, quibus cõceſſum eſt, in prouincialibus Concilijs & Epiſcopalibus ſynodis tantum vti poſſunt aurifiſiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus; Non exempti, ſimplicibus, & albis, ac planis. *cap. 6. eod. in ſexto.* Sed an vbique Abbates, quibus indultum eſt ius mitræ, ea vti poſſint? & fuit per manus traditum, ad *cap. ex tuarum. ſupra de vſu pall.* poſſe: quia mitra, neque ad iuriſdictionem, neque ad ordinem pertinet, vt vſus pallij, crucis ante ſe geſtatio, ſeu prælatio, vel regalis coronæ delatio: ſed ad ornamentum dumtaxat ſpectat, eiuſque geſtatione nemini iniuria, aut damnum fit. Immo Epiſcopi, aliique ſuperiores Prælati eo magis honorantur, quo Abbates ſplendidioribus, & pretioſioribus veſtibus induuntur. idem de annulo dici debet: qui Epiſcopis, & Abbatibus datur, non ſolum propter ſignum Pontificalis honoris, ſed etiam propter ſignaculum ſecretorum, teſtimonio Iſidori *lib. 1. cap. 5. de Eccleſiaſt. offic.* vel, vt ait Innocentius iij. *lib. 1. cap. 61. Myſter. Miſſæ*, Annulus eſt fidei ſacramentũ, quo Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam ſubarrauit, vt ipſa de ſe dicere valeat: *Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus*, id eſt Chriſtus, cuius cuſtodes, & pædagogi ſunt Epiſcopi, & Prælati, annulum pro ſigno ferentes in teſtimonium. Nam ſoli Epiſcopi, & Abbates dicuntur Eccleſiarum ſpõſi *cap. ne pro defectu. ſupra de elect.* Plane ſecuanda ſunt priuilegia, neque indirecte violanda. *c. 26.* præſertim Eccleſiarum, ac ſacerdotum. *cap. 1. & 2. 25. q. 2.* Nec de ipſis eſt iudicandum, niſi inſpecto eorum tenore. *cap. 7.* Sic Alexand. iij. priuandum eſſe voluit ſuis priuilegijs eum, qui alienis derogat. *cap. 4.* Hinc Gregorius in iudicijs laicorum priuilegia nullo prorſus modo tur-

banda

banda eſſe edicto mandauit: Si verò laici Eccleſiæ damnum, iniuriamq. detulerint, eos coercere iuſſit. *cap.* 2. quia alienis aburuntur priuilegijs. Sed dubium eſt, num priuilegiorum innouatio nouum ius inducat. Et reſponſum eſt, non inducere, ſed antiquum conſeruare. *c.* 13. & 22. quæ intelligi debent, niſi actum penitus contrarium cõtineret innouatio. *c.cũ acceſſiſſent. ſup. de conſtit.* Et contenta in priuilegio, per teſtes poſſunt probari. *cap.* 14. Altera huius tituli pars eſt de Exceſſibus priuilegiatorum; vt ſi clerici, etiã exempti, Eccleſias, & decimas ſine diœceſanorum conſenſu acceperint; Si excommunicatos ad diuina admiſerint, vel ad ſepulturam. *d. cap.* 3. §. *excommunicatos*. Si per cenſus ſolutionem, quæ Romanæ Eccleſiæ fit, ab Epiſcopi iuriſdictione voluerint recedere *cap.* 5. & 8. Si conceſſum ſibi priuilegium ad alium extendi propria auctoritate tentauerint. *cap.* 9. Si Hoſpitalarij falſo cruce ſignatos, ſcilicet laicos, & illitteratos ad colligẽdam eleemoſynam miſerint. *c.* 11. Si exemptus ratione rei certæ, vel loci, ad aliud priuilegio maluerit vti. *cap.* 16. Vel ſi exemptionem monaſterio ſoli conceſſam ad capellas ſibi ſubiectas extraxerint. Si Lutetiæ Pariſiorum, ſiue locis vicinis ius ciuile profiteatur, cum ibi profiteri interdictum ſit. *cap.* 24. & alia plura, de quibus longum eſſet recenſere.

De purgatione Canonica. *Tit.* 34.

POSTQVAM ſatis dixit de delictis, deq. exceſſibus, quibus infamantur homines, trãſit ad purgationem, qua poſſunt ſe ab omni infamia purgare: niſi crimen publicum, ac notorium ſit, cui nullus etiam exiſtat inficiationis locus. tunc enim non indicitur purgatio, ſed promulgatur ſententia. *cap.* 15. cũ tunc etiam poſſit ſine accuſatore vllo condemnari. *cap. euidentia. ſup. de accuſat.* Eſt autem purgatio canonica, defenſio, quæ fit iureiurando cum coniuratoribus. Tria verò erant olim purgationis genera. vnum erat periculum, nempe feruentis aquæ, ſiue frigidæ, vel laminæ candentis; quo vſi noſtri quandoque videntur, ex *c.* 8. *huius tituli*: quæ videtur fuiſſe popularis inuentio, ac fabricante inuidia facta, vti B. Gregorius notat *lib.* 2. *Epiſt.* 8. & hoc prohibetur *cap. vlt. infr. tit.* 1. & *cap. penul. ſup. ne cler. vel mon. ſæch.* Alterum eſt lex duellionum: quo diu quoque vſi ſunt viri Chriſtiani tam in ciuilibus, quàm in criminalibus cauſis. res enim omnis duello committebatur. quam iniquam, & temerariam legẽ conſtitutione Federici Imp. approbatam fuiſſe docet Cuiatius *lib. de feud.* 1. quod tandẽ inhibitum eſt à ſummis Pontificibus. *cap. monemachiam. 2. q. 4. tot. tit. infra primo.* & *ſupr. de cler. in duell. pugn.* Tertium purgationis genus eſt iuriſiurandi religio, quod purgatio canonica rite appellatur. & hoc vltimum dumtaxat permiſſum eſt: quia de probitate illorum, ac religione noſtra ita confidimus, vt nullus ſuperſit dubitationi locus: ſeruata tamen forma à Pontificibus præſcripta: quæ talis eſt, *Vt infamatus, illud, quo accuſatus eſt, nec ipſe per ſe, neque per tertiã perſonam, nec aliquem ſciente, commiſiſſe, tactis ſacroſanctis Euangelijs iuret. Item iuratores, ſeu purgatores ſuper ſancta Dei Euangelia iureiurando dicent, quòd ipſi credunt eum verum iurare. cap.* 5. 15. & *vlt.* Aliter in Prælato, quippe cui non ſufficit iurare, cùm ſe purgare vult, innoxium criminibus, quibus infamatus eſt, eſſe: ſed eum oportet iurare poſt eius promotionem in illa crimina minime incidiſſe. *d. cap. vlt.* Purgatorum numerus eſt trium, vel quinque, vel ſeptẽ teſtium, vel duodecim, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Epiſcopos in ſua purgatione habuit. *can. omnibus. & can. presbyter ſi cum plebe.* & *c. nobilis. 2. q. 4.* Hodie eſt arbitrarius, inſpecta perſonæ qualitate, & infamiæ quantitate. *c.* 12. & *cap. cùm P. ſupra de accuſat.* Monemur & hoc titulo, quales eſſe debeant purgatores, honeſti videlicet, vicini, vitam purgantis agnoſcentes, vel ſaltem ſint bonæ famæ, vel qui ab Eccleſia tollerantur. *cap.* 7. & 9. *hoc tit.* Qui vero accuſare poſſint, Fabius, & Damaſus Papa docent in *cap. ipſi. & cap. teſtes. 2. q.* 7. At ſi infamatus, tertio monitus non ſe purgat, vſque ad purgationẽ ab officio ſuſpenditur *cap.* 2. Et non probato crimine, etiam fieri debet purgatio. *d. cap.* 5. ſi infamia ortum habuit ex probabilibus coniecturis. *d. cap.* 12. Hinc qui ſuper naralium defectu accuſatus eſt, promoueri non poteſt, niſi prius ſe purget. *cap.* 14.

De purgatione vulgari. *Tit.* 35.

QVANTA ſit huius tituli cum ſuperiore affinitas, indicant nobis ipſius proximi tituli verba. Erat vulgaris purgatio olim illa, quòd qui fidem ſibi iurantibus haberi aliqua de re graui poſtularent, conſueuiſſent ignitum ferrum manibus tollere, & ſuper ignem ambulare. exiſtimabant etenim minime dolorem aliquem ſenſurum, eo experimento, qui veritatem dixiſſet; eratq. certæ fidei, & innocẽtiæ ſignum maximum, ab illo periculo illæſum euadere, vt ex Plutarcho, Sophocle, Callimacho, & ipſius tragœdiæ commentarijs apparet. Eſt autem hæc optima ratione inhibita purgatio; ſiquidem Deus tentari minus debetur cùm

hæc

hæc peraguntur, tentari videtur. *cap. vlt.* tum quia hæc inuenta fuit fabricante diabolo. *cap. Mennam.* 2. *q.* 4. tum quia innoxius plerunque pœnam patitur. *cap.* 2. Continet hic titulus duo purgationis genera, de quibus in ſuperiori titulo differuimus, quæ vnico verbo à Pontifice appellantur vulgaris purgatio: & à canonica hæc differre docemur. Dicuntur vulgares purgationes, eo quia eas vulgus inhumaniter ſibi conſtituit: vt iam indicaui ex Gregorio *lib.* 2. *Epiſt.* 8.

De iniurijs, & damno dato. *Tit.* 36.

DATVR titulus de iniurijs, & dãno dato: etenim ex hominum exceſſibus plerunque iniuriæ fiũt, damnumq. nonnunquam ſequitur. ita damnum iniuria dare, pariq. dicimus. *l.* 9. §. *nunc videndum. ff. de minor. l.* 6. *ff. naut. caup.* Iniuria generaliter appellatur omne, quod iure non fit. *l.* 1. *ff. de iniur.* ſtrictè verò contumelia dicitur, quæ vel pulſatione corpus, vel conuicio aures offendit, aut aliqua turpitudine vitam cuiuſpiam violat. *Ad Heren.* 4. Hinc Labeo *in l.* 1. §. 1. *ff. eod. Iniuriã*, ait, *aut re fieri, aut verbis; re quoties manus infertur, verbis cum conuicium fit.* Inſcribitur titulus hic *de iniurijs, & damno dato*; quia damnum non ſemper fit cum iniuria. qui enim defendendi ſui cauſa vicini ædificium orto incendio diſturbauerit, damnum iniuria dediſſe non videtur. *l.* 49. §. *vlt. ff. ad leg. Aquil. l.* 3. §. *pen. ff. de incend. ruin. naufr.* & vt in ſpecie. *cap.* 2. *&* 5. ſatisfacere tamen pro damno tenetur; ſicut ille, qui lapide, vel gladio percuſſit aliquem, in expenſis condemnatur. *cap.* 6. & qui agrum, aut vineam læſerit, vel domum, aut aream vicini ſponte incenderit: quem & tres annos pœnitere oportet. *d. cap.* 6. Et iudex ſecularis, qui contra Deum, & Eccleſiarum libertatem clericum bannire, & condemnare auſus eſt, in expenſas condemnationem patitur; & ex Clementis V. conſtitutione excommunicatus ab omni officio, beneficio, & feudo tam ſpirituali, quàm temporali, priuabitur. Neque poteſt, niſi in mortis articulo præterquam ab ipſo Romano Pontifice abſolui. atque eius filij, neporesq. ad Eccleſiaſtica beneficia reddũtur inhabiles, & ad alia, de quibus in *clem.* 1. *de pœn.* quam iniuriam veluti crimen publicum vlciſcendam eſſe iam antea voluerunt, Impp. Arcadius, & Honorius in *l. ſi quis in hoc. C. de epiſc. & cleric.* Sunt & aliæ conſtitutæ pœnæ, de quibus in *cap.* 2. *cap. ad aures. & c. in quibuſdam. infr. ſit. prox.*

De pœnis. *Tit.* 37.

TANDEM deſcendit ad pœnarum tractatum: nam cùm ſæpius ipſarum mentio habita ſit, neceſſariò poſtulabat ratio, vt proprius daretur titulus, quo doceamur, quæ ſint pœnarum genera, quibus iudices coërcere delinquentes poſſunt. Pœna eſt delictorum debita coërcitio, vel delicti ſupplicium. Conſtituitur pœna delinquentibus, quia ipſa ſuos tenet auctores; quæ non eſt vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit in exercente repertum. *cap.* 2. *ſupr. de ijs, quæ fiunt à maiori parte capit. l. ſancimus. C. de pœnis.* quanquam in ipſis temporalibus pœnis vltra ſuos auctores pœna extendatur quandoque. *cap. cùm multa.* 15. *q. vlt. can. in ſancta. de conſecrat. 1. diſt. cap. ſanè. ſupr. de off. deleg. & cap.* 10. *& cap.* 12. In æternis non æque, vti diſerte D. Auguſtinus teſtatur *in cap. ſi habes.* 24. *q.* 3. Tum vt cæteri à peccato, vltionis timore reuocentur. *cap. frater.* 17. *q.* 4. *& d. cap. ſi habes.* Tum vt cæteri delictis ſublatis ſecuriores viuant. *l. ſi pœna. ff. eod.* Pœna hic duplex eſt; altera imponitur perſonis, altera rebus odio perſonarum. Pœna, quæ in perſonis conſumitur, ex iure noſtro eſt multiplex, Interdictio, Suſpenſio, Excommunicatio, Depoſitio, Intruſio, Carceratio, Verberatio; de quibus ſparſim ſermonem fecimus. Quæ imponuntur rebus, ſunt miſſio in poſſeſſionem rei petitæ ratione debiti probati; priuatio à beneficijs, rerum omnium confiſcatio. Habet etiam Eccleſia proſcriptionem, relegationem, exilium. quæ, vt olim, apud nos differre inter ſe videntur. Habet quoque pœnam pecuniariam, licet aliud videatur dicere *cap.* 3. huius tituli; quo cauetur, ne prælati pœnam exigant pecuniariam. Namque ſi lex pœnam conſtituit pecuniariam, quicunque de illo cognoſcit, illam imponere poteſt. *l.* 2. §. *vlt. ff. de iud. cap. in Archiepiſcopatu. ſupr. de rapt. cap. cùm deuotiſſimam.* 12. *q.* 2. At ſi conſtituit in crimen pœnam ſpiritualem, aut corporalem, iudex, cui de illo cognoſcere contingit, non vtique poteſt illam in aliam transferre; quantumuis dura eſſet lex. *l. proſpexit. ff. qui, & à quib.* ſed ille duntaxat de illo crimine per ſeipſum cognoſcere, ac reum penitus abſoluere. Verùm, cùm nihil iure cautum ſit de pœna, poteſt iudex ſumere, quam voluerit pœnam. *cap. de cauſis.* §. *vlt. ſupr. de offic. deleg.* Et non ſemel quis punitur, ſed toties, quoties deliquit, *cap.* 1. Pœna autem huius tituli extenditur item ad eos, qui temere litigant. *cap.* 4. tum ad eos, qui contra contractum veniunt. *cap.* 7. Voluit & hic Innoc. III. obliga-

tum ad certam quantitatem certa die ſub pœna, ſi partem eo temporis ſpatio ſoluerit, ad integram pœnam minus teneri. *cap.* 9. & id expreſſum eſt contra ius ciuile, vt *in l. in ſtipulationum.* 2. §. *ſi ſortem. ff. de verb. oblig.* Sed rectius ſummus Pontifex, cui iniquum viſum eſt, vt quis inhoneſtis quæſtibus, & cum alterius iactura ditaretur.

De Pœnitentijs, & remiſſionibus. *Tit.* 38.

HIc titulus pertinet etiam ad pœnas; ſed ille ad temporales, hic ad ſpirituales: illæ imponuntur in foro iudiciali, iſtæ in pœnitentiali; illæ ad alios interdum, atque delinquentes extenduntur, iſtæ non item; tum illæ ſæuitiam, atque vltionem habent: iſtæ repletæ ſunt miſericordia, pietate, beneuolentia, ac religione omni. Nullum eſt enim adeo graue, & nefarium ſcelus, quod pœnitentiæ ſacramento non quidem modo ſemel, ſed iterum, & ſæpius non deleatur. Qua de re ita ſanctus Ioannes. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* & alia plura in hanc ſententiam adduci poſſunt. Sed hæc ſufficiant nobis in præſentia. Pœnitere tam à Theologis, quàm ab hominibus noſtris, atque Ethnicis ſcriptoribus, varie accipitur. Sed, quod ad nos modò attinet, eſt; cùm non ſolum admiſſi ſceleris cauſa intimo animi ſenſu dolemus, vel eius doloris externum etiam aliquod ſignum damus, verùm etiam vnius Dei cauſa in eo mœrore ſumus. Quapropter Ambroſius dicebat, Pœnitentiam eſſe peccata præterita deplangere, & iterum plangenda non committere. *cap.* 1. *de pœnit.* 3. *diſt.* Hinc vulgata illa ſancti Hieronymi ſententia, *in can. ſecunda. eod. diſt.* 1. ab omnibus, qui deinceps res ſacras tradiderunt, magnopere comprobatur, quòd pœnitentia ſit ſecunda tabula, ſicuti Baptiſmus eſt prima, Vt enim facto naufragio, vnum vitæ ſeruandæ perfugium eſt, ſi tabulam aliquam nauis liceat arripere: ita confracta baptiſmi innocentia, niſi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de eius ſalute deſperandum eſt. Pœnitentiæ tres ſunt ſpecies, ſolemnis, publica, & priuata. Solemnis eſt, de qua *in cap. in capite.* 50. *diſtinct.* & imponitur ab Epiſcopo ſolo, vel ipſius mandato, & ab ipſo ſolo reconciliatur pœnitens. *cap. vlt.* 26. *q.* 6. & hæc ſumitur de crimine publico, & vulgatiſſimo, quod totam commouet vrbem. Clericis verò nec imponitur, nec cui impoſita eſt, ad ſacerdotium poteſt promoueri, nec nuptias contrahere, nec amplius ſe ad militiam accingere. *d. cap. vlt. & cap.* 2. *hoc tit. & cap. hoc ipſum. in fine, cum ſeq.* 33. *q.* 2. Publica pœnitentia datur, cum publicum eſt peccatum. *Plane manifeſta peccata*, vt Alex. Papa ait in cap. 1. *non ſunt occulta correctione purganda; vt quos peccans exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſua emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam.* Et iſta publica etiam in clericis ſumitur. *cap.* 7. ſi publicum eſt delictum: in laicis, & ſi publicum non eſt, ſi tamen graue æſtimatur. *d. cap.* 7. Eſt publica pœnitentia, cùm aliquid iuſſum eſt fieri, ex quo apparet publicam eſſe pœnitentiam, vt eſt peregrinatio, habitus commutatio, in monaſterium detruſio, & huiuſcemodi alia. Eſt hodie à Trid. ſynodo ius Epiſcopis factum, vt poſſint hoc publicæ pœnitentiæ genus in aliud ſecretum commutare, quando ita magis iudicauerint expedire. *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. Priuata eſt ea, quæ quotidie à ſacerdotibus imponitur ijs, qui ſecreta peccata confitentur. & adeo neceſſaria eſt Pœnitentia, vt morientibus nuſquam denegetur, quemadmodum & viaticum, neque interdicti generalis tempore, *cap.* 11. Vnde medicis præceptum eſt, vt ante omnia inducant infirmos ad cõfeſſionem. *cap.* 13. Hinc aliud quoque mandatum eſt, vt quilibet doli capax teneatur, ſemel ſaltem in anno, proprio ſacerdoti, vel de eius licentia alteri, confiteri ſua peccata, & Euchariſtiam recipere, maxime in die Paſchatis. *cap.* 12. *hoc tit.* ſacerdos autem, cui ſoli hoc onus incumbit. *cap.* 10. §. *vlt.* pœnitentiam arbitrari debet ſecundum exceſſus qualitatem, quantitatem, pœnitentis contritionem, & alias circumſtantias, de quibus *in cap.* 8. *huius tituli.* Secunda eſt tituli pars *de Remiſſionibus.* Remiſſio dupliciter accipitur vel pro abſolutione, quæ à ſacerdote ſua peccata confitenti datur; vel pro commutatione pœnitentiæ. & de hac in hoc titulo agitur: eaq. videtur poſſe definiri, quòd ſit indulgentia, qua quis releuatur à pœna ſibi pro pœnitentia impoſita, alia leuiori ſubrogata. Eaq. & priuata eſt, & generalis. illam ſacerdotes in animarum iudicijs facere poſſunt: iſtam non niſi Epiſcopus, & maiores; hoc eſt, pro pontium ædificatione, pro dotatione baſilicarum, & alijs pijs operibus. at eorum ſubditis Epiſcoporum proſunt indulgentiæ. *cap.* 4. Archiepiſcopus per totam prouinciam eas valet concedere, ſeruata generalis Concilij forma. *cap.* 15. Et indulgentia non vltra annum extenditur, vel in anniuerſario dedicationis tẽpore, quadraginta dies. Hunc quoque dierum numerum literis indulgentiarum exprimi voluit Innocentius huius nominis tertius. *cap.* 14. Romanæ Eccleſiæ princeps quin poſſit omnes concedere indulgentias, nemo dubitat; & præſertim Iubilæi anno, in quo plenaria fit remiſsio.

qui

qui olim erat centesimo anno. *cap.* 1. *extra. com. eod.* & qui à Clemente sex. ad quinquagesimum annum redactus fuit *cap.* 2. *eod. extr.* tum à Sixto iv. ad vigesimum quintum. *cap.* 4. *eod. extrau.* & hoc hodie vtimur.

De sententia excommunicationis. Tit. 39.

VLTIMVM obtinere locum pœnam excommunicationis voluerunt summi Rom. Ecclesiæ antistites: etenim hac pœna in Ecclesia nulla maior est, autore Augustino in *cap. corripiantur.* 24. *quæst.* 3. hinc merito, ab Innocentio iij. in *cap. cùm inter. sup. de consuet.* dictum est excommunicationem esse neruum Ecclesiasticæ disciplinæ; ad quam nemo nescit, quàm inuite descendant. Corripiuntur primò quorumlibet crimina cum charitate, humilitate; tum saluberrimis pœnitentijs, ac plerunque remissionibus; his omnibus veluti igne quodam pietatis vtuntur, quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, & pio increpantis medela processerit; in eis qui diu portati, & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putridæ corporis partes, vt ait Prosper *cap. ecce autem.* 24. *q.* 3. debent ferro excommunicationis abscindi: ne, sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpat, Sic illi, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in Sanctorum societate permanserint; eos exemplo suæ perditionis interficiant. Excommunicatio quid, & quotuplex sit, diximus *sup. tit.* 27. sed præter excommunicationem maiorem, & minorem, fit haud raro in libris nostris mentio anathematis in eundem prope sensum, quo maior excommunicatio assumitur. Quare ab re forte non erit hoc in loco paucis explicare, quid sit Anathema. & est per manus receptum, Anathema quo ad vinculum non differre à maiori excommunicatione: tamersi quo ad solemnitatem differat maxime. *cap. debent.* 11. *q.* 3. Est ergo anathema solennis maledictio, quæ fit per execrationes publicas aduersus excommunicatum. hinc fit, vt anathema proprie excommunicationem maiorem præmittat. quamuis *ex cap. Engeltradam.* 3. *q.* 4. constet aperte, anathema ab excommunicatione maiori nihil differre, licet differat à minori. ob id frequentissime anathema pro maiori excommunicatione intelligitur, atque accipitur. Nam is, qui est excommunicatus, etiam anathema factus est; & non modò à sacris summouetur, sed etiam ab hominum consortio, quasi aqua, & igni quodammodo ei interdictum sit. Est q. hoc pœnæ genus illi haud dissimile, quo Druydes Gallorum sacerdotes olim vsos fuisse autor est Cæsar *lib.* 6. *de bell. Gall.* his verbis: si quis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur; ab ijs omnes discedunt, aditum, sermonemq. defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. Solitos quoque Græcos foro, & sacris tales arcere accepimus. Cuius pœnæ pleraque apud Græcos autores exempla inueniuntur. immo Plinius *lib.* 6. *cap.* 22. testatur regem Arabum morte mulctari, nullo interimente, auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. Ex quibus licet haud male intelligere, quàm antiquus sit huius excommunicationis vsus. Hic autem titulus omnes prope excommunicationis species continet, eosq. longo tractatu persequitur; vel de ijs, qui manus in clericos injiciunt. namque *à cap.* 1. *ad.* 38. *vsque*, tribus, seu quatuor exceptis, mentio duntaxat fit eorum, qui clericum percusserunt. tum in *cap.* 47. 50. 54. *S. vlt.* & in *cap.* 57. & isti à summo tantum Pontifice possunt absolui, vel ab ipsius Legato à latere. *cap.* 20. & *cap.* 58. nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, pueruli, seu senili ætate, sexus fragilitate, atque alia corporis impotentia, vel quolibet alio impedimento à sacris canonibus approbato *cap.* 6. 13. 26. 33. & 58. ijs casibus poterunt à proprio Episcopo absolutionem recipere: præstito tamen prius iuramento, quod postquam fuerint restituti, ad Romanum Pontificem, vel eius Legatum absolutionis causa accedent; pueris exceptis, qui siue ante, siue post pubertatem postulent absolui, potest Diœcesanus absolutionis beneficium impartiri. *cap. vlt.* Monachos se adinuicem percutientes, ac regulares canonicos, fratresque hospitalis Hierosolymitani absoluit abbas, & prior. quod si horum discretio non sufficiat, prouidentia Diœcesani Episcopi est adhibenda. *cap.* 2. & *cap.* 50. Excommunicantur incendiarij, rerum Ecclesiarum raptores, hæretici, & quicunque Ecclesiæ libertatis violatores, vti statutarij, scriptores statutorum ipsorum, potestates, rectores, consules, consiliarij, vel quoquo nomine sint; atque etiam, qui cum excommunicatis commercium habent, vel eos alloquuntur, nisi pro conuersione *cap.* 54. Morientibus tamen, immo & viuentibus, tempore generalis interdicti concedi potest Baptismus, Chrisma, ac pœnitentia, ac verbum Dei licite prædicari. *cap.* 43. Neque vt pereat quis, ideo excommunicatur, sed vt pudore suffusus resipiscat

ſcat tandem, & ad frugem bonam redeat. quod cùm acciderit; abſoluitur, & ad communionem admittitur. *cap. inter hæc. 33. q. 2.* quapropter in *cap. 1. eod. in 6.* medicinalis dicitur. Sed ne forte cùm Luthero erremus, ſcire oportet, quare excommunicatio dicatur medicinalis. eſt etenim, & dicitur ex fine: eius finis eſt mederi peccatori morbo peccati laboranti. Conſtituitur ad hunc finem, vt excommunicatus reſipiſcat, pœniteat, atque ſatisfaciat Eccleſiæ, quam quidem propria conſcientia iniuria afficit. Quia etſi excommunicatio pluribus detrimentis, & ſpiritualibus incommodis quemquam afficiat, ex hoc tamen non poteſt dici, quin ſit medicinalis. Nam & medicamenta omnia, quæ ægrotantibus adhibere medici ſolent, venena dicuntur, in *l. qui venenum. ff. de verb. ſignific.* Nonius Marcellus de Compendioſa doctrina: Medicinam dicimus & venenum, tractum à Græcis, qui venenum φάρμακον appellant. quia, vt ait Gallenus *lib. de ſanit. tuend. 1. cap. penult.* medicamenta omnia, vt iuuant, ſemper aliquam tamen afferunt ſimul noxam. quoniam, vt idem *lib. 5. cap. 1. de ſimplic. medic. facultatibus* teſtatur, medicamenta omnia apta nata ſunt alterare. nam nutrimentum vincitur, ac ſuperatur ab eo, quod nutritur; medicamentum contra. Siquidem medicamentum vincit, atque ſuperat corpus, cuius fuerit medicamentum. Finis tamen medicamenti adeo cuiuſcunque eſt optimus, quatenus morbi cauſam expellit. quia ſi non adhiberetur medicamentum, facile morbus interimeret hominem. & quemadmodum clauo clauus, vt in prouerbio eſt, truditur, ita venenum veneno expellitur. & cùm medicamenta venena ſint, non poteſt fieri, quin corpus, cui adhibentur, non patiatur; maximum tamen afferunt adiumentum, & ijs ſanatur homo; cùm medicamenti finis ſit, ſanitatem afferre: licet hunc finem ſemper non attingat. Pari ſane ratione excommunicatio, licet per ſe mala ſit, cùm hominem ſpiritualibus dõnis priuet, animæ tamen ſalutare medicamentum affert, ſi peccatorem ex morte ad vitam poterit reuocare. & facile poterit, ſi excommunicatus eam non contempſerit: ſed potius confuſionem, erroremq. ſuum reſpiciens, emendet, quæ male antea egerat. Hinc videmus plurimum Theodoſio Imperatori profuiſſe excommunicationem. *cap. cùm apud Theſſalonicam. 11. q. 3.* Nam Origenes *lib. iudicum:* De Eccleſia, inquit, per ſacerdotem pellitur, vt notatus ab omnibus erubeſcat: & conuerſo eueniat ei illud quod ſequitur: vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini. id Origenes ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 5.* Tradi, inquit, huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſaluus fiat ſpiritus eius in die Domini. *cap. audi. & c. omnis Chriſtianus. 11. q. 3.* At ſi excommunicatus contemnens excommunicationem, pœnitere negligat, ac eius cor fuerit induratum, non medicinalis ei erit, ſed lethalis. Nihilominus adhuc dicetur medicinalis pœna. erit enim excõmunicatio medicina reliquis Eccleſiæ membris: & per eam contulitur incolumitati totius reliquæ communionis, iuxta illud Virgilij *eglog. 1.*

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

& vt ab initio diximus *ex c. ecce autem. 24. q. 3.* quibus haud male cõuenit illud Vlpiani in *l. congruit. ff. de offic. præſid.* Congruit, inquit, bono, & graui præſidi curare, vt pacata, ac quieta prouincia ſit, quam regit. quod non difficile obtinebit, ſi ſolicite agat, vt malis hominibus prouincia careat, eoſq. conquirat. Infinitæ huiuſce rei autoritates in medium adduci poſſent; ſed hæc tantum in præſentia. Eſt & illud ex hoc titulo notatu dignum, ſcilicet non eſſe orandum, neque dandam eſſe eleemoſynam pro excommunicato in excommunicatione defuncto, neque Eccleſiaſticam ſepulturam, etiamſi euidentiora præbuerit pœnitentiæ ſigna antequam mortem obiret: licet apud Deum intelligatur abſolutus. *cap. 28.* & ratio eſt, quia Eccleſiæ abſolutio nullatenus neceſſaria videretur (vt in antiquis Codicibus in *d. cap. 28.* legitur) ſi in ſola cordis contritione præter ſacerdotale officium rigor relaxaretur Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

De verborum ſignificatione. *Tit. 40.*

HI duo tituli De verborum ſignificatione, & De regulis iuris, communes ſunt omnium partium, & titulorum ſuperiorum. Expoſitis itaque diuerſis conſtitutionibus ad iudices, ad iudicia, clericos, matrimonia, atque crimina pertinentibus, cùm nulla prope ſit illorum pars, quæ non indigeat verbi ſignificatione, inuentaq. ſint verba, vt dicentis ſententiam exprimant, vt late in meis Pomeridianis ſeſſionibus diſſerui; ac circa ipſorum interpretationem frequentes oriantur quæſtiones: quia plerunque qui anſam ſoluere exiſtimant, & nodum nectunt, vti diſerte ſcribit Innocentius tertius *in cap. 24. hoc tit.* neceſſe fuit, vt ſpecialis de verborum ſignificatione daretur titulus, vt ex varijs, diuerſiſq. ſtorum generibus faſcem vnum haberemus. & quanquam omnia hoc titulo dari non poſſint, cùm plura ſint negotia, quàm vocabula. *l. 4. ff. de præſcript. verb.* ad conſequentiam attamen trahi licet. *cap. 6. & cap. 8. huius tituli.*

De

De regulis iuris. *Tit.* 41.

HIc titulus continet etiã nonnullas iuris ſuperioris partes, & alias, quarũ ſupra nulla facta eſt mentio; quamuis hìc vndecim ſolùm proponantur, vt vocant, regulæ ex ſanctiſſimis patribus, & ex nonnullis Paparum conſtitutionibus collectæ, vt ex inſcriptionibus apparet: à Bonifacio viij. tamen *eod. in ſex.* octingenta octo abſque vlla inſcriptione, ſed ſub eius tantum nomine proponuntur. Regula dicitur Latine, quod, Canon Græce. *c. canon. 3. diſtinct.* Regulæ ethymologiam variam dat Iſydorus. *c. regula. 3. diſtinct.* At quod ad nòs pertinet, mihi videtur, quod oportuit dixiſſe Paulus Iuriſconſul. *in l. regula. ff. eod.* quòd regula ſit, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat; non vt ex regula ius ſumatur, ſed vt ex iure, quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur. Hinc differre videmus Regulam à lege, vel à canone; quòd lex dicatur, vel canon, quod populus, vel Pontifices certo, & cognito omnibus iure conſtituunt: Regula verò, quam Iuriſconſul. vel ipſi Pontifices ex pluribus, & varijs legum, & canonum capitibus notatis, ac inter ſe comparatis elicuerunt; vt ſatis apte dici poſſit, leges, & canones tanquam voces eſſe, & ſonos ſingulos; regulam eſſe veluti harmoniam quandam, & concentum, quaſi ex varijs, & diſparibus vocibus conficiatur. Et his impoſitus eſt hìc finis; pro quibus omnibus gratias agamus Chriſto Deo noſtro, quoniam illum ſolum decet omnis gloria, honos, & cultus, vnà cum Patre æterno, & ſanctiſſimo, ac viuificatore Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſempiternum.

Amen.

***

FINIS.

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

EX CEVAE MARCHIONIBVS,

ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS

TARANTASIENSIS,

ANIMADVERSIONVM

TAM EX IVRE PONTIFICIO, QVAM CAESAREO.

LIBRI DVO.

AD SERENISSIMVM

CAROLVM EMANVELEM

ALLOBROGVM DVCEM,

Et Italiæ Subalpinæ Principem.

Digitized by Google

SERENISSIMO

CAROLO EMANVELI

ALLOBROGVM DVCI,

SVBALPINÆQ. ITALIAE PRINCIPI, &c.

Anastasius Germonius Archid. Taurin. S. D. P.

QVAM difficile, & periculosum sit, vulgique temerario iudicio obnoxium, CAROLE SERENISSIME PRINCEPS, hoc scribendi genus, quod in legum, iurisque interpretatione est positum, ignorant perquàm pauci. Cuius difficultatis causa partim in re ipsa videtur esse. cùm enim reliquæ artes ac scientiæ ita se habere proculdubio videantur, vt ijs principijs constent, quæ aut omnino certa sunt, aut saltem probabilia putantur; quibus ex principijs, tanquam ex fontibus, cætera deriuare difficile admodum non sit: hoc in iuris scientia haberi nequaquam potest. Si quam enim originem, caput, & principium habet, vt habere, & quidem nobilissima, inficiari non possumus, ea sunt tam alte, longeque petita, vt quæ inde sequuntur, sint veluti innumeri prope riuuli ex fonte vno deducti, qui diuersa in loca, longisque interuallis, & itineribus trahuntur ita, vt illa perquirere laboriosissimum sit, & pene impossibile. Quod malum non aliunde, quàm ex multiplici ipsius iurisprudentiæ argumento, in humanis actibus, negotijs, & accidentibus, quorum nunquam in eodem statu permanens, sed fluxa, mutabilisque natura est, consistente oriri videtur. Altera verò difficultatis pars, quæ hodie longe plus habet scriptores, ex ipsorum iuris interpretum dissidio, & dissensione, ac sæpe præposstera voluntate, & vario cuiusque iudicio, proficiscitur. Alij siquidem obesse existimant linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, differendi atque dicendi rationem, & cæteras artes, atque disciplinas, quibus veteres iurisconsultos præditos fuisse videmus. Ideóq. nec verborum delectu, nec bonorum autorum sententijs in legibus, canonibusq. explanandis opus esse asserunt: sed illud dicendi genus, quo superioris seculi homines nati in ipsius Latinæ linguæ tenebris, vsi sunt, vtilius esse opinantur. Nec quicquam certi constitui posse illis videtur, nisi per magnam Doctorum congeriem, per multas consiliorum, decisionumq. aceruatarum, vt vocant, columnas, super quibus omne ædificium concinne impositum esse arbitrantur, liquido probatum fuerit. Alij autem ita delicati sunt, & fastidiosi iudicij; vt hæc omnia inania, ac veluti ægri somnia esse contendant; adeoq. pulchritudine, dictionis, atque ornamentorum suauitate detinentur, vt in poetarum, oratorum, veterum Iurisconsultorum, aliorumq. elegantium tantum autorum scriptis, quæ ad rem ciuilem spectant, impallescere rectius esse ducant; aliorum autem iurisperitorum opiniones, non necessarias, immo vero reijciendas, ac pro nihilo habendas esse palam prædicent; vel eo fane prætextu, quòd cùm rem vnam vno iuris loco explicare possint, multa proferant consiliorum millia: Se ipsos verò tanti faciant, vt vbi etiam opus est, aliorum interpretum, quorum beneficio iuris cognitio, & si non perfecta, at saltem aliqua, ad nos peruenit, testimonio nusquam vti velint. Ideóq. cernimus aperte ipsos, alioquin vbique orbis terrarum celeberrimos interpretes, ab illis aut silentio præteriri omnino, aut si nominantur, non honoris, sed redarguendi, & irridendi duntaxat causa produci. Quibus profecto interdum fit, vt quo se vertant hodie scriptores, fere nesciant; etsi quàm difficile sit placere omnibus, facile intelligant. Cùm igitur tantum mihi otij datum esset, vt per ingentem, immensumq. iuris vtriusque, Pontificij,

ficij, & Cæſarei campum vagari libere liceret, illudq. quod medium eſt, atque inter vtrunque, probari à doctiſsimo quoque intelligerem: id mihi, quatenus poſſem, ſequendum haud hæſitanter decreui. quam ſententiam etiam ingenioſiſſimi poetæ illud comprobat, Medio tutiſſimus ibis. Antiquitatem enim, quando res ita poſtulare viſa eſt, cum canonibus, ac legibus eo, quo potui modo, temperare, & bonorum ſcriptorum lumine pro viribus colluſtrare ſum conatus; & in controuerſis iuris quæſtionibus, interpretum teſtimonia in eam rem, quam probare in animo erat, aſſumpſi; ac in omnibus eorum conſenſum requiſiui; quæq. mihi magis vera, atque recta viſa ſunt, ea ſum ſequutus. Quod quiſque plane videre poterit in ijs, quæ hinc, atque illinc, apum more collegi, atque in hunc libellum, quaſi in faſciculum conieci. Qui nunc, qualiſqualis ſit, in hominum conſpectum exit, ſed ea lege exit, vt in tuo nomine, CAROLE SERENISSIME PRINCEPS, diuulgetur, & appareat. Quamuis enim intelligam non eo me vel ingenio, vel doctrina eſſe, vt quicquam auribus tuis dignum afferre poſſim, & ſcholaſticas controuerſias, de iure præſertim, & quæſtionibus forenſibus, Principi offerre indecorum, ac ineptum quibuſdam viſum iri ſatis animaduertam: non omnes tamen (quod ad argumentum attinet) ita ſentiunt; tum quia Principem vtraque militia clarum eſſe debere fatentur omnes; tum quia nonnulla hìc diſputata ſunt, quæ Principe non plane indigna videri poſſunt; vel diſputatio illa, quomodo Princeps legibus ſolutus eſſe dicatur. Quæ etſi nota tibi, ac perſpecta eſt, non ab omnibus tamen hactenus fuit intellecta. At verò tibi quàm ſit cognita, re ipſa quotidie oſtendis: quippe qui non te legibus, ſed leges tibi præeſſe voluiſti; immo tibi ipſi legem impoſuiſti, rerum omnium inanium cupiditatem excludens, ad ſolidam laudem omnia referens; immortalis Dei gloriam, in qua ſummum imperium exiſtere optime noueras, in omni vitæ curſu, hoc eſt tuam ſalutem, ſpectare in primis velle. Ex quo omnes heroicas virtutes emanare pluſquam in manifeſto eſt; ita vt merito ab omnibus innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ habearis; noſque tali Principi, veluti ſub quodam ſacerdotio deſeruire, ab alijs gentibus exiſtimemur. Pro qua eximia fœlicitate quantum nobis inuident alij, ea tantum nos gloriamur, eamque prædicamus. Quare licet ſubditorum omnium in te voluntas, animuſque ad te vnice amandum, colendum, & obſeruandum propenſiſſima iam antea multis rationibus, & argumentis tibi perquàm perſpecta ſit: ex eo etiam potuit intelligi, quòd cùm in Hiſpaniam claſſe profecturus eſſes, vti cum SERENISSIMA CATHARINA potentiſsimi, & inuictiſſimi PHILIPPI Regis filia ſanctiſsimo matrimonij vinculo iungereris, & quandiu in ipſo maritimo curſu, ac in Hiſpania abfuiſti, die nocteque nec clericus, nec laicus, neque vir, neque fœmina, nec cuiuſque ætatis, aut conditionis homines vnquam deſiuerunt pro eiuſmodi itineris fœlicitate, ac reditu cum SERENISSIMA CONIVGE in patriam omnipotenti Deo vota facere, & preces effundere. Quibus exauditis, nunc Deum Opt. Max ſupplices orant, ac ſtudioſiſſime precantur, vt hoc ſanctum connubium ſuum præcipuum, vt dicunt, finem, aſſequatur, quod eſt prolis fœliciſsima procreatio; eamque parentibus, & auis optimis Principibus ſimilem concedere, atque elargiri dignetur. Ex ea enim quantum quietis, & pacis habituri ſint, non ſolum tuæ ditionis, ſed & totius orbis Catholici homines, iam animo conceperunt. In qua communi lætitia, gratulatione, voto, ac precatione, facere non potui, quin obſeruantiam in te meam aliquo argumento teſtatam eſſe optarem. Neque alio fere conſilio meis hiſce Animaduerſionum libris nomen tuum inſcribere cogitaui. In quibus ſi bene poſuram à me operam ingenij tui perſpicacitas exiſtimauerit, fiet profecto, ne qua prorſus in eiuſmodi difficultate, nec in huiuſmodi ſcopulo prorſus hærere tenuis noſtra vereatur induſtria: ſed in eum, quo tendit animus, portum ſecundo curſu, tuæ humanitatis aura proſequente, facilius euectum iri ſperabo. Auguſtæ Taurinorum, vij. Id. Auguſti, MDLXXXV.

CAPITA DVORVM librorum Animaduerſionum.

LIBER PRIMVS.

QVOMODO Princeps dicatur eſſe ſolutus legibus, & Interpr. l. Princeps, ff. de legib. & l. ex imperfec. ff. de leg. 3. cum alijs quibuſdam. Cap. I.

Explicatio l. leges, 7. C. de leg. & cap. vlt. de conſtit. & cap. penult. de off. leg. in 6. & an leges ad præterita trahantur negotia: & quæ dicantur pendentia negotia. Cap. II.

De tempore quo lex ligat ſubiectos. Quòd poſt duos menſes à tempore publicationis lapſos, nemo admittitur ad probandam legis ignorãtiam. Explicatur Iuſtiniani Nouell. 66. & l. vlt. de decret. ab ordin. faciend. cum multis alijs iuribus Pontificijs. Cap. III.

Ex pacto nudo nulla iure Põtificio datur actio, etiam ſi iuriſiurandi religione fuerit ſanctum, & de ſententia cap. 1. & cap. 3. de pact. & cap. 2 de pact. lib. 6. Cap. IV.

Non ſola in ius vocatio, ſed litis conteſt. perpetuat iuriſdictionem, & ſublata Antinomia, quam volunt noſtri eſſe inter cap. gratum. & cap. relatum, de offic. iud. deleg. Cap. V.

De Epiſcopi Vicario, & quam habeat iuriſdictionem. Cap. VI.

De Vicario foraneo: & non ab eo appellari Epiſcopum; ſed ſuperiorem: & explicatur cap. 2. de conſuet. lib. 6. Cap. VII.

De delegato legati à latere, qui alteri iuriſdictionem mandare nequaquam poteſt. Quòd hodie ſublata non eſt differentia dandi iudicis, & mandandæ iuriſdict. intellectus ad cap. cùm Berthol. de re iud. & explicatio l. ædiles, ff de ædil. edic. Cap. VIII.

De adulterij crimine cognoſcunt etiam ſacerdotes; intellectus ad can. de benedicto, 32. q. 1. & cap. 1. de offic. ordin. Cap. IX.

De clauſula illa, vt quis poſſit libere appellare, de ſententia, cap. 1. de reſcript. l. ſi quando, C. de inoffic. teſtam. & l. 2. ff. de appell. Cap. X.

De concubinis, & explicatur can. is, qui non habet; 34. dist. & l. in libera, ff. de rit. nupt. & Iuſtiniani Nouella 74. Cap. XI.

An clerici ſecularium Principum legibus ſubijciantur, & de ſententia c. Eccleſia S. Maria, de conſtitut. Cap. XII.

De clauſula, appellatione remota. item de iudicis recuſatione, & de ſententia l. fin. C. de ſentent. & interloquutor. Cap. XIII.

De reſcriptis, an vnius anni tẽpore finiantur; & conciliata l. falſo, C. de diuerſ. reſcr. cum cap. ſi autem, & cap. plerunque, de reſcr. Cap. XIV.

Conciliatio l. 2. & l. etſi legibus, C. ſi contr. ius, & vtilit. publ. & explicatur cap. ſuper literis, de reſcr. hoc eſt de reſcripto obreptitio, & ſubreptitio. Cap. XV.

Nullum eſſe gradum in contrahendis nuptijs iure naturali prohibitum: & in quibus gradibus diſpenſare poſſit ipſe Rom. Pontif. interpretatio cap. literas, de reſt. ſpol. & cap. 19. Leuit. & conciliatur Corn. Tac. cum Plutarcho. Cap. XVI.

Conciliatur cap. extirpand. in §. qui verò, de prabend. & dignit. cum cap. 2. cap. inter. cap. ex tua. & cap. vlt. de cler. non reſid. & de habente benefic. curatum, in eoque non reſid. Cap. XVII.

Interpretatio cap. præter, de teſtibus. & cap. literis, de præſumpt. quibus perperam iuris vtriuſque anteceſ. nituntur probare ex præparatorijs adulterij argui adulterium. Cap. XVIII.

Quid ſit iudic. crim. quid ciuile: & nouus intellectus ad cap. per tuas, de ſimonia. Cap. XIX.

Conci-

Conciliatio can. placuit, 16. q. 4. & cap. 1. de præſcript. & de eorum inſcriptione, & cap. ſanè, de for. compet. & de triennali præſcriptione. Cap. XX.

LIBER SECVNDVS.

CONſtitutiones, quæ ex Concilijs deſumuntur, quare quandoque ſub nomine Rom. Pontif. quandoque ſub nomine ipſius Concilij edantur. & quare ſolus vrbis Epiſcopus Papa dicatur. & quid ſit Synodus Martini Papæ apud Gratianum. & vnde Papæ nomen habuerit originem. Cap. I.

Reſtituta negatio in cap. cùm ſocietas, 27. q. 2. & de matrimonio, quod ante corporis commixtionem imperfectum eſt. Cap. II.

Quando quis ad factum cogi poſſit. Cap. III.

Interpretatio noua l. ſi vxor, §. Diuus, & §. ſi minor, ff. ad leg. Iul. de adul. Et an adulterium cum vxore de futuro committi poſſit; Et quænam ſint adulterij pœna tam iure Cæſareo, quàm Pontificio. Cap. IV.

Conciliatio cap. 2. & cap. requiſiuit, cum cap. ex literis Siluiani, de ſponſal. & matrim. Nullã eſſe differentiam inter iuramentum, & ſimplicem promiſſionem quoad matrimonij contractum. Cap. V.

Interpretatio cap. Iuuenis, de ſponſ. & matr. & l. in ſponſalib. 1. ff. eo. & intra quam ætatem contrahi legitimè ſponſalia poſſint. Cap. VI.

Verbum, veteribus, apud Vlpianum quomodo accipi debeat in l. 2. ff. de ſponſal. Cap. VII.

De annul. quo ſubarrantur ſponſæ, & quare digitus minimo prox. manuſq. ſiniſtr. annul. exorn. reiecta Isydori, Gellij, aliorumq. veterum hac de re ſententia. Cap. VIII.

De iuram. promiſſ. Et cum quis iureur. promiſit ſe aliquid mihi certa die daturum, ſi deinde diem protulero, vtrum opus ſit alio iurament. an ſufficiat primum. Cap. IX.

Intra quod tempus debeat fieri diuortium, ſi matrimonium non fuerit corporum commixtione conſummatum: & de ſententia cap. laudabilẽ, de frigid. & maleſ. Cap. X.

De nuptijs, inuitis, vel neſcientibus parentibus contractis. Cap. XI.

De filij exhæredatione, qui inuitis parentibus nuptias contraxit. Cap. XII.

De donat. int. coniug. quorum is, qui donauit, vitam ſibi monaſticham elegit. Cap. XIII.

Non probatur Vlpiani reſponſum in l. 3. de ſuis, & legit. Nouus intellectus ad cap. vlt. de ſec. nupt. ac de muliere, defun. priori marito, ſtatim nubente. Cap. XIV.

De introductitijs mulieribus. Cap. XV.

De varia Romani Pontificis electione. Cap. XVI.

De pacto redimendi, cùm emptor vendere voluerit. Cap. XVII.

Interpretatio cap. 1. & cap. à nobis, de cohab. cler. & mulier. Cap. XVIII.

De tranſlat. Epiſc. & de differentia ſpiritualis coniugij, quod contrahitur inter Epiſc. & Eccleſ. & inter ſacerdotem Epiſcopo inferiorem & Eccleſ. Cap. XIX.

Dictionem, Conditionem, in cap. nulli, in §. alienatio, de reb. Eccl. alien. vel non. ſuperfluam eſſe, & mendoſe à Burchardij librarijs pro Venditione adiectam. Cap. XX.

Recuſato eo, qui principalem habet iuriſdictionem, vt ſuſpecto, recuſari poſſe eius quoque Vicarium: Conciliata l. vnic. C. ſi quacumque præd. poteſt. cum cap. inſinuante, de off. ind. deleg. & qui ſint Vicarij Præfectorum Prætorio. Cap. XXI.

Impunè eum, qui ſtare velle alterius iudicis iuriſdictioni conuenit, pœnitere poſſe ante iudicij additionem, & litis conteſtationem. Conciliata l. ſi conuenit, ff. de iuriſd. omn. iudic. cum l. pen. C. de pact. & cum cap. 1. de iudic. Cap. XXII.

FINIS.

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus, ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS, ANIMADVERSIONVM

Tam ex iure Pontificio, quàm Cæſareo.

LIBER PRIMVS.

Quomodo Princeps dicatur eſſe ſolutus legibus: & Interpretatio *l. Princeps. ff. de legib.* & *l ex imperfecto ff. de legat.* 3. cum alijs quibuſdam. Cap. I.

VLPIANVS *in l. Princeps. ff. de legib.* ſcribit Principem legibus ſolutũ eſſe. Paulus verò *in l. ex imperfecto. ff. de legat.* 3. Ex imperfecto, inquit, teſtamento legata, vel fideicommiſſa Imperatorem vendicare verecundũ eſt: decet enim tantæ maieſtatis eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus videtur. idem Alex. Imperator *in l. ex imperfecto. C. de teſtamen.* dum ait, nihil eſſe tam proprium imperij, quàm legibus viuere; ita vt ex imperfecto teſtamento hæreditatem vendicare non poſſit. & *in l. 4. C. ad leg. Fal.* cuius auctor eſt idem Alex. optimus, & luſtiſsimus Princeps; Si quid legatum fuerit Principi, poſſe hæredem falcidiã detrahere. Imperatores quoque Theodoſius, & Valentinianus *in l. digna. C. de legib.* Digna, inquiunt, vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Has omnes leges, & ſi contrariæ non ſunt, conciliare tamen nixi ſunt Græci interpretes, ſcilicet *l. Principes*, accipiendam eſſe de legibus pœnarijs; vir doctiſſimus Cuiacius *lib. obſer. 15. c. 30. de Caduciarijs:* cùm eius inſcriptio ſit ad legem Iuliam, & Papiam: quæ ſatis per ſe erant odioſæ, quas deinde fauore populi abrogauit Iuſtinianus *in l. vnica C. de caducis tollend.* eiuſdem opinionis eſt Antonius Auguſtinus, vere alioquin iuris ſacerdos, in ſuo de legibus tractatu in fine principij. Vulgo Latini interpretes de quibuſcumque legibus volunt intelligi. Male, meo iudicio, omnes. Rem hanc rectiſſime, & pulchre videtur explicaſſe vnus D. Thomas Aquinas *1. 2. q. 96. art. 5.* vt Princeps dicatur ſolutus legibus, quoad vim cogendi. (nemo enim cogitur proprie à ſeipſo) ſed quod facit, voluntate facit propria, *argum. l. ille à quo. §. tempeſtiuum. ff. ad S. C. Trebell.* quinimo luriſconſultus *in l. ſtipulationes non diuiduntur. §. Celſus. ff. de verb. obligat.* reſpondit, neminem ad factum cogi poſſe. Quod ſi nemo cogi poteſt ad factum: multo minus, quis à ſe ipſo cogetur. nam & Grammatici primam Imperatiui perſonam omiſerunt perite, intelligentes nimirum ſibi imperare poſſe neminem: quod aperte reſpondit Marianus luriſconſult. *in l. penul. ff. de recep. arbitr.* ibi, *neque imperare ſibi, neque prohibere quiſquam poteſt.* Lex autem non habet vim cogendi, niſi ex Principis poteſtate. Princeps igitur ſolutus dicitur legibus, cũ nemo in ipſum poſſit condemnationis iudiciũ facere. quapropter gloſſ. quam vno ore ſequuntur Theologi omnes in Pſal. 50. in verſ. *Tibi ſoli peccaui*, ſcribit eo dicendi genere vſum fuiſſe Dauidem, quia Rex erat; Rex verò non habet hominem, qui eius facta dijudicet. *cap. facta. 9. quæſt. 3.* Non autem quo ad viam dirigendi, qua & Princeps ſubiacet legibus propria voluntate. ſiquidem fruſtra eſt potentia omnis, quæ reduci ad actum minus poteſt; ideo vis coactiua legis humanæ, non extendit ſe ad eum, reſpectu cuius reduci non poteſt ad actum; ac proinde ad Principem ſe non extendit, cum

non queat à ſua poteſtate cogi; ſed ad alios dumtaxat, qui licet non puniantur, puniri tamen poſſunt Principis auctoritate inuiti. Ariſtoteles *Polit. 3. cap. 9.* Fieret, inquit, illis iniuria, ſi patiter atque alij cenſeantur, cùm ſint vſque adeo ſuperiores, ſecundum virtutem, & ciuilem potentiam. Putandum eſt enim talem virum tamquam Deum in hominibus eſſe. Ex quo manifeſtum eſt poſitionem legum neceſſariam eſſe circa æquales genere, & potentia: ſed in illos tales non eſt lex: ipſi enim ſunt lex. Etenim ridiculus foret, qui illos ſubijcere legi conaretur. Diceret enim fortaſſe, quemadmodum de Leone ſcribit Antiſthenes, concionantibus lupuſculis, ac cenſentibus equum omnes habere debere. Hæc Ariſtoteles de vi cogendi. Vis autem dirigendi eiuſdem extendit ſe ad omnes Principes, atque ad ſubditos; quia actus eius reſpectu omnium exercetur. Dirigitur enim quis à ſe ipſo, & ab alio, non cogitur tamen à ſe ipſo. Via ergo dirigendi, Princeps ſubiacet legi auctoritate propria; *vt in cap. cùm omnes.* ibi, *patere legem. de conſtitut. in cap. in cauſis. de re iudic. in toto tit. quod quiſque iuris. ff.* Et ita interpretari oportet *d. l. ex imperfecto, d. l. digna vox*, cum alijs ſuperius relatis, quæ videbantur aduerſari *l. Princeps*, quibus conuenit, quod Plinius Traiano Imperatori in Panægyrico dicit: Vt enim felicitatis eſt, poſſe quantùm velis: ſic magnitudinis velle, quantùm poſſis. Vnde Gratianus *in cap. ideo 25. quæſt. 1.* ita ſcribit: Romana Eccleſia habet ius condendi Canones; vtpote quæ caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum, à cuius regula, nemini diſſentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præſtat, vt ſeipſam non ſubijciat eis; ſed ſicut Chriſtus qui legem dedit, ipſam legem carnaliter impleuit, octaua die circumciſus, quadraginta die in templo cum hoſtijs præſentatus: vt in ſeipſo eam ſanctificaret: poſtea vero vt ſe dominum legis oſtenderet, contra legis litteram, leproſum mundauit. alia equidem multa adduci poſſent exempla, quibus aperte videmus Principem eſſe ſolutum legibus, quoad viam cogendi, & ſubditum legibus, quoad viam dirigendi. alioquin verificaretur dictum Domini apud Matth. 23. *Qui dicunt, & non faciunt: & qui alijs onera grauia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea mouere.* Ratio quoque naturalis dictat, Principem illam ſeruare debere legem, quam ipſe tulerit. T. Liuius *lib. 3.* Leuius eſt, & vanius ſua decreta tollere, quàm aliorum. & *canon. iuſtum. 9. diſtinct.* Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri ſuis, nec in ſe conuenit poſſe damnare iura, quæ in ſubiectis conſtituunt, iuſtum eſt. Iuſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi; quod populis prohibent, ſibi licere non patiatur. Turpe ſiquidem apud Principem Reipub. caput eſt, quod non conueniat eius communitati. Idcirco Darius Medorum Rex, cùm Danielem à lacu leonum vellet liberare, ab optimatibus ſuis eſt reprehenſus dicentibus, O Rex ſcito quia lex Medorum atque Perſarum eſt, quòd omne decretum, quod conſtituerit Rex, non liceat immutari. *Daniel. cap. 6.* Quare Plato *de legibus lib. 4.* Interim, inquit, paratum exitium illi ciuitati video, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt: ſalutem verò illi, vbi lex ſeruientibus magiſtratibus dominatur. quam concluſionem confirmat Apoſt. ad Rom. 2. Propter quod, ait, inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. in quo enim alterum iudicas, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea; quia tu effugies iudicium Dei? Quam in rem mirifice admodum facit illud *Regum 2. cap. 12.* Nathan enim propheta, quo maiore regem Dauidem pudore ſuffunderet, ſua ipſum de aliena perſona lata ſententia condemnauit. Intereſt enim valde Reipub. vt Princeps, & illi, qui ſciſcendarum legum poteſtatem habent, leges à ſe conditas obſeruent, vti ab alijs obſeruare volunt. Quod illis videtur indicaſſe verſibus Claudianus;

In commune iubes ſi quid, cenſerve tenendum.
Primus iuſſa ſubi. tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. &c.

Nihil equidem populus magis intuetur, quàm Principes; eorumq. vitam, ac mores obſeruat, ac pro lege habet. Zaleucus contra adulteros legē tulit, vt oculos in eo comprehenſi perderent. cùmq. forte filium in adulterio comperiſſet, totiuſque ciuitatis precibus flecti non potuiſſet, vt ſibi ab eo puniendo temperaret: filio vnum, & ſibi alterū effodit oculum. legiq. parere maluit, quàm non parendo efficere, vt legum ſeueritas, & auctoritas vileſceret. Refert Ioan. à Turrecr. *in Hiſt. de Monarch. Indiana. lib. 2. c. 64. par. 1.* Hezahualpulli Regem, & Monarchā magni Regni Tezcui in noua Hiſpania poſiti, & ſi populi illi à nobis barbari vocitātur, Huexotzincatzin filium à ſe vnice dilectū ad mortē condemnaſſe, quòd legē in regali palatio poſitā violaſſet: nec vel maternis, vel fraternis, omniumve Principum in aula exiſtentium, totiusve populi precibus, adduci potuit, vt tam ſeueram ſententiam mitigaret, filioq. licet eius in Regno ſucceſſori, parceret, dicens nō expedire Reipublicæ, vt dici poſſit legem tantū in extraneos, & ſubditos, nō in filios, & hæredes legislatoris locū habere,

cùm

cùm communis eſſet,& omnes comprehẽderet. Imperia legum hic potentiora eſſe voluit,quàm hominum. Baldus quoque noſter ſcienter ſatis *in l. 2. C. de ſeruit. & aqua.* dicebat Principem eſſe animal rationale, politicum, & mortale: atque ideo licet is legibus ſolutus ſit, non tamẽ à dictamine rationis. in quam ſententiam præclare facit illud Plutarchi in libello de doctrina Principis; Quis,igitur,inquit,imperabit Principi? Nempe lex omnium Regina, & mortalium, & immortalium, vt ait Pindarus: non iſta quidẽ lex foris,in libris, aut tabulis ſcripta ligneis, ſed viua illi inſita ratio,ſemper conuiuens & familiaris Principi. Itaque quod ad Dei iudiciũ attinet, Princeps non eſt ſolutus à lege, quam ipſe tulerit, quoad vim legis dirigendi, quæ Principem in id dirigit, quod facere tenetur, & debet. Nam & Pacatus Imperatori Theodoſio, cautum,inquit, tibi licet,quantum per leges licebit. Poſſet tamen hìc commode quæri, quid nam fecerit Vlpiano, cuius occaſione hæc à me dicuntur,dubitationem,vt diceret, Principem ſolutum eſſe legibus.quæ etſi perdifficilis,& obſcura videatur quæſtio,non dubito tamen, quin vnica poſſit ratione concludi, & terminari.Nulli latere arbitror,quin populus ſit,qui in Principem legum ferendarum poteſtatem contulerit. *l. 2. §. nouiſſime ff. de origine iuris.* neque exiſtimo quemquam eſſe ita rationis expertem, qui neſciat populum,nondum Principe conſtituto,ſuis legibus fuiſſe adſtrictum. Si ergo populus ſuis tenebatur legibus,& ipſe eſt,à quo Principi datum eſt ius, vt quod conſtituiſſet ratũ eſſet: maiorem profecto,quàm ipſe habuerit auctoritatẽ in Principem conferre non potuit;vel ipſius Vlpiani teſtimonio *in l. nemo. 55. ff. de reg. iur.* ideò apud probatos auctores vel Suetonium, Tacitũ, alioſq. videmus paſſim veteres illos Principes, qui primi Cæſares,& Auguſti ſunt appellati, legibus deſeruiſſe. immo expreſſe Dion in Auguſto ſcribit,ipſum Auguſtum veniam legis Voconiæ à Senatu petiiſſe;ſcilicet vt poſſet Liuiã eius vxorem ex triente hæredem inſtituere, cùm ſupra quadrantem ex d. lege minus liceret. Verùm cùm cœpiſſent paulatim ipſis abuti legibus,tum fuit receptum,vt legibus eſſet ſolutus Princeps. id tamen priuilegio fuiſſe conceſſum argumento eſt *d. l. Princeps. in fi.* vbi dubitatur etiã, num Auguſta ſit legibus ſoluta;& non eſſe ſcribit Iuriſconſul.& ſubiungit: Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipſi habent. nec ſum neſcius variam eſſe Principatus formam, ſed nos intelligimus de eo Principe, quo de loquitur Vlpianus ipſe. & licet populus in comitijs forte eſſet ſolutus legibus, quas & abrogare poterat: Princeps tamen ante priuilegium, quaſi vnus de populo, promulgatis legibus tenebatur. niſi legibus cautum eſſet,ne teneretur: Ita enim in lege Regia Veſpaſiani, quam Ant. Auguſtinus loco citato refert, ſcriptum eſt: Vtique quibus legibus, plebiſue ſcitis ſcriptum fuit, ne D. Auguſt. Tiberiusve Cæſar Auguſt. Tiberiusq. Claudius Cæſar, Auguſt. Germanicus tenerentur, ijs legibus, plebiſq. ſcitis Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit.

Explicatio *l. leges. 9. C. de leg. & cap. vlt. de conſtit. & cap. penult. de off. leg. in ſex.* & an leges ad præterita trahantur negotia: & quæ dicantur pendentia negotia. Cap. II.

CVM legis propriũ ſit hominibus præſcribere, quid agendum, quidvè fugiendum. *l. leges. 9. C. de legibus.* Cic. *in 2. Philippica*, Lex nihil aliud eſt, quam recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, & prohibens contraria: non eſt mirum ſi in futurum concipiantur leges. ſiquidem leges non malis medentur præteritis, ſed futuris quantum poſſunt, occurrunt. Perquam iniquũ eſſet,ſi lege, vel ſtatuto eius rei periculum quis proponeret, quod antea præcaueri non potuit. ideo M. Tullius *in Verrem* eundem reprehendit quòd huiuſmodi propoſuerat edictum; Qui ab Aulo Poſthumio, & Q. Flauio, poſteavè fecit, Fecerit: Fecit, Fecerit? Quis vnquam edixit iſto modo? Quis vnquam eius rei fraudem, aut periculum propoſuit edicto, qui no que poſt edictum, neque ante edictum prouideri potuit? *& paulò poſt*; De iure verò ciuili, ſi quis noui quid inſtituit, omnia, quæ ante acta ſunt, rata eſſe patitur: cui mirifice conuenit Iuſtiniani ſententia *in l. iubemus in fine. C. de teſt.* Quid enim peccauit antiquitas, quæ præſentis legis inſcia priſtinam ſecuta eſt obſeruationem? Eadem ratione, ſi ſtatuto caueatur: vt filia excludatur ab hæreditate dotantis, idem ſtatutum locum non habebit, quando pater filiam dotauit, & deceſsit ante conditum ſtatutum; quia intelligitur de hæreditate deferenda, non de delata. Bald. *ad l. illam. num. 2. verſic. ex hoc arguitur. C. de donat.* ſequitur Brun. *de ſtatutis exclud. fœmin. prop. maſcul. art. 7. num. 261. in fine.* Crot. *ad l. omnes populi. num. 140. verſic. hinc verificatur. ff. de iuſt. & iur.* vbi reddit rationem, quòd quando pater deceſsit ante ſtatutũ: actus eſt iam conſummatus, & ideo ad illum non extenditur virtus ſtatuti. Ita quoque reſolutũ fuit

in vna Roman. ſupplementi legitimæ de Alterijs coram Cantuc. die 17. Aprilis 1581. quæ hodie eſt decif. 142. diuerſ. par. 2. Hinc illa ſuboritur perelegans hæſitatio, quomodo ad præterita lex trahatur noua, ſi, vt ad præterita porrigatur, expreſſe cautem fuerit? cum dici ſoleat leges, cõſtitutionesve ad præterita non trahi, *c. 2. & vlt. de conſtit. l. leges. 7. C. de legibus*, immo conſtituũtur, & promulgantur, quæ vitas hominum obſtringunt, vt ab omnibus intelligantur. *d. l. 9.* quare receptum eſt, & quidem rectiſſime, non porrigi ad præterita iam deciſa, vel amicabili compoſitione, vel iudiciali decreto, vel iuriſiurandi religione, aliovè legitimo modo *l. cauſas C. de tranſact. l. penul. C. de ſacroſan. Eccl. l. vnica. C. de contract. iud. l. vlt. in fine. C. de vet. iur. enucl. l. 1. & 2. ff. de iureiur.* de legitimo modo *in Nouell. 119. ſub tit. in auth. vt ſponſ. largitas.* vtpote præſcriptione, *l. vlt. C. de ſacroſan. Eccleſ. & tot. tit. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* quod etiam in ijs, quæ pendent per appellationem, locum habere voluit Iuſtinianus *in Nouell. 115. vt cùm de appell. cognoſc. in princ.* Item in retractationibus; vt ſi aduerſus Præfecti prætorio ſententiam, à qua appellari non licet, *l. 1. ff. de offic. Præfect. Prat.* poſtulata fuerit retractatio. Item in relationibus iudicum, quibus poſt vltimam cognitionem, cùm inibi res eſt, vt iudicetur, Principem de iure conſulent, quid agere debeant; vt in Paratitlis *tit. de appell.* diximus: quæ tamen facultas referendi, hodie ſublata eſt ab eodem Iuſtin. *in Nouell. 125. vt iudices nũ expectent ſacras iuſſiones: ſed quæ videntur eis decernant.* In his ergo cauſis, leges quæ valuerunt relationis tempore, ſequi debent iudices, qui in conſilium Principis adhibentur; non nouas leges, quæ poſt relationem introductæ ſunt. *d. Nouell. 115.* Sed maior dubitatio eſt, an eadẽ lex ad ea, quæ iam in iudicium deducta ſunt, non ſunt tamen deciſa, porrigatur. Panormitanus noſter contendit, non extendi *in cap. vlt. num. 9. de conſtit.* Accurſius quoque, quem alij ſequuti ſunt *in d. auth. vt cum de appell. cognoſ.* aſſerit clauſulam iſtam, vt ad præterita porrigantur, ad negotia quoquo modo in iudicium deducta, non trahi. idque videtur Iuſtinian. conſtituiſſe *in Nouel. 113.* in medio litis non fieri ſacras formas, vt iudices, vel arbitri compromiſſarij iudicent ſecundum leges, & mores, non ſecundum reſcripta, & pragmaticas formas, vel iuſſiones Principis, quæ pendente lite impetrãtur, & iudicibus inſinuantur. namque ijs parere non tenetur iudex. Ratio eſt ſatis elegans; quia huiuſmodi reſcripta ambitioſa ſunt, vt ibi notat Cuiacius ex Iuliano; hoc eſt ad gratiam compoſita. *d. decif. 142.* vbi habetur, quòd ſi motus proprius ſummi Pontificis iubeat omnes lites, & controuerſias v. g. poſt Kal. Aug. 1580. debere terminari ſecundum ſtatuta noua: & lis, qua de agitur, mota fuerit Kal. Auguſti eiuſdẽ anni 1480. eum motumproprium debere intelligi de litibus, & controuerſijs ortis ex negotijs & cauſis futuris, non æquè de negotijs, & cauſis præteritis: ſiquidem ſtatuta reſpiciunt negotia futura. Quod habere locum etiam voluit quando ſtatutum nouum eſſet declaratorium antiqui. *d. dec. 142. n. 4.* Attamen, pendente lite, ſi lex lata fuerit, in eaq. expreſſe cautũ ſit, vt ad præterita trahatur: iudex tenetur legem ſequi nouam, non æque illam, quæ tempore litis cõteſtatæ valebat. quod plane conſtat ex locis iam deductis; ſed apertius *in l. vlt. in fin. C. de ſacroſ. Eccl.* Hæc autẽ omnia obſeruari ſancimus, & in ijs caſibus, qui vel poſtea fuerint nati, vel iam in iudiciũ deducti; niſi facta ſit litis conteſtatio. etenim iudiciũ non dicitur, niſi conteſtata lite; nec aliter res in iudicium deducta dicitur. *l. ſi quis ſe obtulit. ff. de rei vindic. l. amplius non peti. ff. rem rat. haa. l. 1. C. de lit. conteſt. & l. nihil. C. de procur. & & auth. de litigioſ. §. ſi verò apud.* Vbicumque igitur lex, quæ de præterito ſtatuit, excipit negotia vel pacto deciſa, vel iudicio finita, quæ ſola verè ſunt perfecta, cætera pendent dubio, ac incerto litis euentu, in quibus lex nunquam pro ſua poteſtate ius imponit, prout vltima Iuſtin. conſtitutio *C. de ver. iur. enucl.* in qua reſponſa omnium Iuriſconſultorum, & Imperatorum reſcripta, quæ Pandectis, & Codice ſuo continentur, vim legum vt obtinerent, decreuit. Vt vigorem, inquit, ſuum in iudicijs oſtendant, in omnibus cauſis, ſiue quæ poſtea emerſerunt, ſiue quæ in iudicijs adhuc pendent, nec eas iudicialis, vel amicabilis forma compeſcuit. Quæ enim iam vel iudiciali ſententia finita ſunt, vel amicabili pacto ſopita, hæc reſuſcitari nullo volumus modo. Et ad hunc ſane ſenſum referri debet *dict. leg. 7.* leges in poſterum prouidere tantum, niſi nominatim caueant de præterito; & adhuc pendentibus negotijs; & quod Clemens quartus *in cap. penult. de offic. legat. in ſexto.* Volentes non ſolum ad futura, ſed etiam ad præterita, & adhuc pendentia negotia hoc extendi. & iam citatum cap. vlt. Non vt vir alioquin prudentiſsimus opinatur Abbas, qui aſſeuerauit has tres conſtitutiones accipi debere de ijs cauſis, quæ in iudicium nondum ſunt deductæ. Sed eius error ex ſuperioribus manifeſtatur. Præterea verbum, pendere, quo & Imperatores, & Pontifices vtuntur, non vtique referri poteſt ad caſus, qui in iudicium deducti nondum ſunt; namque res, de qua controuerſia, ſaltem in iudicio non eſt nata, non dicitur pendere, ſed potius ſtare; quia non pendet ex alterius arbitrio, prout res, de

qua

qua coram iudice conténditur. Liuius *lib.* 35. Eſt in libertate poſita ea, quæ ſuis ſtat viribus, non quæ ex alieno pendet arbitrio. Cicero in Paradox. Cui ſpes omnis, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi. Sic in pendenti eſt, quicquid, in ſuſpenſo eſt. Pendere fructus dicimus, quamdiu ſolo cohærent, & terra continentur *l. fructus. ff. de rei vind. l. ſi fur. ff. de uſufruct. l. & quæ nondum. in princip. ff. de pig.* ſic & pendens vindemia legitur, hoc eſt, nondum lecta. *l. qui penden. ff. de act. emp.* & dicuntur pendere, meo iudicio, quòd ex fortunæ arbitrio pẽdent. Quod deteſtatur & ipſe M. Tullius. lib. de natura Deorum ſecundo: Nec ita refellendum, vt ſi ſegetibus, aut vinetis cuiuſque tempeſtas nocuerit. & Martialis *lib.* 1.

Continuis vexata madet vindemia nimbis.

Quare Virgilius *Georg.* 2. Agricolis conſilium præbet, ne ad ſolis occaſum, plantent vineam, illo pereleganti verſu;

Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem.

quaſi Oriens, & Meridies aptior ſit, vt Varro, & Palladius in ſuis de re ruſt. libris fatentur. quod & experientia docet. docet etiam quot infortunia non modo vineæ, ſed omnes pendentes fructus patiantur; ſed ante omnia procellas, ventos, imbres, ruinas, tempeſtatesq. formident. Hinc arbitror, pendentes dictos fructus, quòd ex incerto, & dubio fortunæ euentu pendent, ſic & pendentia negotia, quæ ex incerto, & dubio litis euentu pendent. etſi dici etiam poſſent, pendentia, ideſt inchoata, & nondum perfecta, ſumpta ex artificum operibus translatione, quorum opera dum fiunt, pendentia ſunt, vt tela, & multa fabrorum opera. Virgilius *Aen.* 4. dixit

—— *Pendent, opera interrupta, minæq.*

Murorum ingentes.

ideſt inchoata, nondum ſunt perfecta. Clauſula igitur illa, vt ad præterita negocia, & adhuc pendentia trahi debeat lex noua, habebit locũ in ijs, quæ pacto, vel iudiciali ſententia nondum ſopita ſunt, non æque in alijs, quæ ſunt deciſa. Quòd ſi Princeps expreſſe ad præterita etiam deciſa pertinere dixerit, porrigi poterit lex, immo & reſcriptum; tametſi Bartol. *in l. fin. C. ſi cont. ius, vel vti. pub.* exiſtimauerit, non eſſe tantam in reſcripto vim, vt id poſſit operari. quem Bald. ſequitur *in l. 1. ff. de conſtit. princ.* poſt multa Dec. *in d. c. vlt. n.* 19. Porrigi tamen dico, ſi preces veritate nitantur, vti deſiderat *l. vlt. C. de reſcrip. & c. 2. eod.* & ad eas Princeps reſcribat; quia videtur ita voluiſſe. *l. ſi quis in princ. ff. de leg.* 3. At *l. ſi. C. ſent. reſcindi non poſſe*, qua & Bar. & alij nituntur, loquitur de reſcripto ſubreptitio. Reſcripta, inquit Conſtan. impetrata non licet admitti, ſi deciſæ ſemel cauſæ fuerint iudiciali ſententia, quam nulla prouocatio ſuſpendit. hoc eſt, ſi rei iudicatæ non expreſſa eſt facta mentio idcirco ſcite profectò Alex. *in conſ. 136. num. 4. lib.* 2. reſpondit, non ſufficere in precibus Principi porrectis, mentionem rei iudicatæ feciſſe, ſi in obtento reſcripto non adſit clauſula, Non obſtante re iudicata. Idem quoque de tranſactione dicendum eſſe ex ſuperioribus nemo neſcit. Mihi etiam placet, quod & Decio placuit *loco iam cit. n.* 21. vt ius nouum, & poſt rem iudicatam exortum poſſit ad præteritas lites pacto, vel iudicio finitas, extendi, ſi Princeps dixerit, vt facta pro infectis habeantur. *Clement.* 1. *de immun. Eccl. vbi gloſſ. in verb. pro infect.* quam ſequitur ibi Cardin. & Abbas *in cap. debet. in fin. infr. de conſang. & affin.* & Felin. *in d. cap. vlt.* licet quoad eſſentiam fieri non poſſit, vt quod ſemel factum eſt, habeatur pro infecto, *l. in bello. S. factæ. ff. de capt. & poſtlim. reuer.* neque Deus omnipotens poſſet, cùm id ſub rerum poſſibilium poteſtate minus cadat, vti aliàs late.

De tempore quo lex ligat ſubiectos. Quòd poſt duos meſes à tempore publicationis lapſos, nemo admittitur ad probandã legis ignorantiam. Explicatur Iuſtiniani *Nouell. 66. & l. vlt. de decr. ab ordin faciend.* cum multis alijs iuribus Pontificijs. Cap. III.

SVPERIORI capiti ſatis commode ſubijci poteſt quæſtio illa, an is qui nullam legis ſcientiam ſe habere aſſeuerat, admitti debeat ad ignorantiæ probationem. Iuſtinianus *in Sua Nouell. 66 ſub tit. in auth. vt facta noua conſt.* decreuit; vt nemo ad legis obſeruationem teneretur, niſi poſt duos menſes à tẽpore publicationis lapſos. idem videtur conſtituiſſe Alex. 3. *in c. 3. Ne cler. vel monach.* & Honorius etiam huius nominis Tertius *in c. vlt. eo. ne cler. vel monach. & in c. nouerit de ſent. excom.* quæ vera arbitramur, ſi certum non fuerit conſtitutum tempus, vt *in c. cum ſingula. de præben. in ſexto*, & *in extrauagan. execrabilis. eod. de præben.* & in Concil. Trident. *cap.* 2. *ſeſſ.* 7. vel niſi ita concipiatur lex, vt ſtatim velit Princeps ſortiri effectum, videlicet ſi adiecta fuerit clauſula Ex nunc; vt *in Clement.* 2. *de hæretic.* vbi notat gloſſ. *in verbo, ex nunc.* quam rectiſſime interpretatur Abbas Panormit. *in cap.* 2. *de conſtit.* vt id fiat reſpectu retractationis actus, non item pœnæ: eſſet enim valde iniquum, vt lex ignorantem, & incogitantem opprimeret;

vt præcedenti cap. diximus, idque non in beneficialibus modo,& ſpiritualibus cauſis,cõſtituere poteſt ſacrarum legum Antiſtes, ſed in profanis etiam omnibus,quæ ipſius Rom. Pont. poteſtati ſubijciuntur : tametſi Dec. in iſtis poſſe negat. nam ſi Decij opinio præualeret,ſequeretur neceſſariò, legem nouam ad præterita nunquam trahi;trahi tamen poſſe ſupra oſtendimus, vel ex *cap. pen. de offic. leg. in ſex.* hocq. ipſum dici poteſt in pacto, de viuentis hæreditate facto, ſine eius, de cuius ſucceſſione agitur, conſenſu. quod Iuſtin. improbat *in l. vlt. C. de pact.* improbum enim habetur de viuentis hæreditate cogitare ; idcirco quæ iam facta erant, fuerunt reſcindenda . Eadem ratio eſt in pacto legis commiſſoriæ, quod in pignoribus reprobatum eſt à Conſtant. *in l. vlt. C. de pact. pignor.* in qua ita cauetur : Si quis tali contractu laborat,hac ſanctione reſpiret : quæ, cum præteritis præſentia quoque repellit,& futura prohibet . idem plane *in Nouell. 143. in fine. ſub tit. de rap. mul.* Si verò ſimpliciter conſtituitur lex, nullo videlicet adiecto tempore, & abſque clauſula, Ex nunc ; non ligat ſubiectos, niſi poſt duos menſes; *& in d. Nouell. & alijs iam citatis locis* ; quod tamen locum non habet in indulgentijs, gratijs, priuilegijs, & alijs ſpecialibus conſtit. in quibus ſatis eſt, vt ad illorum,quibus conceduntur,notitiam perueniant. *cap. 5. de conceſſ. præb. in ſex.* vtputa ſi indulgeatur alicui, ne poſſit excommunicari, non valebit excommunicationis ſententia in eum lata ab ordinario, etiam huiuſmodi indultum penitus ignorante, neque etiam in regulis Cancellariæ, quæ ligant ſtatim à craſtino die aſſumptionis ſummi Põtificis,Sarnen. *in proœm. reg. q. 2. nu. 54.* & faciunt notata per Abbatem, & alios *ad cap. 2. num. 7. verſ. venio ad ſecundum de conſtit.* Rota *diuerſ. deciſ. 256. n. 2. & 3. p. 2.* & publicatio intelligitur à die aſſumptionis, ex quo ab illo die ligant ; quia ſolemniter fiunt, & ligauit: & dicuntur ab illo die publicari. *cap. 1.* vbi Abbas, Decius, & alij, *de poſtulat. prælat.* Nam publicatio regularum non fit ad effectum, vt innoteſcant ; quia cum renouentur ab omnibus Pontificibus, videntur eſſe non tantùm de ſtylo, ſed etiam de iure, vt ait Decius *ad c. ad aures. num. 10. in fin. de conſtitut.* Caſſador. *deciſ. 3. in fin. eod. tit.* ſed vt appareat de voluntate approbatoria ipſius noui Põtificis. Sarnen. *d. q. 2. num.* 54. Publicatio autem, & editio noua eundem operantur effectum, ex quo ſolitæ ſunt à quocumque ſummo Pontifice fieri, & hũc cum decreto, quod ſtatim ligent *d. deciſ. 256. num. 4.* Num igitur is qui nullam legis notitiam ſe habere contendit, poteſt ignorantiam probare,vt à legis pœna excuſetur ? Iuris vtriuſque interpretes poſſe exiſtimant tam Pontificio quã Cæſareo iure: hoc *in l. fin. de decret. ab ord. fac.* illo *in cap. fin. qui matrimon. accuſ. poſſ.* Difficultant tamen haud parum in probationis ratione. alij iureiurando poſſe ; alij dilucidis probationibus eſſe opus volunt . communis verò interpretum conſenſus eſt, teſte Felin. *in cap. 2. num. 10.* quod ſolo iuramento quis poſſit innocentiam ſuam probare; *ex cap. præſentium. de teſtib. cap. paſtoralis de except. cap. ſi vir. ad fin. ſent. excom. cap. nullis de elect. in ſexto. Host. in d. cap. 2.* dilucide probandum dicit, quem & ibi ſeq. Dom. Anton. & Imol. & Card. *in clem. conſtitutionem* §. *cæterum. q. 7. de elect.* idem Card. *in conſil. 36.* & Alex. *in conſil. 71. lib. 1.* Angelus *conſil. 283.* Archid. & Domin. *in cap. pia. de except. in ſexto.* Panor. neutram ſequutus concludit, hoc pendere ex indicis arbitrio, inſpecta ſcilicet præiudicij quantitate, & qualitate personarum, & negotij, in quo ignorantia prætenditur, *ex cap. innotuit de elect. & cap. fin. in fin. de iureiuran.* Mihi nulla horum opinio placet : in ea etenim ſum ſententia, vti exiſtimem, poſt duos menſes à tempore publicationis lapſos nõ poſſe,quem vllam prætendere ignorantiam,neque illam probatam iri quauis ratione, niſi forte abſens eſſet,adeoq. longe,vt verſimile ſit ad eius notitiam legem non peruenille. Cur voluit Iuſtin. neminem teneri ad legis obſeruantiam vel in vrbe, vel Metropoli, vel alia ciuitate cuiuſque Prouinciæ, niſi poſt duos menſes demum à publicatione ? Ne quis lapſo eo tempore, ignorantiæ velamento ſe tueretur. Ideo in §. *Prouinciarum. d. Nouell.* Vt nullus, inquit, de cætero occaſionem ſumat cuiuſuis ignorationis. Idem videtur dicere ipſe Romana Eccleſiæ Princeps Innocent. Ill. *in cap. 1. de poſtul. prælat.* nec ſit, inquit, neceſſarium, cum conſtitutio ſolemniter editur, & publice promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare ; ſed id ſolum, ſufficit, vt ad eius obſeruantiam teneatur, qui nouerit eam ſolemniter editam & publice promulgatam, videnda eſt gloſſa *ad regul. vlt. in verbo anno quarto de regul. iur. lib. 6.* At *cap fin. qui matrimon. accuſ. poſſ.* quo volunt probare, quem admitti poſſe ad probandam legis ignorantiam, loquitur de publicatione matrimonij in Eccleſia facta ; contra quam nemo deinceps admittitur,niſi probauerit,nullã ſe publicationis notitiã habuiſſe. *d. l. fi. ff. de decr. ab ord. fac. de l. municip.* In collegio ita cautum fuit : ſi quis extra collegium, hoc eſt ordinem decurionum,iudicauerit,& ipſo ordine moueatur,& inſuper mille drachmas perſoluat. quæſitum eſt, an aduerſus decretum feceris abſens. Reſpondit Scæuola, non feciſſe; huiuſmodi enim pœnas aduerſus ſciẽtes paratas eſſe. idem

plane

plane *in cap. vlt. de conſtit. in ſex.* & cùm ij tres loci de conſtitutionibus principe inferioris ſint, non eſt mirum ſi non afficient ignorantes, immo expreſſe in *d. cap. vlt.* ſancitum eſt, vt huiuſmodi conſtitutionibus nuſquam obſtringantur, niſi lupina & craſſa ſit eorum ignorantia, quæ non debent trahi ad generalem Principis conſtitutionem. Alia verò iura, quibus noſtri nituntur probare, poſſe quem legis ignorantiam iureiurando oſtendere, ad rem parum: non enim de legis ignoratione tractatum habent, ſed de ijs alijs rebus, quas veriſimile eſt, hominem poſſe ignorare. *Cap. præſentium.* de teſt. publicat. *a paſtoralis de exceptio.* quæ in iudicio proponi ſolent, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve, deductum eſt: quæ ſi non opponuntur intra præfixum tempus, eas non admittit iudex, niſi quis iuret de nouo ſe illos inueniſſe, caput ſi verò, de eo, qui manus in clericum iniecit, quia iurat illum fuiſſe clericum prorſus neſcire. *cap. nulli.* de eo, qui electioni conſentit, aduerſus quam venire deinceps non poteſt, niſi iureiurando affirmet de nouo vitium ineſſe electo cognouiſſe, propter quod non vtique valet electio. eadem eſt ratio *a cap. innotuit*, quod Abbas adducit. *& cap. fin. de iureiur.* loquitur de poteſtate iudici data; nam actore nimius probante, abſoluitur reus: ſi tamen præſumptio eſt pro actore, poteſt iudex, inſpectis perſonarum, & cauſæ circunſtantijs, cui voluerit vel actori, vel reo, iuramentum deferre. Hæc etiam ſunt, vt quiſque videt, de rebus alijs, quam de legis ignorantia; ita vt ratione nulla fieri poſſit extenſio ad generalem Principis conſtitutionem. Quare defendi poſſet Innoc. & qui cum ſequuti ſunt, quod ſi aliquo caſu, admittitur probatio aduerſus legis ignorantiam, prout admitti poſſet in ſpecie *d. cap. fin. qui matrim. accuſat. poſſ.* id probandum ſit claris, & apertis probationibus, non ſolo iuramento; cum hoc nihil facilius ſit, quam quiduis iuramento probare. nulla enim adhibita examinatione, nulla præmeditatione, nec conſiderata & perpenſa, ſed contempta potius iurisiurandi ſanctione, iuramentum ſuſcipiunt, qui legis pœnam euadere volunt; vel huiuſmodi alium finem conſequi, vel retinere. vnde ortum eſt prouerbium: Si iurandum eſt, bos noſter eſt. quam calamitatem deplorat vir ſacrarum litterarum peritiſſimus Dominicus Soto *de iuſt. & iur. lib. 8. quæſt. 1. art. vlt.* Admittuntur, inquit, immo de improuiſo abripiuntur ad iurandum, ſine delectu cuiuſcunque ſortis homines, nempe bubulci, muliones, baiuli, ebrij, heluones. neque verò in templo, ſed vbi ius iurare abſque vlla præmeditatione coguntur. Videmus tamen veteres Ethnicos tantùm iurisiurandi religioni tribuiſſe, vt tactis aris iuſiurandum præſtarent, vt latè dixi *cap. vlt. per tot. lib. 2. de Sacror. Immun.* Quia, cùm per Deos iurarent, per Iouem, ſcilicet, Mercurium, Venerem, Iunonem, Mineruam, Caſtorem, Pollucem, Martem, Herculem, perq. ſuos alios ſimiles Deos, (vt Barnabas Briſſonius *lib. 8. de Formulis* pluribus oſtendit) in templis, tamen, in quibus colebantur, iurari decentius putabant. Cur igitur nos, qui Chriſtiani ſumus, & verum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum colimus, in ſacris ædibus, in quibus diuina celebrantur myſteria, non iuramus? namque per Deum, vel per Chriſtum, atque per Spiritum ſanctum iuramus. Vegetius *lib. 11. cap. 5.* & S. Thomas *2. 2. quæſt. 89. art. 4.*

Ex pacto nudo nulla iure Pontificio datur actio, etiam ſi iurisiurandi religione fuerit ſancitum. & de ſententia *cap 1. & cap. 3. de pact & cap. 2. de pact. libr. ſex.* Cap. IV.

ABBAS Panormitanus *in cap. cautio. de fid. inſtrum. Bald. in l. ſi diuiſionem, in fin. C. famil. erciſcun. & in l. petens. ad finem. C. de pact.* & Felin. *in cap. 1. de pactis. n. 13.* dixerunt pactum nudum, etiam iure Pontificio, nullam parere actionem, niſi ſubſit cauſa. quorum ſententia nihil veritus, ac melius quicquam. Siquidem ſacratiſſimo iure, nuda pactio maiorem vim non habet, atque ſtipulatio iure ciuili, vt eſt vno omnium conſenſu receptum. atqui ſtipulatio ſine cauſa ineptiæ eſt. *l. 2. §. circa. ff. de dol. except.* argumento eſt etiam *l. 1. ff. ac condit. ſine cauſ.* Vbi enim promiſſio ab expreſſione cauſæ nuda eſt, ibi nulla actio eſt; ſi promiſſor ſciebat ſe nihil debere, ac nullam eſſe debendi cauſam, donatio præſumitur, dummodo hæc ſcientia probetur; ſi verò apparet ipſum promittentem credidiſſe cauſam ſubeſſe, quæ tamen non erat, aut certe neſcimus, an ita crediderit, necne: præſumitur promiſſio indeliberata, & emiſſa abſque animo donandi, & obligandi, ioco potius, quàm ſerio. argumento eſt, quod Varro *lib. de lingua Latina. 5.* ſcribit, Non reſpondet ille ſtatim, qui dicit. Spondeo, ſi iocandi cauſa dixit; neque agi poteſt cum eo ex ſponſu; quoniam ſtipulatio ſine conſenſu nulla eſt. *l. 3. §. vlt. ff. de oblig. & act. & l. 1. §. vlt. ff. de pact.* multo minus pactum, cum ſit duorum, pluriumve, in idem placitum conſenſus. *d. l. 1. in princ.* Idem puto dicendum in contractibus innominatis, Do, vt facias; Facio, vt des; & his ſimilibus:

quòd & ipſi nullam pariant actionem, niſi poſt implementum, etiam iure Pontificio; quicquid dicat Didacus poſt Fortunium in *cap. quamuis. 2. par. §. 4. num. 4. de pact. in ſex.* qui contendit illam eſſe differentiam inter ius Canonicum, & ciuile, vt hoc nulla detur actio, niſi poſt implementum: *ex l. iuriſgentium. §. ſed etſi. cum ſeq. ff. de pac.* vt ſi conuenerit, Dabo Stichum tibi, tu mihi Pamphilum; vel ita, Dabo tibi Stichum, tu mihi inſulam facies; vel Dabo centum, vt pro me Romam eas: exiſtimat Didacus, propter illam conuentionem iure noſtro oriri actionem, & per conſequens poſſe compelli. quod nec probo, nec ratio naturalis ſuadet. Egit id præcipitem Didacum; quia opinatur cauſam huic conuentioni ineſſe, quæ tamen non ineſt. huiuſmodi contractus nec nomen habet, nec cauſam, ſed conuentionem tantum manifeſtam. Sed propter ſolam conuentionem Populi Romani iure nulla competit actio. *§. ſed cum nulla. d. l. iuriſgentium.* neque iure Romanorum Antiſtitum. namq. Vlpianus *in d. §. ſed etſi*: Sed etſi, inquit, in alium contractum res non tranſeat, ſubſit tamen cauſa; eleganter Ariſto Celſo reſpondit eſſe obligationem. cauſam ibi rectiſſime Accurſius recipit pro dationc, & facto. quem veteres, & recentiores ſequuntur viri doctiſſimi. At diximus iure canonico nullam dari actionem, niſi ſubſit cauſa: in ſpecie verò propoſitâ nulla eſt cauſa, ſed ſola conuentio. & eſt, perinde ac dixiſſet, Si centum mihi dederis, ibo pro te Romam. ſed vt poſſit compelli, neceſſe eſt, vt adimpleatur cauſa. Nec minus egregie ſabuntur noſtri, dum exiſtimant, pactum, quod iure ciuili non valet, valere, ſi iuriſiurandi religione ſancitum fuerit. Valere quidem verum eſt; ex eo tamen agi poſſe falſiſſimum. nemo tamen, quod ſciam animaduertit. Ex eo autem, quod Bonifacius Octauus conſtituit *in d. cap. 2. de pact. in ſex.* vt omnes contractus, qui iure ciuili non valent, valeant ſi iureiurando fuerint ſancti: dixerunt pactum iuramento firmatum adeo valere, vt ex eo poſſit agere quiſquam. & hanc eſſe receptiſſimam ſententiam ſcribit Iaſon *ad d. §. ſed cum nulla*; Fortunius, & Felinus *ad d. cap. 1.* Ant. & Abbas *ad cap. cum contingat. de iureiur.* item Cuman. Roman. Alex. & alij *in rubr. de verbor. oblig.* Didacus *loco citat.* Alciatus *in d. cap. cum contingat. num. 245.* tametſi idem Alciatus paulo ante dixit contrariam ſententiam, ſaltem iure ciuili, magis frequentem eſſe, quemadmodum dicit Iaſ. & ipſe *in l. ſi quis maior. num. 23. C. de tranſact.* & Salicet. *in auth. ſacramenta puber. C. ſi aduerſ. vendit.* Sed iure Pontificio ex huiuſmodi pacto quin competat actio, nemo dubitauit ad hanc diem, vno excepto Innocentio *ad cap. nouit num. 4. de iudic.* ibi, *etiamſi ad illud petendum nulla competat actio ciuilis, vel canonica*; vt cum quis iurauit dare, vel facere ſine ſtipulatione, locum habet denuntiatio; quo factum fuit, vt inde ſumpta occaſione, ij qui de fide non recte ſentiunt, Romanum Pontificem, vti aliàs dixi, cœperint calumniari, quòd ambitioſe magis & auare, quàm æquitate vlla ſuadente, hæc conſtituerit; quaſi alterius iuriſdictionem, hac iuriſiurandi fictione, veluti prolixa quadam, & iuſta poſſeſſione ſibi veller acquirere. quam peccati culpam non in ipſius iuris auctores, ſed in ipſos interpretes reijcere neceſſe eſt. non ea fuit Romani Pontificis mens, & intentio, vt daretur actio ex iuramento, quotieſcumque iuri ciuili non competit actio, ſed vt loco actionis cederet cenſura Eccleſiaſtica; hoc eſt excommunicatio. Nam ſanctiſſimi Vrbis Epiſcopi non admodum fuerunt curioſi in dandis actionibus, quando iure populi Romani non dantur, ſed hoc tantum agunt, vt conſcientiam promittentis exonerent, nempe vt ex ſimplici iuramento agi non poſſit, ſed propter iuramentum reſcindi non poſſit quod iuratum eſt. Idem quoque videtur dicendum in ſimplici pacto, argumento *can. iuramenti. 22. quæſt. 5.* & eius, quod Cicero *pro Sexto Roſcio* ſcribit, vt in Paratitl. *ſub tit. de pact.* adnotaui. vt ex ſimplici pacto quis non vtique poſſit agere; poſſit tamen, qui ſimpliciter promiſit, compelli in anteriori foro, ad obſeruationem eius, quod promiſit. Ideo Raymundus *in d. cap. 3.* ex D. Gregorio, iudex, inquit, ſtudioſe agere debet, vt promiſſa opere compleantur. non dicit actionem dandam eſſe ei, cui promiſſum eſt, ſed poſſe promittentem cogi ad dandum, vel faciendum. Et vt ad iuſiurandum redeamus, non dubito, quin is, qui ab Eccleſiaſtico iudice beneficium abſolutionis, quoad reſciſſionem contractus iurati, impetrauit, poſſit vti fori præſcriptione, ac dicere eſſe conueniendum ſuo iudice coram; nec teneri vltrà reſpondere, cùm iudex Eccleſiaſticus iam functus ſit officio ſuo, ex quo abſolutionem impartiuit. quo ſenſu, accipi debet Bonifaciana conſtitutio *in d. cap. 2.* qua interpretatione admiſſa, quæ veriſimæ eſt, nullus reſtat calumniandi locus.

Non

Non ſola in ius vocatio, ſed litis cõteſtatio perpetuat iuriſdictionem. & ſublata Antinomia, quam volunt noſtri eſſe inter *cap. gratum. & cap. relatum. de offic. iudicis delegati*. Cap. V.

CELEBRIS eſt in iuris vtriuſque ſchola quæſtio illa; num ſola in ius vocatio ſit ſufficiens ad perpetuandam iuriſdictionem alteri demandatam; an ſit litis conteſtatio neceſſaria. Veteres interpretes, vt Gulielmus de Cuneo *in l. & quia. ff. de iuriſd. omn. iud.* & Iacob. Butr. *in l. 1. & in auth. ibi poſito C. de lit. conteſt.* aſſeuerant ſolam non ſufficere citationem: Angelus verò *in repet. l. 1. C. de iudic.* ſcribit horum opinionem iure ciuili veram eſſe, non æque iure canonico. Bartol. *in d. l. & quia. n. 13.* vult regulariter iuriſdictionem mandatam perpetuari, ex *cap. gratum, de offic. iud. deleg.* vbi omnes iuris Pontificij interpretes vno conſenſu ſequuntur; quemadmodum & iuris ciuilis doctores *in d. l. & quia.* quod & Iaſon fatetur *ibidem num. 57.* immo Abbas *in citato cap. gratum.* contendit ad conſeruationem iuriſdictionis mandatæ ſufficere, quòd citatio emanauerit à delegato, quamuis ad partes minus peruenerit, *ex gloſ. autor. in clement. 2. vt lite pend.* Idem videtur tenere Bartol. loco iam dicto, per illa verba, *geri cœperit*, & *ex d. c. gratum.* atque ratione illa, quòd citationis commiſsio eſt iuriſdictionis, & ab ea incipit iudicium: *toto tit.* inquit, *de in ius vocando. &* §. *fin. in princ.* apud Iuſt. *de pœna temere litig.* quibus aſſentit & Iaſ. *ex cap. licet. in fin.* ibi, *iuriſdictione vti cœperit. de offic. iud. deleg.* Sed ne multis moremur, dicendum eſt paucis, vt res eſt. Ipſe igitur veterum ſententiam, longe veriorem eſſe non dubito, videlicet Gulielmi, & Iacob. quos Fulgoſ. & Goueanus *ad d. l. & quia.* ſequuntur, quòd iuriſdictio delegati dicatur durare, cùm res incœpit agi. Agi autem incipit res, lite conteſtata. litis non dicitur facta conteſtatio, niſi iudex cœperit audire cauſam per narrationem negotij. Negotium exprimitur à litigatoribus iudice coram; & non dicitur facta plena litis narratio, antequam actorem & reum iudex audiuerit. Poſteaquam intentionem actor propoſuerit, inficiatuſq. fuerit reus: tunc lis eſt conteſtata, & res in iudicium deducta; aliter res in iudicium non dicitur deducta, vt late duobus in locis probauimus, *& in tit. 1. lib. 2. in Paratitl. & in cap. 2. huius lib.* ſicut enim oſtendimus, iudicium non dici cœptum, ante conteſtationem litis: etiam per conſequens dicendum videtur, delegati iuriſdictionem ante conteſtationem litis, mortuo eo, qui mandauit, expirare. argumento eſt etiam *l. nemo. C. de iuriſd. omn. iud.* vbi ante litis conteſtationem recuſari poteſt iudex; quia nondum eius litis vlla videtur in litigatores iuriſdictio: non item ſi lis fuerit conteſtata, niſi ſuboriatur legitima recuſationis cauſa. *cap. inſinuante. de offic. iudic. deleg.* Adiectioni noſtræ obijciunt §. *fin. inſtit. de pœnis temere litigant.* ad quem locum hodie, facilis eſt reſponſio, cum accipi debeat de procœmijs & præparatorijs iudiciorum. Verum quidem eſt, antequam lis conteſtetur, quædam geri inter litigatores, à quibus initium actionis habebatur; vt eſt in ius vocatio, & ſatisdatio iudicio ſiſtendi cauſa; quæ vti dixi, ſunt quædam veluti procœmia, & præparatoria iudiciorum, de quibus omnibus in prima Digeſtorum parte tractatur, vt eſt tit. *de in ius voc. ſi quis in ius vocat. non tuer. In ius vocati, vt eant, aut ſatisd. Ne quis eum, qui in ius vocatur, vi eximat, Qui ſatisdare cog.* & ſequentes. Difficiliorem longe explicatum habet ſæpe citatum *cap. gratum.* vbi Vrbanus III. videtur conſtituere, ſi delegatus ante delegantis mortem reum citauerit, etiam lite nondum conteſtata, iſtius perpetuari iuriſdictionem. Hinc eſt, quod Ang. dixit, iure ciuili ſolam citationem non tribuere iuriſdictionem; ſecus iure canonico. Scire autem oportet, Lucium huius nominis tertium, Romanæ etiam vrbis Archipræſulem, *in cap. relatum*, quod proximè præcedit *d. cap. gratum.* reſcripſiſſe Cantuariẽſi Archiepiſcopo, & eius ſuffraganeo his verbis; Quòd ſi his fuerit ante-præd. Noſ. obitum conteſtata, mandatum morte mandatoris nullatenus expirauit. ſi verò ante litis conteſtationem deceſsit, non eſt à iudicibus, quos delegauerat, ex delegatione huiuſmodi procedendum. hæc in codicibus noſtris: additur in prima collectione: Poterit ergo in eo caſu appel. cel. procedi, in quo ante mortem mandatoris lis fuerit per narrationem, & reſponſionem conteſtata. Vbi autem mors mandatoris litis conteſtationem præceſſerit, penitus ſubſiſtat, ſiue fuerit, ſiue non fuerit ap. ob. interiectam. hactenus prima compilatio. In quo ſane reſcripto Lucius Papa geſſit perſonam cuiuſuis excellentiſſimi Iuriſconſulti, vel Labeonis, cùm iſtius ſententiam ad vnguem attuliſſe videatur *in l. amplius non peti. ff. rem rat. haberi.* Verùm cùm eiuſdem litis argumentum incidiſſet Vrbani III. temporibus, atque idem Vrbanus eſſet interrogatus, num delegatus, quippe qui ante delegantis mortem propoſuerat citationis edictum, lite ante ipſius obitum minime conteſtata, poſſit in cauſa procedere; reſcripſit, quòd cùm in cauſa priori citatione facta, negotium ſit quaſi cœptum, & maxime ſi delegatus non ſit certus de

obitu

obitu delegantis: poteſt, & debet in cauſa procedi. Et hoc eſt, quod egit Bartolum & alios alioquin præſtanti ingenio viros, vel Abbatem, præcipites; vt exiſtimarent, citatione facta, durare iuriſdictionem; ac proinde delegatum poſſe vltra progredi, ac ſi lis fuiſſet conteſtata. ſed debebant animaduertere, quod Vrbanus ſcribit; nempe negotium non dici cœptum, ſed quaſi cœptum: & ſubiungit, Et maxime, ſi delegatus non ſit certus de obitu delegantis. verbum, maxime, vbi accipi poteſt, pro tantum, *vt in cap. ad abolendum. de filijs presbyt.* quo loco gloſſ. verbum, maxime, interpretatur rectiſſime, pro tantum: quaſi vellet dicere, ſi certus eſſet de morte delegantis, non vtique poſſe vltra progredi. Siquidem Vrbanus præd. ſui Lucij III. interpretari voluit conſtitutionem, qua cauit, vti iam dixi, ante litem conteſtatam, expirare delegati iuriſdictionem morte mandantis. Interpretari voluit, inquam, Lucij Decretum accipi debere, quando delegatus eſt de morte mandantis certus, non æque ſi incertus. Quo caſu, facta in ius vocatione, etiam mortuo mandante lis poteſt conteſtari, & in cauſa procedi. Quòd ſi Vrbani conſtitutio Lucij reſcripto aduerſaretur, Raymundus non inſeruiſſet ibidem eiuſdem Lucij reſcriptum, ſed deleuiſſet potius, vti ne veſtigia quidem remaneret. Promiſit enim in procemio Decretalium, ſe omnia ſuperflua, & contraria reſecatum ire: neque dici commode poteſt, eum in tanto iuris occeano, omnium habere memoriam non potuiſſe; cùm ſtatim poſt Lucij conſtit. Vrbani ſubiecerit reſcriptum. Sed quoniam non ſunt hæc contraria inter ſe, ſed bene conuenientia: ideo intacta reliquit Raymundus. Verior ergo erit ſententia exiſtimantium iuriſdictionem delegati, morte mandantis, lite nondum conteſtata, expirare; ita tamen ſi delegatus certum de mandantis obitu acceperit nuncium; non item ſi certus non eſt; quo caſu ſola in ius vocatio, delegati conſeruat, atque tuetur iuriſdictionem. Sed, an per cauſæ delegationem, ſeu commiſſionem lis dicatur introducta, receptum eſt per commiſſionem cauſæ, & decretum citationis quoad actorem introductam dici lite. Rota *deciſ.* 11. *de dolo & contum. in antiq.* & *deciſ.* 4. *vt lit. pend. etiam in antiq.* Roman. *conſil.* 330. *ante num.* 3. Affict. *deciſ.* 220. *ſub num.* 13. Staphil. *de fign. litt. iuſt.* §. *bis igitur generaliter cognitio. num.* 15. Pariſ. *conſil.* 81. *num.* 10. *lib.* 4. Caſſad. *deciſ.* 6. *num.* 3. Mohed. *deciſ.* 6. Non æque quoad reum, reſpectu cuius lis non dicitur introducta, niſi poſt executam citationem; *clem. fin.* vbi omnes, *vt lit. pend.* Felin. *ad cap. cæterum. col.* 1. *in fin. & col. ſeq.* & *ad cap. ſuper litteris. num.* 13. *de reſcript.* Ripa *lib.* 5. *reſponſ. cap.* 5. *num.* 1. *de legib. conſtit. & conſuet.* Hinc Cantuc. *deciſ.* 1. *part.* 2. *diuerſ. num.* 6. dicit, poſſeſſionem captam poſt decretum citationis, ante tamen eius executionem, non dici attentatam. Et attentata non dantur ſine lite: nec lis dicitur, quoad reum, etiam ſi ſciuerit commiſſionem cauſæ, & decretum citationis, dummodo executa non ſit, *ibid. num.* 14. *cum ſeq.* & *deciſ.* 42. *num.* 19. *cum ſeqq.* Pluribus oſtendit in odium actoris per ſolum citationis decretum dici veram litem introductam.

De Epiſcopi Vicario, & quam habat iuriſdictionem. Cap. VI.

PROXIMAE præcedenti quæſtioni haud valde diſsimilis eſt illa, Quid ſi is, cui principaliter data non eſt iuriſdictio, iudicem dederit; & antequam lis ſit conteſtata, moriatur: an iudicis dati expiret iuriſdictio? Exemplum peti poteſt ex Epiſcopi Vicario, vel ex Proconſulis legato. Legatum Proconſulis non habere Iuriſdictionem ordinariam, hoc eſt principalem, ſed mandatam, conſtat *ex l. legatus, & l. legati. ff. de offic. proconſ. & leg. l. cùm prætor.* §. *is quoque. ff. de iudic.* Principalis iuriſdictio ſemper apud eum, qui mandat, remanet. *l. iudicium. ff. de iudic.* Principalis propria eſt; mandata aliena. *l.* 1. §. *qui mandatam. ff. de offic. eius. l. & quia. ff. de iur. omn. iud.* à Principali pendet mandata, & ea, quam qui mandatam ſuſcepit, dat, hoc eſt, iudicum ſpecialium, quos is conſtituit, cui mandata iuriſdictio eſt. Verùm quoniam Paulus Iuriſconſul. *in d. l. & quia.* ita ſcribit: Et quia nec principaliter ei iuriſdictio data eſt, nec ipſa lex defert; ſed confirmat mandatam iuriſdictionem: ideoq. ſi is, qui mandauit iuriſdictionem deceſſerit ante, quàm res ab eo, cui mandata eſt iuriſdictio, geri cęperit, ſolui mandatum Labeo ait: nõ immeritò dubitauerit quis, vtrum iudicis à legato dati, morte proconſulis, expiret iuriſdictio, an ipſius legati morte; ſiue iudicis ab Epiſcopi vicario dati, morte Epiſcopi, re nondum cępta, an ipſius vicarij obitu extinguatur iuriſdictio. De legato proconſulis nulla hodie remanet hæſitatio; cùm ex locis iam citatis aperte conſtet eum mandatam habere iuriſdictionem. Morte ergo procõſulis ſolui quoduis mandatum neceſſe eſt. ſiquidem legatis ius non eſt dandi iudices, ſed ijs quibus mandata eſt iuriſdictio. Si legato igitur proconſul non mandat iuriſdictionem, legatus iudices minus dare poteſt. Nam *in d. l. legatus.* legatus mandata ſibi iuriſdictione, iudicis dandi ius habet. Hoc enim dumtaxat ius ita habet, ſi mandata ſit ei iuriſdictio, nihil proprium habet, niſi à Proconſule ei mandata ſit iuriſdictio. *d. l. legati.*

Cùm

Cùm itaque ius hoc dandi iudicis ita habeat legatus, ſi ei mandatur à Proconſule iuriſdictio, hoc autem mandatum, vt cætera omnia, morte mandantis ſoluatur, neceſſe eſt, morte Proconſulis, iudicis à legato dati extingui iuriſdictionem. Idem plane dicere oportet in iudice ab Epiſcopi Vicario dato: quem licet noſtri, vno ore arbitrentur iuriſdictionem habere principalem, ideſt ordinariam, egregie tamen labuntur, vti ex ijs quæ mox ſubijciam, apparet. Iuriſdictio etenim ordinaria datur à lege. *dd. l. 1. ff. de offic. eius, cui.* ſed nulla lex eſt in toto iuris ciuilis, & Canonici corpore, quæ iſtis Vicarijs det iuriſdictionem. item Vicariorum iuriſdictio non eſt perpetua; eam quotieſcumque vult Epiſcopus, reuocat, vt poſt gloſſ. volunt omnes, *in clemen. 2. de reſcript.* quod locum non habet in ordinarijs. *dd. & quia. & d. l. iudicium.* item morte Epiſcopi euaneſcit horum iuriſdictio. *cle. fin. de procur.* neque poteſt Vicarius vni cauſarum vniuerſitatem committere. *cap. clericos,* vbi eleganter Hoſtien. & alij, *de offic. vic.* quia qui mandatam habet iuriſdictionem, alteri mandare non poteſt. *l. vlt. de offic. eius cui.* Si eſſet ordinarius, omnia quæ poteſt Epiſcopus, & ipſe poſſet; vel quæ ſunt iuriſdictionis. non poteſt vacantia conferre beneficia niſi beneficiorum collatio ei ſpecialiter ſit conceſſa, *cap. 2. & 3. de offic. vic. in ſex.* & alia huius generis plura. *d. cap. 2. & 3.* Quòd ſi principalem iuriſdictionem diceremus eum habere, ſequeretur & illud abſurdum, vt vna, eademq. iuriſdictio penes duos inſolidum eſſet: quod eſt omnino contra regul. *l. ſi vt certo. §. ſi duobus. ff. commod.* Cùm ergo Vicarius iuriſdictionem principalem non habeat, eo mortuo non extinguitur ab eo alteri mandata iuriſdictio. mandata, vt ab arbitrio pendet mandantis, ita cum eo interit. qui mandat, principalem non dat, neque dare poteſt, ſed illa penes ipſum remanet, cuius morte, & eius, qui mandatam habet iuriſdictionem, & eius qui ab hoc iudicandi ſuſcepit munus, euaneſcit poteſtas. Si igitur Epiſcopi Vicarius iudicem dederit; re integra, morte Epiſcopi expirat iuriſdictio iudicis dati. ex eo enim quòd morte Epiſcopi extinguitur Vicarij iuriſdictio, non poteſt non extingui morte Epiſcopi iudicum à Vicario datorum poteſtas. *argum. l. ſi quis mancipijs. §. ſi impubes. ff. de inſtit. action.* Sed quid ſi moriatur Vicarius? an iudex ab eo datus, lite minime conteſtata, vltra poſſit progredi? an ſoluitur mandatum? Soluì non videtur; ſed Epiſcopi morte ſoluitur, qui Vicario iuriſdictionem mandauit; vt non tam Vicarius, quàm Epiſcopus iudicem dare videatur, eiq. iuriſdictionem mandaſſe. Morte quidem mandantis ſolui quoduis mandatum pluſquam in manifeſto eſt, ſi res adhuc integra eſt, *ex §. recte. Inſtit. mand. & cap. penult. de offic. deleg. in ſex.* morte autem Epiſcopi iudicis à Vicario dati expirat iuriſdictio, non morte Vicarij. ipſe Epiſcopus, non Vicarius, iudici mandaſſe iuriſdictionem videtur. Morte ergo Vicarij non ſoluitur iudicis ab eo dati mandatum, ſed durat, ac ſi datus immediate eſſet ab Epiſcopo. Hæc locum habere non poſſunt in iudice à legato Proconſulis, vel ab alio quouis, mandatam habente iuriſdictionem, dato: licet interpretes noſtri, poſſe perperam exiſtimarint. veteri enim Populi Romani iure iudicis dati nulla eſt iuriſdictio; quod omnes recentiores, qui de iuriſdictione eleganter ſcripſerunt, procul dubio ſenſerunt; ſed iudicationem tantum habet. *l. à iudice. C. de iud.* tum lis conteſtabatur magiſtratu coram, qui auditis, actore, & reo, vno aſſerente, & altero negante, dabat iudices. Duo ergo obſtant; alterum eſt, quòd ſi nullam habebat iuriſdictionem, non poterat extingui, ſi non erat; alterum, ſi lis conteſtabatur coram magiſtratu, non eſt diſputationi locus; ſiquidem mortuo eo, qui dedit iudicem, iudex adhuc remanet; non quòd iuriſdictio eius ſolum pendeat ab illo primo mandante, ſed quia iam lis erat conteſtata, qua vtrique etiam mortuis, videlicet & qui mandauit, & qui accepit iuriſdictionem, adhuc iudex datus, iudex eſſet, & adhuc iudiciario fungi poſſet munere. Nos verò poſſumus quidem hanc proponere conclusionem, eo quia hodie nullus iudex datur, qui aliquam non habeat iuriſdictionem, immo omnium, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem. *cap. præterea. & cap. ſuſpicionis. de offic. iud. delegat.* niſi nudum prorſus mandetur miniſterium. *cap. vlt. in fin. eod. de offic. iud. deleg.* vbi dixi etiam.

De Vicario foraneo: & non ab eo appellari ad Epiſcopum, ſed ad ſuperiorem, & explicatur *cap. 2. de conſuet. lib. 6.* Cap. VII.

DE officiali Epiſcopi, qui vulgò Vicarius foraneus dicitur, *clem. 2. de reſcript.* quaſi foris, hoc eſt, extra ciuitatem, in aliqua diœceſis parte, vice fungatur Epiſcopi, nemo dubitat, quin habeat delegatam, non propriam iuriſdictionem. Rota *in vna Placent. iuriſdict. deciſ. 297. diuerſ. part. 2.* Etſi in Gallia, in Hiſpania, & alibi promiſcuè vtuntur officiali, vel vicario. immò frequentius officiali, quàm vicario. Sed non minus labuntur egregie interpretes noſtri, dum aſſeuerant, ab eius ſententia appellari ad Epiſcopum, non ſuperiorem. Quare Bartol. ipſe *in l. 1. ff. quis & à quo. appell.* ſcribit,

bit, quòd cùm quis committit alicui cauſarum exercendarum vniuerſitatem in alio loco, quàm vbi ipſe iudicare non conſueuit, vt in aliquo oppido, in aliqua diœceſis parte, quamquam dixerit, facimus te noſtrum Vicarium: non dicitur Vicarius, ſed delegatus; nec ab eo appellatur ad ſuperiorem, ſed ad eum, qui Vicarium fecit. eius ſententiæ eſt & ipſe Panormitanus *in cap. relatum prope fin. de offic. deleg.* & *in cap. ſi quis contra. de foro comp.* poſt gloſſam *in d. Clem. 2. in verbo, foraneo.* quæ contendit foraneum. Vicarium differre à generali; quòd hic ſit ordinarius, ille verò delegatus; atque adeo ab eo ad Epiſcopum appellari. quod ſcribit & Felinus *in rub. de offic. deleg. circa fin.* & hanc eſſe communem ſententiam tradit Didacus Couarr. *pract. quæſt. cap. 2. nu. 8.* cui & ipſe ſe ſubſcribit. Qui bus ego aſſentire nequaquam poſſum. Namque mandatam qui ſuſcepit iuriſdictionem, fungitur vice eius, qui mandauit, & ipſe nihil proprium habet. *l. 1. §. qui mandatam. ff. de offic. eius, cui d. folet. ff. de iur. omn. iud.* Quòd ſi ab eo appellaretur Epiſcopus, à ſemetipſo prouocari videretur. *cap. 2. de conſuet. lib. ſex. cap. Romana. in princ. de appell. lib. ſex.* Quod autem gloſſa hiſce duobus in locis, quam reliqui vno ſequuntur ore, dicit de Vicario generali, non de foraneo, accipi debere: male. Non video, quæ ſit diuerſitatis ratio; immo conſtat aperte de foraneo debere intelligi; ſiquidem foraneus Vicarius ſimpliciter dicitur officialis Epiſcopi, *c. vlt. de offic. vic. lib. ſex.* ibi officialis, aut generalis Vicarius, & *in c. cum nullus. de temp. ord. lib. ſex.* ſed Vicarius generalis non dicitur ſimpliciter officialis, ſed principalis officialis, *clemen. 2. de reſcript.* vel generalis, *cap. 2. de offic. vic. lib. ſex.* & *cap. ſi contra vnum. de offic. deleg. l. b. ſex.* Atqui *d. cap. 2. de conſuet.* & *d. cap. Romana.* nominatim loquuntur de officiali Epiſcopi, non de generali. argumento eſt etiam §. *ab Archidiaconis, eiuſdem cap. Romana.* vt ab Archidiaconis, & ab alijs inferioribus prælatis, & eorum officialibus ad ſuffraganeos ipſos deberet, non ad Archiepiſcopum fieri appellatio, quia Archidiaconi, & alij inferiores propriam habent iuriſdictionem, & Epiſcopo inferiores ſunt; ſed Vicarij foranei, alienam, hoc eſt Epiſcopalem, tuentur iuriſdictionem, & vna perſona cum Epiſcopo cenſentur. Tum quid faceret dubitationem, vt non liceret à generali Vicario ad Epiſcopum appellari, non video. Dubitari poterat de Vicario foraneo; qui licet idem cum Epiſcopo habeat Tribunal, idem auditorium, tamen quia extra vrbem iudicabat, videbatur quaſi diuerſum. Ideo Innoc. III. *in d. cap. Romana.* vnum eſſe dixit, atque conſtituit. & quamuis idem videatur conſtituere Bonifacius VIII. *in d. c. 2. de conſuet.* attamen plus continet Bonifaciana conſtitutio, quàm Innocentiana. hac enim non obſtante, quibuſdam in locis vſu receptum fuit, vt à Vicario foraneo appellaretur Epiſcopus. idcirco nouiſſima Bonifacius lege decreuit non valere huiuſmodi conſuetudinem, vt ab officiali Epiſcopi ad eundem Epiſcopum fieret appellatio, ne à ſemetipſo appellari videretur. Quod autem comminiſcitur Couarr. *loco vt ſupra*, vt à Vicario appellaretur is, qui eum conſtituit, non ſuperior, quia ei cauſa quædam, non omnis iuriſdictio commiſſa ſit: male. nam quod ſummus Pontifex multis in locis tituli *de offic. iud. deleg.* reſcribit à ſubdelegato appellari ad delegantem, non ad Principem, niſi ei omnem dediſſet iuriſdictionem, quo caſu Princeps appellatur, non delegans: non ita accipi debet, prout innuit Couarr. Principis enim delegatus, ſi ſubdelegat, vt cum noſtris loquamur, nihil ſibi reſeruato, dicitur in totum ſubdelegaſſe, omnem inquam, iuriſdictionem dediſſe. quòd ſi ſibi reſeruauit aliquid, vtpote ius dicendæ ſententiæ, & cauſæ cognitionem, vel teſtium receptionem mandauerit: is dicitur non omnem mandaſſe iuriſdictionem, ſed ſpeciem; & tunc appellatur à ſubdelegato delegans, non Princeps; vt *in cap. cùm te de offic. deleg.* At cùm Epiſcopus Vicarium conſtituit foraneum, etſi limitatam dat ei iuriſdictionem, & ad certas cauſas, & humiliora negotia (non enim poteſt concedere litteras dimiſſorias ad ordines. *cap. cum nullus. de tempor. ordin. lib. ſex.*) tamen in ijs cauſis, in quibus poteſt cognoſcere, eandem habet poteſtatem, quam habet Epiſcopus; qui ſcilicet ſe omni iuriſdictione ad illas cauſas pertinente ſpoliauit, & officialem ſuum eadem veſtiuit. quod cùm ita ſit, non eſt mirum, ſi à foraneo Vicario non appelletur Epiſcopus, ſed ſuperior, cùm vnum ſit Epiſcopi, & eius officialis tribunal, non duo, vt perperam exiſtimauit Bartol. quod profectò Ioan. Faber animaduertit *in rubric. de vulg. & pupill. ſubſtit. num. 4. inſtit.* & quamuis in Italia Bartoli, Panormitani, aliorumque errore ſit receptum, vti fiat à Vicario foraneo ad Epiſcopum, qui eum conſtituit, appellatio: in alijs tamen mundi partibus, vt in Gallia, à Vicarijs, & locumtenentibus, vt dicunt, & à ſubdelegatis ad Regem, & eius curiam, non ad delegantem, nec ad eum, qui Vicarium conſtituit, appellatur; vt autor eſt Rebuffus in commentarijs *ad leg. Regias, Tom. 3. tit. de appell. in princ.* Idem apud Hiſpanos in Caſtellani regni prouincijs obſeruari dicit & ipſe Couartuuias, *loco iam cit.* vt à locumtenentibus etiam particularibus non appelletur ad præſides, nec ad prætores, ſed ad ipſum regem, eiuſque Curiam. Et quamquam hæc mea opinio vtentium moribus plurimum adiuuetur, & ſuſtentetur: non dubito tamen,

quin

quin iure, poſſit etiam optime ſuſtentari, *ex d. cap. 2. de conſ. & d. cap. Romana.* quòd ab eo ſpeciali Vicario, quemadmodum & à generali, ad Epiſcopum non fiat appellatio; etſi libenter fateor plus iuriſdictionis habere generalem, quàm ſpecialem; cùm ille fere omnia poſſit, quæ Epiſcopus poteſt, exceptis ijs, de quibus *in cap. 2. & 3. de offic. Vicarij lib. 6.* Illud eſt etiam fortiſſimum argumentum, quòd foraneus Vicarius dari non poteſt, delegatus à ſede Apoſtolica, vel eius legato. *d. clem. 2. de reſcript.* ſicut alij, de quibus in *cap. Statutum. eod. de reſcript. lib. ſex.*

De delegato legati à latere, qui alteri iuriſdictionem mandare nequaquam poteſt. Quòd hodie ſublata non eſt differentia dandi iudicis, & mandandæ iuriſdictionis. intellectus ad *cap. cum Bertoldus. de re iudic.* & explicatio *l. ædiles. ff. de ædilit. edict.* Cap. VIII.

QVAMVIS in vtroque iure, ciuili, & canonico, cautum ſit, vt ſolus Principis delegatus poſſit vices ſuas alteri committere. *l. à iudice C. de iud. cap. cùm te. cap. ſuper quæſtionem. cap. vlt. de officio, & poteſt. iud. deleg. cap. cùm cauſam de appellat.* Baldus tamen *in d. l. à iudice.* Angelus *in l. cùm prætor. §. 1. ff. de iud.* Alexan. *in l. more. ff. de iuriſd. omn. iudic.* Abbas *in cap. cùm Bertoldus.* Felin. *in d. cap. ſuper quæſtionem. §. ſi verò.* volunt delegatum legati à latere perinde poſſe alteri iuriſdictionem ſuam mandare, atque Principis delegatum, ex citato *cap. cum Bertoldus.* quo in loco apparet delegatum legati ſubdelegaſſe; tum quia legatus à latere æquiparatur proconſulibus. *cap. 2. de offic. legat. in ſex.* & quod Proconſul poterat, idem poteſt legatus. atqui Proconſulis legatus alteri iuriſdictionem ſuam mandare poterat. *d. l. cùm prætor. §. 1. & l. legatus. ff. de offic. proconſul. & legat.* ergo poterit & delegatus legati à latere, qui æquiparatur legato proconſulis. Sed, vt res eſt, breuiter dicamus; in hoc legatus proconſulis nihil ab alijs, quibus demandatur iuriſdictio, differt. quod ſatis argumento eſt *l. 1. in fine cum ſeq. ff. quis & à quo.* vbi à proconſulis legato appellatur ad principem, non ad proconſulem. Neque alteri mandare poterat iuriſdictionem legatus, cùm propriam non haberet, ſed alienam. *l. legati. ff. de offic. proconſul.* Qui verò non iure ſuo, ſed alieno beneficio iuriſdictionem habent, alteri mandare non poſſe more maiorum comparatum eſt. *l. more. ff. de iuriſdict. & l. vlt. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict.* Iudices tamen dare poterat legatus. *d. l. cùm prætor. eod. & d. l. legatus.* prout alij omnes quibus demandata eſt iuriſdictio. *d. l. cùm prætor. §. is quoque.* Hodie verò tam ex Alciato, quàm Goueano, Duareno, Cuiacio, alijsq. recentioribus, non eſt dubium, quin aliqua ſit differentia inter Dare iudicem, & Mandare iuriſdictionem; vel ea, vt is, cui mandata eſt iuriſdictio, iudices dare poſſit. *d. l. legatus. & d. §. is quoque. in l. imperium. ff. de iuriſdict.* ibi, *iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia.* at iudex datus, iudicem dare non poteſt, quia iudiciario fungitur munere. *d. l. à iudice. C. de iud.* Neque dubito, quin idem ius hodie ſit, quod fuit olim; vt quemadmodum olim licuit ei, cui mandata erat iuriſdictio, iudices dare, ita hodie, etſi à principe delegatus non ſit, ſed à principe inferioribus iuriſdictionem acceperit, dare poſſit iudices in vno litis articulo, pluribusve articulis; dummodo ſibi aliquid iuriſdictionis reſeruet; vti eſt ius dicendæ ſententiæ; ſiue eius executionem, vel huiuſmodi. nam & olim qui iudices dabat, aliquid ſibi reſeruabat, præſertim ſententiæ executionem. *l. à Diuo Pio. ff. de re iud.* Et à iudice dato appellabatur is, qui eum dederat. *d. l. 1. ff. quis, & à quo.* ſicut & hodie. *d. cap. ſuper quæſtionem.* Hinc tentari poſſet, num iuriſdictionis aliquid haberet is, qui iudex datus erat. Et quanquam eum ſolam cognitionem habere dicant omnes, & iudicationem; tamen dubitari poſſet, cùm legamus magiſtratum ſolam ſententiæ executionem ſibi reſeruaſſe, tum de proprietatis quæſtionibus, quæ in executionem inciderant, cognouiſſe. *d. l. à Diuo Pio. in princ. & in §. ſi ſuper.* Eſt quidem veriſimile, iudicem datum habuiſſe etiam ea, ſine quibus iudicare non poſſet, argumento *l. vlt. ff. de offic. eius. & l. 2. ff. de iuriſd. immo in l. ædiles. in verſ. cæterum. ff. de adil. edict.* ita ſcribit: Poſt iudicium acceptum, tota cauſa ad hominem reſtituendum in iudicio verſatur: & tam fructus, quàm id, quo deterior factus eſt, cæteraque veniunt. Iudici enim ſtatim atque iudex factus eſt, omnium rerum officium incumbit, quæcunque in iudicio verſantur. ea autem, quæ ante iudicium contingunt, non valde ad eum pertinent, niſi fuerint ei nominatim iniuncta. Et libenter quidem fateor, litis conteſtationem magiſtratu coram fieri, & de facto duntaxat cognoſcere datum iudicem, vel ex eo, quod Sigonius *lib. de antiquo iure ciuium Romanorum 2. cap. 16.* ſcribit, quòd cùm de facto lis inciderat, tum à prætore aut iudex vnus dabatur, aut recuperatores, nimirum tres; qui porrò iudex vnus erat datus, is vnum, aut plures iudicij ſocios ſibi ſolebat adiun-

adiungere; vt in cauſa P. Quinctij videmus, Quinctium ſponſionem feciſſe, ſi bona ſua ex edicto prætoris eſſent poſſeſſa; datum iudicem à Prætore C. Aquilium, tres Iuriſperitos L. Lucullum, P. Quinctilium, M. Marcellum in conſilium aduocaſſe: ipſum ſediſſe iuratum, alios iniuratos: non enim iudicabant, ſed conſilium communicabant, quia non à magiſtratu poteſtatem acceperant. Videmus quoque pro Q. Roſcio egiſſe Ciceronem apud C. Piſonem iudicem à Prætore datum, Piſoni verò M. Perpennam in conſilio adfuiſſe: attamen cùm multa poſt litem conteſtatam incidant, in quibus peragentibus aliqua ſaltem modica iuriſdictio eſt neceſſaria, vti eſt in ius vocatio, teſtium receptio, qui non venient, niſi iudicis iuſſu, hoc eſt, per præconem vocati, & huiuſmodi alia: neceſſe eſt, vt aliquid habeat iuriſdictionis, vt *in cap. præterea. cap. ex litteris. cap. prudentiam. cap. ſuſpicionis. de offic. iud. deleg.* Sed rectius erit, ſi dixerimus, nihil habuiſſe iuriſdictionis, cùm iuriſdictio ſit indiuiſibilis. & licet videatur quicquam habere iuriſdictionis; nihil tamen habet: ſed tantum neſcio quid auctoritatis ſibi ab eo, qui eum iudicem conſtituit, impartitæ. quicquid enim facit, lite conteſtata, facit auctoritate eius, qui eum iudicem dedit. & ita poteſt intelligi Vlpianus *in d. l. ædiles.* ſed non dicitur habere quicquam iuriſdictionis; cum ſolus is mandare poſsit iuriſdictionem, qui proprio iure, vti iam dictum eſt, non alieno beneficio habet. Et, vt ad quæſtionem noſtram redeamus, dico Delegatum Legati à latere iuriſdictionem alteri mandare non poſſe, quicquid comminiſcantur interpretes noſtri *ex d. cap. cum Bertoldus.* quod nihil habet ſpeciale. vti male exiſtimauit Abbas. Sed intelligi debet, prout iam dixi, vt quilibet delegatus, etiam principe inferioris, poſsit ſubdelegare vnum litis articulum, vel plures: vti eſt citatio, litis conteſtatio, teſtium receptio, & huiuſmodi alia ad litem pertinentia. quod probatur verbis textus *in d. cap. cùm Bertoldus*, ibi: *ipſi ſubdelegati teſtes ſuper prædicto articulo receperunt*. Nam cùm ſententia aduerſus T. presbyterum lata eſſet, quòd neque per ſe, neque per idoneum procuratorem comparuiſſet: demum allegauit abſentiæ cauſam eſſe legitimam. Vnde Delegatus legati Apoſtolicæ tedis ſuper hoc articulo iudices dedit; ita vt ipſi viderent, num cauſa iuſta eſſet, necne. idq. apertius conſtat ex 3. veterum Decretalium collectione apud Antonium Auguſtinum. ideò rectiſsima eſt veterum, quos refert Durandus *in Speculatore tit. de deleg. §. 2. num. 5. ſententia*; vti eſt Gulielmus de Cuneo, Naſo, Innocen. & Hoſtien. quippe qui dicere ſolebant, Delegatum ab alio, quam à principe, etiam ſi non erit ad vniuerſitatem cauſarum delegatus, poſſe vnum litis articulum ſubdelegare. At verius eſt, huiuſmodi ſubdelegatum, ſiue datum in vno litis articulo iudicem, nihil prorſus iuriſdictionis habere: quicquid enim facit, facit auctoritate conſtituentis. & iſti hodie vulgò Commiſſarij appellantur, hoc eſt, commiſsi ad vnum litis articulum: cuius auctoritas ex litterarum forma dignoſcitur. Solus igitur Principis delegatus iuriſdictionem alteri demandare poterit.

De adulterij crimine cognoſcunt etiam ſacerdotes; intellectus *ad can. de benedicto. 32 q. 1. & c. 1. de offic. ordin.* Cap. IX.

QVAE DAM eſſe crimina mere Eccleſiaſtica, vt eſt hæreſis, ſimoniæ, & id genus alia; quædam verò communis fori, nemo eſt, qui neſciat. Sed dubitatur de adulterij crimine, num eius cognitio ad magiſtratum ciuilem ſpectet duntaxat, an etiam ad ſacerdotes. Communis interpretum conſenſus eſt, vt ſit locus præuentioni. Innocentius tamen quartus *ad cap. tuæ. de procurat.* exiſtimauit ciuilem cognitionem eſſe, non item Eccleſiaſticam, ſi adulter eſt de iuriſdictione magiſtratus ciuilis. Alciatus Innocentium ſequitur *ad cap. 1. num. 18. de offic. ordin.* qui nititur modis omnibus probare, veriorem eſſe Innocentij opinionem, potiſsimum *ex can. de benedicto. 32. q. 1.* vbi Eccleſiaſticus iudex remittit adulterum ad prouinciarum præſides, vt de eo legitimas ſumant pœnas. quod argumento eſt, ait Alciatus, quòd ipſi Eccleſiaſtici iudices non habeant poteſtatem huiuſmodi coercendi delicta. Mihi magis placet, vt ſit locus præuentioni; eo maxime, quòd matrimonium eſt ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis. *cap. vt debitum, de bigam.* qua de re late alibi. Caſſiod. *lib. 2. Epiſt. 10.* Nec diſſimulari poteſt, ſalua communione, qua viuitur, vt ſollicitatores publicos habeat genialis thori reuerenda ſocietas, & illud humani generis procreabile ſacramentum, ſcelerata temeritate profanetur. ideo ſi quis alienam habuerit vxorem, coactusque fuerit à ſacerdotibus illam dimittere, & prouocauerit, non admittitur prouocatio. *cap. conſuluit. 1. de appellat.* immo cenſuris Eccleſiaſticis Dioeceſanus cogit ipſam mulierem, quæ à coniugali affectu receſſerat, & cum adultero ſtabat, ad indiſſolubilem coniugij nexum redire. *cap. intelleximus. de adulter.* Quòd ſi maritus illam ad melioris vitæ frugem reuerſam recipere noluerit, in monaſterium detruditur, vt perpetuam ibidē agat pœnitentiam.

cap.

cap. gaudemus. de conuerſ. coniug. Quamobrem ſancitum fuit optime *in d. cap. 1. de offic. ord.* vti Epiſcopi in ſuis diœceſibus liberam adulteria, & alia eiuſdem generis crimina inquirendi, vlciſcendi, & iudicandi habeant poteſtatem. Neque debet ad ſolos clericos reſtringi, vti male opinatur Alciatus: nam, obſecro, quid faciebat dubitationem, an ſacerdotes poſſent animaduertere in clericos in adulterio deprehenſos; cùm ipſos ſolos de clericis, & eorum criminibus poſſe cognoſcere in manifeſto ſitè *can. ſi imperator, 96. diſtinct. c. ſacerdotibus. 11. q. 1. c. conuenior. 23. q. 8. cap. ſignificaſti. & cap. diligenti. de foro compet. & paſſim alibi.* Ideo legitur in hiſtoria Eccleſiaſtica, Conſtantinum vniuerſis Epiſcopis dixiſſe: vos Dij eſtis, à vero Deo conſtituti; ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite. Theodoricus Rex Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo apud Caſſiod. *lib. 1. epiſt. 9.* Sed quoniam & ipſi clericatus nomine fungebantur, ad ſanctitatis veſtræ iudicium cuncta tranſmittimus ordinanda. Item Athalaricus Rex apud eundem *lib. 8. epiſt. 24.* Clero Eccleſiæ Romanæ: Conſiderantes Apoſtolicæ ſedis honorem, definimus, vt ſi quiſpiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſſimum Papæ iudicium prius conueniat audiendus. Item ſi ſummus Antiſtes in *ſæpe citat. cap. 1.* intellexiſſet de pœnitentia ſalutari, non de pœna criminali, vt parum attente ratiocinatur Alciatus ipſe; rogo, quid opus erat facultatem facere Epiſcopis, vti poſſent à magiſtratu ciuili auxilium innocare; cùm pœnitentia ad volentes, non ad coactos pertineat? tum verba illa demonſtrant ſatis non de pœnitentia, ſed de pœna intelligendum eſſe, cùm ait, inquirere, vlciſci, & iudicare. nam vltio eſt ipſa animaduerſio pro delicto inflicta. D. Hieronym. *ſupra Iſaiam. 1.* Vlciſcitur Deus caſtigando, aliquando quidem ad emendationem, nonnunquam verò ad damnationem æternam. Tacitus *lib. 2.* ſimul perfidos, & ruptores pacis vltioni, & gloriæ mactandos. Ad *can. de benedicto*, quo fulcitur præcipue Alciatus, non eſt difficilis ſolutio. Fuerat iam olim à Conſtantino Imperatore ſancitum, vti nuptiarum ſacrilegi gladio ferirentur. *l. quamuis. C. ad leg. Iul. de adulter.* verum quia ſacerdotes minime ſolent ſe ingerere in ijs, quæ exigunt pœnam ſanguinis; ideo Pelagius, qui fuit Iuſtiniani tempore, decreuit in citato can. de benedicto, quòd ſi ſacerdotes omni in adulterum correctione vſi eſſent, nec tamen vellet reſipiſcere, deberent illum remittere ad magiſtratum ciuilem. his enim verbis: ſi hoc rerum veritas habet, iubemus experientiæ tuæ, vt eum cum ipſa quoque adultera diſtricte non differas mactare, & calnatos ab inuicem ſeparare, & illum quidem ad Lucium defenſorem in Apuliæ prouinciæ patrimonium ſine dilatione migrare. Non differas mactare, gloſſa dixit, punire: rectiſsime. quia licet verbum mactare plura habeat ſignificata, vel proprius accipiatur pro ſacrificare: Virgil. *lib. 3. Georgic.*

Aut ſi quam ferro mactauerat ante ſacerdos.

& lib. 4. Aeneid.

Mactant lectas de more bidentes.

Vbi ſeruius, Mactant, ait, verbum ſacrorum eſt, quaſi magis auctum. vnde & Magiſtentum dicebant, quaſi magis augmentum. Cicero *in lib. de repub.* Ferunt laudibus, mactant honoribus: per tranſlationem pro malo afficere, ſeu, vt vulgò loquimur, male tractare. Plaut. *in Aulul.*

Quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri:
Dotata mactant & malo, & damno viros.

quo ſenſu accipi poteſt *d. can. de benedicto.* nam cùm delicta puniuntur, quaſi Deo ſacrificamus, argum. *can. non ſufficit. de pœnit. 1. diſtinct.* Ad verbum etiam illud, Caluatos, mihi videtur dixiſſe quod oportuit gloſſa: pannis ſcilicet abſciſſis; ideſt dehoneſtatos, & tonſos: ſicut moris eſt quibuſdam in locis. quia veſtes, & capilli inciduntur eis in ignominiam ante, & retro. quanquam dictio, caluatos, reuera ad veſtes referri non debeat, ſed ad capillos tantum; cuius pœnæ genus legitur & in ſacris litteris, vel apud Iſaiam 3. *Decaluauit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudauit.* quo loco. D. Hieronym. Decaluat, inquit, Dominus, cùm in publicum iudicium adducit peccata. Cùm hæc igitur Eccleſiaſticus iudex feciſſet, nec vltra progredi poſſet, hoc eſt ad pœnam ſanguinis, *cap. cùm ab homine. de iudic.* non eſt mirum, ſi ad prouinciarum præſides remittebat, vt vltimo ſupplicio afficeretur adulter. Adulteram tamen remitti non iubet Pelagius. Sed cur hæc tam varie? Ratio eſt elegans. Siquidem Pelagius Romanæ præfuit Eccleſiæ, vltimis, vti diximus, Iuſtiniani temporibus, quibus leges, ac conſtitutiones ſuas, Nouellasq. fecerat, & promulgauerat. Sed *Nouell. 134. in authen. ſed hodie. C. ad leg. Iul. de adulter.* cauit, vt mulier adultera, verberibus cæſa, detruderetur in monaſterium: cùm tamen per Conſtantini oraculum, de quo *in d. l. quamuis.* & gladio feriretur. Verùm quoniam ſacris etiam canonibus huiuſmodi in monaſterium detruſio erat permiſſa: idcirco ſacerdotes adulteram non remittunt; ſed ipſi eam detrudunt. *d. cap. gaudemus. de conuerſ. coniugat.* Quibus manifeſtum eſt, adulterij crimen, quicquid comminiſcatur Alciatus, eſſe communis fori; & locum eſſe præuentioni.

De clauſula illa, vt quis poſsit libere appellare. de ſententia *cap. 1. de reſcript. l. ſi quando. C. de inoffic. teſtam. & l. 2. ff. de appellat.* Cap. X.

RESCRIPSERAT Senonenſi Archiepiſcopo Alexander III. Roman. ſedem quandoque permittere, vt quis libere poſſit appellare; vti videre eſt *in cap. 1. de reſcript.* apud Gregorium ix. *& in cap. 12. de appell. prima collect.* Hinc noſtri multa commenti ſunt, & illam clauſulam, vt quis libere poſſit appellare, ad varios ſenſus retorſerunt: neque veri quicquam, meo iudicio, dixerũt; quamuis nullam res habeat dubitationem, capiatque interpretationem *ex l. ſi quando. C. de inoffic. teſtam.* qua intellecta, intelligitur & citatum cap. primum. Sic igitur Iuſtinianus in d.l. Si quando talis conceſſio imperialis proceſſerit, per quam libera teſtamenti factio conceditur; nihil aliud videri principem concedere, niſi vt habeat legitimam, & conſuetam teſtamenti factionem: & quæ ſequuntur. Quid vult ibi Imperator? an conceſſionem imperialem, per quam libera teſtamenti factio conceditur, nihil operari? Eſſet plane ridiculum id dicere; cùm verba aliquid debeant perpetuò operari. *l. ſi quando. in princ. ff. de legat. 1. l. ſi ſtipulatus. ff. de vſur. l. 1. ff. ad municip.* At dicet aliquis, Imperator ſemetipſum interpretatur, dum ait, nihil aliud videri principem concedere; niſi vt habeat legitimam, & conſuetam teſtamenti factionem. Reſpondeo verum eſſe; non velle, inquam, Principem ex eo, quòd concedit liberam teſtamenti factionem, omnia hoc vno verbo teſtamentorum ſolennia remittere; ſed ſpectandum eſſe, cui, & quo fine, quaque mente conceſſerit. Milites olim non poterant facere teſtamentum, niſi iuris ſolennitates obſeruarent. primus autem Iulius Cæſar illis liberam teſtamenti factionem conceſſit: poſtea Titus, & Domitianus: Nerua verò, & Traianus pleniſſimam indulgentiam dederunt; vnde *in l. 1. ff. de milit. teſtamen.* Faciant teſtamenta quomodo volunt; faciant, quomodo poterunt; ſufficiatq. ad bonorum ſuorum diuiſionem faciendam nuda voluntas teſtatoris. ideo Marcellus Iuriſconſult. *in l. ſi à milite. ff. eod.* ſcribit, Patri dandam eſſe bonorum poſſeſſionem contra tabulas filij emancipati: Exceptis, inquit, ijs rebus, quas in caſtris acquiſiuiſſet: quarum liberam teſtamenti factionem habet. Et ita Impp. iuris communis obſeruationes remiſerunt: quibus & ipſi milites perinde, atque pagani ante Iulium Cæſarem in teſtamenti factione vti cogebantur. Quòd ſi Princeps liberto liberam teſtamenti factionem conceſſerit, vt *in l. 3. ff. de bon. libert.* non ei remiſit iuris ſolennitates, hoc eſt, omnes iuris communis obſeruationes, ſed tantum legem Pappiam, & edictum prætoris de bonis libertorum. erat enim lege Pappia cautum, vt de bonis eius, qui H. S. centum millium patrimonium relinqueret, & pauciores, quàm tres liberos habebat, ſiue facto teſtamento, ſiue inteſtatus erat mortuus, virilis pars patrono deberetur: vt *in §. 1. de bon. libert.* apud Iuſtinian. & toto tit. *ff. de bon. libert.* Quòd ſi prætentus erat patronus, prætor dabat ei bonorum poſſeſsionem contra tabulas. *l. 2. ff. eod. & tot. titul.* niſi natalibus eſſet reſtitutus, vel à principe liberam teſtamenti factionem habuiſſet. *d. l. 3. §. 1.* Et hoc eſt nimirum, quod intelligere voluit Gratianus *in can. Epiſcopus, qui. §. ſi aduerſus. 12. quæſt. 2.* Si verò, inquit, ingenuum princeps fecit, patrono reuerentiam non debet. Hinc eleganter vir peritiſsimus iuris Cuiacius *lib. obſerv. 8. cap. 32.* Si forte, inquit, picturæ profeſſoribus filijsfamil. daret princeps liberam teſtamenti factionem, ſoluere eos tantùm videtur ea lege, quæ filijsfamil. teſtamentum facere vetat, non cæteris. nam cùm ſit inhabilis filiusfamil. ad teſtamenti factionem, patriæ poteſtatis lege impeditus; princeps concedit, hoc minus obſtante, liberam teſtamenti factionem. ſed hac conceſsione, per quam libera teſtamenti factio data eſt, non intelligitur permiſſum, niſi vt habeat teſtamenti factionem, prout habent patresfamil. namque filiusfamil. iure teſtari non poteſt, etiam ſi pater permittat. *l. qui in poteſtate. ff. de teſtam.* neque libertus, quamuis patronus ei liberam teſtamenti factionem concedat. *l. Paulus. §. patroni. ff. de bon. liber.* & ratio eſt, quia teſtamentum eſt iuris publici. *l. 3. ff. de teſtamen.* & cùm ſit iuris publici teſtamenti factio, à priuatis concedi minus poteſt, ſed à ſolo principe. *d. l. 3. §. 1.* Cùm igitur Princeps liberam teſtamenti factionem filiofam. vel liberto concedit, non eis remittit iuris communis obſeruationes, ſed eos tantùm ſoluit ea lege, quæ impediebantur, ne poſſent teſtamentum facere. & ita interpretari oportet *d. l. ſi quando. C. de inoffic. teſtam.* quo ſenſu accipi etiam debet ſupradictum Alexandri III. reſcriptum. dum ait, quibus ei generaliter eſt indultum, vt libere ſibi liceat appellare. nam ex eo quòd ſummus legum Antiſtes alicui liberam appellandi facultatem concedit, non omnia hoc vno verbo appellationum ſolennia intelligitur remiſiſſe; neque credendum eſt Rom. Pontificem, qui iura tuetur, quod alias excogitatum eſt multis vigilijs, & inuentũ, vno ſuo reſcri-

reſcripto ſubuertere voluiſſe, vt ſcribit haud inſubtiliter Honorius III. *in cap. Eccleſia. 2. de elect.* Sed ſpectare oportet, cui, & quo fine, quaque mente conceſſerit Princeps. Si enim ei, qui à communi iure appellandi beneficium habet, liberam appellandi facultatem concedat; intelligitur plenſſimam indulgentiam in eum contuliſſe, vt, omiſſis iuris communis ſolennitatibus, libere poſſit appellari; non vt exiſtimauit gloſſa, vt poſſit appellari in caſibus etiam iure prohibitis; atque Baldus, qui vult appellari poſſe, dummodo non ſint omnino iniulti; idem Decius: vel Felinus, qui vult ad vnum ſaltem effectum. quoniam eſſet contra ius huiuſmodi reſcriptum, quod ſimpliciter non valet, ſed ſubreptitium cenſetur; cùm non ſoleat concedi. *l. reſcripta. C. de precib. imp. offer. can. reſcripta. 25. quæſt. 2. l. vlt. C. de diuerſ. reſcript.* ibi, Iudices monemus, vt nullum reſcriptum, nullam pragmaticam ſanctionem, nullam ſacram adnotationem, quæ generali iuri, vel vtilitati publicæ aduerſa eſſe videantur, in diſceptatione cuiuſlibet litigij patiantur proferri; ſed generales ſacras conſtitutiones omnibus non dubitent, obſeruandas. quæ conſtitutio etiam relata eſt in corpus ſacrorum canonum, vti videre eſt apud Gratianum *in can. dicenti. §. item Imp. Anaſtaſius. 25. quæſt. 2.* Quando igitur huiuſmodi emanat reſcriptum, per quod alicui conceſſa eſt libera appellandi facultas; ſi talis eſt, qui poſſit appellare, cui, inquam, nihil ſit impedimento, quominus poſſit ad prouocationis auxilium conuolare: intelligitur Princeps iuris communis ſolennitates, ſiue obſeruationes remiſiſſe. Solet enim in appellationibus, præſertim in interlocutionibus illud obſeruari, vt in ſcriptis appelletur, vt cauſa appellationis exprimatur, vt apoſtoli petantur. quæ ſi obſeruata non fuerint, non admittitur appellatio. *cap. 1. de appellatio. in ſex.* Nec ſufficit appellanti probare, quòd ex probabili cauſa prouocauit, ſi eam non doceat eſſe veram. *cap. interpoſita. 70. de appell.* Nihil ergo huiuſmodi reſcriptum in diffinitiua operabitur, cùm viua voce liceat appellare. *l. 2. ff. de appell.* Dico poſſe viua voce appellari incontinenti; ob id dicitur *in d. l. 2.* Si apud acta quis appellat, ſatis erit, ſi dicat Appello; ſi poſt appellatur, tunc appellandum in ſcriptis eſt. *l. litigatoribus. C. de appellat. can. vltim. verſic. litigatoribus 12. q. 6.* Quare mihi placet mirum in modum Durandi Speculatoris opinio *in titul. de appellat. §. 6. in princip.* exiſtimat enim aduerſus veteres interpretes, prima die non poſſe appellare, ſi poſt latam ſententiam iudex iuerit ad praudium, vel in hortos ſe contulerit, vel ad alios actus ſe conuerterit. *l. 105. §. finautem. C. de appellat. d. l. 2.* ſi verò per aliquod temporis ſpatium iudex pro tribunali ſedebit, viua voce, & ſine ſcriptis poterit appellari. & hoc eſt nimirum, quod vult iuriſconſultus *in d. l. 2.* ſi apud acta quis appellat. Qui ergo liberam à Principe habet appellandi facultatem, poterit etiam altero die ſine libello appellare; & ſi qua alia appellationis ſolennia ſunt, ea remiſiſſe Princeps intelligitur, quemadmodum ſolennia teſtamentorum remiſiſſe videtur Princeps militibus: qui cùm haberent, vt patresfam. teſtamenti factionem, & Princeps pleniſſimam concedit indulgentiam: intelligitur conceſſiſſe, quod minime habebant. Si verò is, cui conceditur libera appellandi facultas, ius appellandi non haberet; vt ſi ei eſſet interdictum propter delictum aliquod, vel eſſet excommunicatus; quo caſu non debet audiri, niſi ſit abſolutus. *cap. per tuas. de ſent. excommun. & c. quæſitum. de offic. & poteſt. iud. ord. in prima compilat.* vel ſi eſſet ſeruus, qui appellare non poteſt; ſed dominus eius ad opem ſeruo ferendam, poteſt vti auxilio appellationis, vel alius nomine domini. *l. ſerui. l. Lucius. l. creditor. ff. de appel.* & ſi qui alij eiuſmodi ſunt: tunc princeps videtur conceſſiſſe, vt habeat ius appellandi, hoc eſt, vt habeat legitimam & conſuetam appellandi facultatem: cætera verò, quæ ad interponendam, & proſequendam appellationem ſunt neceſſaria, remiſiſſe non intelligitur, argumento eius, quod diximus de filiofamil. & liberto; quibus conceſſa eſt libera teſtamenti factio. Sed, vt iam omnia pluribus dicta, paucis comprehendam, dico, clauſulam iſtam, Vt libere poſſit appellare, illum operari effectum, quòd ſi talis ſit is, cui conceditur, vt iure communi poſſit appellare, tunc princeps intelligitur remiſiſſe ea, quæ appellationis ſolennia ſunt; ſi verò ſit huiuſmodi, vt ei ius appellandi ſit interdictum, tunc princeps videtur conceſſiſſe, vt poſſit appellare, prout iuris obſeruationes deſiderant, non ex interuallo, non ſine ſcriptis, non ſine cauſæ expreſſione, & huiuſmodi alijs.

De concubinis, & explicatur *can is, qui non habet. 34. diſtinct. & l. in liberæ. ff. de rit. nupt. & Iuſtiniani Nouella 74.* Cap. XI.

MARCIANVS *in l. 3. ff. de concub.* ex Marcello libro Digeſtorum ſeptimo ſcribit, Concubinatum per leges nomen adſumpſiſſe, & extra legis pœnam eſſe. Gratianus *in can. is, qui non habet. 34. diſtinct.* ex concilio Toletano I. eum, qui vxorem non habet, concubinam tamen habet, à communione non eſſe repellendum. Hinc veteres, & recen-

recentiores interpretes commenti ſunt, ſimplicem concubinatum haud illicitum eſſe: tametſi D. Auguſtinus *in c. audite. eod.* 34. *diſtinct.* ait, Concubinas habere non licet nobis: etſi non habetis vxores, tamen non licet habere concubinas. Cui ſuffragatur & præclarum B. Ambroſij dictum *in c. Nemo.* 32. *q.* 4. Nulli licet, inquit, ſcire mulierem præter vxorem: ideoq. coniugij tibi datum eſt ius, ne in laqueum diaboli incidas: Neque (quod plus eſt) licet, etiam ſi magis ad procreationem, quàm ad explendam libidinem habeat. Sanctius eſt enim defungi ſine liberis, quàm ex illicito coitu ſtirpem quærere, eiuſdem Auguſtini teſtimonio *lib. de bono coniugali, cap.* 16. Quinimo Ariſtoteles quodam non fidei, ſed naturæ lumine illuſtratus *in lib. Politicorum* 7. *cap.* 16. aperte ſcribit, concubitum omne alterius, quam coniugis penitus interdictum; eumq; qui contrafecerit, grauiter puniendum eſſe. Male ergo colligunt noſtri, concubinatum eſſe licitum *ex d. l.* 3. Rectius autem dixiſſent concubinatum non punitum iri. ideo Marcianus ait, Extra legis pœnam eſt: non tamen dicit eſſe licitum. non enim omnia quæ fieri permittuntur, aut tolerantur, licita ſunt. mulieres, vt corpore quæſtum faciant, permittuntur: non turpiter ergo faciunt? & mortaliter eas peccare quis neſcit? Cæterum, ſciendum eſt, ſimile concubinatus nomen apud veteres honeſtum. plenior tamen vxoris, quàm concubinæ honor: attamen vtrumque honoris nomen, non vt ſcortum, vel amica, voluptatis, dedecoris, atq; probri, vt *in l. Maſurius. ff. de verbo. ſignif.* Etenim Concubinæ, vt rectiſſime Cuiacius in Paratitlis, vel concubinatus nomen, vitæ ſocietatem quandam demonſtrat, abſque ritu tamen vllo ſuſceptam, non coitionem furtiuam. ideò Vlpianus *in l. item legato. §. penult. ff. de legat.* 3. recte exiſtimauit concubinam ab vxore, niſi in dignitate, nihil intereſſe. quam ſequutus Iuſtinianus anteceſſor Conſtantinopolitanus dixit, concubinam imitari legitimam vxorem. quas & maximos, ac totius orbis terrarum potentiſſimos principes habuiſſe traditur. nam D. Veſpaſianum poſt vxoris exceſſum, Cenidem Antoniæ libertam, dilectam quondam ſibi reuocauit in contubernium, habuitq. Imperator pene iuſtæ vxoris loco. vt auctor eſt Suetonius. immo veteres illi ſancti Patres, præter vxores, concubinas ſibi carnaliter coniunxerunt, easq. in contubernio, veluti vxorum ancillas retinebant. D. tamen Thomas *diſtinct.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad tertium*, ſcribit, quod vbicumque in veteri teſtamento legitur, aliquos ſanctos viros concubinas habuiſſe, oportet dicere, eas illis fuiſſe matrimonio coniunctas, & tamen aliquo modo concubinas appellari, quòd aliquid haberent vxoris, aliquid concubinæ. namque ſecundum matrimonium, prout dirigitur ad ſuum principalem finem, qui eſt prolis procreatio, ſic erant vxores. ſed ſecundum quòd ordinatur ad ſecundarium finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & mutui auxilij ſpes, & ſimul cohabitatio, vxores non erant, quæ primæ vxori accedebant, ſed concubinæ appellabantur, quaſi ſimile quicquã habentes cum concubina, in eo videlicet, quòd poterant reijci à lecto, & à domo, ſicut illa, quæ vere concubina eſt. vnde & de Agar dicitur ad Abraham per Sarram eius vxorem, Geneſ. c. 21. *Eijce ancillam hanc, & filium eius*: quam tamen prius dederat ipſa viro ſuo vxorem. Talis quoque dicitur fuiſſe Bala ipſi Iacob. Geneſ. 35. Atque hinc quidam putarunt *d. can. is, qui non habet*, interpretationem accipere: ſed male. Etſi autem ſancti illi Patres cum vxoribus concubinas habebant: non tamen nobis licet ex d. can. is, qui non habet. Poterant illi ad ſobolem procreandam, vt nouus adhuc orbis, & hominibus nondum repletus, impleretur; quare dictum à Domino Deo eſt maſculis, & fœminis, Geneſ. cap. 1. & cap. 9. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: licebat quoque illis plures habere vxores: non item hodie: quemadmodum nec concubinam cum vxore. nam in d. Concilio Toletano, *cap.* 17. is, inquit, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur; tantum vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) ſit coniunctione contentus. Concubinæ tamen, vti iam dixi, nomen honeſtum erat, & veræ vxores quandoque concubinæ dicebantur, eo quòd abſque dotalibus inſtrumentis, cæteriſque ſolennitatibus à iure ciuili introductis, fuerat matrimonium contractum. quod idem Gratianus notauit *in can. omnibus. §. vlt. cum ſeq. eod.* 34. *diſtinct.* palamque oſtendit Iuſtinianus *in ſua Nouell.* 12. *ſub tit. in authen. de inceſt. nupt. §. vlt.* Neque verò ſatis eſt, vt vxoris nomen adipiſcatur, ſequi matrimonium, ſed neceſſe eſt dotalia etiam interuenire inſtrumenta. *Nouell.* 18. *§.* 2. *de trionte, & ſemiſſe* Dos, concubinatus abolitio eſt, & nuptiarum argumentum. Plautus in *Trinummo*:

Ne tibi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis, quàm in matrimonium.

Sufficit & aliud quodlibet nuptiarum argumentum, quod modo ſumatur ex præſcripto *§.* 2. *Nouell.* 117. *vt liceat matri, vel aui.* tametſi idem Iuſtinianus *ibidem §.* 3. decreuerit huiuſmodi matrimonia, abſque ſcilicet dotalibus inſtrumentis, contrahi non poſſe abijs, qui maximis

præſtant

præſtant dignitatibus; Barbaris exceptis; qui, ſicut inferiores illuſtribus, ex ſolo affectu nuptias inire poſſunt. Erat igitur matrimonium, vbi erat affectus nuptialis. & concubina ex ſola animi deſtinatione æſtimabatur, vt ait Paulus *in l. penul. ff. de concub.* Nolebant tamen concubinatum intelligi [in liberæ mulieris conſuetudine, ſed nuptias, niſi corpore quæſtum feciſſet. *l. in liberæ. ff. de rit. nupt.* Sed cur non in libertinæ? Ratio reddi poteſt, quoniam lege Papia cautum fuit, vt omnibus ingenuis, præter ſenatores, eorumq. liberos, libertinam vxorem habere liceret. *l. lege. ff. de rit. nupt.* nec iuſta ſenatori vxor eſſe poteſt libertina, niſi Principis indulgentia permiſſum ſit. *l. ſi ſenatori. ff. eod.* At cum libera muliere iuſtè contrahit Senator. ideo præſumitur matrimonium cum libera; quanquam ſolemnitates, atque dotalia inſtrumenta non interuenerint. Non dubito tamen, quin in conſuetudine libertinæ, intelligantur (aut, vt rectius dicam, ab antiquis intelligerẽtur) nuptiæ, ſi is, qui eam in contubernio habet, Senator non ſit, eiusq. filius; ac eã ex animi affectu habeat pro vxore. Siquidem *d. l. lege*, loquitur de Senatore, qui libertam ſibi matrimonio coniungere non poteſt. cui ſtatim ſubijcitur *d. l. in liberæ*. in qua Iuriſconſultus reſpondit, In liberæ mulieris conſuetudine non concubinatum intelligere oportet, ſed nuptias: licet prætermiſſæ ſint ſolemnitates; ita vt non modò alij ingenui, ſed etiam Senatores ipſi cum libera ſine dotalibus inſtrumentis contraxiſſe intelligantur. quod correctum tandem fuit à Iuſtiniano *in d. §. 3. Nouell. 113.* At verò mihi mirifice placet differentia, quam noſtri *ex d. l. in liberæ*. inter ius Pontificium, & Cæſareum conſtituunt: vti Bal. *in cap. tranſmiſſa. de reſtit. ſpol.* Abbas *in c. illua. in fine. de præſumpt.* & *in c. Eccleſia S. Mariæ. in ſeptimo caſu*, vbi & Decius, & alij, *de conſtitut.* illa videlicet, vt iure ciuili matrimonium intelligatur, aut potius olim intelligeretur, ſi ſimul cohabitauerint vir, & fœmina, & vterque ſolutus ſit: non æque iure noſtro, ſed potius fornicatio. *can. aliter. 30. q. 5.* tametſi recentiores quidam in notationibus ad Decium aliter putent *ex §. quoniam. auth. quib. mod. natural. ſui effic. legit.* quæ eſt *Nouell. 74.* in qua ſancitum eſt licere viro vxorem, quam habuit nullis ſolemnitatibus, è domo reijcere, liberis etiam ſuceptis; niſi mulier legitimis modis probauerit matrimonium. quæ licet perquam vera ſint, non ſequitur tamen, quin non præſumatur, donec maritus vxorem reiecerit, matrimonium. Non placet tamen Abbatis opinio, exiſtimantis *d. l. in liberæ.* per *d. Nouell. 74.* corrigi à Iuſtiniano. proponitur ius vetus, quod ante Iuſtinianum vſu, ac lege fuerat receptum: vt nuptiæ in liberæ mulieris conſuetudine intelligerentur. verum quoniam nonnulli poſteaquam ſe earum deſiderio ſatiauerant, eas extra domũ proijciebant: ipſæ apud Imperatorem aſſidue ingemiſcébant. ſed vt huic malo occurreret Iuſtinianus, frænumq. illis imponeret, ne ita de facili nuberent abſque ſolemnitatibus, veteſto more introductis: decreuit maritum huiuſmodi vxorem reijcere poſſe, niſi ipſa fuiſſe matrimonium liquido probaſſet, hoc eſt, legitimis modis. legitimos modos recte Accurſius interpretatur, vt per duos teſtes, per inſtrumentum, per mariti confeſſionem, aliumq. modum. *l. 1. ff. de confeſſ.* attamẽ præſumebatur, vti dixi, matrimonium, niſi maritus è domo expelleret. ex quibus licet intelligere, Iuſtinianum non approbaſſe clandeſtina matrimonia, ſicut & ſacratiſſimi Pontifices toto tit. *de cland. deſpons.* Concubina vt legitima dicatur, ſeptem requiri tenuit Rota *deciſ. 254. n. 1. diuerſ. par. 2.* videlicet, quod potuerit eſſe matrimonium. Secundo, quòd ſit vnica. Tertio, quòd ſit retenta domi in ſchemate concubinæ. Quarto, quod dicatur publicè. Quinto, quod ad liberos ſuſcipiendos retineatur. Sexto, quod diligatur ſicut vxor. Septimum locum tenet proteſtatio. Sed Iuſtinianus permittit concubinas, hoc eſt, nuptias illas, quæ abſque ſolemnitatibus, dotalibus inſtrumentis, atque patriæ ritibus fiunt, non item Romanos Pontifices, quorum iure matrimonium eſſe non poteſt, niſi interceſſerint ſolemnitates ab Eccleſia traditæ, & conſtitutæ; ſed adulterijũ potius præſumitur, contubernium, fornicatio, aut ſtuprum. *cap. aliter. 30. q. 5.* quæ omnia prohibita ſunt. & quanquam Eccleſia, ac totius orbis catholici Principes, lupanaria eſſe permittunt: non illa tamen ita permittunt, vt mortale approbent peccatum; ſed vt adulteria, inceſtus, ſtupra, atque alia luxuriæ crimina ex hominum mentibus expellant: moti fortaſſe optima Auguſtini ratione in *lib. de ordine 2.* quo loco, Tolle, inquit, meretrices de mundo, & ſodomia totus efficietur reprobus. idemq. repetit in libris de Ciuitate Dei. Idem D. Thomas, Io. Ecchius, & alij, quos refert Couarruuias *in Epitom. lib. 4. Decretalium.* Hinc emptas fuiſſe mulieres, ac inſtitutas publicæ meretrices à Solone. Philemon eſt auctor, vt ea venere contenti iuuenes, à pudicis ſolicitandis abſtinerent: vt Alexander ab Alexandro *lib. 4. cap. 1.* & Andr. Alciatus *in d. l. Maſurius.* tradidere. Eiuſdem rationis ratio illa eſſe poteſt: quia licet hoc mortale ſit peccatum, humanæ carnis tamen fragilitate vrgentur: vt Terentius ſub perſona Mitionis innuebat,

Virginem vitiaſti, quia te ius non fuerat tãgere:
Iam id peccatum primum magnum; at humanum tamen;
Fetere alij item ſæpe boni.

Nihilominus continentia à libidine,quaſi faſtigium eſt, omniumq. conſummatio virtutum: ad quam ſi quis eniti, atque eluctari potuerit, (quo facilius nihil, ſi quis voluerit) hunc ſeruum Dominus, hunc diſcipulum magiſter agnoſcet; hic terram triumphauit, hic erit ſimilis Deo, qui Dei virtutem capit. Hæc difficilia quidem videntur: immo facilia, ſi de ijs loquamur, qui calcatis terrenis, iter in cælum dirigunt, cæleſtiaq. vel ſola, vel certe præcipue ſpectant, ſuſpiciunt, atque optant. Namque *in infirmitate*, vt ait Apoſt. 2. ad Corint. 12. *virtus perficitur*. Ex eo autem, quod dicimus de dotalibus inſtrumentis. oritur difficultas, an ſtandum ſit, quoad filiarum legitimationem, iuri Põtificio, vel Cæſareo; ita vt dotalia inſtrumenta requirantur: & ſeruandum eſſe ius Canonicum tradunt Angel. *conſil.* 29. & 250. Curt. Iunior *conſil.* 130. *n.* 10. Socin. *conſil.* 162. *num.* 1. *vol.* 1. Ruin. *conſil.* 211. *vol.* 1. proinde non requiri dotalia inſtrumenta, etiam in terris Imperij. Angel. *d. conſ.* 29. & 250 quo ad ſucceſſionem tamen ſeruatur ius ciuile, Rota *deciſ.* 65. *diuerſ. par.* 3. *lib.* 1. Illud quoque ſciendum eſt, diſpoſitionem iuris ciuilis, quod filij per ſubſequens matrimoniũ non legitimentur, niſi dotalibus confectis inſtrumentis, non habere locum, quando nulli filij legitimi ſunt. *§. ſi verò vi. auth. quib. mod. naturali effic. legit.* & Sald. per eundem tex. *ad l. cùm mulier. C. de donat. ante nupt.* Angel. *ad l. contrahitur. ff. de pignorib.* & alij, quos citat Rota *d. deciſ.* 65. *in fin.*

An clerici ſæcularium Principum legibus ſubijciantur, & de ſententia *cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtitut.* Cap. XII.

SIc quoſdam haud parum mirari Innocentij Tertij cõſtitutionem *in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit.* qua ſancitum fuit, nullius prorſus extare momenti ſtatuta laicorum etiam religioſorum facta de re ſpirituali, ſiue Eccleſiaſtica, etſi eius commodum, & fauorem reſpiciunt. quod vnde, & qua ratione proueniat, neſciunt, aut neſcire diſſimulant; cùm Eccleſia perquã benigna ſit, neque ſoleat beneficia à quouis iuſte collata reſpuere; tum ſummos ipſius Eccleſiæ Antiſtites paſſim ſecularium legum auctoritate, Eccleſiarum, clericorumq. controuerſias ſopire conſtet. quod neque temere, nec inconſulto receptum eſt, ſed ratione optima; quam reddere videtur Lucius III. *in cap. 1. de noui oper. nunciat.* Sicut, inquit, leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita & ſacrorum canonum ſtatuta Principum conſtitutionibus adiuuantur. Idem videntur dixiſſe Cyprianus Papa, Leo IV. & Gelaſius *in c. quoniam. cum ſeq.* 10. *diſt.* eadem ratio reddi videtur *in can. nemo; 16. q. 4. ſiue* 3. Venerandæ, inquit Ioannes VII. Romanæ leges diuinitus per ora Principum ſunt promulgatæ. Immo idem ipſe Innocentius III. *in cap. ſuper ſpecula. de priuileg.* haud negauit, dicens: ſancta Eccleſia legum ſeculariũ non reſpicit famulatum, quæ æquitatis, & iuſtitiæ veſtigia imitantur. & alibi paſſim, vti mox dicam. quam ob rem ipſi ſacrarum legum Antiſtites plerumque in definiendis, & terminandis Eccleſiarum, clericorumq. controuerſijs, imperialium legum præſcripto vſi ſunt. immo conſtitutiones, ſeu, vt vocãt, deciſiones ſuas ex ipſis Impp. legibus, veluti ex firmiſsima baſi, vt plurimum fundarunt. Cuius rei præclara, præter iam citata, etiam multa habemus teſtimonia, vel ex Gelaſio *in cap. quis aut.* 54. *diſt.* Quis, inquit, aut leges Principum, aut patrum regulas, aut adminiſtrationes modernas dicat debere contemni, niſi qui impunitum ſibi exiſtimat tranſire commiſſum ex Zepherino *in c.* 1. 3. *q.* 8. Nullum eorum ſententia à non ſuo iudice dicta conſtringat: quia leges ſeculi id fieri præcipiunt. *vt C. lib. 7. tit. de ſent. & interl. omn. iud.* ex Euſebio Epiſt. 2. ad Aegyptios, ex qua *can. in legibus* 12. *q.* 2. eſt deſumptus. In legibus ſeculi cautum eſt, qui rem ſubripit alienam, illi cui res direpta eſt, in duplum quæ ſublata ſunt, reſtituat. ex Nicolao *in cap. ita diligere.* 30. *q.* 3. quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. ex Gregorio *in Epiſt.* 33. *lib.* 4. *ad Conſtantiam Galliæ Reginam*: qui dum oſtenderet inuaſores rerum Eccleſiaſticarum eſſe puniendos, dixit, Et ſeculi leges hæc eadem ita ſe habere voluerunt. Sed quid operam in his probandis impendimus? paſſim enim reperias Rom. Pontifices reſcribere ex legis præſcripto, eiuſq. auctoritate potiſsimum in dirimendis cõtrouerſijs niti: *vt in c. viſis.* 16. *q.* 2. *cap. id conſtituimus.* 17. *q.* 4. *in cap. innotuit. & cap. dilecti. de arb. in cap. nouit. de iud. in cap.* 1. *de iuramen. calum. in cap. ad vltimum. & cap. paſtoralis. de cauſ. poſſ. & propriet. cap.* 1. *de conſeſſ. cap. in cauſis. & cap. cùm à nobis. de teſtib. cap. venientes. de iureiur. cap.* 1. *de re iudic. cap. ſecundo requiris. de appell. cap. cùm dilecta. de confirm. vtil. vel inutil. c. cùm ab omni. de vit. & honeſt. cler. cap.* 2. *de conceſſ. præben. c. inter alia. de immun. Eccl. cap.* 2. *de ſponſ. d. cap.* 1. *de pœnis. cap. pactum. & cap. quia per nouale. de verb. ſign.* Item *in cap. auctoritate. & cap. dudum in fine. de conceſſ. præben. in ſex. cap. cùm ſecundum. & cap. inquiſitionis. de hæret. lib. ſex. cap. ſi iudex laicus. de ſent. excom. in ſex.* immo ipſi Eccleſiæ Principes

cipes

cipes interdum pœnas admittunt, quas Imperatores ipſi conſtituerunt, vt *in cap. nulli. de reb. Eccleſ. alien. vel non.* ibi, *pœnas timentes*, quas Leonina conſtitutio comminatur. vt *in l. iubemus. 2. §. œconomos. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & Nouell. Iuſtin. 7. de non alien. §. quia verò Leonis.* Et hæc ſunt quæ in præſentia mihi occurrerũt memoriæ. in quibus omnibus videas ipſum vrbis Epiſcopum legũ auctoritate fulciri. quibus ideo dici poteſt Eccleſias, & clericos legibus adſtringi, ſi iuſtæ ſunt leges; non item ſi iniuſtæ. Si enim iuſtæ ſunt, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua deriuantur, D. Thomæ teſtimonio 1. 2. *q. 96. art. 4.* nam Proueb. 8. *Per me reges regnant, et legum conditores iuſta decernunt*. Dicuntur autem iuſtæ ex fine, ex actore, & forma. quæ cauſa forte fuit, vt veteres interpretes, præſertim Innocen. quem refert, & ſequitur Archid. *in can. lege Imperatorum. 10. diſt.* exiſtimarent conſtitutiones, quæ Eccleſijs fauent, intelligi ab Eccleſijs approbatas, ijſq. clericos obſtringi. Mihi tamen placet, ſecularis Principis conſtitutionem nullum legis effectum ſortiri quò ad clericos, ſi de ipſis nominatim cautum fuerit: idq. ex defectu poteſtatis. Poteſtas enim legum ferendarum à iuriſdictione pendet omnino, vt nemo neſcit. nullã autem Princeps habet iurisdictionem, ſed cenſetur loco priuati, quantum ad clericos attinet. eum enim obſequendi manet neceſsitas, non auctoritas imperandi: vt & Laurentius Mediolanẽſis Epiſcopus in 3. Rom. ſynodo apud Symmachum dixit *can. 1. §. iſta ſcriptura. 96. diſt.* & Innocen. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ*. Ideo Ioannes vrbis Epiſcopus *in can. ſi Imperator. tad. diſtinct.* Ad ſacerdotes, inquit, Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponendæ ſunt, pertinere, non ad ſeculi poteſtates: quas ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vẽdicet alienum ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt. Idem Fœlix Iuſtino Imperatori *can. 4. 10. diſtinct.* idem B. Gregorius Mauritio Imper. *epiſt. 75. lib. 4.* Idem Innocent. III. Imperatori Conſtantinopolitano *in cap. ſolitæ. de maiorit. & obed.* Cuius inſcriptio eſt, Illuſtriſsimo Conſtãtino Imperatori. Sed in Parat. admonui, legendum eſſe Conſtantinopolitano Imperatori. Sed in Paratit. admonui, legendum eſſe Conſtãtinopolitano Imperatori, qui fuit Balduinus: *in cap. certum eſt. 4. diſt. can. 1. 21. diſt. can. Sylueſter. & can. ſacerdotibus. 11. q. 1. in cap. quamquam. de cenſ. in ſex. in auth. caſſa. C. de epiſc. & cler.* quo ſenſu intelligi poteſt D. Thom. *loco cit.* vt lex dicatur iuſta ex actore, quando ſcilicet non excedit poteſtatem ferentis. quo caſu non obligat, etiam quò ad conſcientiam: ita quoque accipi debet *d. cap. Eccleſia S. Mariæ*. Ideo mihi videtur decidiſſe, quod oportuit, Rota *in decis. 10. in antiq. de conſuet.* non valere, inquã, conſuetudinem, qua receptum eſt, vt Rex Angliæ habeat in clericos iuriſdictionem. quinimo ipſum Rom. Eccleſiæ Antiſtitem vniuerſaliter in hoc diſponere non poſſe conſtanter aſſeuerant Card. & recentiores alij *in cap. 2. de maior. & obed.* cùm huiuſmodi libertas non ſolum humano iure, ſed & diuino conceſſa ſit, vel ipſo additipulante Bonifacio Octauo *in d. c. quanquã.* & alijs iam dictis locis, vt etiam late docet Panormitanus *in d. cap. ſolitæ.* & Oldrad. *in conſ. 83* & idem Card. *in cap. perpendimus. q. 4. de ſenten. excomm.* Legem vero, in qua expreſſa rei Eccleſiaſticæ non facta eſt mentio, nec eius obſeruatio parit peccatum, nec aduerſatur ſacris conſtitutionibus Pontificijs, etiam à clericis obſeruãdam eſſe non dubito: maxime cùm cõtineat ea, quæ iure Pontificio ſancita non vtique fuere. in quibus caſibus ſolent ſacratiſsimi Rom. Pontifices in decidendis clericorum controuerſijs legum præſcripto vti, vt ex ſupra citatis locis palam eſt. Idcirco videmus paucas, aut admodum nullas de contractibus, ac vltimis voluntatibus editas fuiſſe conſtitutiones: quorum tamen explicatus in iure ciuili prolixus eſt, adeoque diffuſus, vt omnia fere negotia, quæ inter homines contrahuntur, commode ſatis eo decidi poſſint. quod argumento eſt Rom. Pontifices velle leges, quæ æquitatis, & iuſtitiæ veſtigia imitantur, approbari, cauſaſq. clericorum ex legum religione decidi, vt *in d. cap. ſuper ſpecula.* non vt viri alioquin doctiſsimi opinantur; vti perinde ſit, ac ſi Virgilij, Ciceronis, Liuij, aliorumq. probatiſsimorum auctorum ſententia vteretur. quod eſt plane ridiculum. Eſt etenim certiſsimi iuris regula, Conſtitutiones, canoneſve futuris tantum dare formam negotijs, non præteritis, niſi nominatim caueatur, vt diffuſe diximus *ſup. cap. 6.* Sed cùm ita ſit, neceſſe eſt fateri, poſſe cauſas Eccleſiaſticas ex iure ciuili decidi, & determinari. nam cum ſummus Pontifex *in d. c. 1. de nou. oper. nunc.* & alibi, clericorum negotia decidat auctoritate iuris Cæſarei, videtur ſe referre ad ipſam ciuilem decaſionem: ac proinde illa deciſio non videtur ab eo ipſo immediate proficiſci, ſed à iure ciuili; alioquin ſequeretur non eſſe veram ſupradictam regulam; quòd leges futuros caſus reſpiciant, non æque præteritos. quapropter mihi rectiſsime videtur diſſeruiſſe Bart. *in l. 1. C. de ſacroſ. Eccl.* & Bal. *in auth. ſicut alienatio. eod.* & Abbas poſt Petr. de Anch. *in d. cap. Eccleſia*, quòd ſi clericus hæres fuerit inſtitutus, neque confecerit inuẽtarium, teneatur vltra vires hæreditatis, *ex l. ſi. C. de iure delib.* quæ concluſio, etſi apud nonnullos ſit dubia, quia opinantur ex æquitate canonica & in locis

Eccle-

Eccleſiæ in temporalibus ſubiectis non teneri, niſi pro viribus hæreditatis, *deciſ.* 72. *num.* 41. *cum ſeqq. diuerſ. par.* 2. communis tamen opinio eſt, vt teneatur hæres etiam de iure Pontificio vltra vires. & ita tenuit Rota *d. deciſ.* 72. *nu.* 49. *cum ſeqq.* quod locum habere non arbitror in Eccleſia hærede inſtituta, *ex d. auth. ſicut.* tum quia ceſſat ratio *auth. de hæred. et falc. S. ſcimus.* quamquam gloſſ. *in cap.* 1. *de teſtam.* vti etiam Card. & Salic. *in auth. ſed cum teſtator. C. ad leg. Falcid.* contrarium verius putent: ſed male. vetior Abbatis concluſio, quòd clericus priuetur hæreditate, ſi voluntatem defuncti non adimpleuerit, vt *in auth. hoc amplius. C. de ſidicomm.* adeoque in omnibus caſibus in quibus quis vt indignus hæreditate priuatur. *l.* 1. *ff. de ijs quib. vt indign.* vt ſi pupillo tutorem non dederit, & id genus alijs. Sed vlterius ipſe quæro, num clerico hæredi, vt indigno, fiſcus auferre hæreditatem poſſit, ſi necem teſtatoris inultam eſſe conſtiterit? eſt enim *in l.* 1. 7. & 10. *C. de his, quib. vt indig. hæred. auf.* ſancitum, hæredi, qui mortem defuncti inultam reliquit, vt indigno, auferendam eſſe hæreditatem. Iure tamen noſtro cauetur, ſacerdotale officium miniſtrare non poſſe eum, qui homicidium perpetrauit. *can. miror.* 50. *diſtinct.* etiam ſi infidelem occiderit. *can. clericum. & can. de ijs, cum ſeq. ead.* 50. *diſtinct.* immo ſi Principem clericus ad homicidium incitauerit, eo ſequuto, vt homicida tenetur. *c. ſicut dignum. §. qui verò. de homicid.* & quicumque homicidio cauſam præbet, irregularis fit. *cap. de catero. & de hom.* Sequi igitur videtur, vt clericus priuari non debeat hæreditate, ſi defuncti necem non vindicauerit; quia necem vindicare peccatum ſit mortale. atqui doctorum catalogo receptum eſt *ex cap. fin. de præſcript.* legem, quæ fouet peccatum, vim legis non obtinere. attamen in ea ſum ſententia, vt exiſtimem, clerico, vt indigno auferri hæreditatem poſſe, ſi teſtatoris necem inultam reliquerit, neque irregularis fiet, ſi mortem teſtatoris vindicauerit ex præſcripto *cap.* 2. *de homic. in ſexto.* alioquin ipſi clerici de nece ipſius defuncti eſſent ſuſpecti; tum datur materia pleriſque trucidandi huiuſmodi teſtatores, *argumen. d. c.* 2.

De clauſula, *appellatione remota*: itê de iudicis recuſatione. & de ſententia *l. fi. C. de ſentent. & interloq.* Cap. XIII.

INTERDVM Imperator ita ſolet iudicem dare, vt nõ liceat ab eo prouocare: vt ſcio ſæpiſſime à Diuo Marco iudices datos. *l.* 1. *§. vlt. ff. à quib. appell. non licet.* Sed an alius ita poteſt iudicem dare? Vlpianus ibidem putat non poſſe. quo ſane reſponſo intelligi poteſt, nemini, vno excepto Principe, licere iudicem dare; ne ab eo liceat appellare. Cui vltima Iuſtiniani conſtitutio in tit. *C. de ſent. & interloq.* aduerſari penitus videtur. Cùm ſolitum, inquit, eſt in ſententijs iudicum ſic interloquutionem proferri, vt nõ liceat partibus ante diffinitiuam ſententiam ad appellationis, vel recuſationis venire auxilium. qui locus adeo viſus eſt difficilis, vt Accurſius, Bartol. Bald. Angelus, Paul. de Caſtro. & Fulgoſius *in d. §. vlt.* & *in d. l. vlt.* quemadmodum & Panormitanus Abbas *in cap. paſtoralis. de appell.* Andr. Siculus *in cap. ſuper quæſtionem. §. ſi verò. de offic. deleg.* Imol. *in cap.* 1. *de tranſact.* Felinus *in cap. ſignificarunt. de teſtib.* Decius, & Ripa *in c.* 1. *de reſcr.* multa commenti ſint, & à mente Imperatoris omnino aliena. eoque frequentius itũ eſt; quòd iudex poſſit ab interloquutoria prouocationem reijcere, non item à diffinitiua, ex d. Iuſtiniani conſtitutione: tametſi contendat Panormitanus loco citato eam accipi debere de inferiore cauſam, appellatione remota, delegante; cui ipſe delegatus non tenebatur deferre: vt ſi allegaretur cauſa huiuſmodi, propter quam prouocatio non vtique deberet admitti. & alia alij dicunt, quæ non referam; ne reimplere libros potius velle videar, quàm eorum interpretationes recenſere. Dicam tantum breui, vti res eſt. Iuſtinianus igitur poſt verba iam relata ſic Iuliano Præfecto prætorio reſcribit: Quidam putabant non licere ante litem conteſtatam, nec iudicem recuſare, quemadmodum nec ab eo appellare. Cùm enim ſimul vtrumque vocabulum ponitur tam appellationis, quàm recuſationis; prouocatio autem ante litem conteſtatam non poteſt porrigi: putabant, quòd nec recuſare quidem iudicem cuiquam concedatur ante litem conteſtatam: quod minime vetitum eſt. Caueant itaque iudices huiuſmodi ſermonem ſimul, & ſine certa diſtinctione proferre. hactenus Iuſtinianus. Ex quibus manifeſtum eſt fuiſſe non mediocriter apud Iuſtinianum Imperatorem dubitatum, num iudex datus, ſiue is, cui mandata eſt iuriſdictio, qui vulgò à noſtris delegatus

legatus dicitur (tempore enim Iustiniani, quisque etiam magistratus iudicare poterat ex constitutione Diocl. & Maximil. *in l. 2. C. de pedan.*) ante sententiam recusari posset. Dubitationem faciebat, quòd iudices initio iudicij sic solebant interloqui, ne possent partes ante sententiam diffinitiuam appellare, sicque iudicem recusare. Etenim cum lege cautum esset, ne quis ante sententiam prouocaret. *l. ante. ff. de appell. recip. vel non.* & *l. ante sententiæ tempus. C. quor. appel. non recipi. cap. non solent.* S. *ante* 2. *q.* 6. duobus exceptis casibus, de quibus Scæuola *in d. l. ante.* vt si quæstionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus est, vel in criminali: si contra leges hoc faciat: neque ab articulo causæ. *l. ab executione. C. quor. appell. non recip.* hoc est ab interlocutione; quod sacri canones non admittunt, *can. non ita* 2. *q.* 6. *c. super eo, de appell.* qui ante, & post litem contestatam, & in prolatione sententiæ, & post, singulis appellandi faciunt potestatem. & hoc iure vruntur omnes, etiam in auditorijs secularibus: non ex eo, quòd facile, vti male nonnulli existimant, iudices amplectantur ea omnia, quibus litium nodus excrescit, aut litium vita producitur: sed quia æquius visum est, vt ab omni grauamine liceat vnicuique appellare. ideo videmus tenere conuentionem illam, de qua *in l. vlt. S. vlt. C. de temp. appell.* vt pactis renunciari possit appellationi. Solebant itaque etiam vulgo iudices ante litis contestationem interloqui, & quasi admonere partes, vt intelligerent, quomodo contestarentur litem. nam contestata lite, non licebat partibus appellare, nisi lata esset sententia, & quidem diffinitiua. *d. l. ante sententia.* & hic est sensus *d. l. fin.* præsertim in principio. Et cum sic interloqui solerent iudices, dubitatum fuit, num idem locum haberet in recusatione. Quidam putabant, vt ibidem refert Imperator, idem plane esse, vt non liceret ante litis contestationem ad recusationis auxilium deuenire. quod tamen minime vetitum erat; immo apertissimi iuris est, licere litigatoribus iudices ante quàm lis incohetur recusare. *l. 2. C. de Episcop. aud. l. apertissimi. C. de iudic.* quo loco Accursius, In principio, inquit, est recusatio, in fine appellatio, in medio non est locus. (quomodo autem recusetur iudex, monemur *in c. cum speciali.* 61. *de appell.*) Idcirco Iustinianus *in d. l. fin.* in fine subiungit: Caueant iudices huiusmodi sermonem simul, & sine certa distinctione proferre. videlicet, ne ijs, qui iudicium suscepturi sunt, dicant non posse ante litis contestationem recusare iudices suspectos sibi datos; quinimo contrarium vsu, legeq. receptum fuit, vt facta litis contestatione, non liceat litigatoribus iudicem recusare: nisi aliquid emergat, quod æquã, iustamq. efficiat recusationis causam. *cap. insinuante. de offic. iud. deleg.* vt alibi dicetur latius. Sed vt quæstio à nobis proposita exitum aliquẽ habeat, concludo, Principe inferiores non posse reijcere appellationem, siue sit diffinitiua, siue sit interlocutoria. quare clausula, Appellatione remota, ad solum Principem pertinet; ad eum, dico, qui supremum, vt vulgo dici solet, habet dominium, omnemq. prorsus iurisdictionem; vt est Serenissimus Allobrogum Dux, Italixq. Subalpinæ Princeps, Veneti, & nonnulli alij Italiæ Principes. Ideo mihi placet glossa *in cap. vlt. in verb. figura. de hæret. lib. sex.* existimans legatum à latere non posse tollere iuris solemnitates in casibus non expressis, quanquã vices Romani Pontificis gerat, & maius omnibus post Papam habeat in prouincia imperium, & per consequens non poterit appellationem tollere.

De rescriptis, an vnius anni tempore finiantur; & conciliatur. *l. falso. C. de diuers. rescript.* cum *cap. si autem & cap plerumque de rescript.* Cap. XIV.

QVAESTIO est satis elegãs, num rescripta vnius anni tempore terminentur, an verò sint perpetua. Lucius Papa Tertius *in c. si autem.* & Innocentius quoque Tertius *in cap. plerumque de rescript.* rescripterũt anno finiri. At Claudius Imperator *in l. falso. C. de diuers. rescrip.* quæ ad ius rescribuntur, esse perennia dixit. Quibus factum est, vt Baldus Decio auctore *in d. c. si autem*, differentiam constituerit inter ius ciuile, & canonicũ: quòd hoc, vnius anni cursu expiret rescriptorum virtus; nõ æque illo, sed perpetuo duret. Bart. & Iason *in l. fi. C. de const. princ.* & Decius *in responso sua* 147 *circa princip.* quos interdum sequitur Rebuffus *in suo de rescript. tract.* existimauerunt illa verba *in d. l. falso.* idest, *Ea, quæ ad ius rescribuntur perennia sunt*, accipi debere, quando ad iuris obseruationem, & declarationem rescribitur; quo casu perennia sunt rescripta; vt nemo non videt, vel ex *l. Diui fratres. ff. de iure patr. l. 2. C. de const. princ. c. consuluit. de offic. iud. deleg. c. quòd ad consultationem. de sent. & re iudi.* & passim alibi. Plinius quoque pluribus in locis, vel *in epist.* 119. *lib.* 10. *ad Traianum*. Symmachus *Epist.* 42. *lib.* 10. *ad Theodosium*. Eiusmodiq. sunt omnia fere veterum Imperatorum rescripta, quę Iustinianus in Codice nobis tradidit: & veterũ summorum Pontificum Epistolas, quæ rescripta sunt,

sunt, in quinque Decretalium libros Gregorius Nonus retulit; omniaq. properius commune interpretantur; neque sunt vt plurimum personalia; sed factis propositis, respondent generaliter: vt in similibus negotijs iudices æquabilem iuris teneant rationem. *l.non mihi videtur. ff.commod.l.quoties.§.primo.ff.de hæred. institut. c.pastoralis. §.quoniam.de rescrip. c.in causis. de re iud.* Non est ergo dubium, quin ea, quæ ad iuris declarationem rescribuntur, perennia sint, atque ius ipsum. Neque apud me dubium est, quin Imperator *in d. l. falso.* loquatur de rescripto ad iuris obseruationem. quod verba illa aperte indicant: Cùm ea, quæ ad ius rescribuntur, perennia esse debeant; si modo tempus, in quo allegari vel audiri debent, non sit comprehensum: quod perinde est, ac si dixisset Imperator; Si rescriptum ad certum, & determinatũ tempus parti concessum sit, tunc eo deuoluto expirat omnino. Idcirco Rebuffus voluit tandẽ *d.l.falso*, accipiendam esse de rescriptis gratiæ, quæ debent esse perpetua: decet enim principis beneficium esse mansurum: vt scribitur *in reg. decet.de reg.iur.lib.sex.* At *cap.si autem. & c.plerumque de rescriptis lib.vi.*, quæ regulariter anno pereũt. Doctissimus Cuiacius *in tit.de diuers. rescrip.* C. nulla adhibita distinctione, tradit iure veteri annalia fuisse rescripta: quo iure, inquit, vtimur ex *d. cap. plerumque.* qua in re non satis mihi facit eius interpretatio. primum enim quod iure veteri annalia essent rescripta, nullibi probes; quinimmo contrariũ verius putat Claudius Imper.dum *in d.l.falso*, Epagatho rescribit, falsum esse, quòd rescripta anno finiantur, his verbis: Falso asseuerant auctoritatem rescriptorum deuoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere: cùm ea, quæ ad ius rescribuntur, perennia esse debeant. Quòd si vnius anni curriculo finiebatur olim rescriptum, cur, obsecro, Imperator dixit, falso asseuerant? non falso asseuerarent, si ante illam constitutionem vno anno terminatum fuisset ius rescripti. Neque verum est, anno vno hodie finiri rescriptum ex *d.cap. plerumq.* Quid igitur dicendum? Dicamus nos; rescripta ad ius, hoc est ad iuris obseruationem, & interpretationem, esse perennia, ac ius ipsum, vti diximus. neque vllus sanæ mentis de re hac dubitat. Item rescripta ad lites, siue ad ius partium, sunt perpetua, siue perennia, inquam, quòd tanto tempore durant, quanto actio, super qua, & propter quam impetratur. nam si decennio durat actio, per idem tempus vim obtinet rescriptum; si triginta annis per triginta; non æque vltra. *l.sicut. C.de præscript.trigin. vel quadr. ann.* Perpetua tamen vere sunt quo ad exceptionem. *l.pure.§.vlt.ff.de dol.mal. except.* Ratioq. est satis elegans: non enim est in potestate rei excipere aduersus actorem; nisi is agat. Si agit, ille excipit. præit actio, subsequitur exceptio. quare exceptio dicta est, auctore Vlpiano *in l. 2.ff.de except.* quasi quædã exclusio: quæ opponi cuiusque rei solet ad excludendum id, quod in contentionem, condemnationemvè deductum est. Ideo eleganter idẽ Vlpianus *in l.1.ff. eod.* scribit reum in exceptione actorem esse. Durat ergo rescripti ius ad id tempus, ad quod extenditur actio, propter quã preces oblatæ sunt; ad excipiendum perpetuò manet. quia quotiescumque agitur, potest excipere; nisi certum tempus constitutũ sit. *l.quoties.C.de precib.imper.offer. l.in contractibus. in princip.C.de non.num.pecun.* immo ex sæpe citata *l.falso.* vel si intentata sit actio, & non exceperit reus. eo etenim casu in exceptione euanescit rescriptum, prout in agendo: argumen. *l.si is, qui.ff.de cond.indeb.* Si is, inquit, qui perpetua exceptione tueri se poterat, cùm sciret sibi exceptionem profuturam, promiserit aliquid, vt liberaretur, condicere non potest. Sed dicet aliquis, Erit igitur *d. l. falso*: de exceptione intelligenda, non item de actione, cùm Imperator vtatur illa dictione, perennia: quæ sane dictio perinde est, ac si dicatur, sine fine. *l.1.ff.de fluminibus.* sed actio certo tempore finitur, triginta, scilicet, vel quadraginta annis, vt dictum est: vel centum, prout Romana gaudet Ecclesia. *auth.quas actiones.C.de sacrosanct.Eccl. cap.nemo, 16.q.4.& cap.cum vobis.de præscrip.* Responsio est in promptu, quòd *l.falso*, accipi debet tã de actione, quàm de exceptione, licet dubitet Accursius. & quamuis illud verbum, perenne, perinde fere sit, atque perpetuum: perenne tamen non dicitur perpetuum, & æternum; sed in multos annos. Item quod aliquo tempore durat, & aliquo tempore perpetuatur. Cicero *in Bruto;* Contine te in tuis perennibus studijs. Plautus *in Amph.* Lucrum vt perenne nobis suppetat. Colum. *lib.1.cap.9.* Vt diutius perennent boues. *& lib.3.* Rosa hoc modo culta multis annis perennat. Ouidius, Arte perennat amor. Immo & Perpetuum dicitur apud nostros, quod tempore terminatur, ac quidem certo. namque perpetua dicitur actio, quæ finitur spatio triginta annorum. *tit.de perpet. & temporalib.action.* apud Iustinianum: tametsi ciuiles olim actiones omnes erant perpetuæ, nec vllo tempore terminabãtur. Non finitur ergo vnius anni spatio rescriptum, vt male Rebuffus, Cuiacius, & alij viri alioquin iuris peritissimi opinantur. Ad citata iura, *d.c.si autem. & cap.plerumque*, mihi videntur dixisse quod oportuit veteres interpretes, nempe glossa *in d.cap.si autem.in verb.dolo. & in cap.venerabilis.de iudic.* Innocen. *in d.cap. plerumque*, Abbas *in d.c.si autem. in princip.* ac idem

idem prope Bartol. *in d. l. falſo.* quòd ſcilicet accipi debeant, quando ſecundum obtentum eſt reſcriptum. me declaro. Si quis precibus Principi oblatis, reſcriptum obtinebit, & eo decurrente anno haud vſus fuerit, & aduerſarius ſecundum impetrauerit, nulla etiam facta prioris mentione: expirat primum, & conualeſcit ſecundum. quod ita admittitur, ſi dolo, vel negligentia vſus non ſit. Si verò iudicis copiam habere minus poterit, adhuc durat primum, & nullum eſt ſecundum. ex quibus manifeſtum eſt etiam, non expirare reſcriptum, niſi aliud ab aduerſario fuerit obtentum, & hoc in ius prius fuerit productum, illud poſtea. atque vt vltimo extinguatur primū, defideratur dolus, vel negligentia. Dictā autē *l. falſo.* intelligi oportet, quādo nullum aliud impetratum eſt reſcriptum.

Conciliatio *l. 2. & l. etſi legibus. C. ſi contr. ius, & vtilit public.* & explicatum *cap. ſuper litteris. de reſcrip.* hoc eſt de reſcripto obreptitio, & ſubreptitio. Cap. XV.

FVIT quoque iam olim haud mediocriter hæſitatum, quid iuris eſſet de eo reſcripto, quod tacita veritate, & ſuggeſtā falſitate impetratur. quam in rem duo emanantur à priſcis illis Imperatoribus oracula; de quibus *in l. 2. & l. etſi legibus. C. ſi contr. ius, & vtilit. publ.* quæ videntur ſibi è diametro aduerſari. ita enim Conſtantinus *in d. l. 2.* Præſcriptione mendaciorum oppoſita, ſiue in iuris narratione mendacium reperiatur, ſiue in facti, ſiue in tacendi fraude: pro tenore veritatis, non deprecantis aſſirmatione datum iudicem cognoſcere debere, & ſecundum hoc de cauſa conuenit ferre ſententiam. Theodoſius verò, & Valen. altero loco; Etſi, inquiunt, legibus conſentaneū ſacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis: etſi nimia mentientis inuenitur improbitas, etiam ſeueritati ſubiaceat iudicantis. Hinc veteres iuris interpretes, cuiborum ſtandum eſſet, dubitarunt non mediocriter. Placentinus enim, vt Accurſ. refert *in d. l. 2.* exiſtimauit nullum prorſus commodum ex huiuſmodi reſcripto conſequi poſſe eum, qui impetrauit. Iacobus de Bellap. & Azo, nullam informa vim habere, iudicem tamen in eo datum ex iuris rigore poſſe iudicare, & negotium expedire. Quorum interpretationes videntur ſatis conuenire verbis dictarum conſtitutionum, ſed non menti. Vnus mihi videtur has duas leges interpretatus eſſe rectiſſime, Innocē tius III. in ſua illa conſtitutione *cap. ſuper litteris. de reſcript.* quo loco cauit, reſcriptum per fraudem, & malitiam impetratum, nullum eſſe. quòd ſi per ſimplicitatem, & ignorantiam fuerit expreſſa falſitas vel ſuppreſſa veritas: tunc ſi qua conceſſa ſunt, fuerint huiuſmodi, quæ veroſimile eſt Principem cōceſſiſſe, etiam ſi tacita eſſet falſitas, & expreſſa veritas: iudex datus non ex reſcripti forma, ſed ex legis præſcripto, in cauſa poterit procedere: ſi verò fuerint huiuſmodi, quæ de facili Princeps non conceſſiſſet etiam facta veritatis expreſſione, non æque poterit cognoſcere iudex. namque hic caſus perinde eſt, atque primus, qui poteſt referri *ad d. d. etſi legibus*, ibi, *mendax precator attulerit, careat penitus impetratis*; prout etiam conſtituit idem Innocen. *in c. ſedeam fin. eod. de reſcrip.* quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent, tanquam mendax precator careat penitus impetratis. qui locus corruptus eſt in quibuſdam codicibus; legitur enim, mendax peccator, cum legi debeat precator. Cui conuenit & illud Aurelij Auguſtini ſuper Ioannem, Iuris, ait, eſſe forenſis, vt qui in precibus mentitus eſt, illi nō profit, quod impetrauit. idq. in pœnam mendacij. Mendaci homini ne verum quidem dicenti credere ſolemus, vt ſcribit M. Tullius & ipſe 2. *de diuinat.* immo ſi nimia mentiētis inuenitur improbitas, poteſt iudicis arbitrio puniri. *d. l. etſi legibus.* quod interpretor, ſi fuerit acculatus. *ex l. ſi quis obrepit. ff. ad leg. Cornel. de falſis.* ex reſcripto Alexandri Auguſti: quod ibidem refert Modeſtinus: Si libello, inquit, dato aduerſarius tuus veritatem in precibus ab eo datis non adiecit, ſubſcriptione vti non poteſt: immo ſi accuſatus fuerit, & pœnam inferre debet. quanquā textus *d. c. ſuper litteris*, veluti ab humaniori Principe proficiſcens, vult tantum impetrantem reſcripti commodo priuari. Sed medius, & ſecundus caſus poteſt pertinere *ad d. l. 2.* vt ibidem Conſtantinus intelligat iudicem, non obſtāte exceptione mendaciorum oppoſita, debere cognoſcere, ſi fuerint huiuſmodi impetrata, quæ veriſimile eſt Principem, etiam expreſſa veritate, fuiſſe conceſſurum. Non enim præſumitur vere mendax is, qui per falſitatem quicquam impetrauit, quod alioquin nulla falſitatis expreſſione facta de facili obtinuiſſet, argumento *cap. vlt. de crim. falſi*, quaſi hoc mendacium ſit aliquid doli expers *c. primum eſt. 22. q. 2.* Ideo Theologi dicunt, non omne mendacium eſſe peccatum: ſed multum intereſt, quo animo, & quibus verbis quiſque mentiatur. Non enim, ait Auguſtinus in Enchiridio, ità peccat, qui conſulendi, quam ille, qui nocendi voluntate mentitur. Quare D. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. & 4. dicit, non omne mendacium eſſe mortale peccatum. idem *in tertio ſententiar. diſtin.* 38. *art.* 2. & 4.

mendacium, vt pariat mortale peccatum, eſt falſa vocis ſignificatio cum voluntate fallendi, vt ex B. Auguſtino definit Gratianus *in cap. beatus ead. 22. q. 2.* quam ſequitur Magiſter Sentent. *in tertio diſt. 37. & 38.* & gloſſ. *in l. de etate. in §. 1. ff. de interrog. action.* Hoſtien. *in ſumm. de iureiu. §. quot comites.* & hoc eſt. de quo voluit intelligere Plautus *in Perſa*.

Mihi ſcelus videtur me patri prologui mendacium.

Ideo Abbas vere putauit ſubreptionẽ doloſam adeo operari, vt vitiet omnia in reſcripto contenta, licet reſcriptum plura contineat ſeparata: etiam ſi ſubreptio non fuit cauſa obtinendi omnia reſcripto comprehenſa. Si verò ſubreptio non ex dolo, ſed ex ſimplicitate, & ignorantia prouenit, in tantum vitiat reſcriptum, in quantum fuit cauſa inductiua conceſſionis. idcirco ſi ſubreptio fuit cauſa ſolius formæ reſcripti, vitiat ſolam ipſam formam, & non ſubſtantiam reſcripti, cuius non fuit cauſa. quæ omnia locũ habere dico tam in litteris gratioſis, quàm in litteris ad lites. quamuis Decius ſecundam *d. cap. ſuper litteris.* regulam non pertinere ad reſcripta gratioſa contendat: *ex cap. ſi motuproprio de præbend. lib. ſex.* & *cap. ſuſceptum de reſcript. in ſex.* pertinere tamen conſtat *ex cap. ſi eo tempore de reſcript. in ſex.* & *cap. dudum. §. conſiderantes. de præben. in ſex.* quibus conuenit & Rotæ *deciſ. 76. de reſcript. in antiquis*, vt ſi quis à Rom. Principe impetrauerit beneficium curatũ, cùm eſſet ſimplex, valet tamen impetratio: rationem reddit Rota illam; quòd facilius conceſſiſſet Pontifex ſimplex beneficium, quàm curationem animarum habens; ſicut ille, qui impetrauit ſacreſtiam, quam in precibus aſſerebat dignitatem eſſe, cùm eſſet ſimplex officium, vt *in deciſ. 19. in Antiquior. de præb.* quæ hodie relata eſt ſub tit. *de reſcript. in Antiquis.* argumento eſt etiam *l. ſancimus. in princip. C. de donat.* vt ſi quid ſupra modum, ſiue legitimam definitionẽ, hoc eſt trecentorũ aureorũ fuerit donatũ: quod ſuperfluum eſt, non valet; reliqua verò quantitas, quæ intra legis terminos conſtituta eſt, in ſuo robore perdurat. Ad *cap. ſi motu proprio*, mihi videtur quod oportuit, dixiſſe Dominicus *in d. cap. dudum.* quòd ſi talis ſit qualitas, de qua ſit facienda mentio de iure communi, & facta non fuerit; tunc indiſtinctè gratia in totum vitiatur. quo ſane ſenſu accipi debet d. cap. ſi motu. fuerat enim olim conſtitutum, vt non valeret reſcriptum ad beneficia impetratum, ſi in eo taceatur dignitas, & aliud impetrantis beneficium. *cap. ad aures, & cap. cum adeo. de reſcript.* Immo quiſque tenetur de iure, quod habet ad aliquod beneficium, facere expreſſam mentionem; alioquin gratia erit ſubreptitia. *c. in noſtra de reſcript.* In *d. c. ſuſceptũ. & c. cum de.* fuit expreſſio qualitatis adiecta taxationis, & limitationis ergo. Non eſt igitur mirum, ſi in totũ gratia cenſeatur ſubreptitia, ſi à forma mandati receſſerit is, cui mandatum eſt. nam ſi mandat Papa alicui, vt ab aliquo beneficij, quod obtinet, reſignatione accepta, tertio conferat; ſi diem functus fuerit, antequam reſignet, conferri non poterit huiuſmodi beneficium virtute illius mandati, cùm vacet non per reſignationem, ſed per mortem. & ideo ad mortem extendi non æque poterit *d. cap. ſuſceptum*.

Nullum eſſe gradum in contrahendis nuptijs iure naturali prohibitum: & in quibus gradibus diſpenſare poſsit ipſe Rom. Pontifex. interpretatio *cap. litteras. de reſtit. ſpol.* & *cap. 19. Leuitici.* & conciliatus Corn. Tacitus cum Plutarcho. Cap. XVI.

DVo ſunt ſummorũ Eccleſiæ Principum reſcripta, alterum Clementis III. & alterum Lutij III. hoc *in cap. ex conqueſtione. de reſtit. ſpoliat.* illud *in cap. 1. de ordin. cognit.* quæ adeo difficilia veteribus viſa ſunt interpretibus, vt opus fuerit ad illorum intelligentiam nouo Innocentij III. oraculo, de quo *in cap. litteras. eod. de reſtit. ſpoliat.* Conſtituit enim Clemens, mulierem ſibi aliquem in maritum vendicantem audiri minus debere, ſi ei opponitur conſanguinitatis exceptio: ſed de hac cognoſci prius; qua cognita, & probata, nullum eſſe matrimonium. Lucius verò contra: videlicet, vt imprimis mulieri vir reſtituatur; & reſtituto, cognoſci de conſanguinitatis exceptione. Hæc tamen bene intuenti contraria non ſunt; cũ vnum intelligi debeat de poſſeſſorio, ſcilicet Lutij reſponſum; & Clementis de petitorio. At verò Innoc. III. *in d. cap. litteras*, Clementis conſtitutioni minime derogans, Lutij conſtitutionem diſtinguendo interpretatur, quòd ſi mulier viro conſanguinitatis exceptionẽ opponit, maxime in gradibus diuina lege prohibitis, & probationes in continenti offeruntur, accepto ab opponente iuramento de calumnia, ſit reſtitutio, non quo ad thorum, ſed quo ad reliqua matrimonij munera. quòd ſi promptæ non vtique ſunt probationes, ſed dilationes expoſtulat longiores: decreuit plenariam fieri reſtitutionem. huius rei rationem reddit illam; quòd præſumitur contra mulierem, quæ temere, & inconſulto,

hoc

hoc eſt, non expectato Eccleſiæ iudicio, cuius eſt iudicare de matrimonij nexu: *cap. accedens. de procurat. cap. tuam. de ord. cognit. cap. 1. de ſponſalib. cap. 1. de rapt.* ſed auctoritate propria à viro receſſit. quæ ſane conſtitutio duo mihi videtur continere præcipua; quorum alterum explicatu opus habet; alterum non æque; iudices tamen monet, quonam modo in huiuſmodi cauſis ſedulos, & prudentes ſe debent oſtendere. Sed obſecro, quare in primo caſu non datur integra reſtitutio? datur tamen in ſecundo? Rationem affert idem ipſe Innocen. quoniam in gradibus Diuina lege prohibitis non poteſt ipſe Eccleſiæ Princeps diſpenſare; ideo ſi mulier ſcierit huiuſmodi ineſſe impedimentum, non poterit abſque mortali culpa marito ſui copiam facere. Quo factum eſt, vt Paluda. Florenti. & alij multi exiſtimauerint Romanum Antiſtitem diſpenſare nequaquam poſſe, vt nuptiæ contrahantur in aliquo ex gradibus interdictis *Leuitici cap.* 18. qui ſunt iſti, cum matre, nouerca, ſorore, nepte ex filio, vel filia, ſorore patris, ſorore matris, vxore patrui, nuru, vxore fratris, filia vxoris, filia filij vxoris, ſorore vxoris. Hinc quærunt iuris vtriuſque, Diuini, ſcilicet, & humani interpretes, num omnes hi gradus, & prohibitiones ibidem expreſſæ iuris ſint naturalis. Et eſt communi omnium conſenſu receptum, non eſſe, hiſce præſertim rationibus; quòd matrimonium cum vxoris ſorore eſt interdictum: Iacob tamen duas ſorores in vxores habuit, Liã videlicet, & Rachel, *Geneſ.* 29. quod ſi iure naturali non vtique eſſet permiſſum, Iacob non contraxiſſet: imo de more ciuitatis licebat, vt auctor eſt Aemilius Probus in vita Cimonis, & alibi paſſim. & in Americæ opulentiſsimo Peruenſi Regno Regibus, alijsque Principibus viris ſororem in matrimonium habere licitum erat, non æque cæteris hominibus, teſte Ioſepho Acoſta *Hiſt. Indiarum lib. 6. cap.* 18. Neque Athenienſibus ſorores ducere in vxores crimini datum fuit. Itẽ cum vxore fratris abſque prole defuncti initum matrimonium non probaſſet ſummus Pontifex, ſi iure naturæ minus liceret; probat tamen ex Moſaica lege idem ipſe Innocen. III. *in cap. vlt. de diuort.* ſi ante conuerſionem ad fidem huiuſmodi contractæ eſſent nuptiæ. Item cum ſorore patris, hoc eſt amita, coniugalis placitus eſt interdictus: ante eas tamẽ leges legimus Amrã Moſis patrem, vxorem duxiſſe Iochabed, & ſororem Rehath, qui & ipſe fuit filius Leui, & pater ipſius Amram, vt conſtat *ex cap.* 26. *Num. iuncto cap. 6. Exodi.* Item cum nuru: Iudas tamen Patriarcha concubuit cum Thamar nuru ſua. *Geneſ.* 38. & ex illo cõcubitu nati ſunt Phares, & Zaran: inde poſtea Salmon, qui fuit Dux in deſerto. inde Obeth, inde quoque Booa, à quo tandem Ieſſe qui fuit pater Dauid. & ex illa progenie Chriſtum originem duxiſſe ſcribit Matthæus *cap.* 1. quod probat & D. Hieronym. cuius verba refert Gratianus *in cap. dominus.* 56 *diſtin.* At verò primum gradum in recta aſcendentium, & deſcendentium linea iure naturali prohibitum eſſe, ne vnus quidem diſſentit; immo Scotus, Durand. Palud. *in 4. ſentent. diſt.* 40 *q.* 1. *art.* 3. & Sylueſter noſter *in verb. matrimonium.* 8. *queſt.* 6. *col.* 4. & Didacus *in epit. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 4. ſentiunt iure naturali ſecundum gradum in recta linea aſcendentiũ, & deſcendentium prohiberi; licet D. Thomas *eod. loco*, vbi etiam Bonauent. & Ricard. *q.* 2. contrarium verius putet. cui magis aſſentio; vt matrimonium iure naturali in hoc gradu minime vetitum ſit: immo neque in primo. Nam ſi matrimonium eſſet in primo gradu iure naturæ prohibitum, apud omnes pleræque gentes hoc ius ſacroſanctum fuiſſet. apud nonnullas tamen Indorum gentes, Arabas, Perſas, Mauros q. qui iuxta Bactrianos ſunt, ac Magos, & Babylonios, more fuit receptum, vt filij matres in vxores ducerent, atque ex eis ſobolem procreare paſsim licuerit; eaque inter eos connubia nullis fuiſſe legibus prohibita docet Alexander ab Alexandro *lib. Genialium dier.* 1. *cap.* 24. & Tiraquel. *in l. 7. connub. num.* 32. & præter eos Q. Curtius *lib.* 8. ita ſcribit: Satrapes erat Syſimithres, duobus ex ſua matre filijs genitis. Quippe apud eos (Perſas) parentibus ſtupro coire cum liberis fas eſt. idem *lib. eod.* 8. Cæterum mater, eademque coniux moriturum ſe ante denuncians. & hæc forte illa ſunt, quæ Ouid. Metamorph. 10. anſam præbuere, vt diceret:

Gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, vt pietas geminato creſcat amore.

D. etiam Chryſoſtomus in lib. quem in laudem Babylæ Martyris compoſuit, dicit, Philoſophorum Stoæ præfectum ſtatuiſſe fas eſſe commiſceri matribus, & ſororibus. idem de Britannis qui Angli vulgò dicuntur, ſcribit Cæſar *in lib. 5. belli Gallici*: Vxores, inquit, ducunt deni, duodenique inter ſe cõmunes, & maxime fratres cum fratribus; parentesq. cum liberis. quibus, & plurimis alijs, quæ breuitatis cauſa omitto, conſtat aperte, matrimonium iure naturæ in primo etiã gradu non prohiberi. immo maris, & fœminæ coniunctionem & filiorum procreationem iuris naturalis eſſe ſcribit haud obſcure Vlpianus *in l. 1. ff. de iuſt. & iur.* quem ſequutus eſt & ipſe Iuſtinianus in principio tit. *de iure nat. gent. & ciuili.* Quinimo nihil tã videtur naturale eſſe, quã cũ mulieri ſe vir applicat. Caſt. *lib. 7. Var. for.* 40 Nam cùm ſpõtanea copula animalia cũcta cõſociet, dignumq. vnicuiq. videatur eſſe, quod placuit:

cuit:durum eſt libertatẽ non habere vnde liberi procreantur. Sed & de ijs paulo poſt. Dicam tamen, rectiſſime more receptum fuiſſe, & legibus ſancitum; vt hoc tam immane ſcelus interdiceretur: ne filij ſcilicet cum matribus inhoneſto,turpiq. amore,& ferarum ritu commiſcerentur. Ideo Paulus Iuriſconſult. *l. vlt. ff. de rit. nupt.* dicit iure gentium inceſtum committere eum, qui aliquam ex aſcendentibus, vel deſcẽdentibus vxorem duxerit. non dicit iure naturali: ſed gentium; quod apud omnes fere gentes obſeruatur. *d. l. 1. in fine.* Cui expoſitioni cõuenit mirifice Hermenopoli definitio *lib. 1. tit. 1.* Gentium, inquit, ius eſt, quo gens, gentesvè vtuntur; vt non miſceri matribus apud Sarmatas, & Gratos; contraq. ijs miſceri apud Perſas. Quod adeo verum eſt, vt nuptiæ inter aſcendentes & deſcendentes vſque in infinitum ſtare minus poſſint. *l. nuptiæ. 53. ff. de rit. nupt.* quicquid dicat Didacus. idem enim videtur conſtituiſſe Plato *in lib. 5. de repub.* vbi prohibet matrimonium inter patres, & filias, & filiorum filias, atque horum ſuperiores, & inferiores. Cæterum *lib. de legib. 11.* iubet matrimonium copulari inter eos, qui ſanguine proximi ſunt; qui ſunt, vt interpretor, tranſuerſales, ſiue, vt noſtri loquuntur, collaterales. Quare non eſt, meo iudicio, quærendum, num hic, vel ille gradus iure naturæ prohibitus ſit; an permiſſus, ſed iure gẽtium, niſi hoc ius gentium dicere velint, naturale quodammodo factum, cùm paſsim hodie ab omnibus receptum ſit, & longo vſu approbatum. Sed ne plus alijs ſcire videamur: quæramus & nos num inter fratrem, & ſororem iure naturali interdictus ſit placitus matrimonialis. D. Thomas *loco vbi ſupra*, non eſſe dicit. recte; ſiquidem Aegyptios cum ſororibus paſſim matrimonia iniſſe tradit idem Alexan. ab Alex. immo ipſe maximus fabuloſorum Deorum Iuppiter Iunonem ſororem ſibi iugali honeſtate conſociauit. Virgilius *lib. 1. Aenead.*

Aſt ego quæ diuum incedo regina, Iouisq.
Et ſoror, & coniux. Horatius lib. 1. Carminum 3. Od.
Coniuge me Iouis, & ſorore.

Ptolemæus etiam, vt ſororis miro amore captus ſortiretur amplexus, & ſuam libidinẽ expleret, huiuſmodi connubia paſsim licere permiſit. Darium quoque illum poſtremum Perſarum Regẽ ab Alexandro victum, ſororem ſuam in vxorem duxiſſe ſcribit Iuſtinus *lib. 2.* quemadmodum & apud Aſſyrios licuiſſe ſcribit Lucianus *in lib. de ſacrific.* & apud Athenienſes: quamuis reliquæ Græciæ partes nefandum duxerint eiſdem parentibus genitos inuicem inceſtis nuptijs cõmiſceri. Dubitatur & de nouerca. B. Aurelius Auguſtinus *ſupra Leuit. quæſt. 41.* vult iure naturæ cum nouerca nuptias valere, hoc eſt mortuo patre: & illa Leuitici verba *d. cap. 18. Turpitudinem patris tui non diſcooperies*, fore intelligenda viuente patre. quo ſenſu D. Paulum intelligi debere contendit Caietanus *1. ad Cor. 5.* dum ait: *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxores patris ſui quis habeat.* Mihi verò huiuſmodi interpretatio, (pace tantorum virorum dixerim,) non ſatis recta videtur, non quòd talis cum nouerca concubitus nõ ſit licitus naturali iure, cùm & viuente patre, & conſentiente, quandoque matrimonium cum nouerca celebratum fuiſſe teſtentur antiquitatis peritiſsimi, vti Valerius Max. *lib. 5. cap. 7.* Plutarchus *in Demetrio*, Appianus Alexand. *de Bellis Syriacis.* Lucianus *in libello de Dea Syria.* Antiochus enim Seleuci filius Stratonicem ipſius Seleuci vxorem, nouercam ſuam amauit ardenter. quo intellecto, pater, ne amore deperiret filius, ambos in totius exercitus præſentia matrimonio coniunxit. Eſt etenim verisimile Moſem intellexiſſe de nouerca vacante, ſiue vidua: cùm omne adulterium paulo poſt eodem cap. prohibuiſſet; dum ſubiungit: *Cum vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis commiſtione maculaberis.* Erit ergo Moſaico iure cum nouerca matrimonialis coniunctio prohibita; vt idem pene ſit de nouerca, quod de matre; cũ illa loco matris ſit; etſi proditum eſt memoriæ Antoninũ Caracallã præter maiorum inſtituta nouercã Iuliam vxorem duxiſſe, nuptiasq. inceſto primum polluiſſe. quod antea Romano iure cũ nouerca videtur fuiſſe vetitũ. *l. adopt. §. nunc videamus. ff. de rit. nupt.* Cæteros, præter enumeratos gradus iure naturali, vel vt ego interpretari ſoleo, gentium iure, interdictos nolunt Theologi, ſed iure tantum humano Rom. Pontificum; vt iure naturali, & diuino, relicta fratris in vxorem licite duci poſsit. Nam & L. Craſſum ex defuncti fratris vxore legitimos filios eduxiſſe, & propagaſſe legimus. Quod autem de Herode apud *Matth. 14. & Marc. 6. & Luc. 3.* vehementer à Ioanne Baptiſta reprehẽto obijcitur, quòd fratris vxorem accepiſſet: excellentiſsimi ſacrarum litterarum interpretes à fratre viuo, per vim quodammodo raptam eſſe ſentiũt perite. quinimmo Herodes legitimã habebat vxorem Aretæ Regis Arabiæ filiam, qua depulſa, Herodiadem Ariſtobuli filiam, & alterius Herodis fratris vxorem, eo viuo, ſibi matrimoniali affectu copulauit: vt ait Joſephus *lib. Antiq. 20. cap. 9.* & Nicephorus *lib. 1. cap. 19.* Et non modo non licuit ducere vxorem fratris ſui viuentis, ſed neque mortui; niſi frater ex ea vxore nullos reliquiſſet liberos; tunc enim non erat interdicta huiuſmodi coniunctio: immo videtur fuiſſe præceptum, vt quis ſemen fratri ſuo mortuo

ſuſci-

ſuſcitaret, ne deleretur nomen eius ex Iſrael, vt videre eſt *Deuteronom. cap.* 25. *Matth.* 20. idq. conſtat *ex d. cap. vlt. de diuort.* Verùm Ioan. Andreæ, in æquali linea diſcendentium contrahi poſſe *in d. cap. litteras*, aſſeuerat; vt filij duorum fratrum connubia contrahant legitima. Brutus enim Porciam ſobrinam nulla prohibente lege ſponſam tulit. Non æque in linea inæquali, inter patruum ſcilicet, & neptem ex fratre. quod probat & Abbas *eod. loco num.* 17. nam & veteri Romanorum lege conſtat huiuſmodi contractũ fuiſſe interdictum. Primus quidem Claudius Neronis pater Iuliam Agrippinam ex fratre neptem ſibi in vxorem accepit; quod informe cõiugium Romanis viſum eſt. vnde Tacitus *lib.* 12 At noua, inquit, nobis in fratrum filias connubia, & *lib.* 21. de Iudæorum more, & ritu ſcribés; Profana illic, ait, omnia, quæ apud nos ſacra. rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta. quia alienarum concubitu abſtinent: inter ſe tamen nihil illicitum. non potuit autem Tacitus intelligere, niſi de hiſce nuptijs, quæ inter patruum, & neptem, inter conſobrinum, & conſobrinam fiunt. quamquam idemmet Claudius curauerit, vt lege deinceps id omnibus liceret: quæ tamen non fuit vſu recepta, vti mox dicetur. Arqui Plutarchus in Problematis Rom. n. 6. tradit, virum quemdam, & quidem pauperem, inceſti crimine accuſatum, eo quod ex fratre neptem, cui dos ampla fuerat relicta, vxorem accepiſſet, iudicio multitudinis abſolutum fuiſſe: atque inde factum plebiſcitum, vt cuiuis fratris filiam ſibi in matrimonio coniungere liceret. quod ante Claudium factum eſſe, nemo dubitare poteſt. conſtituto enim Principe, ei ius omne contulerunt *l. 2. ff. de orig. iur.* Hinc non poſſum non mirari, cùm & Romanarum rerum, præter veterem, & bene fundatam peritiam, maxime diligens eſſet Tacitus, eum dicere; noua nobis in fratrum filias connubia; cùm plebiſcito iam cautum eſſet, vt huiuſmodi nuptiæ cõtraherentur legitime. Sed dicendum eſt, aut plebiſcitum multis ante annis factum fuiſſe, atque diſſuetudine adeo antiquatum, vt nulla extaret eius memoria; vel potius, de plebeis hominibus eſſe intelligendum, non item de patricijs, Senatoribus, & conſularibus viris. quare cùm nemo vir conſularis ante Claudium cum nepte ex fratre auſus eſſet inire matrimonij fœdus: ideo exclamat Tacitus, Noua nobis in fratrum filias connubia. Quibus derogauit tandem Nerua Imperatorum: ſcribit etenim Dion Nicæus, Neruam legem tuliſſe, qua prohibuit matrimonium cum fratris filia. quæ conſtitutio adeo præualuit, vt paſſim & in Codicis, & in Pandectarum libris id ſancitum videas, vel in *l. vlt. ff. de condit. ſine cauſ. l. qui in prouincia.* §. *diuus. ff. de rit. nupt. l. miles. & l. adulterium.* §. 1. *ff. ad leg. Iul. de adul. l. vlt. C. de inceſt. nupt. l. vlt. C. ſi nupt. ex reſcrip. pet.* §. *fratres. Inſtitut. de nupt.* Apparet nihilominus apud Caſſiodorum *libro Var.* 7. in formula, qua conſobrina legitima fiat vxor, ex Principis reſcripto licuiſſe tales contrahi nuptias. Pro huiuſmodi tamen coniugio, vel potius contagio, Zeno *in d. leg. vltim. C. ſi nupt. ex reſcript. pet.* prohibuit, ne preces porrigi poſſent. Et vt tandem ad *d. cap. litteras*, redeamus, dico, omnes illos gradus Leuitici *cap.* 18. prohibitos, non eſſe iure naturali prohibitos. At ſi vera eſt noſtrorum, & Theologorum ſententia, quòd ipſe ſummus Romanæ Eccleſiæ præſul poſſit diſpenſare in his omnibus gradibus iure naturæ nequaquam prohibitis, ſit profecto, vt poſſit in omnibus, de quibus *in d. cap.* 18. cùm ne vnus quidem iure ſit naturali interdictus, ſed lege diuina iudiciali, & cæremoniali, quæ ceſſauit per Chriſti aduentum, & eius paſſionem; *cap. translatum. de conſtitut. cap. vnico. de purgat. poſt part.* Verùm quoniam veteri diuina lege prohibebantur, non poteſt ipſe ſacratiſsimus Pontifex diſpenſare; hoc eſt non conſueuit, niſi grauiſsima de cauſa, & publica totius orbis Catholici vtilitas expoſceret. & hoc ſenſu accipi debet *d. cap. litteras*, ibi, *in quo ſedes Apoſtolica dispenſare non poteſt*. ideo annis ab hinc duodecim piiſsimus Pius Quintus conceſſit inuictiſsimo Philippo vere nunc Hiſpaniarum Regi, vti nuptias cum ſuæ ſororis, & Maximiliani Secundi Imperatoris coniugis filia legitime contraheret. Merito autem cautum fuit, vt nuptiæ inter neceſsitudine adeo arcta coniunctos legitimæ non eſſent. Nuptijs enim neceſsitudines augentur, & vltro, citroq. filias dando, & accipiendo multi ſibi propinqui adiunguntur; vt Plutarchus *Problematon cap.* 108. dicit. cui aſſentit & D. Auguſtinus *libr. de ciuit. Dei.* 15. cap. 16. Habita eſt, inquit, ratio charitatis vt homines, quibus eſſet vtilis, atque honeſta concordia, diuerſarum neceſsitudinum vinculis necterentur; ne vnus in vna multas haberet neceſsitudines, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colendam plurimæ plurimos obtinerent. pater quippe, & ſocer duarum ſunt neceſsitudinum nomina. vt ergo alium quiſque habeat patrem, alium ſocerum, numeroſius ſe charitas porrigit. Quæ Auguſtini ſententia à Gratiano relata eſt *in cap.* 1. 35. *q.* 5. Iſychius Hieroſolymitanus Gregorij Nazianzeni diſcipulus *lib.* 5. *Comm. in Leuit.* explicans d. cap. 18. quærit rationem, qua ibidem prohibentur inter conſanguineos matrimonia; & reſpondet: Ne confunderentur generationes, nec diſpercant hæreditates, neque frater, & pater

idem fieret, eiuſdemq. eſſet vxor, & mater: vtraque enim hæc eueniebant, ſi eandem vxorem pater & filius habuiſſent, ex eaq. filios procreaſſent: ex filia enim genitus tam patrem genitorẽ ſuum, quàm fratrem haberet, quippe qui ex ea natus eſt, quæ & illum peperit, & vxor eius ſimul atque mater fuit. Idem plane videtur dicere D. Chryſoſtomus *in 1. ad Corin. epiſt. hom.* 34 quo loco etiam inquirit rationẽ, ob quam Moſes in ſæpe cit. *cap.* 18. nuptijs ſanguine propinquorum interdixerit. Non duces ſororem tuã, inquit, neque ſororem patris. Satis cauſæ ſit, cur illas ames, ex eodem eſſe te vtero prognatum: aliter tibi cõpetent aliæ. Cur tu charitatis amplitudinem redigas in anguſtum? aut cur officium charitati non neceſſarium impendis; quo amicitiam, coniuge aliunde ducta, & per hanc longiſſimam affinium ſeriem, parentes, fratres, & illorum neceſſarios omnes conciliare tibi potes? & videri poſſunt, quæ relata ſunt *inſ. c.* 14. *lib.* 2. de imbecillitate mulieris, ob quam multorum ope, & auxilio eget. Et hiſce rationibus videntur & ipſi præter eximiam ſapientiam, ſanctiſſimi, fateri matrimonium non eſſe etiam in primo gradu aſcendentium, & deſcendentium iure naturæ prohibitum. Nam ſi erat prohibitũ iure naturali; quid, rogo, opus erat lege? perinde enim à Moſe prohibetur cum matre, atque cum ſorore, & amita, matrimonialis coniunctio. Sed arbitror & illam fuiſſe rationem, vti cum his interdiceretur; ne in nobis illud Ouidij *Met.* 10. diceretur:

Coeunt animalia nullo
Cætera delectu: nec habetur turpe iuuenca
Ferre patrem tergo: fit equo ſua filia coniunx.

Immo verò bruta nonnulla animalia nefandos iſtos cum matribus, & deteſtabiles concubitus renuere, & aſpernari ſcribit Ariſtoteles *lib. de natur. animal. 9. c.* 47. Varro *de re ruſtica* 2. *c.* 7. Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. Iuſtinianus *in auth. de inceſt. nupt. in princ.* Quare nõ dubito, quin ipſe maximus Epiſcoporum poſſit in quouis gradu (vno forte excepto cum matre, & cum filia, quod videretur deforme nimis) diſpenſare, ſi publica poſtularet vtilitas. Hinc videmus à Tridentino Concilio *ſeſſ.* 24. *c.* 5. conceſſum inter magnos Principes, & ob publicam cauſam in ſecundo gradu contrahi matrimonium. Nos verò non dubitamus, quin ipſe vnus Rom. Eccleſiæ Princeps præſit Concilio, & ſupra Concilium ſit: quãquam illi de facili derogare non debet. *c. Eccleſia.* 57. *de elect. c. ex par. de capell. monach.* Verùm quia Concilia ita deſcribi non poſſunt, vt omnes caſus, qui quãdoque inciderint comprehendantur, argumento *l. neque. ff. de legib.* ideo ſi talis euenerit caſus, quẽ viderit expedire Chriſtianæ Reipublicæ, & in gradu aliquo *in d. c.* 18. prohibito diſpenſauerit, faciet rectiſsime; quemadmodum in Paratitlis diximus de monacho iã profeſſo *ex c. cùm ad monaſterium. in fi. de ſtat. monach.* Cæterum in ſupradictis gradibus veteri Moſaica lege prohibitis non poterit iuſte diſpenſare; Neque alius quiuis Rom. Pontifice inferior, etiam ex maxima cauſa; vti omnes notãt *in c. etſi clerici. de iudic.* gloſſ. *in c. dilectus.* 1. *de prab. in verb. facultas.* Abbas *in cap. propoſuit. de conceſſ. prab.* Nec ipſe legatus à latere, vt gloſſa *in c. quia circa. et in c. quod dilectio.* vbi dicũt omnes, *de conſang. & affin.* Hoc enim videtur à priſcis illis ſanctis patribus conſtitutum; quorum prudentes viri ſequẽtes exemplum, longius pudicam obſeruantiam poſteris tranſmiſerunt; reſeruaruntq. hoc Principi Rom. Eccleſiæ diſpenſandi beneficium, intelligentes rarius poſſe præſumi, quòd à Principe iuſſerant poſtulari. Neque mirari debemus hoc ad Rom. Pontifices fuiſſe remiſſum iudicium: vt qui populorum mores regit, ipſe & moderate concupiſcentiæ frena laxaret. Conſanguineorum enim coniunctiones, quãuis Euangelicis, & Apoſtolicis præceptis nõ inueniantur prohibitæ: eſſe tamen fugiendas, quia Eccleſiaſticis inſtitutionibus inueniuntur terminatæ, pulchre ſcribit Gratianus *in ſi. d. can.* 1. 35. *q.* 1. Idcirco videmus raro, aut fere nunquam Papam diſpenſare in illis gradibus, & in alijs iure humano Pontificio interdictis, tertio ſcilicet & quarto, niſi etiam ex cauſa, & quidẽ legitima, vt *in d. cap. litteras. & in can. quadam lex.* 35. *q.* 3. Mirum ergo non erit, ſi Innoc. III. *in cit. cap. litteras.* decreuit mulierem, quæ à viro receſsit ſuo, conſanguinitatis opponens exceptionem, non eſſe quo ad thorum reſtituendam, donec fuerit de exceptione cognitum. nõ item ſi gradus ille conſanguinitatis non eſt ex ijs, qui prohibentur *Leuit. d. cap.* 18. quia tunc integra ſit reſtitutio, quemadmodum & in illis, ſi promptæ non vtique ſunt probationes. Quare admonentur iudices Eccleſiaſtici, quorum eſt iudicare de huiuſmodi cauſis, vt iam ab initio dixi, ne in longum eas trahant, ſed breui, quo ad fieri poteſt, ferant ſententiam: alioquin viro, ſiue mulieri fornicationis occaſio præberetur. *cap. quoniam. §. porrò. vt lit. non conteſtat. non proced. ad teſt. recept.*

Con-

Conciliatio *cap. extirpandæ. in §. qui verò. de præb. & dignit.* cum *c. 2. cap. inter. cap. ex tua. & cap. vltim. de cler. non reſid.* & de habente beneficium curatum, in eoque non reſidente. Cap. XVII.

EX omnibus decretalium conſtitutionibus, quæ inter ſe pugnare videntur, conciliari tamen poſſunt, nulla fere primo aſpectu mihi viſa eſt difficilior conciliatu, quàm *cap. 2. cap. inter. cap. ex tua. & cap. vlt. de cleric. non reſident.* quorum omnium vna eſt ſententia cum *cap. extirpanda. in §. qui verò. de præbend. & dignit.* in cuius ſpecie illud in primis difficilem, & perelegantem habet dubitationem ab iuris Pontificij interpretibus, magnis contentionibus agitatam, vtrum, is qui parochiale obtinuit beneficium, & in eo non reſidet, priuatus ſit iure ipſo; an priuationem debeant præcedere monitiones. Dictus §. *qui verò.* priuatum aſſerit; alia iura negant. quo fit, vt noſtri, quid verè conſtituendum ſit, ambigant. Ego, vt prolixam hanc quæſtionem paucis reſtringam, dico non eſſe neceſſarium monitionem hoc in caſu, quemadmodum etiam in pleriſq. alijs, in quibus quis priuatur beneficio, iure quidem ipſo, nulla ante habita monitione: cuiuſmodi eſt profeſſio monaſtica *cap. beneficium. de regular. lib. ſex.* matrimonium verbis in præſens tempus conceptis initum. *cap. 1. de cler. coniug.* ordinatio, ſiue ſacris initiatio neglecta ab eo, qui beneficium curationi coniunctum adeptus eſt, *cap. licet canon. cap. cùm ex eo. & cap. commiſſa. de elect. lib. ſex.* argumento eſt etiam *cap. patuit. de locat. & conduct. & cap. 1. de etat. & qualit.* quibus modis omnibus connumeratur & noſter, vt is, qui conſequutus eſt beneficium animarum curationem habens, & in eo non eſt aſſiduus, eo priuatus ſit iure ipſo, prætermiſſis etiam monitionibus: quod verba ipſius textus §. *qui verò.* manifeſtant, ibi, Alioquin illa ſe ſciat auctoritate huius decreti priuatum, libere alij conferenda, qui velit, & poſſit, quod dictum eſt adimplere. quibus in verbis quis non videt poſſe eum ad quem collatio ſpectat, nulla facta monitione, huic beneficium adimere, & alij libere conferre; dummodo talis ſit, qui poſſit, & velit reſidere; cùm aſſiduitatem deſideret. Non inficior tamen perbenignam eſſe Panormitani opinionem: cùm poſſit quandoque contingere, vt qui beneficium curatum eſt adeptus, nequeat reſidere, occulto aliquo detentus impedimento; quo detecto excuſaretur facile. Nos verò dum quærimus de intelligentia legum, non debemus recurrere ad benignam interpretationem, ſed ad mentem legis, ſiue legiſlatoris, etiamſi nimis dura videtur lex. *l. proſpexit. ff. qui, & à quib.* Mens autem ſanctorum Patrum Lateranenſis Concilij, ex quo hauſta eſt conſtitutio noſtra, fuit, vti priuaretur, qui non reſidet; ratione illa pereleganti, quoniam cura, quam parochiam dicimus, eo fuit conſtituta, vti curio, vel, ſi inauis, Parochus eorum omnium, quæ ad ſalutem animarum ſuorum parochialium ſpectant, curam gereret, & præſertim ſacramenta adminiſtraret, & quia occurrunt multa in dies, quæ abſente parocho fieri minus poſſunt, vti ſunt infantium baptiſmata, morientium confeſſiones, extremæ vnctiones, & huiuſmodi: ſcire debet parochus ſe curationem ſuſcepiſſe hac conuentione, hoc pacto, vt reſideret; ſin ſecus, priuaretur. quòd ſi quid impedimento erit, certiorem faciet Epiſcopum, qui interim prouidebit, ne vacet, neve actus ſpirituales exerceri ceſſent. Dico tamen non debere Epiſcopum, ſimul atque curio non reſidet, ad priuationem recurrere; ſed piiſſime facere, ſi eum admonuerit, antequam beneficiario beneficium adimat; poterit nihilominus nulla interpoſita mora, recta ad priuationem deſcendere. Illos autem locos ſuperius citatos, qui monitionem omnino deſiderant ante priuationem, gloſſa contendit eſſe correctos per hanc conſtitutionem *d. §. qui verò.* quod eſt plane ridiculum; cùm *d. cap. inter. & cap. ex tua*, promulgata ſint ab ipſomet Innocentio III. quo auctore celebratum fuit Lateranenſe Concilium, ex quo, vti præfatum eſt, conſtitutio iſta deſumpta eſt; & *d. c. fin.* à Gregorio IX. qui multo poſt Romanæ præfuit Eccleſiæ, qui his verbis: clericos in Eccleſijs tuæ iuriſdictionis beneficia, quæ reſidentiam exigunt, aſſequutos, ſi ad alterius diœceſim abſque licentia tua morandi cauſa tranſierint, liceat tibi, ſi moniti non redierint, dictis beneficijs (niſi excuſationem rationabilem oſtenderint) ſpoliare. quibus perſpicuum eſt, locos illos non vtique correctos eſſe. nec enim nouum eſt, vt poſteriores leges ad priores pertineant. *l. ſed & poſteriores. ff. de legib.* Tribus verò modis pertinent, vel corriguntur, vel ſupplentur, vel determinantur, vt *in d. l. ſed &. & in l. non eſt nouum. ff. eod. de legibus.* adnotauit Accurſius. Ad noſtram conſtitutionem pertinent *d. cap. inter. cap. ex tua. & cap. fin.* hoc eſt ſupplendo. nam edita, ac promulgata Lateranenſis Concilij Sanctione: vt ſi quis non reſideret in Eccleſia parochiali, ſtatim nulla facta monitione, priuaretur: dubitatum fuit apud eundem Innocentium, num conſtitutio iſta locum ſibi vendicaret etiam in ijs, qui abſentes ſunt, ita vt perinde priuari deberent beneficio, ac illi, qui præſentes ſunt, reſidere

tamen nolunt. Reſcripſit Innocentius,item Gregorius IX. non æque, ſed monitionem debere præcedere priuationem; quoniam cùm abſentes ſunt, haud ſciri poteſt facile, an legitimo detineantur impedimento, quominus ſtatim reuerti ad munus ſuum valeant. Nec minus egregie erat Panormitanus, dum exiſtimat non reſidentem iure ipſo priuari quò ad Deum; quo ad hominem non item. ſiquidem nos, dum hac de re diſputatio ſit, quærimus non quo ad interiores actus,hoc eſt, ad conſcientiam,ſed quo ad exteriores actus, iudiciales dico. Eſt enim certiſſimi iuris, eum,cui adeſt facultas aſſiſtendi, & non aſſiſtit, apud Deum ligatum eſſe, mortaliq. culpæ obnoxium, ac iure ipſo priuatum. Neque rectior eſt ſententia Innocentij, exiſtimantis non requiri monitionem; quia etiam delictum occultum non impedit vires conſtitutionis,quominus is, qui non aſſiſtit,legetur conſtitutione Eccleſiæ militantis: Cùm Eccleſia, inquit, liget delictum penitus occultum. *cap. porrò. & c. cum ab homine. de ſentent. excommun.* quamquam enim conſtitutio militantis Eccleſiæ liget omnino occulta: ex eo tamen de illis non nominatim iudicat tribunal Eccleſiæ. quinimmo Eccleſia ipſa,in quantum per hominem iudicat hominem,iudicat in quantum eſt collectio fidelium. & ſic ligatos occultos habet pro ſolutis. *cap. à nobis. 2. de ſentent. excommun.* quo ſenſu intelligi debent canones omnes, qui dicunt, Eccleſiam militantem de occultis non iudicare. *cap. erubeſcant. 32. diſtinct. c. habuiſſe. 33. diſtinct. cap. ſi omnia. 6. quæſt. 1. c. 1. in verb. non poteſt. 15. q. 6.* & alij,ſi qui ſunt, qui plures ſunt.

Interpretatio *cap. præterea. de teſtib. & cap. litteris. de præſumpt.* quibus perperam iuris vtriuſque anteceſſores nituntur probare, ex præparatorijs adulterij argui adulterium. Cap. XVIII.

ALTERNIS prope annis in vtriuſque iuris ſchola ſolent interpretes longa diſputatione inquirere, an ex præparatorijs adulterij argui poſſit adulterium. Et multi Baldum, & Ripam ſequuti, exiſtimant argui: & ob oſculum luxurioſum, aliàsve illecebras perinde mulierem dote priuari, ac propter adulterium. quam opinionem non ſolùm aliquot Iuriſconſultorum locis, ſed etiam reſcriptis duobus pontificijs confirmare nituntur, videlicet *c. præterea. de teſtib.* & *cap. litteris. de præſumpt.* Quòd autem his duobus locis probetur, ex illecebris argui adulterium, tantum abeſt, vt id dicere ridiculum ſit prorſus. quinimo conſtat in cap. præterea,commiſſum fuiſſe adulterium. Verum quoniam dubitabatur, num ſola fama carnis commixtio probari poſſet, conſultus Cœleſtinus III. reſcripſit; quòd ſi teſtimonium de viſu perhibeatur,vel etiam de auditu,& præſumptionem violentam fama conſentiens ſubminiſtret, ac alia legitima ſuffragentur adminicula, ſtandum eſſe teſtimonio eorum,qui iurarunt.ex quibus quis non videt adulterium eſſe factum, ac mulierem cum adultero deprehenſam? Caput litteris, difficilem habet explicatum, cùm ibi legatur promulgatam eſſe diuortij ſententiam, propterea quod nudus cum nuda, & ſolus cum ſola in eodem lecto iacens repertus ſit, non æque in ipſa turpitudine, quam turpitudinem. Pomponius Iuriſconſultus *in l. quod ait. ff. ad l. Iul. de adulter.* vocat res Veneris, ideſt in ipſis rebus Venereis, in ipſo facto, vel, vt ait lex Solonis, & Draconis, quam idem Pomponius refert, ἐν ἔργῳ, id eſt in opere. ad quod audiui reſponſionem, dum in ſcholis adhuc eſſem, elegantiſſimam, à viro doctiſſimo,elegantiſſimo, & ſubtiliſſimo Ioanne Manutio,illam ſcilicet: quod in ſpecie *d. cap. litteris*, argui poſsit; cùm ſit præſumptio valde vrgens ex eo quòd nudus cum nuda, & ſolus cum ſola in eodem lecto iaceret, quaſi non ſit otioſus, vt ait lex Iulia *in d. l. Quod ait*, inquit,lex; Cùm filia adulterum deprehenderit,non otioſum videtur. Quare non male hi codices, qui habent, Cum in filia: duobus inquam dictionibus,quæ filiam reſpiciunt: hoc eſt non otioſus,cum in filia, ideſt in ipſo actu. Aliter tamen hodie reſpondere poſſumus, factam thori eſſe ſeparationem non ob præparatoria, ſed quia commiſſum adulterium eſt. namque *in d. cap. litteris. in 2. Decretal. compilat.* quam & Contius, & Antonius Auguſtinus ediderunt; hæc quæ fuere reſecata,ſubſequuntur verba: Et publica fama conſentit, quod poſt contractum matrimonium ſe miſcuerunt adinuicem,quod in præſentia tua publice, vt aſſeris, ſunt confeſsi, quamuis & id ſe poſt contractum matrimonium feciſſe negarent. Dicitur quoque de muliere prædicta, quòd de marito ſe ſimulans conceꝑiſſe alienum partum iam baptizatum, vt ferunt, ſe mentita eſt peperiſſe, & rebaptizari faciens,virum ſuum decepit.procedente verò tempore cùm fama empti alieni partus fraudem detegeret, parentibus, à quibus eum emerat, occulte reſtituit, poſtea veneficium potum, & alias vitæ inſidias viro paraſſe eadem mulier perhibetur. Hactenus ſecunda compilatio. quibus omnibus docemur adulterium eſſe commiſſum: & quòd, commiſſum fuiſſe, vna erat omnium vox. & cùm vterque in lecto deprehenſus libere

fate.

fateretur ante nuptiarum ſolennia, rem ſimul habuiſſe, veriſimile quidem eſt non otioſos fuiſſe; cùm in eodem lecto nudi deprehenderentur. Auxit non mediocriter etiam dubitationem ſuppoſititius partus, & veneficus potus, quem ad occidendum maritum præparauerat. hoc enim maximam præbet diuortij cauſam. *l. conſenſu. C. de repud. cap. 1. de diuort.* Quare concludendum eſt, in quæſtione iſta, neque ex his duobus locis, neque ex alijs iuris ciuilis, quibus commode reſpondere poſſimus, ex præparatorijs adulterij, argui poſſe adulterium; nec vlla prorſus ſuadet ratio; ſiquidem in criminalibus, & in odioſis probationes deſideramus certas, & claras, neq. aliter irrogantur pœnæ. *l. fin. C. de probat.* maxime in ijs, quæ ad adulterij crimen ſpectant. *c. tuæ. de procurat. cap. plerumque. de don. inter vir. & vxor.* Et cùm iura loquantur expreſſe de adulterio, non debent ad oſculum trahi; alioquin dura nimis eſſet extenſio; tum quia pœna priuationis non habet locum, niſi in caſibus à iure expreſsis, vti recte adnotauit gloſſ. *in d. cap. fin. de iure patron.* ibi Abbas, & Baldus *ad auth. ex teſtamento. C. de ſecund. nupt.* Decius *in rub. de iud. lect.* 1. quibus ſuffragatur, *l. & ſi quis. §. Diuus. ff. de relig.* Non debet igitur mulier ob ſolum oſculum, aliàsve illecebras feriri, ac perinde in adulterio deprehenſa fuiſſet, gladio, vt Conſtantinus ſanxit *in l. quamuis. C. ad leg. Iul. de adult.* vel in monaſterium verberibus cæſa, atque tonſa detrudi, per nouam Iuſtiniani conſtitutionem *in Nouell.* 134. *vt nulli lud. lit. §. ſi quando.* & per conſequens priuari dote, *d. cap. plerunque. de donat. inter vir. & vxor.* Sed, an hæredibus mariti exceptio adulterij commiſſi ab vxore competat ad id, vt dotem non reſtituere teneantur hæredibus vxoris dotem repetentibus: Rota *deciſ. 86. diuerſ. part. 3. lib. 2.* tenuit competere, ſi ante mortem vxoris contra eam opponebant: maximè ſi de adulterio conſtitiſſet, non aliter.

Quid ſit iudicium criminale, quid ciuile: & nouus intellectus *ad c. per tuas. de ſimon.* Cap. XIX.

LEGANS, & ardua eſt quæſtio de differentia iudiciorum ciuilium, & criminalium: quiſque enim pro arbitrio differentiam ponit. Abbas in continuatione tituli de iudicijs, *num.* 5. tres affert opiniones, quarum vna eſt, quòd ſi pœna fiſco applicetur, iudicium dicatur criminale; ſi parti, ciuile, vti notauit Accurſius *adl. 3. ff. de ſepul. viol.* Altera eſt, vt ſi pœna impoſita ſit pecuniaria, iudicium ſit ciuile; ſi corporalis, criminale. Vltima, ſi agitur de crimine, dici ſemper agi criminaliter, ſiue pœna applicetur fiſco, ſiue parti. His non ſatis contentus idem Abbas Panormitanus quartam addidit; quòd tunc proprie dicatur agi criminaliter, cùm directa via, vt eius verbis vtar, crimen deducitur in iudicium, vt acrius, quàm poteſt puniatur; & ſic, vt imponatur pœna ordinaria, ſiue pœna applicetur fiſco, ſiue parti: quoniam debemus animaduertere, quod principaliter agitur, non quod venit in conſequentiam: argum. *l. 1. ff. de auctor. tut.* Vel, inquit, crimen deducitur non ſic directa via; & dicitur, agi ciuiliter, licet pœna non applicetur parti. Vti diſcederet ab illis tribus diffinitionibus iam relatis Abbas, eum præcipitem egit *cap. per tuas. de ſimon.* Ego, ne longum faciam, dico, Iudicium ciuile eſſe, cùm quis agit ad ſui commodum: hoc eſt, cùm quis petit ſibi id, de quo quæritur, adiudicari; vt cum de commodato, mutuo, mandato, depoſito, & huiuſmodi alijs ſexcentis actionibus, inſtituitur iudicium. *l. interrogari. C. de quæſt.* Item eſt actionibus, quæ ex delicto oriuntur, vti furti actio, vi bonorum raptorum, legis Aquiliæ, iniuriarum, & ſimiles, quæ dicuntur ciuiles, & criminales; quibus actor ad propriam vtilitatem, &, vt quidam dicunt, ad ſuam burſam, agit, non ad mulctam publicam, vt *in l. vlt. ff. de priuat. delict. l. vlt. ff. de furt. l. 1. ff. de incend. ruin. naufrag. l. vlt. C. de iniur. cap. 2. de homicid. lib. 6.* & paſsim alibi. quæ etiam Pecuniariæ cauſæ dicuntur. *l. 1. ff. de teſtib. d. l. vlt. de priuat. delict. dd. interrogari.* Criminale verò exiſtimamus eſſe illud, quod ad publicam vindictam inſtituitur. *c. quicunque. 11. q. 3.* ibi, *ciuiliter, vel publice.* licet eius rei gratia pecuniam plerunque conſequatur condemnatio. *l. illicitatio. §. quod illicite. ff. de public. & veſtig.* Hinc videmus interdum extra ordinem puniri, vt in *§. in ſumma. Inſtit. de iniur.* vel cùm vtilitas priuatorum poſtulat, vt quod per vim extortum eſt, reſtituatur cum triplici pœna. vel, cùm rigor publicæ diſciplinæ id deſiderat, & pœna infertur fiſco, non actori. *d. §. quod illicite. c. eſt iniuſta. 23. q. 4. & cap. vt fama. infr. de ſent. excommun.* Dicimus quoque publica iudicia quædam eſſe capitalia, quædam non capitalia; Capitalia, quæ vltimo ſupplicio afficiunt homines; non capitalia, quæ infamiam duntaxat irrogant, cum damno pecuniario. *l. 2. ff. de public. iud. §. capitalia. inſtitut. eod.* Lex autem Iulia ſtupratoribus pœnam conſtituit, ſi honeſti ſint, publicationem partis dimidiæ bonorum; ſi humiles, corporis coercitionem cum relegatione, vel ipſius Iuſtiniani teſtimonio *Inſtitut. de publ. iud. §. item lex. in fine.* Hæc autem publicatio bonorum, rogo, num reſpicit fiſcum? Quare miror tum veteres,

tum

tum recentiores iuris vtriuſq. interpretes non hoc animaduertiſſe. Quotieſcunq. igitur infligitur pœna pecuniaria, non ſemper iudicium dicitur ciuile. non enim inſpici debet, quid in condemnationem veniat, ſed quorſum, & ad quem finem ſequatur condemnatio. ſi pœna etenim, quæ reo infligitur, ad priuatum actoris commodum tendit, tunc dicitur ciuile; ſed ſi fiſcum reſpiciat ad coercendum delictum, tunc criminale iudicium erit. Male ergo dixerunt, ciuile eſſe, quoties pecuniaria eſt condemnatio. Nec minus egregie labuntur illi, qui volunt, iudiciũ eſſe criminale, quoties de crimine agitur: quia ſi ita eſſet, nuſquam fere ciuiliter ageretur. Crimen ſiquidem verbum latiſſime patet; & præcipue pro accuſatione accipitur, vt apud Ciceronem, item apud Iuriſcõſultos, Imperat. ac Rom. Pontifices, vt *in l.null.* 109. *ff. de regul. iur. l. Caius. ff. ad S.C. Syllan. l.* 3. *C. de calumn. c. item cùm quis. de reſtit. ſpol. cap. ſuper his. de accuſat.* & ibi paſſim. vnde ſuſpectus remotus à tutela, non ſtatim ſit infamis, ſed cùm publico damnatus eſt iudicio. *l. infamem. ff. de publ. iud.* Infamem non ex omni crimine ſententia facit, ſed ex eo, quod iudicij publici cauſam habet, *d. l. infam.* Dicebat quoque Macer Iuriſconſult. *in l.* 1. *eod. de publ. iud.* non omnia crimina eſſe publica. nã quandoq. etiam agitur de crimine ciuiliter, in quo ſcilicet de re familiari, & priuata agitur. *l.* 3. *ff. de crim. Stellion.* Si quis enim mihi rem vendiderit, deinde per calliditatem alij diſtraxerit, tenebitur ſtellionatus crimine; egoq. rem vendicare ciuiliter, hoc eſt, actione pignoratitia potero, *l. ſi quis in princ. ff. de pign. act.* Neq. facit, quod quarto loco comminiſcitur Abbas *ex d. c. per tuas. ex d. cap. ſuper his. & c. tuæ. de procur.* quod his omnibus in locis agatur ciuiliter, parti tamen non applicatur pœna. Ergo, inquit Abbas, Iudicium nec poteſt ciuile eſſe, cùm pœna tendit in partem, nec criminale, cum reſpicit fiſcum. quia in ſæpius citato *c. per tuas*, agitur ciuiliter, vt Pompoſianus Abbas ab adminiſtratione deponatur: pœna tamen neque parti, neque fiſco infertur. Franciſcus Ripa *ad d. rub. de iudic. nu.* 94. ſcribit, Doctores ad interpretationem *d. c. per tuas.* ad ſua vſq. tempora inſudauiſſe, nec aliquid veri attigiſſe. Sed vereor, ne & ipſe intelligat, relatis aliorum opinionibus, dici agi ciuiliter, propterea quòd agitur ad vtilitatem monaſterij, non æque ad vindictam delicti. parum perite. Species *d. c. per tuas.* eſt huiuſmodi: Pompoſianus Abbas à proprijs monachis apud Sedis Apoſt. legatum fuit de ſimoniæ crimine accuſatus. Abbas verò aduerſus teſtes multas obijciebat exceptiones, hoc eſt conſpirationes, inimicitias capitales, furtum, adulterium. Legatus ſummum antiſtitem Innocentium huius nominis tertium conſulit, an hi teſtes admitti deberent, an repelli. Reſcripſit Innocentius admittendos, ſi non odio capitali Abbatem perſequerentur, ſed zelo, vti loquitur, iuſtitiæ mouerentur, & de adulterij crimine, ac furti eſſent emendati. Tales igitur, inquit, contra talem taliter duximus admittendos, non ſecundum iuris rigorem, ſed ſecundum temperantiam æquitatis, cùm ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine, ſed ciuiliter, vt ab adminiſtratione amoueretur, tanquam immeritus, & damnoſus. hæc in textu. Hinc Panormitanus dixit, Iudicium ciuile non eſſe, quoties pœna infertur parti, cùm aduerſus hunc Abbatem ciuiliter actum ſit, & pœna nemini ſit applicata. Verùm, rogo, quæ nam pœna ſit in ſpecie illius reſcripti. Si nulla eſt, nec cuiquam inferri poteſt: quod enim non eſt, nemo habere poteſt. Pœnam cùm dicimus tam in ciuili, quàm criminali iudicio, vel corporalem intelligimus, vt capitis, fuſtigationis, relegationis, & huiuſmodi, vel pecuniariam. at Abbas ille nullam corporis coercitionem paſſus eſt, nec vllum pecuniarium damnum ſenſit. non potuit itaque vel parti, vel fiſco applicari. Ex hoc tamen non eſt recedendum ab illa regula ſuperius propoſita, quod ciuile ſit, cùm quis agit ad ſui commodum; criminale cùm ad publicam vindictam. Iaſon *ad l. cunctos populos. nu.* 48. *C. de ſumm. Trinit. & fid. cath.* Nam etſi *in d. c. per tuas.* actum ſit ciuiliter, crimen tamen erat capitale; & debebat ab ordine deponi. & illa depoſitio eſt tanquam relegatio, & forte maior. & quare ciuiliter actum ſit, dicam mox. verùm quia capitale crimen perinde poteſt, ac ſi ciuile eſſet, plecti, ob id pœnam, quam merebatur Abbas, eum pati minus voluit ſummus Pontifex. iudicium tamen, vt dixi, erat criminale: licet ageretur ad vtilitatem monaſterij. vnde, cùm ille Abbas nullam paſſus ſit pœnam, corporalem ſcilicet, vel pecuniariam, tametſi priuatio adminiſtrationis illi ſimilis ſit: ne opus ſit ab illa regula recedere, quaſi à veritate ipſa, conſtituendum eſt aliud iudicium, quod neque ciuile eſt prorſus, nec criminale, ſed mixtum; vti eſt imperium mixtũ, quod cohæret imperio mero, & iuriſdictioni; quod non merum à Paulo Iuriſconſ. appellatur *in l.* 1. *S. qui mandatã. & l. vlt. ff. de offic. eius, cui.* vt vinum dilutum, mixtũ vinum appellamus. Martial. facere de Rauenn. Caupone:

Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

Eadem plane ratione mixtũ iudicium dicimus, hoc eſt, inter ciuile, & criminale, conſtitutum, qua de re eleganter ſumm. Pontif. *in d. c. tuæ. de procur.* quod non animaduertiſſe Panormitanũ, & alios miror haud parum. vult enim ibi ſummus Antiſtes procuratorem non admitti, quoties iudicium de adulterij crimine ſeculari iudice coram, inſtituitur; non item ſi coram Eccleſiaſtico;

quia

quia etſi de crimine agitur, non eſt tamen accuſatio criminalis, ſed quaſi, inquit, mixta inter ciuilem, & criminalem: quoniam tunc agitur de thori ſeparatione: & pœna neque fiſco, neque parti applicatur, cùm ſit nulla. idem *in d.c. per tuas. & in d.cap. ſuper his.* Maiorem tamen illud habet difficultatem, quare aduerſus illum Abbatem ciuiliter actum ſit, non æque criminaliter, ita vt ab altaris miniſterio deponeretur. Variæ hac in re fuerunt interpretum ſententiæ, vti videre eſt apud Ripam loco iam citato. ſed male, meo iudicio, omnes. Reſpondendum eſt, agi ibidem ciuiliter; quia ſumm. Pontifex mitius agere voluit. Nam cùm agitur de ſimonia, criminale eſt iudicium. & qui ea labe eſt affectus, atque conuictus, debet perpetuò ab altaris miniſterio deponi. *c. ad hoc. de ſimon.* Nec ipſe Rom. Eccleſiæ Princeps facere poteſt, quin hoc delictum ſit criminale; quemadmodum facere non poteſt, quin calidus ſit ignis, calefaciat Sol, vel madefaciat aqua. ac poteſt quidem tollere pœnas iure ſtatutas contra eos, qui ſimoniam committunt, non æque tamen facere, vt non ſit criminale crimen, vtpote iure diuino prorſus inhibitum, & denique naturali. quod duobus in locis doctiſſime ex recentioribus Couarruuias adnotauit *ad cap. peccatum. de reg. iur. in ſex. par. 2. q. 8. nu. 9. & in §. 3. n. 5. primæ part. relect. c. quamuis. de pact. in ſex.* Immo ne Deus quidem ipſe omnipotens: Ariſtotel. *lib. ethic. 6.* Hoc, inquit, ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ ſunt facta. & D. Thomas *1. q. 25. art. 4.* Deus, inquit, omnem corruptionem mentis, & corporis auferre poteſt à muliere corrupta: hoc tamen ab ea remoueri non poterit, quòd non fuerit corrupta; quemadmodum ab aliquo peccatore auferre non poteſt, quod non peccauerit, & quòd charitatem non amiſerit. D. Auguſtin. *contra Fauſtum:* ſi Deus omnipotens eſt, faciat, vt quæ facta ſunt, facta non fuerint: ſcilicet, quæ vera ſunt, ſint falſa, quòd ſi Deus non poteſt, multo minus poterit Papa. quinimo tanta eſt ſimoniæ labes, vt in ea etiam ſeruis aduerſus dominos conſiſtere permiſſum ſit. *l. iudex. ff. de iud.* item meretrix, ac quilibet criminoſi etiam mediatores, & huius ſceleris participes, ſi agatur ciuiliter admittuntur. *c. 1. de teſtib. lib. 6.* ac eo excepto, qui ſimoniam commiſit, quilibet peccator celebrare miſſam poteſt. *c. ſancta. de ſimon.* Quòd autem Abbas ille eſſet conuictus, aperte conſtat in fine c. quia non expectata ſententia, relicto monaſterio, quaſi male de ſe conſcius, diſceſſit. At quæreret aliquis, Quare mitius, quàm res poſtularet, agi voluit Innocentius? Ratio reddi poteſt illa, quia Abbas ille ſimoniam commiſit ignoranter, ignorans, inquam, deteſtabile ſimoniæ crimen. quod colligi poteſt haud male ex verbis ipſius Innocentij; ibi, Ac inſufficientia grauiter infamatus. *tum in fin. cap.* Tamquam immeritus, & damnoſus ab adminiſtratione remoueatur. Atqui ignorantia iuris, dicet aliquis, neminem excuſat. *l. ignorantia. & tot. tit. ff. de iuris & facti. ignor.* Reſpondeo, dari interdum ignorantiæ aliquid. *l. penult. C. qui admit. ad bon. poſſ.* Vtinam tamen eſſet omnibus magis notum huiuſmodi crimen: eius enim ignorantia quantum Eccleſiaſticis hominibus afferat detrimẽti, nemo neſcit.

Conciliatio *can. placuit. 16. q 4.* & *c. 1. de præſcript.* & de eorum inſcriptione, & *c. ſanè. de for. comp.* & de triennali præſcriptione. Cap. XX.

IVSTINIANVS *in Nouell. 3.* ex qua *Auth. quas actiones. C. de ſacroſ. eccl.* deſumitur, Quas, inquit, actiones alias decennalis, aliàs vicennalis, aliàs tricennalis præſcriptio excludit, ea ſi loco religioſo competant, quadraginta annis excludantur. Gratianus *in can. placuit. §. neque. 16. q. 4.* In canonibus Eccleſia aduerſus Eccleſiam triginta annis, monaſterium aduerſus Eccleſiam non niſi quadraginta annis præſcribere permittitur. Alexander III. *in c. de quarta. de præſcript.* Rom. ait, Eccleſia tricennalem præſcriptionem contra Eccleſiam nõ admittit. In concilio tamẽ Carthagin. *can. 121.* ex quo *c. 1. de præſcript.* eſt exhauſtum, non ex Aphricano, vt eſt inſcriptio, decreuerunt illi viri Patres, vt ſi Epiſcopus ad fidem orthodoxam conuertat locum aliquem, ſeu parochiam, quæ hæreticos habeat, & eam triennio detineat, idq. viuo, qui in ea ius habet Epiſcopo, & tacente: de ea ne amplius turbetur. Gloſſa, quam ibi & Abbas ſequitur, recte exiſtimauit triennalem præſcriptionem admitti contra Eccleſiam fauore fidei. Non mihi tamen placet eiuſdem gloſſæ interpretatio ad *d. can. placuit. in prine.* qui locus etiã deſcriptus eſt ex Carthag. Synod. *in ca. 123.* non ex Aphricano, vti ſcribit Gratianus: quo in loco decretum fuit, vt ſi qui contemnunt loca ad ſuam cathedram pertinentia, niſi intra ſpatiũ ſex mẽſium ea reducere curauerint, ei deinceps, qui illa poſſit lucrifacere, aſſignentur. eadem igitur gloſſa dicit ex hoc illum ſuppleri, videlicet, quòd vicini Epiſcopi admonere debent negligentem Epiſcopum, vti plebem ſuam ad Eccleſiæ vnitatem conuertat: & ſi negligens fuerit per ſex menſes à tempore admonitionis computandos, qui potuerit eam poſtea conuertere, habeat eam, computato ipſo triennio poſt illos ſex menſes. & ſic, inquit, habet ſex menſes primò, mox triennium.

nium. quam interpretationem adiuuare nititur Abbas ea potiſſimum ratione;quòd triennio hoc currit à die cõuerſionis,ſeu poſſeſſionis; cũ abſq. poſſeſſione non currat præſcriptio. *c. ſine poſſeſſion. de reg. iur. lib. ſex.* Hinc Innoc. & Hoſtienſ. aſſeuerabant *in d. c. placuit*, tempus cõſtitui, quo decurſo, poteſt populus in hæreſim lapſus acquiri,& lucrifieri; In *c.* 1. poni tempus, quo elapſo, Epiſcopus plebis hæreticæ, veluti triennali præſcriptione excluſus,repetere vlterius non valet. Sed rectius, & meo iudicio elegantius Antiochenus Patriarcha,Theodor. Balſamon, doctiſſimus Græcus interpres dixiſſe videtur *in d.can.* 123. quòd ſex menſium ſufficiat terminus.ita vt *d.can.* 123. non accipi debeat de locis,quo iure dominij ad Eccleſias pertinent,vindicandis: ſed de ijs Epiſcopis, qui negligunt eos docere, qui ſunt, in ſuis diœceſib. vt eorum animas lucrifaciant. quo caſu debẽt ad annuam ſynodum euocari,ſeu à vicinioribus Epiſcopis denunciari, ne ſocordes,negligentesve ſint,ſed ſuum populum rebus fidei,& diuinis præceptis inſtituant. Poſtquam verò denunciatio eſt facta, & interpellati non ſe emendant, ac intra ſex menſes muneri non ſatisfaciunt ſuo;tunc huiuſmodi loca alij vicino Epiſcopo,qui poſſit,& velit eos lucrifacere, ſeu per doctrinam ſibi familiares reddere, aſſignantur.idq. inſcriptio dicti canonis manifeſtat, & eſt huiuſmodi: *de ijs qui populos ad ſe pertinentes negligunt.* Nam ſi vera eſſet gloſſæ,Innocentij,Hoſtienſis,& Panormitani interpretatio, facile eueniret, vt multi parum diligentes alterius diligentia, & cura locupletes fierent.; quod nec ciuilis,nec naturalis admittit ratio,argum. *l. nam quod. ff. de condit. indeb.* ſi enim ad fidem orthodoxam plebem vicini Epiſcopi cura reuerſam negligens Epiſcopus intra triennalem præſcriptionem repetere poſſet, fieret, vt nullus hanc vellet ſubire prouinciam, verens ne forte idem ſibi contingeret quod olim Virgilio, qui ſic ait,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.

Ergo *c.* 1. intelligi debet, quando quis locum in hæreſim elapſum ad catholicam vnionem conuertit,nulla præmiſſa monitione; quo caſu loci illius Epiſcopus intra triennium poterit vindicare: vltra non æque. quod verba ipſa indicant ſatis,ibi, ſi cum per triennium nemine repetẽte, tenuerit. *can. placuit*, quando eſt admonitus, vt plebem doceat,quo nam in errore ſit, & quæ ſit veritatis via, & tamen muneri ſuo nequit ſatisfacere,ita enim *in d.can.* 123. Quare ſi intra terminum ſex menſium à die huius conuentionis nihil effecerint,& deinceps,qui illos poſſit lucrifacere,aſſignentur. quod perinde eſt ac ſi dixiſſet,ſemeſtri elapſo, ſtatim priuatus ſit iure ipſo. Nec à ſententia noſtra diſſentire vtiq. animaduerti virum ſummè doctum Didacum Couarr. *in relect. reg. poſſeſſor malæ fidei. par. 2. §. 11. n. 8. de reg. iur. lib. 6.* Poſt multa enim ita concludit; Sex menſes incipere à die monitionis;triennium verò à die conuerſionis.Si autem Epiſcopus ille, qui negligens videtur, ſe excuſauerit, dicens ſe nec temere, nec negligenter, ſed ratione potius aliqua, ac prudenti conſilio id feciſſe, videlicet, quòd hæretici,qui in ijs locis ſunt,velint abſque reprehenſione vlla ad vnitatem conuerti, & æquum cenſeant,vt veritatis rationem tacite ſuſcipiant, & ea nimirum cauſa docere negligit, quia ſi doctrina, & reprehenſione vteretur,facile Hæreticos ipſos ad improbitatem incitaret, cùm huiuſmodi ſint,vt reprehendi ægre ferant: eo cognito,& iudicibus coram probato, ad eundem Epiſcopum locus iam alij aſſignatus reſtituitur.Verùm quia dubitari haud facile poterat, qui nam iudices hac de re eſſe poſſent,eadem ſynodus Carth. *in d.can.* 123. ita ſtatuit. Cùm iudicantes Epiſcopi ſint ex diuerſis prouincijs, Primas ille,iudices dabit, in cuius regione idem eſt locus,de quo contenditur. ex quo loco *c. ſanè. de for. comp.* deſumptum eſſe negare poteſt nemo, non ex Aphricano, vt eſt eius inſcriptio, cùm eadem verba ſynodi in ipſo *cap. relata ſint.* Vnus eſt locus, qui nobis videtur aduerſari, videlicet *can.* 58. Apoſtolicus; in quo ita: *Epiſcopus,vel presbyter, qui cleri, vel populi curam non gerit,& eos pietatem non docet,ſegregetur: & ſi in ſocordia perſeueret, deponatur.* Balſamon *in d. can.* 123. dicit ſeruandum eſſe Apoſtolorum canonem: iniquum eſt enim propter Epiſcopi negligentiam,Epiſcopatum ad ſe pertinente parochia, regioneve priuari; licet poſſet reſpondere ſtandum eſſe canoni vltimo, non item Apoſtolico, quaſi derogatus ſit: quod etiam vere dici poteſt;cùm hodie Eccleſia non eo, quo Apoſtolorum tempore, rigore vtatur. Siquidem prælatus,etſi non poteſt Eccleſiæ conditionem facere deteriorem in faciendo, poteſt tamen in omittendo,vti vult Ioan. And. *in reg. delictum. de reg. iur. lib. ſex.* Abbas *in c. 1. nu. 9. de in integr. reſtitutio.* & latius *in c. 1. de dol. & contum. & tot. tit. de præſcript.* in quo videmus ob prælatorum negligentiam res Eccleſiæ præſcribi. nihilominus Eccleſia poteſt aduerſus Prælatum, ſeu eius hæredes agere ad damni interſtictionem,prout gloſſa aſſeuerat *in d. c. placuit. 1. q. 1.* Abbas *in c. 2. de præſcript. & in d. c. 1. de dol. & contum.* Card. *in clem. 2. in princ. de relig. domib.* Argumento eſt etiam *l. ſi quid. C. arbitr. tutel.* Sed verius eſt dicere, diuersam eſſe causam Apoſtolici ſpeciem à noſtra. iſte enim canon generaliter loquitur de Epiſcopo, qui populi curam negligit omnino; ideoq. ſegregari debet. At *can. placuit.* de aliqua diœceſis parte in hæreſim lapſa.

FINIS PRIMI LIBRI.

ANIMADVERSIONVM TAM EX IVRE PONTIFICIO, QVAM CAESAREO.

LIBER SECVNDVS.

Constitutiones, quæ ex Concilijs desumuntur, quare quandoque sub nomine Romani Pontificis, quandoque sub nomine ipsius Concilij edantur: & quare solus vrbis Episcopus Papa dicatur. & quid sit synodus Martini Papæ apud Gratianum. & vnde Papæ nomen habuerit originem. Cap. I.

QVIA Raymundus, & alij, qui ante eum Decretalium collectiones composuerunt, ex varijs summorum Antistitum Romanorum Constitutionibus, sanctorumq. Patrum sententijs, & multis Cócilijs tam Prouincialibus, quàm generalibus librum Decretalium Gregorij IX. concinnarunt; quoniamque constitutiones ipsæ, quæ ex ipsis Concilijs in corpus canonum rediguntur, quandoque sub nomine Romani Pontificis, vt *in cap. licet. de elect. cap. aduersus. de immun. Eccles.* (vt his duobus contentus sim) quandoque sub nomine ipsius Concilij, vnde hausta est constitutio, eduntur: solent interpretes passim, vt *in c. 1. de pact. & cap. 1. de spons. & matrim.* quærere, vnde hæc diuersitatis ratio proueniat; etsi non nescij sunt, quanta est, & semper fuerit Roman. Pontificum auctoritas, ac potestas, cùm absque eorum auctoritate nullum possit conuocari, aut celebrari Concilium; quòd si secus fit, non concilium, sed conuenticulum, vti Pelagius Papa ait; dicendum erit. *cap. multis. & per totum. 17. distinct.* Immo Apostolicam Sedem sine vlla synodo præcedente, & soluendi, quos synodus inique damnat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportet, habere facultatem, ac fas habere de omnibus iudicandi; Neque cuiq. de eius licere iudicare iudicio. *cap. cuncta. 9. quæst. 3.* cùm Deus Opt. Max. suo eam reseruauerit arbitrio. *c. nemo. c. aliorum. 9. q. 3.* Quinimmo Concilia omnia ab ipsius sedis Apostolicæ auctoritate vim, auctoritatemq. accipere. *cap. significasti. in fin. de elect.* Panormitanus Archiepiscopus, quem cæteri, tanquam iuris Pontificij coryphæum gregatim sequuntur, dicit, Materiam, qua de agitur in Concilio, aut habere à toto Concilio originem, aut à solo Papa cum consilio Concilij. Hoc casu sub nomine Pontificis edi legem, *d. cap. licet. & d. cap. aduersus.* illo habere locum *d. cap. Osius. & d. c. 1.* & ijs similia. Ego verò aliam esse sententiam & Raymundi, & aliorum suspicor; illam videlicet, quòd vbicunq. constitutio inscribitur sub nomine Romani Pontificis: tunc delumpta sit ex generali Concilio, argumento sunt *d. cap. licet. & d. cap. aduersus.* Cap. *licet*, est ex Concilio Lateranensi; cap. *aduersus*, ex Concilio Lateranensi generali. illud sub Alexandro huius nominis tertio, anno Domini 1178. astantibus 274. Episcopis: aliud postea celebratũ eodem loco anno salutis 1215. sub Innocentio III. cui interfuit Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus Patriarcha, Metropolitani 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuales 800. Græci, & Romani Imperatoris legati, Regum Hierusalem, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Verum, quoniam solet in generalibus Concilijs maximus ipse Rom. Ecclesiæ Princeps interesse, vel eius legati, qui à latere dicuntur: nihil mirum est, si constitutio ex ipsis descripta sub nomine Pontificis conscribatur. Vbi verò constitutio sub Concilij nomine fit: tunc Concilium est Prouinciale. argumento item sunt *d. cap. Osius. & d. cap. 1.* hoc ex synodo Aphricana, illud ex Sardicensi. & *cap. 1. de spons. & matrimon.* ex Triburiensi. Prouincialia autem Concilia non vtique fiunt Rom. Antistitis iussu: immo Archiepiscopis, atque Primatibus id iure magistratus competit: vt *distinct. 18. per tot. cap. sicut olim. de accusat.* tametsi ab ipso Pontifice Maximo, vim legis, virtutemq. accipiunt. *d. cap. significasti. & 16. distinct.* Atqui dubitationem facit *cap. 2. de iud.* cuius inscriptio huiusmodi est: Ex

synodo Eugenij Papæ. Super quam vnum scire oportet, quòd etsi Concilia Prouincialia iussu ipsius Rom. Principis regulariter æque fiant, cùm iure ipso, ac auctoritate propria à Primatibus possint conuocari, ac celebrari: interdum tamen extra tempus constitutum possunt conuocari, & celebrari iubente Pontifice; quo casu solet Papa vel per se, vel per legatos interesse. *can.regula.§.porro. 4. distinct.* & eo maxime, si in prouincia, in qua fit concilium, exorta sit controuersia talis, quæ non aliter, atque Apostolicis interpretationibus, atque nouis decretis dirimi possit. Hanc igitur synodum Eugenij Papæ ausim dicere Cabilionense Concilium esse, in Gallijs celebratum; quod est Prouinciale, & conuocatum ipsius Eugenij huius nominis primi auctoritate, anno Domini circiter 650. & non Reminense; vt nonnulli perperam adnotarunt. hoc etenim sub Leone tertio, anno Domini 813. non Eugenij primi. idem dici potest de inscriptione *cap.1.de offic.ordin.* quæ est, ex synodo Ioannis Papæ. Regulariter igitur constitutio, quæ ex Concilijs describitur, & in corpus canonum refertur, à Pontifice nomen habet, si Concilium est generale; si Prouinciale, Concilij retinet nomen. quanquam Gratianus exactissima hac diligentia in sui operis compilatione nequaquam vsus sit: sed constitutio perpetuo sub nomine Concilij, ex quo effluxit, retinet nomen. Nec aduersatur *c.Episcopi* (vt alios prætermittam.) 8.*q.*5. cuius inscriptio est, *Ex synodo Martini Papæ*; siquidem Martinus ille non fuit Rom. Pontifex, sed tantum Episcopus Bracarentis. Olim enim non Episcopos solum, sed & presbyteros, qui vitæ sanctitate, moribus, atque doctrina cæteris præstabant, honoris causa Papas vocari solitos fuisse ex antiquis scriptoribus constat. quod Glossa *in c.si Papa.40.dist.* notauit eleganter. Namque D.Hieronymus in Epistolis Augustinum Episcopum Hiponensem, subinde Papam nominat; Athanasium quoque, Epiphanium, Euagrium, Alipium, Chromatium, Theophilum, Papas appellat. Apud Gratianum quoque Cyprianus tape Papa nuncupatur. *cap.absit.*50. *dist.inct. cap.quanto autem. de consecrat.* 1.*dist.inct.cap.*2. *de consecr.*2. *dist.* Dioscorus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha etiam in iure Pontificio Papa dictus est. *cap.sane profertur.*24. *quæst.*2. quo sensu & Græci Papam dixerunt. namque Balsamon Iurisperitus, & Nomocanonum, multorumque Græcorum Conciliorum singularis interpres, passim Episcopos Papas vocat, vel in *c.*1. Ephesina synodus Cyrillum Papam Alexandrinum nominat. Ideo si Rom. Pontificem dicere volebant, Papam vrbis Romæ appellabant: non item simpliciter, auctore Cassiodoro *lib. Variarum* 10. *Epist.*19. Sunt & alia exempla, quæ in hanc rem adduci possent. Fuit tamen receptum tandem, vt vni hoc vocabulum attribueretur Romano Pontifici, tanquam summo Patrum. namque alij Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, non in plenitudinem potestatis, sed in partem solicitudinis sunt vocati. *c. ad honorem. de vsu pallij.* quare speciale ei aliquid conceditur; argumento *cap.licet. de election.* ita vt solus Papa dicatur, quasi omnium credentium pater. siquidem πάππας Græcum vocabulum à veteribus vsurpatum, patrem significat, vt Suidas est auctor. Hinc Arrianus in Bithyniacis tradit, Iouem à Bithynijs πάππαν vocari consueuisse. Dicebantur & olim omnes Episcopi Pontifices. *cap.*1.§. *vnde de sacr.vnct. cap. Messana. de elect. cap.clericum cuiuslibet.*11.*quæst.*1. Hodie autem hoc soli vrbis Episcopo attribuitur. immo aditur & epitheton, Summus, vel Maximus, ob maiorem imperij vim. Erant & apud Ethnicos Romanos maximi, & minores Pontifices, auctore Firmiano *lib.*5.*cap.*20. immo apud Hebræos erant & minores sacerdotes, & vnus summus sacerdos, & Christus ipse in nouo testamento maiores, & minores sacerdotes instituit, duodecim scilicet Apostolos, & 72. Discipulos, de quibus eleganter Innocen.III. mysteriorum missæ *lib.*1. *cap.*6. Quilibet etiam Episcopus, summus sacerdos dici poterat. *d. cap.* 1. §. *per frontis. ac sacr. vnct.* Demum in Concilio Carthaginensi tertio *cap.*26. vetitum fuit, ne quis Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos appellaretur, sed solus primæ sedis Episcopus. *c. primæ sedis.*99. *dist.inct.* Ex quibus licet intelligere, Martinum illum apud Gratianum, potuisse non esse Pontificem, sed Episcopum. Dicitur autem synodus Martini Papæ liber ille, quem Martinus Bracarensis Episcopus ex diuersis, varijsq. Græcorum synodis singulari cura, ac diligentia excerpsit, atque collegit. Sed hic quæri etiam satis opportune posset, vnde factum sit, vt & ipse Rom. Pontifex, & alij omnes Episcopi, Papæ dicerentur. Mihi mirum in modum placet Caroli Paschalis hominis diligentissimi, & antiquitatis peritissimi, coniectura: vt quemadmodum Imperatores olim Patres patriæ vocabantur, his notis PP. vti passim videas ex antiquorum monumentis: sic Episcopi ob singularem reuerentiam, ac venerationem, quam in primitiua Ecclesia eis adhibebant omnes, Patres patriæ appellarentur. & cùm id Notis inscriberetur, scilicet PP. sequentes viri existimarint dictas notas, PP. Papam significare, à verbo Græco, vti diximus. Nam & Cathod. *lib.*11.*Epist.*2. Ioanni Papæ: Vos enim speculatores Christiano populo præfidetis; Vos patris nomine vniuersa diligitis. & *Epist.*3.*eiusdem libri* vniuersis

Episco-

Epiſcopis; Vos ſpirituales parentes, qui auctorem rerum illuminata mente conſpicietis. & D. Auguſtinus *in comm. ad Pſalm.* 44. Patres miſſi ſunt Apoſtoli: pro Apoſtolis nati ſunt filij, & conſtituti Epiſcopi: hos ipſa Eccleſia Patres appellat, hos ipſa genuit, & ipſa hos conſtituit in ſedibus Patrum.

Reſtituta negatio in *c. cùm ſocietas. 27. q. 2.* & de matrimonio, quod ante corporis commixtionem imperfectum eſt. Cap. II.

LEO maximus ille Pontifex *in Epiſt. 90. ad Ruſticum. c. 4.* ſcribit ſocietatem nuptiarum ita à principio eſſe inſtituram, vt præter commixtionem ſexuum non habeant in ſe nuptiæ coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ ſacramentum. Ex quo loco *can. cum ſocietas. 27. q. 2.* deſcriptus eſt. Contius negationem perperam adiectam eſſe dixit, ac proinde remouendam. In quo miror ingenium viri alioquin doctiſſimi. ſublata ſiquidem negatione, ſummouetur & canonis ſenſus; ita quod aduerſaretur penitus *c. debitum. de aigam. non ord.* & innumeris alijs ſanctorum Patrum decretis, immo rationi ipſi, cui plus iuris tribuo hac in re, quàm vlli priuatæ ſcripturæ. Duo etenim in coniugio requiruntur, conſenſus videlicet animorũ, & commixtio corporum. quare D. Ambroſ. *in c. ſi quis deſponſata*, Siquis, inquit, deſponſata, & tradita vtatur, rite coniugium appellatur. Hieronym. *in c. quapropter.* Quæ ſponſali coniunctione initiatur, & commixtione perficitur. idem Ambroſ. *in c. in omni.* In omni matrimonio coniunctio intelligitur ſpiritualis, quam confirmat, & perficit coniunctorum commixtio corporum. Idem videtur dixiſſe Iuſtinian. *in tit. de nupt. S. ſi vxor.* Nam conſtat, inquit, nec ſponſam filij nurum eſſe, nec patris ſponſam nouercam eſſe. idem etiam Iuriſc. *in l. ſi qua mihi. ff. de rit. nupt.* Idcirco is, qui cum virgine, quæ alteri fuit deſponſata, non tamen cognita, contrahit, nec dicitur Digamus, nec poteſt à ſacerdotio repelli. Item non ſequuto concubitu, alter eorum religionem ingredi poteſt. *cap. ex publico. de conuerſ. coniug.* quod alias non poſſet, niſi vterq. conſentiret, & vterq. vellet coniugia diſſolui per religionis ingreſſum. *c. ſunt qui. ead. 27. q. 2.* Conſtat denique ſatis diuortium fieri poſſe, quando coniugalis complexus non eſt ſequutus. *titul. de frig. & maleſic.* & tit. *de diuort.* Non inficior tamen, ante coniunctionem perfectum eſſe matrimonium quo ad vinculum, ſanctumq. ex ſanctitate Sacramenti, vt fuit inter B. Deiparam, & Ioſephum. *c. beata. c. coniunx. c. omne. ead. q. 2.* immo tanto ſanctius, quanto à carnali commixtione alienius, ex D. Auguſtini ſententia, ad meditiam, cuius verba ad id refert Magiſter ſententiarum 4. *diſtinct. 26.* Imperfectum tamen eſt, quo ad ſignificationem, vt idem Magiſter in citato adnotauit loco. Ante conſummationem enim denotat charitatem duntaxat illam, quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum, & animam iuſtam. poſt coniunctionem pertinet ad illud deſignatum coniugium, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per incarnationis myſterium, eſt initum. *d. cap. debitum.* Cui optime conuenit Apoſtoli *ad Epheſ. 5.* expoſitio eius, quod dixerat Protoplaſtus: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* & ſubiungit, *Hoc magnum ſacramentum eſt.* Summota igitur negatione *in d. c. cùm ſocietas.* præter ſexuum commixtionem (ideſt ſine ea; nam, præter, hic ſignificat, vt opinor, ſine, vti apud Saluſtium alicubi) haberent in ſe nuptiæ coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ ſacramentum. quod Innocentius III. in ſua conſtitutione *d. cap. debitum*, negat expreſſe. immo ipſa Apoſtoli interpretatio, & verba, *in eod. c. cùm ſocietas.* ſequentia, oſtendunt palam; quare miror illa non animaduertiſſe Contium. quæ quidem hæc ſunt: Non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe nuptiale miniſterium. Nuptiale autem miniſterium interpretor, corporis commixtionem. *c. non eſt. ead. 27. q. 2.* Idem ſancitum eſt in Concilio Colonienſi *tit. de matrim. c. verùm. c. ſed dies.* & Gratianus *in c. vlt. 28. q. 1.* Magiſter 4. *ſententiarum diſtinct. 39.* Nec ipſe Nicolaus Papa *in c. ſufficiat. ead. 27. q. 2.* nec Vlpianus *in l. cùm fuerit. ff. de condit. & demonſtrat. & in l. nuptias. ff. de regul. iur.* aliter intelligunt; dum nuptias non coitum, ſed conſenſum facere aſſeuerant: ſed quòd coitus per ſe ſufficiens non eſt ad matrimonij contractum: quia licet ſequatur carnalis commixtio, ſi non adeſt conſenſus, & quidem vtriq, non eſt matrimonium, ſed ſtuprum potius, adulterium, ſeu fornicatio. *cap. aliter. 30. quæſt. 5.*

Quando quis ad factum cogi poſsit. Cap. III.

FVIT iam olim per manus traditum, & hodie abſque vlla prope controuerſia receptum, ne quis præciſe cogeretur ad factũ: quinimo exoſum, & inciuile ſemper viſum eſt legum latoribus, quòd quis vi ad factum compelleretur. Quare voluerunt in

obligatione facti ſuccedere id quod intereſt. *l. Stipulationes non diuiduntur. §. Celſus. ff. de verb. obligat.* vt vis omnis, & impreſſio ſummoueretur. Verumtamen videmus Triburienſem ſynodum, cuius conſtitutio relata eſt *in cap. 1. de ſponſ. & matrim.* cogere maritum, qui relicta vxore, aliam ſuperinduxit, ad priorem redire. Abbas, quem vno ore ſequuntur cæteri, dicit, quem ad factum præciſe cogi poſſe, cùm obligatio deſcendit ex Diuina, & humana lege, ex Bartoli ſententia *in d. l. Stipulationes. num. 36.* matrimonium autem eſt huiuſmodi. non mirum igitur, ſi cogitur. quæ ſententia mihi non eſt viſa recta. Siquidem is dicitur obligatus ad factum, qui ſpopondit interroganti ſe domum, exempli cauſa, vel inſulam ædificaturum: qui ſi non ædificauerit intra tempus ſibi ad ædificandum præſcriptum, tenetur ad id, quod intereſt domum, vel inſulam ædificatam eſſe, vt *in l. ſi ita ſtipulatus ſim. & l. exiſtimo. §. vlt. ff. de verb. obligat. l. eum, qui. ff. de iud.* noluerunt tamen iuris auctores, vt ad ædificandum cogeretur; ſed ſi non ædificaret, recta prætor eum ad id, quod intereſt edificatum eſſe, condemnaret. Itaque cùm inciuile ſit, vt quis per vim ad faciendum impellatur; ne homines deluderentur, quo facilius nihil, cùm cogi non vtique poſſent, aliud adhibendum eſſe remedium, hoc eſt, id, quod intereſt, excogitauerunt. quamobrem Venuleius *in l. vlt. ff. de præt. ſtipul.* conſilium nobis præbet, quotieſcunque nobis aliquid fieri ſtipulamur, longe commodius eſſe, Si certam ſummam comprehendamus; videlicet, ſi factum non fuerit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare ſpondes? cùm plerunque difficilis ſit probatio, quanti cuiuſque interſit. quod & Iuſtinianus ipſe *in §. vlt. de ver. oblig.* approbauit. Vbicunque verò ceſſat remedium eius quod intereſt, tunc quiſque ad faciendum quod de iure facere oportet, iure compellitur. Nam cùm matrimonij vinculum perpetuum, indiſſolubileq. ſit, ſi id alter coniugum diſſoluere voluerit, debet compelli ad obſeruandum, quod ſemel promiſit; cùm id quod intereſt non poſſit in illam obligationem ſuccedere, tum quia tantus eſt mulieris honor, ac pudor, vt nullum omnino intereſſe poſſit pro illo ſatisfacere. Pari ratione peccatorem notorium per cenſuram Eccleſiaſticam ad agendum pœnitentiam cogi poſſe ſanxerunt omnes. *c. vlt. 22. q. 1. c. quicunque. 33. q. 2. cap. ad audientiam. de ſponſal. & matrim.* Quotieſcunque ergo ceſſat remedium eius quod intereſt, quis poteſt cogi ad factum. Idcirco mihi recta videtur Abbatis ſententia *ad cap. litteras. in fin. de reſtitut. ſpoliat.* exiſtimantis iudicem Eccleſiaſticum poſſe implorare officium iudicis ſecularis, ſi aliter fieri non poteſt, vt mulier ad virum redeat, & per vim compellatur. facile ſiquidem eueniret, vt mulier, itemque vir excommunicationis ſententiam mallent incurrere, quàm in vnum redire, & illam perpetuam coniunctionem ferre.

Interpretatio noua *l. ſi vxor. §. Diuus. & §. ſi minor. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Et an adulterium cum vxore de futuro committi poſsit; Et quænam ſint adulterij pœnæ tam iure Cæſareo, quàm Pontificio. Cap. IV.

PROPRIOR, & frequentior tam apud Iuriſconſultos, quàm Pontifices eſt prima ſponſaliorum, atq. ſponſarum ſignificatio, quas proprie ſponſas dicimus, quas de futuro appellamus. Hinc quæri ab vtriuſque iuris interpretibus ſolitum fuit, num adulterium committi poſſit cum alterius ſponſa de futuro. Et videtur non poſſe, cùm adulterium in nuptam committi dicatur; ſtuprum in virginem, aut viduam. *l. inter ſtuprum. ff. de regul. iur. l. ſtuprum. & l. inter liberos. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Quòd ſi adulterium in nupta duntaxat perpetrari dicitur, videtur adulterij in ſponſam crimen cadere minus poſſe, cum ſponſa nondum nupta ſit. Dubitationem tamen facit haud minimam *§. Diuus. l. ſi vxor. ff. de adult.* quo loco apparet eandem factam eſſe poteſtatem ſponſo vindicandi coitum ſponſæ, quàm marito. Quapropter hac lunt paulo altius repetenda. Patri & marito adulterij accuſatio ita competit, vt cæteris præterantur. *l. 2. §. vlt. l. is cuius. §. penult. l. ſi maritus is. ff. cod. ad leg. Iul. de adult. c. p. maritis. de adulter. & ſtupr.* Poſt patrem, & maritum admittuntur extranei *l. 4. ff. cod.* Iure verò mariti vxorem accuſare nemini præter maritum licet. quamobrem ab Vlpiano reſponſum eſt, concubinam iure mariti a viro accuſari non poſſe; iure extranei poſſe. *d. l. ſi vxor. in princ.* Atqui dubium facit reſcriptum D. Seueri, & Antonini, an idem iuris ſit de ſponſo, quod de marito. quia nec matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonij violare permittitur. *d. §. Diuus. & l. propter. C. ad leg. Iul. de adulter.* gloſſ. *in c. ſi verò. 1. de ſent. excomm.* Bart. *in d. §. Diuus.* & Felin. *in cap. 1. de ſponſ. & matr.* ac alij omnes de ſponſa de præſenti *d. §. Diuus*, intelligendum arbitrantur; quamuis Couarruuias *in cap. 1. num. 6. primæ partis Epit. libr. quarti decretalium*, conetur Bartolum defendere, quòd non dicat *§. Diuus*, non loqui de ſponſa de præſenti, ſed de futuro. verba tamen Bartoli ita expreſſa ſunt,

ſunt, vt non liceat cauillari. Hæc enim ipſa ſunt Bartoli verba: *Certe ſpes matrimonij dicitur quando ſponſalia ſunt contracta de præſenti.* Male igitur Bartolus, & alij dixere, *d. §. Diuus.* eſſe accipiendum de ſponſa de præſenti. quoniam ſi de ſponſa de præſenti intelligeret Vlpianus, non vtique dixiſſet, nec matrimonium qualecumque, nec ſpem matrimonij violare permittitur. etenim ſponſalia de præſenti, quo ad vinculum, *vt ſupra in cap. 2.* diximus, perfecta ſunt: & cùm ſint perfecta, non habent ſpem matrimonij, cùm ſint ipſum matrimonium. Dicimur enim ſpem alicuius rei habere, quam non habemus, ſed habere ſperamus. Sic ſponſalia verbis in præſens tempus conceptis, contracta iam habemus, hoc eſt contractum eſt matrimonium; non ergo futurum ſperatur; iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?* Secus verò de futuro, quæ diſſolui poſſunt. *l. 1. C. de ſponſ. cap. 2. de cap. requiſiuit. & paſſim, de ſponſ. & matrim.* idque ex definitione conſtat. definita autem ſunt tum à Florentino iuriſcon. *in l. 1. ff. de ſponſ.* tum à Nicolao Papa *in ea noſtrates 30. quæſt. 5.* quòd ſint mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum. Neque obſtat *l. miles. §. quærebatur. eod. ad leg. Iul. de adult.* quòd is, cui aliqua fuit deſponſata, ſi alteri nuptæ, iure mariti non poſſit eam accuſare. Reſpondendum eſt; Cùm ſponſalia diſſolui poſſint, ſi alij nuptæ ſint, quæ illi iam fuerant deſponſatæ: neque ſtuprum, neque adulterium perpetratum eſſe dici poſſe. Rem nouam, inquit ibi Papinianus, inſtituere huiuſmodi accuſatorem exiſtimo. irridet itaque. Hæc autem admiſſa interpretatione, vt §. *Diuus.* ſit de ſponſa de futuro: primum gloſſ. *in c. quem admodum. in verb. ſponſal. de iureiuran.* item Panormitanus *in cap. diſcretionem. num. quæro, qui cogn. conſang. vx. ſua.* vbi etiam Præpoſitus, conantur probare, adulterium committi cum ſponſa de futuro. ſequitur Oldradus, & Albericus *in d. §. quærebatur.* pro quorum opinione facere videtur §. *ſi minor. d. l. ſi vxor.* vbi quis iure ſponſi, adulterium cum propria ſponſa commiſſum poteſt accuſare; quamuis non iure mariti. Ego autem conſtanter defendam committi nequaquam poſſe. idq. imprimis indicat ipſius adulterij definitio. Eſt enim adulterium coitus realis, vel mentalis, per quem alterius thorus violatur. *cap. lex. §. cum ergo. 36. quæſt. 1. d. l. inter liberas.* §. 1. & D. Thomas. 2. 2. *quæſt. 154. art. 8.* item Pompeius Feſtus, Lactantius, Accurſius *in rub. C. de adulter.* quem cæteri ſequuntur. Dixi, realis, & mentalis: quia perinde adulterat qui imaginem voluptatis ſibi animo dipingit, quàm qui corpore delictum committit. Ideo Lactantius *lib. 6. cap. 23.* Non tantum, inquit, adulterium eſt vitandum, verum etiam cogitatio, ne quis aſpiciat alienam, & animo concupiſcat: adulteram enim fieri mentem, ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit. Mens enim eſt profectò, quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur. In hac crimen eſt, in hac omne delictum. nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt, vbi conſcientiam cupiditas inquinauit. Et in Deuter. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* At coitus cum ſponſa ſine realis, ſine mentalis non violat alterius thorum. Ius enim non eſt ſponſo ante conſenſum ab vtroque prouenientem, & ſolennitates ab Eccleſia traditas ad ſponſam accedendi. non dicitur ergo cum alterius ſponſa committi adulterium. Adulterum quoque definit Tryphoninus *in l. fugitiuus. ff. de verbor. ſignific.* qui alienam matremfamil. corrumpit; ſed materfamilias non dicitur, niſi in viri manum conuenerit, vti ſcribit M. Tullius *in Topicis*, vbi late Boetius, & Gellius *lib. 18. cap. 6.* At ſponſa in viri manum nondum conuenit, neque materfamilias dici poteſt. Tertio loco eſt *d. l. inter*, quæ cum nupta tantum committi adulterium dixit. non igitur cum ſponſa, quapropter ab Vlpiano *in d. l. ſi vxorem.* reſponſum eſt, maritum non poſſe vxorem iure mariti accuſare de adulterio commiſſo antequam ei nupſiſſet, quia eius thorum non violauit. idem ſenſit gloſſ. *in c. quidam. 27. quæſt. 2. & in c. diſcretionem, iam cit.* vbi etiam Card. Neque facit, quòd quis obijcere poſſet ex *d. §. Diuus.* quem diximus de ſponſa de futuro fore intelligendum. quia licet ex Imperatorum reſcripto ius ſit ſponſo coitum alterius cum ſponſa vindicandi, non ſequitur tamen, vt coitus ſit adulterinus; ſed dum vindicat hanc fornicationem, non eo vindicat, quòd ſit adulterium, ſed ratione atrocis iniuriæ ſibi illatæ, argumento *l. item apud Labeonem. §. ſponſum. ff. de iniur.* etenim ſpectat ad contumeliam ſponſi iniuria quæcunq. ſponſæ eius fiat. Quare putauit Vlpianus *in d. §. ſponſum.* ſponſum quoque ad iniuriarum actionem eſſe admittendum. Iure itaque ſponſi, non iure adulterij, ſponſus coitum alterius cum ſponſa accuſare poterit. Reſtat adhuc tamen dubitatio *d. §. ſi minor.* quæ valde viſa eſt vrgere. Didacus Couarr. *loco ditto*, reſpondet, cum intelligi oportere de ſponſa deducta; quæ licet minor eſſet, nubilis tamen erat, malitia ſuppléntе ætatem. Idem videtur dicere Cuiacius *lib. obſer. 6. cap. 16.* Mihi non placet. Conſtat ſiquidem tam iure ciuili, quàm noſtro, minorem duodecim annis nuptam, tunc legitimâ vxorem fore, cùm apud virum expleuerit duodec. annos.

l. minorem. ff. de rit. nupt. l. quæſitum. ff. de ſponſ. l. quod pupilla. ff. quand. dies leg. ced. cap. vlt. de deſponſ. impub. itaq. qui per verba præſentis temporis ſignificationem habentia cum impubere contrahit, eum non matrimonium, ſed ſponſalia, inquit ibi ſummus Pontifex, videri contraxiſſe. Quinimmo ex verbis ipſius §. videtur non fuiſſe nubilis ætatis. Si minor, inquit, duodecim annis in domum deducta, adulterium commiſerit, mox apud eum ætatem exceſſerit, coeperitq. eſſe vxor, non poterit iure mariti apcutari ex eo quod ante ætatem nupta commiſit: ſed quaſi ſponſa poterit, ex reſcripto D. Seueri, quod ſupra relatum eſt: videlicet in *d. §. Diuus*. Hæc autem verba; *Apud eum ætatem exceſſerit, superitque eſſe vxor*, nobis ſignificant vxorem nondum fuiſſe, nec nubilem fuiſſe. Non puto igitur dici ex illa in domum deductione perfectum fuiſſe matrimonium, vel ſaltem ex tacito contrahentium conſenſu, cùm repudium fieri inter eos poſſit. Arbitror itaque, *§. ſi minor*, ſic fore intelligendum; vt, cùm Vlpianus dicit virum poſſe ſponſum non iure mariti, ex eo adulterio accuſare, ſed quaſi ſponſam, improprie loquatur; ſicuti cùm lex Iulia ſtupro, & adulterio promiſcue vtitur, vt auctor eſt Papinianus *in d. l. inter liberas.* & Modeſtinus *in d. l. inter ſtuprum.* ita Vlpianus interpretans legem Iuliam (hic enim §. *ex lib.* 2. Vlpiani de adulteriis deſcriptus eſt) pro ſtupro, dixit adulterium. ita videtur etiam dicere *in d. §. ſi quis vxorem.* & *in §. militem. d. l. miles.* nec eſt mirum, cùm apud maximos Latinæ linguæ auctores, ſtuprum pro adulterio, & contra vſurpatum ſit, vt apud Suetonium *in Caligula cap.* 12. Enniam, inquit, Neniam Macronis vxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, ſolicitauit ad ſtuprum, pollicitus & matrimonium ſuum, ſi potitus imperio fuiſſet. Cicero *de finibus.* Qui tot, inquit, ingenuas matresfamil. ſtuprauit. & apud Plautum, & Terentium ſæpiſſime, maxime *in Amphytr.* vbi Alcumena ait,

Durare, nequeo in ædibus. Ita me probri,
Stupri, dedecoris à viro arguam meo.

Pontifices quoque fornicatione, pro adulterio vtuntur. *cap. quemadmodum. de iureiurand. c.* 3. *de adulter.* Scio quoſdam non ita delicati palati, & imbecillis ſtomachi eſſe, vt ijs opus ſit hoc ciborum condimento, cum omnia nullo fere delectu verborum deuorent; velim tamen etiam ijs ſatisfacere. Quare dico neceſſariam eſſe hanc adulterij, & ſtupri differentiam. Horum enim criminum variæ, & inter ſe diuerſæ pœnæ ſunt conſtitutæ. Adulterium punxit ait Iuſtinianus gladio. *§. item lex. de publ. iudic.* Conſtantinus etiam iubet ſacrilegos nuptiarum gladio feriri. *l. quamuis. C. de adult.* Mulier pro adulterio non plectitur pœna gladij per nouam Iuſtiniani conſtitutionem, ſed verberata in monaſterium detruditur. *Nouellæ 34. cap. nulli non. §. ſi quando.* Virginum ſtuprators, ſeu viduarum, ſi honeſti viri ſint, dimidia parte bonorum multantur: ſi humiles, ex lege Iulia coercione corporali, vt fuſtium, flagellorum, plumbatarum verberibus, relegationeq. affliguntur. *d. §. item lex.* Extraordinem tamen ſolent omnes extremo ſupplicio affici. *l. 1. in fine. ff. de extraord. crimin.* Hodie, lege Pontificia, qui virginis florem delibat, vel ipſe eam in vxorem accipere, vel dotem, qua alij poſſit nubere, præſtare compellitur. *cap. 1. de adult.* Si renuit ſtuprator, corporali pœna plectitur; & excommunicatus in monaſterio includitur. *cap. 2. eod. de adulter.*

Conciliatio *cap. 2. & cap. requiſiuit.* cum *cap. ex litteris. Siluan. de ſponſ. & matrim.* Nullam eſſe differentiam inter iuramentum, & ſimplicem promiſionem quo ad matrimonij contractum. Cap. V.

CVm Matrimonia ſolo contrahentium conſenſu æſtimentur, vt in *cap.* 2. diximus; & libera eſſe debeant, vt *cap. cùm locum. & cap. requiſiuit, de ſponſ. Innuit.* ij, qui hoc matrimonij fœdus iubere promiſerunt, non cogendi, ſed benigne, ac perhumaniter ſunt commonendi, adeoq. obiurgandi, vt à fide data non recedant; ne ille rerum, cordisq. ſcrutator vlciſcendi cauſa ſupplicium in eos de peccato ſumat. Si tamen ita obſtinati animi fuerint, vt quod ſemel vel ſimpliciter, vel iuriſiurandi religione polliciti ſunt, nolint obſeruare: nequaquam vi compelli debent, ſiue manu militari, ſiue Eccleſiaſticis cenſuris. *cap. 2. & d. cap. requiſiuit. eod. de ſponſ. & matrimon.* cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere. inuitis etenim coniugibus non bene procederet prolis procreatio; atque educatio; immo inuiti ſic copulati, ad alios, relictis coniugalibus amplexibus, fornicarios coitus facilius accederent: atque illa animorum ſocietas in varias diſtraheretur partes. Maritus namque ob odium, quod vxori perpetuò gereret, ſemper circa corrumpendas aliorum matresfamil. occupatus eſſet; & nunquam poſſet vacare domeſticæ ſanctitati; & vxor, cùm in tale incidiſſet matrimonium, exemplo mariti inuitata, aut eum imitari cogitaret, aut vindicare. quod maxime

Dei

Dei præceptis aduerſatur, qui diſſociari corpus, & diuelli noluit: ſed vt vna eſſet voluntas, vna caro, & quos Deus coniunxit, ab homine diuidi, & ſeparari poſſent nuſquam. c. 3. *Geneſ. Matt.* 5. & 19. & *Luc.* 16. *cap. gaudemus. de diuort.* Et vt ijs occurreret ſancta Eccleſia, vtq. hæc animorum pericula euitentur, non vult poſſe matrimonium, qualecumque ſit, conſtitui abſque conſenſu eorum, qui perpetua illa coniunctione gaudere debent. ac fuit, quod & ipſi Ethnici iuris conſulti ſæpe, reſponſitarunt. Iulianus *in l. ſponſalia. ff. de ſponſ.* Paulus *in l. 2. ff. de ritu nupt.* Vlpianus *in l. cum fuerit. ff. de cond. & demonſt.* omnque matrimonia ita, quæ nulla ſunt, deficiente conſenſu, adulteria forent. & licet adſit conſenſus, ex eo tamen, quod exactiſſima coactione ſequutus eſt, liber non eſt conſenſus; nec vere coactus dici poteſt, vel ſaltem quo ad matrimonium. *d. cap. requiſiuit.* Huic tamen reſolutioni obſtat *cap. ex litteris Siluani. cod. de ſponſ. & eidem.* & quidem è diametro: cùm in eo Alexander III. dicat, Cum periculoſum ſit contra ſuum iuramentum venire eum, qui nuptias contrahere iurauit, monendum eſſe, & ſi monitis non acquieuerit, cenſur. Eccleſ. compellendum eſſe. Abbas exiſtimauit hoc caput à *cap. 2. & cap. requiſiuit*, non diſſentire: quod in his duobus ſimplex eſſet promiſſio, in illo autem appoſitum fuiſſet iuramentum, vt iuramentū ſit, quod id operatur, vt debeat compelli. Cuius differentiæ ratio mihi nequaquā placet. nam præter ea, quæ diſertiſſimis verbis D. Chryſoſtomus dicit, Dominum nullam conſtituere diſtantiam inter iuramentum, & ſimplicem promiſſionem. *c. iuramentum. 22. q. 5.* quoniam in iuramento nullam conuenit eſſe pertidiam: ita quoque in verbis nullum debet eſſe mendacium: vtrumque enim & periurium, & mendacium iudicij diuina pœna damnari ait. *cap. ſi quis. 22. q. 2.* & Prouer. 14. *Os, quod mētitur, occidit animam.* Vnde D. Thomas *in 4. Sentent. 27. q. 2.* ſcribit, mortaliter peccare ſponſum, qui non vult coniugalem conſenſum præſtare. Tanta eſt vis illius promiſſionis, quæ in matrimonij contractu fit, vt non modo id nefas ſit, ſed & contrahere teneatur, etiam ſi promiſſio ſimplex ſit, nullo, inquam, iuramenti vinculo circumuallata. *cap. de illis. verſ. mulierē. de deſponſ. impub. cap. 1. in princ. de ſponſ. duor.* Innocen. *in c. ſicut ex litteris. de ſponſ. & matr.* Abbas *in d. cap. de illis. & d. c. ex litteris.* Didacus *in c. 4. prima partis lib. Decretal.* & præter hæc, & alia, id conſtat aperte *ex cap. 11. 2. Decretal. collect.* quam ſuperiori anno, vir eruditiſſimus, & nunquam ſatis laudatus Antonius Auguſtinus nobis edidit, ex quo capite *cap. hoc 2. de ſponſ. & matr.* delumptum eſt. Eius autem verba hæc ſunt: Præterea ij, qui matrimonium contrahendo pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, & iuramentum fecerunt, commonendi ſunt, vt fidem præſtitam, vel iuramentum factū obſeruent. Quibus verbis quis non videt, & appoſitum etiam in ſpecie *cap. 2.* fuiſſe iuramentū? quemadmodum, & *in d. cap. requiſiuit. & in d. c. ex litteris Siluani?* tametſi iuramenti, quaſi eſſet indubitati iuris, nullam prorſus mentionem fecit Raymundus *in vltima Decretal. compilat.* nec mirum, cum iam profeſſus eſſet ſe ſuperflua omnia, ſimilia, ac contraria radicitus extrahere velle. quod vtinam ei fœlicitèr contigiſſet: ſi quidem multis in locis ita euellit, vt contrariam ſententiam accipiant ab interpretibus, quam ab ipſis Rom. Eccleſiæ principibus perite, ſanctè, ſcriptum ſunt; de quibus paſsim aliquādo; hic non eſt locus, cùm hæc ſe geſſerit vt prudentem virum, diligentemq. compilatorem decet. hæ quibus apparet Abbatis diſtinctionē non vtique fore admittendam; cùm & ipſe ſummus Pontifex nuncupe diſtinguat. Neque admitti debet, quod ipſe Didacus vir ſingulari prudentia eruditus, ac inter maioris iuris vtriuſque profeſſores contendus, magis ſubtiliter quam vere eſt arbitratus, videlicet, quod iudex debeat primum ſponſos admonere, & cenſuris Eccleſiaſticis cogere promiſſum coniugalem conſenſum præſtare; tandem ſi coniugio noluerit conſentire ſponſus, iudex monitione potius, quam exactiſſima coactione vti debeat: cum matrimonia, vt ſupra, libera eſſe debeant. Id tamen quis non videt eſſe expreſſe contra verba textus *in d. cap. ex litteris.* ibi, *Eum monitas: & ſi non acquieuerit monitis, cenſ. Eccl. compellas, vt ipſam in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Quod ſi cenſuris compelli nō poſſet, & ita, vt præcise cogi non poſſet, & monitione potius, quam exactiſſima coactione opus eſſet: non vtique ſummus Pontifex dixiſſet, *vt ipſam in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Illa enim verba deſiderare omnem coactionem, & exactiſſimam, quis non videt? Hinc videmus ſponſalia de futuro, per ſubſequentia de futuro non tolui. *c. ſicut ex litteris. cod. de ſponſ. & matr.* Dicendum igitur eſt diuerſam eſſe factu ſpeciem: videlicet *cap. ex litteris Siluani*, locum ſibi vindicare, quando alter contrahentium vult valere contractum, alter non æque. quo caſu is qui non vult, cogi debet omnino. quod ita eſſe, conſtat ex verbis textus, ibi, *Quia prædicto G. periculoſum eſt contra ſuum iuramentum venire, eum moneas.* de vno itaque loquitur Cap. 2. & cap. requiſiuit, de vtroque diſſentiente; quo caſu debent moneri, immo reprehēdi, vt fidem præſtitam, factumq. iuramentum obſeruent: cogi tamen non debēt. Quod autem cap. 2. ſit de duobus, apparet ibi:

Si autem ſe adinuicem admittere noluerint. In *cap.requiſiuit*, quanquam de muliere ſolum fiat mentio, vir tamen conſenſit etiam diſtrahi. verùm cùm mulier primum abſolutionis beneficiũ de iuriſiurandi religione neglecta ab Epiſcopo petiiſſet: Epiſcopusq. Rom. Antiſtitem hac de re conſuleret: reſcripſit, mulierem non eſſe vlla exactiſſima coactione cogendam, ſed dumtaxat monendam. Vbicumque ergo duo ſibi adinuicem promiſerunt matrimonium velle contrahere: ſi deinde vterque diſſentit; commonendi ſunt, ne mortali culpa nocentur. atque ſi induci non queunt; videtur, ait ſummus Pontifex, vt hoc poſſit in patientia tolerari, ad inſtar eorum, qui ſocietatem contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt. eodem argumento, quo Papa vtitur, & nos vti poſſe minus dubito. Coitur ſocietas ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione: & eiſdem modis diſſoluitur. *l. verùm. §.vltimo. ff. pro ſocio.* Diſſenſu ſolui ſocietas dicitur, ſi omnes diſſentiunt, vti diſerte Paulus ſcribit *in l. actione. §. diximus. eodem. pro ſocio.* Quid ergo ſi vnus renuncietur? Caſsius ſcribit eum, qui renunciauit ſocietati, à ſe quidem liberare ſocios ſuos: ſe autem abillis non liberare. quod idem Paulus Caſsij ſententiam ſequitur *in §.item ſi ſocietatem. & §. item ſi ad tempus*. Itaque ſi ſocius à ſocio non liberatur, niſi vterque diſſentiat, pari ratione in ſponſalibus, niſi vterque diſſentiat, qui renunciat, non liberatur. Liberatur autem, ſi ambo ſimul diſſentiunt; cùm nihil ſit tam naturale, quàm eodem vinculo, quo quid implicatum eſt, eo diſſolui. *l.nihil.ff.de regul.iur.* licet, vti diximus, ſint monendi, & diligentius exhortandi, ne datam fidem, vel præſtitum iuramẽtum violent: ſi tamen coniugio neuter libenter voluerit conſentire, cogi non poteſt: quia cùm conſenſu opus ſit, qui cogitur non vere dicitur conſentire, ſaltem ad huiuſmodi ſacramentum. Hodie nulla ſupereſt dubitatio, ſiue vterque ſiue alter tantum diſſentiat: cùm Tridentina ſynodus non ſponſalia modo, ſed & omnia clandeſtina matrimonia nulla faciat. *cap.1.de reform.matr.ſeſſ.24.* non tamen quòd improbet ſiue ſponſalia, ſiue matrimonia, cùm firma, ac rata eſſe, donec ab Eccleſia nulla, ac irrita facta fuerint, ſub anathemate præcipiat. Quare arbitror pœnitentiam etiam hodie à ſponſalitio contractu recedentibus eſſe imponendam. argum. *cap. ſi inter virum. de ſponſ. & matr. c.1. de ſponſ. duor. eod. cap. ſicut.*

Interpretatio *cap. Iuuenis. de ſponſ. & matrimon. & l.in ſponſalibus. 1. ff. eod.* & intra quam ætatem contrahi legitime ſponſalia poſsint. Cap. VI.

IVRE veteri Romanorũ in ſponſalibus contrahendis contrahentium ætas nunquam fuit definita, vt auctor eſt Modeſtinus *in l. in ſponſalibus. ff. de ſponſal.* Auguſtum, cùm immaturitate ſponſarum, & matrimoniorũ crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctaſſe ſcribit in eius vita Suetonius *cap.34.* ſed quæ ætas conſtituta eſſet, non æque apparet ex Suetonio. Dion verò, & Zonaras ſcribunt Auguſtum conſtituiſſe, ne minor 10. annis ſponſa haberetur. Aliud tamen vſus obtinuit. idcirco idem Modeſtinus hac de re cùm interrogatus eſſet, naturali quadam ratione motus reſpondit, ſponſalia iam ab exordio ætatis effici poſſe, ſi modo id fieri ab vtraque perſona intelligatur, ideſt, ſi non ſint minores, quàm ſeptem annis. quam ætatẽ lex Pontificia approbauit, vti videre eſt *in cap. litteras. cap. acceſſit. cap. duo. cap. ad diſſoluẽdum. de deſponſ. impub.* quaſi hæc ætas ſufficiens in ſponſalibus contrahendis ſit; non item in matrimonijs: in quibus ineundis ex fœminæ parte duodecim, ex maſculi 14. anni deſiderantur. *cap. pubes. eod. de deſponſ. impub. Inſt. quib. mod. tut. finit.* Macrobius *lib.7. c.7.* Plato *dial.7. de legibus. circa fi.* ea nimirum ratione, quòd nuptias conſenſus facit: vti aliàs diximus. Conſenſus autẽ ineſſe non poteſt vſque ad illam ætatem ante neque ſcire, neque diſcernere pupillus poteſt, non magis quàm furioſus. *l. pupillus. ff. de acquirend. hared.* & quòd conſenſus ei non inſit, apparet etiam ex Nicolai conſtitutione *c.2. de deſponſ. impuber.* Hinc Pomponius *in l. minorem. ff. de ritu nupt.* dixit minorem annis duodecim nuptam, tunc legitimam vxorem fore, cùm apud virum expleſſet duodecim annos. idem ſummus ipſe Pontifex *in cap. atteſtationis. & cap. vlt. de deſponſ. impub.* quo adimpleto tempore, matrimonium eſt, à quo tandẽ recedere nequit quiſpiam. Verum quia à ſponſalibus diſcedi poteſt, cum in ijs conſenſus vere non deſideretur: huiuſmodi ætas, hoc eſt ſeptem annorum ſufficit; non autem minor; cùm in minori ætate conſtitutus nec fari poſsit, nec quid faciat, intelligere. quòd ſi ſeptennio minor contrahit, ei nihil nocent ſponſalia, ne ad impedimentum quidẽ publicæ honeſtatis, cùm tamen maior ſponſalia contrahens, etiam non ſequutis nuptijs, cùm

ſponſæ

ſponſæ cõſanguinea matrimonium inire minus valeat, publicæ honeſtatis iuſtitia ei obſtante. *cap. ſponſam. de ſponſ. & matr.* Quare cùm Alexander III. *in d. cap. litteras. & d. c. acceſſit*, ſanxerit, minorem ſeptem annis ſponſalia contrahentem poſſe ab ipſis recedere ſponſalibus, & impune cum conſanguinea ſponſæ coniugio copulari; tum id vetuerit Eugenius *in c. Iuuenis. de ſponſ. & matr.* maxima inter interpretes orta eſt altercatio. quo factum fuit, vt *ad cap. iuuenis*. multi tribuerentur intellectus, cùm vnico debeat eſſe contentus. non omnes tamen referam, ne diutius hac in re laboremus: ſed quæ mea ſit ſententia, paucis aperiam. Bernardus vetus gloſſatur exiſtimauit *d. cap. Iuuenis*, ita accipiendum eſſe, quòd puella, qua de agitur ibi, licet ſeptennium minime eſſet egreſſa, eſſet tamen doli capax, malitia ſupplente ætatem, quo ad ſponſalia; ex eo quod eam attrectauerit; vt quemadmodum malitia ætatis defectum ſupplet in eo, qui ætati eſt proximus, quo ad matrimonium, vt *in cap. de illis. 2. de deſponſ. impub.* ita in infante ad ſponſalia. quæ opinio, licet quo ad intellectum *d. cap. Iuuenis.* non recipiatur, communi tamen ſententia approbatur, teſtante ibi Præpoſito. in quam ſententiam videtur etiam ire vir ſumme doctus Couarruuias *in c. 2. n. 1. prime par. lib. 4. Decret.* ex ratione Modeſtini *in d. l. ſponſalib.* ibi, *Si id fieri ab vtraque parte intelligitur; vt ſatis ſit ſponſis intelligere, quid agant.* Sed quæro ab eo quid ſibi velint illa ſubſequentia verba apud Modeſtinum: ideſt, ſi non ſint minores, quam ſeptem annis. Iuriſconſultus vult equidem ſponſalia poſſe inter eos, qui intelligunt, celebrari, ita tamen, vt non ſint minores ſeptẽ annis; innuens, quodãmodo ante illam ætatem non poſſe nec ſcire nec intelligere. & ita etiam intellexit Conſtantinus Harmenopolus *lib. 4. tit. 1.* Qui inquit, id, quod fit, intelligit, ſponſalia contrahere poteſt, ideſt ſi ſeptem annis minor non ſit. quaſi dicat, ſi diem ſupremum ſeptennij egerit. ſic etiam Gratianus *cap. 1. & 2. 30. q. 2.* Ætate quoque Cæſaris Leonis Nouella, quã idem Harmenop. refert, cuius verba hæc ſunt: Nos quoque ſancimus nec ſponſalia quoquomodo infra ſeptem annos contrahi. Neque admitti debet ratio *ex d. cap. de illis*. quòd ante ætatem matrimonio definitam præmatura potẽtia ad coitum ipſum, ætatis defectum ſupplear. non procedit argumentum, cùm illa ætas ita admodum breuis ſit, vt nulla ratione malitia teneram illam ætatem poſsit ſupplere: quod & Phyſici omnes docent; contra verò in iſta, cùm adeo longa ſit, vt poſſint eſſe doli capaces, qui nuptiarum fœdera celebrare tractent. quod eſt fauoris cauſa receptum; vt duodecimus, vel decimusquartus annus incœptus pro completo haberetur, argum. *l. ad rempublicam. ff. de mun. & honor.* quamuis Leo Imper. in citata Nouella apud Harmenop. ſacris ritibus ſponſalia firmari noluerit, niſi ſpõſa decimum tertium annum attigerit, & ſponſus decimumquartum ſit emenſus. Reor itaque Eugenij conſtitutionem locum habere, videlicet quia in ſponſalibus cum minore 7. annis cõtractis reſultet publicæ honeſtatis impedimentum, quoties ſcilicet illæ duæ concurrunt cauſæ, cohabitatio, inquam, & attrectatio; quaſi inhoneſtum. & inciuile ſit, vt is, qui illam tentauit, attrectauit, ac temporis ſpatio vti vxorem habuit, cum conſanguinea contrahat. & eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Anton. & Card. & Abbas. Illud adhuc dubitationem habet, an poſt ſacri Tridentini Concilij decretum, quo *in c. 3 ſeſſ. 24.* cauetur, ſpõſalia vbicumque valida fuerint, primum gradum non excedere, Eugenij conſtitutio locum habeat. Puto locum non habere; cum nolit ipſa ſancta ſynodus primum excedere gradum: conſultius tamen fecerit, qui à talibus nuptijs ſe abſtinuerit, ex iam relatis.

Verbum, *Veteribus*, apud Vlpianum quomodo accipi debeat *in l. 2 ff. de ſponſalib.* Cap. VII.

VLPIANVS libro ſingulari, de Sponſalibus, Spõſalia, inquit, dicta ſunt à ſpondendo: nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi futuras vxores. Noſtri ſicco, vt dici ſolet, pede in hac legis interpretatione tranſeunt, nulla de illo verbo, *veteribus*, facta mentione, nimirum exiſtimantes de Romanis intellexiſſe Iuriſconſultum. in quo à veritate longe aberrant; cùm de Latinis accipi debere in manifeſto ſit ex Gellio *Noctium Atticarum lib. 4. c. 4.* Hoc ius, inquit, ſponſaliorum obtinuatum dicit Seruius ad id tempus, quo ciuitas vniuerſo Latio lege Iulia data eſt. Hæc eadem Neratius ſcribit in libro, quem de nuptijs compoſuit. ſiquidem in principio cap. iam dixerat: Spontalia in ea parte Italiæ, quæ Latium appellatur, hoc more, atque iure ſolita fieri ſcripſit Ser. Sulpitius in libro, quem ſcripſit de dotibus. Qui vxorem, inquit, ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat, ſtipulabatur eã in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum, ſponſionumque, dicebatur Sponſalia. Tunc quæ promiſſa erat, Sponſa appellabatur; qui ſpondebat ducturum, Sponſus. hactenus Gellius ex Sulpitio. cuius verba ſatis reſpondent verbis Vlpiani, immo & Florentini *in l. 3. ff. eod.* vnde, ait, & ſponſæ,

ſponſæ, ſponſiq. appellatio nata eſt. isq. dies, quo ſponſalia fiebant, Spōſalis dicebatur, vt auctor eſt Varro lib. de lingua Latina. v. ex quibus apparet hunc morem Latinis tantum fuiſſe, diuerſumq. à Romano; ita vt Latini poſtea ciuitate donati, relicto hoc ſponſaliorū more, Quiritium ius ſint ſequuti. Latium verò, quæ Italiæ pars eſſet, & quo tempore in ditionem Rom. venerit, dixi in meis Pomeridianis ſeſſionibus, quas dum adhuc in Scholis verſarer compoſui. Puto tamen apud Romanos huius moris reliquiarum aliquid manſiſſe, ob id, quod ſcribitur *in l. ſponſæ. ff. de verbor. ſignific.* cùm & nos hodie eadem prope interrogatione, & reſponſione vtamur, vel antiſtites, qui ſponſaliorum, nuptiarumq. vere miniſtri ſunt.

De annulo, quo ſubarrantur ſponſæ; & quare digitus minimo proximus, manuſq. ſiniſtræ annulo exornetur, reiecta Iſidori, Gellij, aliorumq. veterum hac de re ſententia. Cap. VIII.

NON ab re fortaſſe erit, cùm de ſponſaliorum more ſuperiori capite actum ſit, pauca non vulgaria hic de annuli traditione ſubijcere. Præit ſtipulationum, ſponſaliorumq. contractus, mox ſequitur annulus, cuius conſuetudinem iam olim receptam fuiſſe tradit Plinius *lib.* 18. Solis, inquit, legatis conceſſos aureos annulos, vt ijs tamen in publico tantum vterentur; intra domos verò ferreis. quo argumento etiam nunc ſponſæ ferreus annulus mittitur, isq. ſine gemma. Dari autem à ſponſo ſponſæ annulum, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, vt eodē pignore eorum corda iungantur, ſcribit Iſydorus in libro, quem de Eccleſiaſticis officijs compoſuit, ſecundo, *cap.* 19. ex quo *c. fœmine.* 30. *q.* 5. deſcriptus eſt. quæ ſententia mihi videtur recta; cùm annulus ſit perpetuæ caſtitatis, & fidei futuræ inſigne; quòd in circulo, cuius neque principium vllum eſt, neque finis, æternitatem, in albore puritatem, & caſtitatem veteres notarūt. Non mihi tamen vlla ratione placere poteſt, quod eodem loco ſtatim ſubijcit Iſidorus his verbis: Vnde & quarto annulus digito inſeritur, ideo quia in eo vena quædam ſanguinis ad cor vſque peruenit. ſunt enim hæc inania. Nec Alexander ab Alexandro melius ſenſit, qui *in lib. 4. cap. vlt.* ſcribit: eundemq. minimo proximum in ſponſalibus annulo exornamus, quia tenuiſſimam venā inde ad cordis ima penetrare arbitrantur. & ex recentioribus Couarruuias *cap. 4. ſecundæ partis Decretal.* quem, admiror, ne dicam miror. Omnes etenim venæ, atque arteriæ à corde tanquam à fonte originem trahunt; vt cum tota Philoſophorum ſchola conſtanter defendit Ariſtoteles *lib. de partibus animal. 3. cap. 4.* tametſi Galenus *lib. de Hyppocratis, & Platonis decretis 6. cap. 3. & fere per tot.* eas ab epate in totum humanum corpus labi, atque diffundi exiſtimet: quem tamen artis medicæ primas obtinentem, vno animi conſenſu, cæteri eius artis periti ſequuntur. Sed etſi noſtrum non eſt inter magnos iſtos naturalium rerum perſcrutatores tātam componere litem, attamen in præſentia Ariſtotelicæ inhærendo ſententiæ, quòd à corde principium habeant venæ: nihil aſſerimus peculiare quarto digito à natura conceſſum comperiri. In vtroque enim brachio duo ſunt venæ, quarum vna dicitur à medicis Baſilica, altera Cephalica; in medio autem brachio hæ duæ venæ, quaſi duo riuuli, in vnum truncum, aut potiùs alueum, coniunguntur, quæ vulgo communis vena dicitur. quæ tandem per reliquam brachij partem, digitosq. omnes diffunditur; ita vt nihil quarto magis digito præcipuum, quàm reliquis eſſe conceſſum arbitremur. Neque rectius exiſtimauit Gellius Aegyptios ſequutus, quòd veteres Græci, Romaniq. homines annulum geſtarent in digito ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus, quòd neruus quidam ab eo digito pergat ad cor vſque. namque *lib.* 10. *cap.* 10. Caulam, inquit, eſſe huius rei Appion in libris Aegyptiacis hanc dicit; quòd inſectis, apertisq. humanis corporibus, vt mos in Aegypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum eſt, neruum quendam tenuiſſimum ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere, ac peruenire. Propterea non iſcitum viſum eſſe, eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quaſi connexus eſſe cum principatu cordis videretur. hactenus Gellius. eiuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Diſarius apud Macrobium *lib. 7. c. 13.* qui ait; De hac quæſtione ſermo quidam ad nos ab Aegypto venerat: de quo dubitabam, fabulamne, an veram rationem vocarem. ſed libris Anatomicorum poſtea conſultis, verum reperi, neruum quendam de corde natum prorſum pergere vſque ad digitum manus ſiniſtræ minimo proximum, & illic deſinire implicatum cæteris eiuſdem digiti neruis: & ideo viſum veteribus, vt ille digitus annulo, tanquam corona, circumdaretur. hæc Diſarius. Neque minus digna riſu ſunt iſta, atque illa Iſidori. vel cum Ariſtotele ſentiamus, qui loco, vt ſupra, vult neruos omnes, ac proinde venas de corde naſci. quamquam hac in re elegantior, & verior videtur

Medi-

Medicorum assertio; quòd nerui omnes à cerebro oriantur, vti Hyppocratis *lib. de offium natura*, & Galen. *de Hypocratis & Platonis decretis lib.* 1. *cap.* 8, & passim alibi. nec vnus quidem ex medicis dissentit. Existimabat Aristoteles neruos à corde ortũ ducere, quòd ibi multi inessent nerui. quod falsum esse Galenus pluribus ostendit. etsi multi inesse videntur, nerui tamen non sunt, sed neruosæ discriminationes quædam, quæ tamen nondum nerui sunt. eiusdem sententiæ, præter alios veteres, Hyppocratem, Erasistratum, Lycum, Andream, Marinum, & Herophilum, est magnus ille Andreas Vesalius, Anatomistarum facile Princeps *lib.* 4. *c.* 1. atque id cum eo recentiores omnes vno ore fatentur. nec aliter dici potest, cum id pateat omnino sensibus. quod & ipse iam bis animaduerti, atque obseruaui, dum humana secarẽtur corpora. nec opus est Aegyptiorum consulere libros, sed liberos potius. Itaque libenter cum his, & Galeno sentio; qui dum aduersus Aristotelem disputat neruos non habere à corde originem, retorquet in Aristotelem argumentum, existimãtem ideo à corde ortũ habere, quòd ibi multi nerui sunt. quia si, inquit, vbi multi nerui sunt, inde oriuntur: sequitur necessario pedes, & manus neruorum principium esse, cùm in pedibus & manibus plures, quàm in quauis corporis parte insint. Ex quibus notum est, fabulosam esse Isidori, Gellij, Disarij, adeoq. Aegyptiorũ omnium causam, quam de annuli gestatione circũferunt. Quamuis Ioannes Stephanus Durantus, vir alioquin doctissimus, & de Ecclesia Romana benemeritus *lib.* 2. *de ritib. Eccl. Catbol. cap.* 9. *num.* 37. dicat, hisce nostris rationibus facile occurri posse his verbis: cum præsertim motum istum in parturientibus & lassitudine defatigatis, omnibusq. cordis affectibus manifestè percipiamus. cuius opinioni non subscribo, in eaque sum sententia, vt putem id factum olim fuisse non ex magna aliqua causa, aut abdita ratione, sed potius more quodam, quasi is digitus cæteris ad id aptior esset: quod & ipse Cæcinna Albinus ex Atteio Capitone Pontificij iuris inter primos doctissimo, adnotauit. Veteres, inquit, non ornatus, sed signandi causa annulum secum circumferebant, vnde ne plus habere, quàm vnum licebat: nec cuiquam nisi libero: quos solos fides decerneret, quæ signaculo continetur. Ideo ius annulorum famuli nõ habebant. Imprimebatur autem sculptura materiæ annuli, siue ex ferro, siue ex auro foret: & gestabatur vt quisque vellet, quacumque manu, quolibet digito. Postea, inquit, vsus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpit insculpere: & certatim hæc omnis imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij, quo sculpendos lapides parassent, glóriarentur. Hinc factũ est, vt vsus annulorum exemptus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu, & officio manus dextræ pretiosi lapides frangerentur. Electus autem, inquit, ipsa læua manu digitus minimo proximus, quasi aptior cæteris, cui cõmendaretur annuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo, quòd pollet, accepit, nec in sinistra cessat: nec minus, quàm tota manus semper in officio est. vnde à Græcis ἀντίχειρ inquit, vocatur, quasi manus altera. Pollici verò vicinus, nudus, & sine tuitione alterius appositi videbatur. nam pollex ita inferior est, vt vix radicem eius excedat. Medium, & minimum vitauerunt, inquit, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum; & electus est, qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit, & ideo seruando annulo magis accomodatus. Hæc Cæcinna ex lectione Pontificali. & hæc est, vt opinor, vera, atque germana istius rei ratio. Cuius moris, & consuetudinis Christianos homines nõ pœnituit, vt læuæ manus digitus, minimo proximus annulo circumdaretur: tametsi id alia, adeoq. elegantiori, maioriq cauſa factitatum fuisse à maioribus nostris haud dubito; licet aduerterit adhuc nemo. Siquidem Antistes dum vult vnà cum sponso virginem annulo subarrare, hisce vtitur verbis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Nomen Patris primo attribuitur, Filij secundo, Spiritus sancti tertio, & quartus vnà cum dictione, Amen, annulo decoratur. & quamuis omnia, quæ Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis communia sint, ita vt tres personæ sine vllo discrimine agant, neque vna magis quam alia, aut vna sine alia agant: solent tamen sacræ litteræ earum rerum, quæ omnibus communes sunt, aliam alijs tribuere: vel in hoc præsertim, quòd summam omnium rerum potestatem Patri, sapientiam Filio, Spiritui sancto amorẽ asscribunt. Nec mirum igitur si post dictionẽ Spiritus sancti, qui amor est, inseritur annulus: quo significatur, quod vnus etiam sit coniugum amor, vna voluntas; quemadmodum vna caro, *Genes.* 2. *Matth.* 5. & 19. *Lucæ* 16. Illud præterea hic vnũ scire refert, de quo etiam à doctissimis viris sæpe interrogatus fui; num annulus sit de substãtia coniugij. Respondi, annuli, sicut velaminis, prætermissionem non producere mortale peccatum. *cap. nostrates.* 30. *q.* 5. & per consequens non esse de substantia: sed datur annulus in argumentum contracti matrimonij, perinde ac arra in pignus contracti negotij, vt euidentius probari possit conuenisse de pretio. *l. quod sæpe. ff. de contraben. empt.* quamquam arras cum dicimus, plerũque sponsalitias arras intelligimus.

tit.C.de sponsa.& arr.sponsal.l.vlt.C. de Episcop. & cler.l.si legibus.C.de epis.aud.l.si quis offi.ff.de ritu nupt. quoniam sæpissime arræ nomine annulum datum esse accepimus.*l.2.ff.de act.empt. l.5. §.item si.ff.de instit.act.* quam consuetudinem iam à veteribus inductam docet Plinius *lib.33.cap.* 1. qui ait, Argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiam annulo exiliente, tracta ab eo tempore,quo nondum erat arra velocior.Hinc mihi videtur elegantissime dixisse glossa. *in cap.penult.de sponsa.& matr.*quam ibi singularem dicit Abbas,eamque indistincte sequuntur cæteri;videlicet,matrimonium contrahi ex eo, quòd fœminæ consensum coniugalem exprimenti vir ipse annulum præbet: id enim manifestissimum signum consensum coniugalẽ in viro exprimit, præcedente tamen fœminæ consensu verbis expresso. quia licet verba non sint de substantia: *cap. tua nos. & c. cùm apud. de sponsa. & matr.* sunt tamen necessaria ad declarandum animi consensum. *cap. tua fraternitati.eod.de sponsa.* Verba autem ista, quibus animi consensus exprimitur, præsentis temporis significationẽ habere oportet: nam quæ futurũ tempus respiciunt, non coniungunt, sed spondent.*d.cap.penult.*verum quia matrimonium nó est simplex, vel nuda donatio, sed mutua pactio: hinc fit, vt consensus alterius tantum ad coniungendas nuptias satis esse non possit, sed duorum inter se mutuum esse oporteat. sed, vti dixi ex glossa, annulus à viro traditus viri consensum haud obscure exprimit. *argumen. d.l. quod sæpe*.

De iuramento promissorio.Et cùm quis iureiurando promisit se aliquid mihi certa die daturum, si deinde diem protulero, vtrum opus sit álio iuramento, an sufficiat primum. Cap. IX.

IVRAMENTVM omne,vt ait Innocentius *in cap. 2.de sponsa. & matr.*aut in Deum dirigitur,aut in hominem. In quouis autem contingere potest dispensatio,& remissio. Constat siquidem summum Rom.Ecclesiæ Principem per dispensationem posse omne iuramenti vinculum, & obligationem remittere, aut tollere penitus, aut commutare; ratione, inquam, materiæ, quæ ad liberam eius dispositionem attinet; in materia verò minus pertinenti ad liberam Rom. Pontificis dispensationem, nisi insit dispensandi causa, maximus ipse Ecclesiæ Præsul quo ad iuramentum nequit dispensare, vt D.Thomas 2.2. *quæst.89. art.9.* & ibi Caietanus.textus *in cap.1.* vbi notãt omnes. *de iureiur.* glos. *in c. quanto.* ibiq. doctores omnes.*de iureiur.*Abbas, & Felinus. *in cap. constitutus.de rescript.*Decius *in cap.significasti.n.46. de elect.*Card.*in clemen.1.§.vlt.q.penult.de iureiuran.*Crauetа *in cons.7.n.8.* de ijs vero quæ nó spectant ad liberam Romani Pontificis dispensationem, mox dicetur. In ijs, quæ pertinent, si dispensatio, siue absolutio à iuramẽto absque iusta causa,ex certa Principis scientia,detur,est penitus iniqua: tametsi quò ad pœnas legis humanæ aduersus periuros sancitas, satis sit valitura. etenim eas remisisse intelligitur; quod facere potuit ex natura legis humanæ,quæ liberæ Principis dispositioni subijcitur;nó æque quoad peccatum, vti glos.*in d.cap.quanto.* Innoc. *in c. cùm inter P.de renunciat.*& *in cap.cùm ad monasterium.de stat. monach.*Abbas *in d. cap.significasti.n.*8.Couarr.*in cap.peccatum.de reg. iur. in sex.par.2.q.8.n.9.& in §.3.n.5.prima par. Relect.* Ac proinde cauendum est, ne quis temere opinetur indistincte se immunem, ac tutum esse coram Deo,de periurio contra ipsius Dei maiestatem commisso per quamlibet Rom.Pontificis dispensationem; vt not.glos.*in cap.non est.de voto.*quam singularem ad hoc dicit Abbas Panormitanus *in d.cap.significasti:* pro cuius sane opinione facit optime, quod scribit Vrbanus Papa *in cap.sunt quædam.25.q.1.* Quod autem de iuramento, idem de voto intelligitur. Ad liberam Romani Antistitis dispensationem illa non dicuntur pertinere iuramenta, quæ homini priuato in contractu aliquo, vel conuentione præstita fuere cum iusta causa. hæc,præter eum, in cuius gratiam, & fauorem iuratum est, nemo ius habet remittendi: nisi adsit causa, quæ iustam, æquamque præbeat iuramenti remissionẽ: vt si quis iurauit se non repetiturum vsuras, vt *in d.cap.1.de iureiuran.* tunc licet in alterius fauorem iuratum sit,poterit tamen summus Pontifex iuramenti obligationem remittere:sed non simpliciter remittetur obligatio illa, vt male existimauit Abbas *in d.c.quanto:* alioquin nulla esset differentia inter hæc, & illa, quæ directe in Deum tendunt. Sed Pontifex coget per censuras Ecclesiasticas partem,vt relaxet,vt *in d.c.1. & in cap.significauit.in fine.de censib.*Rectius Innocentius *in c.debitores.in princ.de iureiur.* vt si pars, inquit, nullo possit modo induci ad relaxandum, iudex Ecclesiasticus eum absoluet,vel si pars absens fuerit, & non constet iudici an præstitum sit iuramentum ex illicito contractu, aut licito, vel turpi, aut honesto, & instet absolutionis tempus: debitor ex præscripta sibi iurisiurandi formula soluet, & deinde repetet.*d.c. debitores.* Iuramentum esse obseruandum in viin

iura-

iuramenti, etiam ſi fiat eo modo, quo iure prohibitum eſt, notat eleganter Abbas *in cap.* 2. *de arbitr.* & alij omnes *in cap. quamuis. de pact. in ſex.* Et ex eo, quod quis male iurat, pœnitentiam agere oportere conſtat *ex cap. cùm quidam. §. vltim. de iureiurand.* Ex ijs ſubinfertur, eum in cuius gratiam & commodum præſtitum eſt iuramentum, poſſe abſque vlla ſuperioris auctoritate iuramentum remittere, *d. c.* 2. *de ſponſ. cap.* 1. *de iureiuran. cap.* 2. *de renunciat. d. cap. ſignificauit. de cenſib.* Speculator *in §. nunc. verſic.* 24. *tit. de deleg.* Iate Alciatus *in cap. cùm contingat. num.* 181. *de iureiurand.* Ideo Eumenes Macedo apud Iuſtinum *lib.* 14. ſuos milites ita alloquitur: Hoc ſi impetro, ſoluo vos iureiurando, quo toties vos ſacramento mihi deuouiſtis. Hinc Cardinalis *in clemen.* 1. *verſic. nos itaque. queſt.* 14. *de iureiurand.* deducebat, Summum Pontificem poſſe remittere ſacramentum Conſtantino Imperatori ſibi præſtitum: quod an verum ſit, equidem ambigo: & magis puto non poſſe; tum quòd præſtitum ſit non illi ipſi, ſed illi, tanquam Catholicæ Eccleſiæ capiti, & non velut priuato homini: tum quia præſtitum eſt nõ ſolum hominis gratia, ſed etiam, ac potius, Dei intuitu. quo caſu nequit homo iuramentum remittere, vt D. Thomas *loco vt ſup. in reſponſ. ad* 2. Sed quid ſi ſtipulatus fuero mihi centum dari Capuæ, & intra Kalendas Martias; & debitor iurauerit ſe Capuæ, ac intra Kalendas ſolurum; & tandem ego debitori conceſſero, vt alibi, puta Romæ; & non tantum locum mutauero, ſed etiam diem protulero, ſcilicet vt intra Nonas Septembris poſſit ſoluere: num incidit in periurium; quòd non ſoluit Capuæ, & intra Kalendas Martias? Hoc dubitationem non habet; quoniam ſi in totum à credito debitorem liberare poſſum, multo magis dilationem concedere; cùm illud iuſiurandum præſtitum ſit, vt diligentius mihi cautum eſſet, argumento *de fideiuſſ. in princip. titul. Inſtit.* At cum diem dedero laxiorem, dubitatur, an opus ſit alio iuramẽto. Omnes, quos viderim, (vnum excipio Cardinalem *in d. clement.* 1.) volunt non eſſe aliud iuramentum neceſſarium, ſed primum ſufficere; cùm tempus prorogatum cenſeatur eiuſdem naturæ cum primo. pro qua ſane opinione innumeras interpretum opiniones affert Felinus *in cap.* 2. *de ſponſ. & matr.* & Didacus Couarr. *ad cap. quamuis in princ. num.* 6. *de pact. lib.* 6. qui *in verſic. quinto.* eorum adhæret opinioni. Cardinalis exiſtimauit, ſi dies ſolutionis prolata eſſet, extinctum videri iuramenti vinculum, niſi in prolatione etiam iuramenti facta ſit mentio. Ego verò ſic diſtinguendum arbitror: Vel quo tempore diem protuli, nondum iurans erat moratus ſolutionem, ſatiſque adhuc temporis habebat ad ſoluendam ante Kalendas Martias; & hoc caſu perit iuramentum; quia per me ſtetit, quominus ſolutio fieret ante Kalend. argumen. *l. ſi creditor. ff. de nouat.* Vel quo tempore ego diem ſolutionis prorogaui, iam certum erat ſolutionem Kalend. Martijs fieri non poſſe, moratumq. nimis iurantem: & hoc caſu, etiam ſi diem protulero, iuramentum prorogatum intelligitur *ex l. cùm ſtipulatus ſim.* 113. *ff. de verbor. obligat.* facit & *l.* 2. *ff. ſi quis caut.* in qua ſcribit Iuriſconſul. quòd ſi promiſi iudicio ſiſti certo die, pœna adiecta, ſi ante diem tranſegero, pœna non committitur; ſi poſt diem, pœna commiſſa eſt. quare ſi ante Nonas Septembris mihi debitum non ſoluit, abſolutus eſt à iuramento; quia non ei, ſed mihi imputandum eſt; cum per me ſteterit, quominus ſolutio ante Kalendas fieret.

Intra quod tempus debeat fieri diuortium, ſi matrimonium non fuerit corporum commixtione conſummatum: & de ſententia *cap. laudabilem. de frigid. & malef.* Cap. X.

CONTRAHENDI nuptias tempus & ciuili, & canonica lege definitum fuit ad duodecimum, & decimũquartum annum, vt *in cap.* 6. dictum eſt late. Si eo igitur tempore fuerint nuptiæ contractæ, & non perficiantur corporum commixtione, vel, ſi generandi vis marito non inſit, vtrum diuortium ſtatim fieri poſſit, an expectandum ſit aliquod tempus, ex quo iudicari poſſit, vtrum id ex defectu ætatis, an ex frigiditate proueniat, dubitari ſolet. Cæleſtinus huius nominis tertius *in c. laudabilem. de frig. & malef.* eos per triennium ſimul debere cohabitare reſcripſit. idem fere Iuſtinianus *in l. in cauſis. C. de repud.* Abbas *in c.* 3. *de deſponſ. impub.* matrimonium à pubere initũ, & non conſummatum, diſſociari non poſſe, niſi dum fuerit plena pubertas, hoc eſt, 18. anno recte dixit. Plena etenim pubertas decem & octo annis circumſcribitur. *l. quidam. ff. de re iudic. §. minorem. Inſtit. de adopt.* & *§. vlt. qui, & quibus ex cauſ. manumit. poſſ.* quemadmodum in cauſa alimentorum pubertatis tempora laxiora præſcripſit Adrian. Imp. *l. Mela. ff. de alim. lega.* qua ætate & teſtamentum facere poſſunt Spadones. Paulus *lib. ſent.* 3. *tit.* 4. Spadones, inquit, eo tempore teſtamentum facere poſſunt, quo plerique pubeſcunt, hoc eſt, anno 18. licet hodie exemplo cæterorum teſtamentum faciant. *l. Eunuchi. C. qui teſtamen. fac. poſſint* Romani quoque Ponti-

Pontifices in inſulis, in quibus eſt dura monachorum congregatio, pubertatem ad annũ 18. extendunt. *cap. quia in inſulis. de regul. & tranſ. ad relig.* ne minor ſcilicet 18. annis habitum ſumat, præſertim in Palmaria; ſi ſuſceperit, Romã tranſmitti debet, vti *in cap. 1. de reg. coll. 2.* apud Antonium Auguſtinum. qua ætate robuſtior iã videtur factus adoleſcens, ſiue pubes, vti duritiẽ illam valeat tolerare. idem prope in perficiẽdis nuptijs putauit Abbas rectiſſime. quamuis ipſe, quouſque maritus ad vigeſimumprimum annũ peruenerit, fœminam expectare debere hac ratione reor; quòd medicorum Princeps Galenus *lib. 2. de ſanitate tuenda ferè in princ.* diſertiſſimis verbis tradit, adoleſcentem non eſſe perfectæ idoneum ad coitum, & ad generationem, niſi tertium ætatis ſeptennium iam ſit ingreſſus: qui enim hanc, inquit, vel præcedunt ætatem, vel ſequuntur, aut plane ſemen non effundunt, aut certe infœcundum, aut male fœcundum effundunt. hactenus Galenus, qui vbi dicit, *vel ſequuntur*, intelligit plane de ætate, quæ florentium ætatẽ ſequitur, videlicet de maiore quinquaginta annis, vt à vigeſimoprimo vſque ad annum quinquageſimum florentium ætas ſit; qua ætate gaudet Venus. Iacobus Menochius *lib. 2. de arbitrar. iudic. conſ. 6. caſu 519. nu. 11. cum ſeqq.* male arbitratur, ante prædictam ætatẽ poſſe quem eſſe ad coitum idoneum, non autem ad generationem, cùm Galenus de vtroque intelligat: quaſi ad perfectionem matrimonij vnũ ſine alio ſufficiens ſit. quod non negamus; ſi verum eſſet, & hoc diceret Galenus. Cui non obſtat Cæleſtini conſtitutio, cùm debeat intelligi de viro in perfecta ætate cõſtituto: qui licet annum vigeſimumprimum iam ſit emenſus, eum tamen mulier per triennium tenetur expectare; niſi conſtet de frigiditate: quo caſu ſtatim fieri poteſt diuortium.

De nuptijs, inuitis, vel neſcientibus parentibus contractis. Cap. XI.

TAmetſi legibus cautum expreſſe ſit, valere matrimonium à filijs filiabusq. iniuſſu parentum contractum, ex recentioribus tamen nonnulli cõtrarium aſſeuerare temere auſi ſunt, ex quorum numero fuit Franciſcus Duarenus, vir alioquin in iuris ſcientia eruditus: qui *in tit. ſolut. matrimon.* conſtanter nixus eſt defendere, nuptias à filijs, filiabusque ignorantibus parentibus, vel repugnantibus contractas nullius eſſe momenti. idque nititur comprobare non ſolum iure ciuili, ſed etiam ſacris antiquis canonibus, quòd ſcilicet non modo ipſorum conſenſus, verum & parentum, in quorum ſunt poteſtate, ſit neceſſarius. *l. 2. ff. de ritu nupt.* & ex Iuſtiniano *in §. 1. Inſtit. de nupt.* qui ait, hoc fieri debere, & ciuilem, & naturalem rationem ſuadere, in tantum, vt iuſſus parentis præcedere debeat. rectius in hanc ſententiam faciunt *l. Paulus. ff. de ſtatu homin.* & *l. ſi vt. C. de nupt.* & quod eleganter, ac facete Apuleius *lib. 6. de matrim. Cupidinis, & Pſyches* ſcribit: Impares, inquit, nuptiæ, & præterea in villa ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri: ac per hoc ſpurius iſte naſcetur. Canones, quibus fulcitur, ſunt *cap. aliter. 30. q. 5.* & *cap. honorantur. 32. q. 2.* in hoc ita: Honorantur parentes Rebeccæ muneribus; conſulitur puella, non de ſponſalibus. illa enim iudicium expectat parentum: non eſt virginalis pudoris ſibi eligere maritum. in illo: Aliter legitimum non ſit coniugium, niſi ab eis, qui ſupra ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus ſpõſetur, & legibus dotetur. Parentum conſenſum eſſe neceſſarium videntur dicere canones alij, veluti *cap. vlt. 32. q. 2.* ibi, *Nec extra voluntatem parentum, vel ſuam cogantur maritos accipere.* & *cap. noſtrates. 30. q. 2.* ibi, *Fœdera quoque conſenſu eorum qui hæc contrahunt, & horum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur.* Idque ſanxiſſe videtur Clemens III. *in cap. videtur. qui matrim. accuſ. poſſ.* ibi, *Si non interfuerint*, (parentes ſcilicet,) *& conſenſum non adhibuerint, ſecundum leges nullum fiat matrimonium.* Hanc opinionem ſequutus eſt Coraſius etiam *lib. 1. Miſcel. c. 27.* ſcribens, & matrimonium abſque parentum conſenſu à filijs contractum reſcindi ſententia poſſe, modo carnis commixtio ſequuta non fuerit. idem plane Connanus *lib. iuris ciu. 8. c. 4.* & Forcatulus *lib.* qui inſcribitur, *Cupido iuris peritus.* ſed audacius paulo, videlicet, quòd ſemper nullum ſit. ſunt & alij, quos, ob depraua-tos animi mores nominari indignum eſt, quorumq. ſcripta igne facta ſunt digna. Eiuſdem ſententiæ fuit vir Galliarum doctiſſimus Iacobus Cuiacius *lib. 3. c. 5. obſeruationum*, ſed modeſte, & verecunde, vt Chriſtianum virum decet: non enim miſcuit, vt in prouerbio eſt, ſacra prophanis. Contraria tamen verior eſt, & receptior ſententia, adſtipulante Panormit. *in c. 2. de deſponſ. impub.* quòd patris conſenſus non ſit de ſubſtantia matrimonij, cum Nicolaus Papa *in cap. ſufficiat. 27. quæſt. 2.* conſenſum dumtaxat contrahentium deſideret. Sufficiat, inquit, ſolus ſecundum leges conſenſus eorum, de quorum, quarumque conſenſu, & coniunctionibus agitur; qui ſolus ſi defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. quamuis Duarenus conetur probare hæc verba conſentus,

poſita

poſita eſſe ad differentiam coitus; nempe, vt non coitus, ſed conſenſus nuptias faciat, ex vulgata regula iuris, *nuptias. ff. de regul. iur.* Sed decretum Nicolai eſt, quòd ſolus in contrahendis nuptijs coniugum conſenſus ſufficiat; ac proinde non ſit opus parentum conſenſu; vt idem Nicolaus explicat *in cap. 1. quæſt. 2.* Idemque ſignificat Innocentius 1 ertius *in cap. tua. de deſponſ. impub.* ibi, *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum*. Idem Duarenus ſubtiliter quidem dicit id fore accipiendum, quòd non verbis opus ſit, ſed conſenſu, cùm mutus poſſit contrahere. *cap. cùm apud. de ſponſ. et matrim.* quæ licet vera ſint, parentum tamen conſenſus excluditur. Immo iniuſſu domini, atque adeo reclamante illo, poteſt nuptias inire ſeruus. *cap. 1. de coniug. ſeruor.* atque etiam (quod plus eſt) ſi aliquis per vim rapuerit mulierem, quæ tandem raptori conſenſerit, etiam recuſantibus parentibus, tenet matrimonium, ex Lucij Tertij conſtitutione *cap. cùm cauſa. de rapto.* Quibus cùm reſpondere minus poſſet Duarenus, audacter nimis ſummum Pontificem reprehendit, quaſi ſit iniqua, & minus iuſta ea conſtitutio. Cùm enim, inquit, leges ſint ordinatio Dei, & eos demum coniungere recte, ac vere Deus dicitur, qui ſecundum præcepta legum coëunt, &c. Iiſdemq. fere Connanus: Poteſtne, inquit, coniunxiſſe eos Deus videri, quos intemperans libido, effrenataq. animi cupiditas conciliauit? Sed nolo plurib agere, ne videar os in cælum ponere. Quid publica omnino vtilitas, parentum poteſtas, & religio, filiorum pudor, & obſeruantia, matrimoniorum fides, & honeſtas deſideret, facile eſt iudicare. Sed quæro ipſe à Duareno, & ab alio; quænam aliæ ſint hæ leges, quàm Pontificiæ; ſiquidem matrimoniales cauſas ad iudices Eccleſiaſticos pertinere palam conſtat. *cap. multorum. 35. quæſt. 6. cap. 1. de conſanguinit. & affinit. cap. accedentibus. de exceſſ. prælat.* & *c. vlt. ſeſſ. 24. in Concil. Trid.* & per conſequens, ex canonibus æſtimari matrimonium. hinc videmus Clementem Tertium *in d. cap. videtur*. ſcripſiſſe, Secundum leges, nullum fiat matrimonium; leges, hoc eſt ciuiles; innuens quodãmodo aliud poſtulare canones. Numne durum, adeoque periniquum eſſet, ſi nuptias iniuſſu parentum initas, ius parentibus eſſet diſſoluendi? cùm contractæ ſint, vxor ſui poteſtatem non habeat, neque maritus, auctore Apoſtolo *1. ad Corinth. 1.* & *d. cap. cùm cauſa*. Namque Pontificis Rom. matrimonia non vt naturalem coniunctionem tantum, prout Ethnici Iuriſconſulti, ſed etiam vt ſacramentum, cuius ius naturalium rerum conditionem longe ſuperat, ab eoque gratiam prouenire, conſiderarunt; vt paulo poſt dicetur. Canones autem ſupra relati, quibus videtur cautum, neceſſarium eſſe parentum conſenſum, aliter atque intellexit Duarenus, intelligi debent; prout, inquam, intellexit gloſſa *in d. cap. ſufficiat.* quòd ſcilicet ex honeſtate, non æque ex neceſſitate, alterius quàm contrahentium conſenſus deſideretur. Nam ſi bene attendantur illi duo loci *cap. aliter*, & *c. honorantur*: facile intelligemus de fœminis tantũ eos loqui; quibus ob virginalem pudorem non licet ſibi maritum eligere; ſed parentum iudicium expectare: ne appetentiæ, vt *ibidem* ait D. Ambroſius, procacioris æſtimetur auctor, ſi ipſa de nuptijs ſuis electionem ſibi vindicet. tum & propter ſexus fragilitatem; quam ob cauſam Impp. volerunt filiam minorem annis 25. patris morte ſui iuris effectam; matris conſenſum, & propinquorum exigere in nuptijs contrahendis: & hoc obtinuit in pupillis primum *l. 1. C. de nupt.* tum in viduis *l. vidue.* demum in virginibus puberibus. *l. in coniunctione. C. eod. de nupt.* Hodie tamen iure Pontificali noſtro poteſt filia, filiusque, non tamen licet, aut expedit. Non autem omne, quod non licet, fieri non poteſt. Rectius fecerit mulier, ſi mariti electionem parentibus detulerit. Hæc verò contraria non ſunt, Poteſt, ſed non licet. vno enim verbo ius, altero honeſtas ſignificatur. Licere dicitur, quod honeſtum eſt, quod conſuetum, & à bonis receptum, & obſeruatum. *c. litteras. S. reſcripto. de reſcrit. ſpol.* Cicero *in Phil. 13* ſiquidem licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorum, inſtitutisq. conceditur. Non igitur quod quiſque poteſt, id ei licet. libertas illa quidem datur filijs, ac filiabus: ſed ea honeſtatis, & obſeruantiæ, quàm patri debent, regula metienda eſt. Nec ius Pontificale vult aut probat, mulierem inuitis, & ignorantibus parẽtibus contrahere nuptias, ſed contractas vtique vult valere; ne maius oriatur ſcandalum. Et hæc ſufficiat reſponſio, quòd nouiſſima Tridentina ſynodus *in cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* eos anathemate damnat, qui matrimonia à filijsfamil. abſque parentum conſenſu inita, irrita eſſe & parentes ea rata, vel irrita, facere poſſe affirmant; quamuis ſancta Dei Eccleſia illa ſemper deteſtata ſit, atque vetuerit; ne ſcilicet filijfamil. inuitis parentibus, vel ignorantibus inirent nuptias; ſed initas diſſolui poſſe nuſquam permiſit. quibus vt facilius obuiare poſſet, illas ſollemnitates, de quibus *in d. c. 1.* adhibendas fore decreuit, vel potius eas renouauit. *c. 3. de cland. deſponſat.*

* *
*

De filij exhæredatione, qui inuitis parentibus nuptias contraxit. Cap. XII.

HIc quæri etiam poteſt de quæſtione illa, quæ difficiliorem habet explicatum; An ob id ſolum exhæredari filius, filiaue poſſit, quòd iniuſſu patris nuptias contraxerit. Duarenus poſt alios putat poſſe; quoniam etſi Pontificio iure valet matrimoniũ, ne inde maius ſequatur ſcandalum, non tamen filij audacia, & inobedientia probatur, quæ diuino præcepto, *Honora patrem, & matrem*, contraria omnino videtur, nec alia eſt hodie, quàm fuit Iuſtiniani tempore Theologia. Mihi tamen magis placet contraria ſententia; quòd non poſſit exhæredari: & ratio eſt; quia cùm matrimoniũ ſit à Deo inſtitutum, *c. vnico. de vot. & voti redemp. in ſex.* & per Chriſtum coniugibus gratiã præſtet, & inter nouæ legis ſacramenta annumeretur, *cap. ad abolendam. de hæret.* & in Concilio Florentino ſub Eugenio Quarto, & in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 24. in princip.* liberumq. eſſe debeat, *cap. cum locum, & cap. requiſiuit de ſponſ. & matrim.* non debet ex alterius pendere arbitrio. Sicut enim teſtamenti factionem veteres Romani in nullius alterius ſtare arbitrio voluerunt. *l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtituend.* quoniam, inquit Paulus *in l. vel negare. ff. quemadmod. teſtamen. aper.* publice expedit ſuprema hominum iudicia exitum habere; quia ſi in alterius arbitrio ſtaret, facile impediretur, quominus vltimum defuncti iudicium exitũ haberet: Ita etiam matrimonium, ſi ex alterius arbitrio penderet, plerumque eueniret, vt nuptiæ ceſſarent. *c. ſuper eo. inf. de condit. appoſ.* vnde maximũ oritur reipubl. incommodum. Quamobrem Paulus Iuriſconſ. *lib. 2. ſententiar. tit. 19.* ita ſcribit; Eorũ qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate eius matrimonia non contrahuntur; ſed contracta non ſoluuntur: contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur. Altera ratio eſſe poteſt, quia ex eo, quòd filij fam. vtuntur permiſſione canonica, non debent in vitium ingratitudinis incurrere. Seneca. *lib. declam. 6.* Obijci, inquit, non poteſt, quod lege factum eſt, & Cyrus magiſtri ſententiam referẽs apud Xenophontem, *lib. 1.* Id eſt iuſtũ, quod ex lege eſt: quod verò eſt contra legem, id violentũ. idemq. videtur dicere Ariſtoteles *lib. Ethic. 5. c. 1. & 2.* & noſtri etiam recentiores iuriſconſulti, vt Bald. *in l. decuriones. in fine. C. ex quib. cauſ. inf. irrog.* Petr. Anchar. *in repet. cap. canonum ſtatuta. de conſtit.* Felin. *in c. quæ in Eccleſiarũ. eod. de conſt.* & Rom. *conſil. 214.* Qui peccat legis auctoritate, non peccat, arg. *l. Gracchus. C. de adult. c. qui peccat. 23. q. 4.* quemadmodum enim mulier, quæ ſtatim poſt mariti mortem ad ſecunda vota ſe transfert, nullam legalis infamiæ notam incurrit, vt *in l. 1. ff. de ijs, qui not. infam. l. 1. C. de ſecund. nupt.* cùm in ijs Imperatorum leges non dedignentur ſacros imitari canones. *c. penult. & vlt. de ſecund. nupt.* ſic in notam ingratitudinis. Ac ſicut filius, inuito patre, religionem ingrediens, non poteſt vt ingratus priuari hæreditate; quod Iuſtinianus recte ſanxit *in l. Deo nobis. §. hoc etiam. C. de Epiſc. & cler.* ita ob matrimoniũ, cùm ſit ſacramentum, & gratiam conferat. nam in matrimonio tanta, quanta libertas requiritur in religionis profeſſione. *d. cap. cùm locum.* Denique apparet *ex §. aliud quoque capitulum. authen. vt cùm de appellat. cognoſc.* quæ eſt *Nouell. 115.* in quo enumerantur cauſæ, quibus filius poteſt exhæredari: huius tamen ingratitudinis nulla fit mentio. niſi Duarenus cũ alijs vulgò interpretibus præter quatuordecim cauſas enumeratas, velit ſimiles, grauioresq. admittere; vt hodie nõ quatuordecim ſint cauſæ, ſed infinitæ prope, ac innumerabiles, quod ipſe quidem ſine vlla diſtinctione ſemper negauit. Quid enim erat enumeratione opus? aut cur queritur Iuſtinianus ab antiquis, grauiores cauſas fuiſſe prætermiſſas, ſi licita eſſet nobis extenſio? aut in quo veterum altercatio, & ingens diſceptatio ſublata eſt, ſi adhuc alios licet aſſumere? Ego quidem libenter viro doctiſſimo Viglio aſſentior, quippe qui *in §. vlt. de exhæred. lib.* aſſeuerat nuſquam grauius ab interpretibus peccatum eſſe, quàm in hac extendendarum legum licentia, ex recentioribus, etiam vir iuris interpretum optimus Cuiacius *loco citato*, & *in Nouell. 115.* licet fateatur nuptias iure ciuili à filijs fam. contractas iniuſſu parentum, in quorum ſunt poteſtate, iniuſtas eſſe, ac iniuſtos ex ijs liberos: non vult tamen ob id ſolum, filium exhæredari poſſe: quam opinionem confirmat recte ex ſententia Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni in Nomocanone, apud Gentianum Heruetum relata. Quod autem ait Duarenus non aliam hodie eſſe Theologiam, quàm olim: quæro ab ipſo Duareno, num Iuſtiniano imperante, eſſent iure Diuino prohibitæ vſuræ. Scio quidem Duarenum ipſum conſtanter defendere in titul. *de vſur.* iure ciuili vſuras, veluti malum quoddam neceſſarium permiſſas; Male ergo fecit Eccleſia, quæ quod Diuino iure erat prohibitum, confirmauit? Mutuum dantes, nihil inde ſperantes, *tot. tit. de vſur. & 14. quæſt. 3. & 4. per totum*. Impium eſſet id dicere. Ego verò rogatas velim, non modò filias, ſed & filios, vt in contrahendis nuptijs parentum conſenſum exigant,

exigant, immo ne cogitare quidem de ſponſalibus, ſed parentum arbitrium, & commodum expectare. quid enim parentes in hoc breui vitæ curriculo cogitant? quid tam vehementer laborant? quid tam peruigilant? quare tam longe, lateq. peregrinantur? cur maria multis tempeſtatibus frequenter ſulcant; cum ingenti frigore, atque calore nundinantur: pericula multa ſubeunt: incommoda vitæ plerumque inferunt: ſæpiſsime etiam inhoneſtos, & illicitos cõtractus ineunt; innumeris randem implicantur negotijs; niſi vt liberis conſulant? vtque ij relicti diuites alterius filiabus honeſtis, & diuitibus matrimonio iungantur: & vt propriæ filiæ ditiores, ac præditos virtute maritos inuenire poſsint? quapropter haud parum reipublicæ expedit filios in nuptijs celebrandis parentũ habere conſenſum: nec ſatis ſe tueri poſſunt. ſi tamen contrahant iniuſſu parentum, permittente lege faciunt, vt antea dictum eſt: ſiquidem videmus multa ſæpe à legibus atque canonibus permitti; quæ licet impune facias, non tamen carẽt vitio, & dedecore, ſicut contra euenit, vt Plinius *lib. 4. epiſt. 9.* de ſententia Cepionis ſcribit: Non ſine ratione veniam dandam facto, vetito quidem non tamen inuſitato. Nam ſimplex concubinatus lege ciuili permittitur. *l. 3. ff. de concub.* non eſt tamen licitus: quanquam Bart. *ibi*, & Alex. *in l. ex facto. S. ſi quis rogatus. nu. 13. ff. ad S.C. Trebell.* alij etiam recentiores in additionibus ad Bart. aſſeuerant, ſimplicem concubinatũ iure naturali legitimum eſſe coitum, ad differẽtiam adulterij, inceſtus, & coitus contra naturã, qui illegitimi complexus iure etiam naturæ dicuntur ex *d. l. 3.* in qua ita Martianus: Quia, inquit, Concubinatus per leges nomen aſſumpſit, extra legis pœnam eſt. Non ſequitur tamen, Hoc fit, nec lege ciuili, nec canonica punitur: eſt igitur licitum. illatio non eſt bona: melius diceretur, Non punitur, ergo permittitur. nam etiam lupanaria eſſe permittunt Eccleſia, ac totius orbis Catholici Principes: Ergo licita, & non apportant mortale peccatum? Eſſet ridiculum, immo impium id dicere. Quare D. Chryſoſtomus *in c. hac ratione. 31. q. 1.* Quod permittimus, nolentes præcipimus: quia malas hominum volũtates ad plenum prohibere non poſſumus, & *in c. nexui. 12. diſt.* non ſine vitio eſt, quod ignoſcitur, & non præcipitur. & *in l. & ſi quis. §. Diuus autem Marcus ff. de relig. & ſumpt. fun.* vbi reſponſum eſt, hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem teſtator elegit, non rectè facere: pœnam tamen in eo ſtatutam non eſſe. hinc Bald. *conſil. 15. prope fin. lib. 1.* Non eſt nouum, inquit, vt quædam inhoneſte fiant, vltionem tamen non habeant: quia non omne illicitum punitur, ſed id tantum, quod ſtatuit lex eſſe delictum. Eadem ratione permittitur filijs iniuſſu patris matrimonium contrahere: non eſt tamen licitum, maxime filiabus: etenim vt dictum eſt, Non eſt virginalis pudoris, ſibi mariti electionem vendicare. Attamen huius pudoris obſeruationis tanta non eſt vis; vt legatum virgini relictum, ſi nupſerit Titio, non fiat caducum, ſi alteri, quàm Titio, ex patris conſenſu nubat; tametſi Didacus Couarr. *in cap. 3. §. 8. 2. par. lib. 4. decret.* aliter eſt arbitratus. quia licet inciuile, atque inhoneſtum ſit filiam inuito vel ignorante patre coniugio conſentire: tamen pater ſi vult filiam lucrari legatum relictum ſub conditione, ſi nupſerit Titio, debet conſentire. Mens enim teſtatoris eſt, non modo virgini conſulere, ſed etiam Titio, vel magis Titio: videbatur enim ei forte Titio expedire, ſi illam virginem in vxorem acciperet, & quo magis virgo nuberet Titio, & ipſius virginis parentes ad has nuptias contrahendas libentius condeſcenderent, voluit virgini centum legare. quare ſi alteri pater filiam legatariam in matrimonium dederit, etiam repugnante filia, dico caducum eſſe legatum, & eo priuari filiam. Ratio eſt, quoniam non adimpleta videtur conditio; argumento *l. cùm fuerit. ff. de condit. & demonſtr.* Prudentius tamen, ac conſultius fecerit filia, ſi relicto, ne dicam neglecto, legato, nupſerit, cui pater voluerit: quoniam pater pro liberis plerumque conſilium capit; argumento *l. nec in ea. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Credam tamen mulierem, cui centum fuerunt legata, ſi ſoluto matrimonio, poſtea nupſerit Titio, lucrari legatum, & adimpletam videri teſtatoris conditionem. Ac licet filius, qui vxorem duxit citra patris, in cuius eſt poteſtate, voluntatem, hodie indiſtincte exhæredari nequaquam poſsit, nec potuerit olim, niſi ſe ad turpem fœminam applicaſſet: filia tamen citra patris, vel matris conſenſum nubens exhæredari potuit etiam olim, vti Patricius Græcus interpres *ex l. 18. & 20. C. de inoffic. teſtamen.* collegit. neque de hoc hodie eſt dubitandum, cùm Iuſtinianus *in d. §. aliud quoque Nouell. 115.* dicat non poſſe filiam exhæredari, ſi poſt vigeſimumquintum annum patiatur ſtuprum, vel ſi nubat libero homini, abſque conſenſu patris filia. Videtur ergo exhæredari poſſe, ſi antè illam ætatem nupſerit, vel ſi poſt nupſerit ſeruo, vel alij eiuſdem generis homini. Verum quoniam iure Pontificali poteſt, vti ſupradictũ eſt, filia nubere nõ adhibito patris cõſenſu: magna hinc exiſtit quæſtio inter iuris vtriuſque profeſſores, Si filia in facie, vt aiunt, Eccleſiæ nupſerit, nõ requiſito, vel nõ habito patris conſenſu, num poſsit pater cõpelli ei dotem conſtituere. Diſtinctione opus eſſe aſſeuerant

uerant noſtri. Alij dicunt, vel nupſit ante 25. vel poſt; alij, aut promiſit dotem marito, aut non; illo caſu cogitur; hoc non item. alij indiſtincte patrem compellendum eſſe ſcribunt, vti gloſſ. *in d.S. vlt.* 32. *quæſt.* 2. Bald. Angel. Paul. & Iaſon *in authen. res quæ. C. commun. deleg.* quæ Catholica omnium eſt ſententia, vti adnotauit Curtius Iunior *in d. authen. res quæ. num.* 25. Rip. *in l.* 1. *num.* 57. *ff. ſolut. matrim.* Pariſius *conſil.* 29. *num.* 62. *volum.* 3. quæ opinio mihi videtur recta, ea nimirum ratione quòd nemini iniuriam facit filia, quæ iure permittente matrimonium contrahit: ſacris autem canonibus permiſſum eſt: non poterit ergo dare priuari. quemadmodum enim filia non poteſt priuari legitima, niſi cauſa ingratitudinis, ita neque dote, quæ ſuccedit loco legitimæ. *l. quoniam nouella. C. de inoffic. teſtamen. l. illam. C. de collat.* at ſi nupſerit iniuſſu patris, non poteſt accuſari de ingratitudine. Præterea patris officium eſt dotare filias. *l. vlt. S. neque enim. C. de dot. promiſ.* tametſi excellens vir Andreas Alciatus *lib. Paterg.* 8. *cap.* 3. conetur probare illud verbum officium, *in d.l. vlt.* non debere intelligi de neceſſitate; vt ea, quæ officij ſunt, non obligationis neceſſitatem habeant, *ex l. in commodato. S. ſicut, ff. commod.* ex quo Paulus ſcribit, Voluntatis, & officij magis eſt, quàm neceſſitatis commodare. Sed officij nomen licet latiſſimum, vt argumento ſunt tituli *ff. & C. de offic. proconſul. & de offic. Præf.* & alij eiuſdem generis, & apud Pontifices, *de offic. Archid. de offic. deleg.* proprie tamen officium dicitur, quod quemque pro conditione ſuæ perſonæ facere decet, vt ait Donatus. D. Ambroſius *lib. officiorum primo*, Legimus, inquit, officium dici à nobis poſſe; nec ratio ipſa abhorret: quandoquidem officium ab efficiendo dictum putamus. Dicitur & officium pietatis *in l.* 2. *ff. de inoffic. teſtam.* quod parentes liberis exhibere debent; quod an habeat obligationis neceſsitatem, facile eſt intelligere ex eo, quòd querela aduerſus teſtamentum illud, in quo præteriti ſunt, ſeu exhæredati liberi, licet alioquin iure ſit validum, datur, & teſtamentum irritum fit. *ff. de inoffic. teſtamen. tot. tit.* quòd contra patris officium, & naturæ ius ſit factum. Etenim patris officium eſt filios hæredes inſtituere ex neceſsitate; aliàs nullum eſt teſtamentum, quamuis hodie ex noua Iuſtiniani conſtitutione *auth. ex cauſa. C. de lib. præter.* legata conſeruentur. ſic ergo officium patris eſt filias dotare. & an habeat neceſsitatem, haud obſcure apparet *ex l. qui liberos. ff. de ritu nuptiar.* in qua videmus factam poteſtatem conſtitutione Diuorum Seueri, & Antonini Conſulibus, & Præſidibus, cogendi patres filium in matrimonium collocare, & filias dotare. Si igitur pater ad id auctoritate publica compelli poteſt, videtur ſatis officium patris eſſe de neceſſitate filias dotare. Immo in ea ſum ſententia, vti exiſtimem patrem debere cogi ad conſtituendam dotem filiæ diuiti, etiam ſi nupſerit iniuſſu eius, dummodo pater ſit ſoluendo, argumen. *d.l. vlt. C. de dot. promiſſ.* Hæc autem omnia locum non habent, ſi filia nupſit indigno, & ignominioſo viro. Tum enim non tenetur ei dotem conſtituere, etiam ſi eam promiſerit filia ipſi viro. in quo omnes conſentire videntur; vti gloſſ. *in cap. de raptoribus. 36. quæſt.* 1. vbi Archid. Ioann. Andreæ, Cardin. & Anton. *in cap. accedens. de procur.* Bald. *in l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* Abbas *in conſil.* 12. Cuiacius *in d. c.* 5. & communi ſententia receptum fuiſſe docet Ripa *in d.l.* 1. *num.* 59. Paulus Pariſius *in d. conſil.* 29. Couarr. *d.S. octauo.* qui hanc regulam procedere contendit, ſi filia, vel maritus eſſet ita diues, vt congrua alimenta vterque haberet. quòd ſi pauperes eſſent, vult cogi patrem ipſi filiæ alimenta præſtare, ex ratione conſtitutionis Alexandri Tertij. *in cap. cùm haberet. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adulter.* quæ opinio licet æqua ſit, illatio tamen non ſatisfacit. quia *in d. cap. cùm haberet*, ſpecie, liberi non ſunt in cauſa peccati; nullamq. dederunt occaſionem delinquendi; ſecus filia, quæ ſe viro turpi, & ignominioſo copulauit. ex quo maxima iniuria, atque ignominia affecit patrem, ac denique totam cognationem. Hinc videmus Iuſtiniani conſtitutione *in d. Nouella* 115. cautum fuiſſe, vti poſſet eo caſu exhæredari filia, etſi maior eſſet annis 25. Cogitabam tamen num aliter dici poſſet, ac tueri cõtrarium, quòd ſcilicet pater cogi poſſit ad conſtituendam dotem filiæ, quæ ſeruo, vel alij ignominioſo viro nupſit, dummodo interceſſerint ſolemnitates omnes ab eccleſia traditæ. nam ſi valet communis interpretum conſenſus, quòd filia debeat dotari, etiam iniuſſu patris nupta, fauore matrimonij, quod liberum eſſe debet, & libertas iſta in vnoquoque requiratur: ſequitur neceſſario, vt non poſſit dote priuari filia, quæ ignominioſo ſe copulauit; cùm apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, dum omnes ſint Chriſtiani, & nullum ſubſit impedimentum, quo minus cõtrahi vtique poſſet matrimonium. Atque hæc qualiacumque ſunt, afferri poſſunt pro filiæ defenſione, & matrimonij libertate; vel ſi quiſquam communi ſententiæ conſentire malit, erunt certe pro dubitandi ratione. interim alij forte magis acuti, & ſubtiles plura per ſe cogitabunt; hæc verò pro quæſtione iſta ſat erunt.

De

De donatione inter coniuges, quorum is, qui donauit, vitam ſibi monaſticham elegit. Cap. XIII.

EST omnibus pluſquam manifeſta Antonini Caracallæ Imperatoris oratio, quæ duo habet capita, alterum de donationis inter virum, & vxorem prohibitione. *l. 3. ff. de donat. inter vir. & vxor.* alterum de eiuſdem donationis confirmatione. *l. cùm hic ſtatus. ff. eod.* ad quam ſpectat & Gregoriana conſtitutio *in cap. vlt. eodem in Decretalib.* Fuit quoque ante Antonini orationem donatio iſta moribus, & alia D. Seueri Antonini patris oratione prohibita. *l. 1. 2. & 3. & l. Papinianus. eod.* nam & Seueri oratio duo etiam videtur continere capita, ſed vltimum ſtipulationes non comprehendebat. *d. l. Papinian.* plenior Antonini oratio, quæ non ſolum corporum, & rerum, verum etiam ſtipulationum donationes confirmat. *d. l. cum hic ſtatus. in princip. & l. ſi ſtipulata. eod.* ex quibus conſtat Vlpianum à Papiniano non diſſentire, vti male noſtri arbitrati ſunt. loquitur etiam Papinianus de oratione Seueri, non Antonini, à quo, ſi Lampridio credimus, interemptus fuit: nec de illius oratione ſcire potuit, quæ poſt eius exceſſum recitata forte fuit, & S. C. confirmat. Si tamen conſtante matrimonio deceſſerit is, qui, donauit, nec donationem reuocauerit, confirmatur donatio, ex d. ſecundo Antonini orationis capite; ſi præmoriatur donatarius, perimitur. *d. l. cùm hic ſtatus. l. à marito. C. eod. l. ſi inter. ff. de reb. dub.* & *d. cap. vlt.* etiamſi iuriſiurandi religione fuerit ſancita. cùm donatio inter virum & vxorem hanc tacitam habeat conditionem, ſi donator prædecedat; cui ſi adijcitur iuramentum, eandem recipit cõditionem. *l. vlt. C. de non numer. pec. cap. Quintauallis. de iureiur. cap. 1. eod. in ſex. de iureiur.* quanquam Paulo de Caſtro, *reſp. 82. vol. 2.* & Aymoni Crauetæ *reſp. 102. vol. 1.* magis placeat aduerſariorum ſententia. Sed de ijs latius quandoq. nunc nobis eſt quæſtio, num donatio ilta ſemper morte confirmetur. Et receptum eſt confirmari. Nec refert, quomodo moriatur is, qui donauit: quoniam licet ob ſcelus aliquod damnatus ſit, vltimoq. ſupplicio affectus: tenet tamen donatio. quod trahendum quoque eſt, ſi condemnatione adempta ei fuerit libertas. *l. res vxoris. C. eodem.* Eo tamen caſu in pendenti eſt; & valere dicitur ad excludendum filium. Ex hac regula excipiuntur Vlpiani auctoritate duo capita. *d. l. cùm hic ſtatus. §. maritus. 2.* ſcilicet ſi maritus mortem ſibi conſciuerit ob ſceleris conſcientiam; aut ſi poſt mortem memoria eius ſit damnata. nam ſi tædio vitæ, vel impatientia doloris alicuius, vel alio modo vitam finiuerit, valet donatio, argum. *l. vlt. §. ſi quis autem. ff. de bon. eorum, qui ante ſent. mort. ſibi conſciu.* & *l. 6. §. quod ſi quis tædio. ff. de iniuſt. rupt. teſtamen.* Ad Chriſtianam tamen ſepulturam eum eſſe admittendum nego, niſi furoris ergo ſe interemerit. Quoquo igitur modo moriatur is, qui donauit, duobus illis exceptis caſibus, confirmatur donatio. Hinc iuris ſacratiſſimi vetus interpres Ioan. Andreæ *ad d. cap. vlt.* dicebat etiam ciuili morte; vt ſi quis monaſterium ingreditur; non poſſe reuocari donationem, ſed confirmari, quaſi mortuus ſit; ex eo quod vulgo dici ſolet, monachum eſſe mortuum mundo. Vincentius etiam vetus interpres contra; quia dicebat adhuc durare matrimonium: cùm mulier, quæ in hac ſeculari vita remanſit, non queat alteri nubere. *cap. accedens. & cap. ſignificauit. de conuerſ. coniug.* Ioan. Andreæ videtur poſſe adiuuari ex *Nouell. 22. Iuſtiniani*, in qua monachiſmum comparat morti; atque ideo quod pacti, aut ſtipulati ſunt coniuges in caſum mortis, trahit etiam ad caſum monachiſmi. *Nouel. 5. §. ſi quis autem forte. & l. vlt. §. nam & maritis. C. de epiſcop. & cleric.* Vt viro eligente ſolitariam vitam; reſtituatur mulieri dos, & ex donatione propter nuptias lucrum, quod ſibi pacta eſt in caſum mortis mariti; muliere autem eandem vitam eligente, vt maritus retineat donationem propter nuptias, & ex dote lucrum, de quo in caſum mortis, non de quo conuenit in caſum repudij. hæc etenim matrimonij diſſolutio fit ſine repudio. *Nouell. 117.* quæ eſt *de ſanct. Epiſcop.* Si vterque ſolitariam vitam elegerit, ſine vlla diminutione mulieri dos redditur, vir retinet donationem antenuptialem. Vincentij tamen opinio videtur eſſe longe verior; non ex eo, quòd dicit coniugium durare adhuc: quia iuris fictione; adeoq. reuera ſolutum eſt; cum non poſſint ſe inuicem repoſcere. *d. cap. accedens, & d. cap. ſignificauit.* nec alteri nubere, nec cum alia contrahere. Siquidem ſacratiſſimorum Principum iure, quo hodie in huiuſmodi definiendis, & dirimendis controuerſijs vtimur, non licet coniugum alteri diuertere, neque religionis cauſa, niſi conſentiat vterque. dictis locis. niſi matrimonium nondum eſſet perfectum, hoc eſt carnis commixtione conſummatum. *cap. verum. & cap. ex publico. eod. de conuerſ. coniugat.* quo caſu vno repugnante, alter libere poteſt vitam ſibi ſolitariam eligere, etiam ſi matrimonium eſſet contractum legitimè, & in forma conſuetæ ſanctæ matris Eccleſiæ coràm teſtibus, & tam contrahentes, quàm teſtes in libro matrimonij deſcripti fuiſſent, & tres publicæ denunciationes in ſua parochia præceſſiſſent. Rota *in vna Vlixippon. matrimonij die 5.*

Iulij 1577. *decis.* 91. *diuerſ. par.* 2. dum modo non ſit ſecuta copula. *decis.* 95. *eod. part.* 2. Sed mihi placet ob id nimirum, quod, ſi diuortium poſt donationem interceſſerit, & qui donauit donatum eſſe vult, valet donatio; quòd ſi non vult, extinguitur. *l. ſi à marito. C. de donat. inter vir. & vxor. d.l. cùm hic ſtatus. §. ſi diuortium.* namque id quod donatum eſt, intercedente diuortio, perinde habetur, ac ſi donatū non fuiſſet. *l. & ideo. ff. eo.* Si verò diuortij ergo donatum fuerit, tenet donatio. *l. Vitricus. cum ſeq. ff. eod.* cùm ſæpe cum bona gratia diſſoluatur matrimonium, ſcilicet olim propter ſacerdotium, ſterilitatem, ſenectutem, valetudinem, aut militiam. *d.l. Vitricus.* bona gratia, hoc eſt dulciter ſine querela, & ſine libello repudij; quam Anaſtaſius Imperator *in l. ſi conſtante. C. de repud.* communem conſenſum appellat; hodie, ob ſacerdotium duntaxat; & alteri ad ſecundas, vt dictum eſt, nuptias tranſire non placet. quo caſu & hodie donari poſſe haud dubito. Donatio itaque ab eo facta, qui monaſticam vitam ſibi elegit, elapſo profeſſionis anno, niſi fuerit confirmata, perimitur, cùm ipſe omnia ſua in monaſterium ſecum trahat, niſi ſuperſtites ſint filij, quibus debetur ſaltem legitima; quæ tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato illis competit. *d. Nouell.* 22. & 112. Quòd ſi monachiſmus morti æquiparatur, vel ipſo adſtipulante Iuſtiniano, ac in monacho poteſtas ſit ſimilis dominicæ, vt Bart. & cæteri *ad l. 1. ff. de vulg. & pupil. ſubſtitut.* & Viglius haud inſubtiliter *aa §. alienus. de hæred. inſtit.* adnotarunt: ſequitur neceſſariò, huiuſmodi donationem non valere: quia donator ſi ſeruus fuerit effectus, reſponſum eſt non impletam, ſed peremptam eſſe donationem; quamuis ſeruitus morti comparatur, ait Vlpianus *d.l. cùm hic ſtatus. §. ſi donator.* ſi monachiſmum morti aſſimilatur, ac proinde ſeruitus, & ſeruo æquiparatur monachus, cùm nihil proprij poſſit habere, nec ex indulgentia Abbatis, nec etiam ſummi Pontificis, *cap. cùm ad monaſterium. de ſtatu monach.* de cuius ſententia dixi aliàs: concludendum profecto eſt peremptam eſſe donationem, religionis ingreſſu. Iuſtiniani autem Nouellæ, de quibus ſupra, ad rem nihil, cùm ſit diuerſa ſpecies. eſt enim illa reciproca donatio; cùm fiat in recompenſationem dotis: vnde à Græcis antipherna dicitur *l. vlt. C. eod.* hoc eſt contrados, ſiue pactum hinc inde par, & æquale, vt deſiderat, *d. cap. vlt. & Nouell.* 97. Sed, quid iuris erit, ſi lege municipali cautum ſit, vt maritus poſt contractum matrimonium, & conſummationem, ſequuta vxoris morte ſine liberis, lucretur dotem, vel dimidium, vel tertiam, vel quartam eius partem, vt in ſtatuto verbis *lib.* 1. *cap.* 131. ſimiliter ſi ante conſummationem, & per conſequens, nullis relictis liberis, religionem ingrediatur; an maritus lucretur partem dotis à ſtatuto præſcriptam? Rota tenuit, eum lucrari, *decis.* 92. *diuerſ. part.* 2. quia communis eſt omnium interpretum opinio *ex l. Deo nobis. in fin. princ. C. de epiſc. & cler.* vt, ſiue lex, ſiue ſtatutum, pactumve deferens viro lucrum dotis in caſu mortis naturalis vxoris ſine filijs, procedat etiam in caſu mortis ciuilis, eiuſdem vxoris per ingreſſum monaſterij contingentis. Neque obſtat, quòd non ſit conſummatum matrimonium, vti ſtatuto cauetur: quia reſpondetur per maritum non ſtetiſſe, quin conſummaretur: & licet implementum hoc dicatur eſſe fictum; implementum tamen verum, & implementum fictum inde contingens, cum non ſtat per implere debentem, æquiparantur in iure, eandem rationem habent, & eundem operantur effectum. *l. iure ciuili. ff. de condit. & demonſt.* vbi omnes notant. & *d. decis.* 92. *num.* 6. Neque in hac materia monaſterium eſt loco fi liorum. *d. decis.* 92. *num.* 11. Si verò non probauerit vir per eum non ſtetiſſe, non lucratur dotem, vel partem eius. *decis.* 101. *eod. part.* 2.

Non probatur Vlpiani reſponſum *in l. 3. ff. de ſuis, & legit.* Nouus intellectus *ad cap. vlt. de ſecund. nupt.* ac de muliere, defuncto priori marito, ſtatim nubente. Cap. XIV.

FVIT iam olim lege ſancitum, mulierem, quæ intra annum lugubrem ſecundo nubit, infamia notari. *l. liberorum. §. 1. ff. de iis, qui notant. infam. l. conſenſu. §. ſi verò. C. de repud. l. 2. C. de ſecund. nupt.* quod tamen tempus apud veteres Romanos decem tantum menſibus terminabatur, vt ſcribit & Plutarchus in Antonio; qui ita de Antonij, & Octauiæ nuptijs: Hoc cùm ambobus placeret, reuerſi in vrbe nuptias firmant ex Senatus decreto. Neque enim per leges licebat ante decimum menſem à viri morte. quod ſane tempus ſufficere credebant; cùm eo tempore interiecto turbatio ſanguinis inde fieri non poſſit, quæ veteri legiſlatori cauſam eiuſmodi nuptias prohibendi dedit, quaſi vltra decem menſes vterum gerere mulier non queat, vel Vlpiano fatente *in l. 3. ff. de ſuis, & legit.* cuius verba ſunt hæc: Poſt decem menſes mortis paternæ natum non admitti ad legitimam hæreditatem. De eo vero, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die, ait, natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & Diuus Pius Pontificibus reſcripſit, iuſto tempore videri natum. In quo miror

Vlpia-

Vlpianum, ac noſtros recentiores Iuriſconſultos, Vlpianum ſequutos. Cur poſt decem menſes mortis paternæ natus non admitti ad legitimam hæreditatem debeat? ſi ex Hippocratis ſententia, qui ſeptimum menſem attingit, legitimus partus cenſetur; cùm idem ipſe Hippocrates *in lib. de octimeſtri partu, in fine*, velit, mulierem, quæ in plenilunio concepit, ad vndecimum menſem vterum gerere, his verbis? Nam cùm vltra plenilunium mulier concepit, neceſſe eſt eum conceptum vndecimum menſem attingere, ac apprehendere, quò ad vltimum circuitum perueniat. immo ſemper fere vndecimum menſem attingit partus: cùm plurimis mulieribus neceſſarium ſit in ventre concipere poſt menſtrua. (vt idem Hippocrates auctor eſt,) purgamenta, vbi ab ijs exolutæ fuerint; quod contingit plerunque in plenilunio. Cuius auctoritate fultus auſim dicere aduerſus Vlpianum, etiam poſt decimum menſem natum fore admittendum ad legitimam hæreditatem. qua in re plus tribuo Hippocrati, quàm Vlpianis ac Papinianis mille. Illud autem lugendi tempus, de quo ſupra, viſum eſt Innocent. III. matrimoniorum libertati aduerſari prorſus: cùm & Apoſtolus huiuſmodi mulieribus nubendi faciat facultatem. 1. *ad Corinth. 7.* idcirco noluit Innocentius eas infamia notari, etiamſi defuncto priori viro, alteri ſtatim nupſerint. *cap. vlt. de ſecund. nupt.* quod paulo ante conſtituerat & Vrbanus III. *in cap. penult. eod.* Nec tamen Romani ipſi Pontifices adhortantur mulieres ad ſecundas tranſire nuptias; vti perperam latratores quidam, vt etiam in Paratitlis innui. quod & quædam animalia eas monere videntur. Caſſiod. *lib. 5. Epiſt. 33.* Reſpicite, impudicæ, gementium turturum caſtiſſimum genus: quod ſi à copula ſua fuerit caſu intercedente diuiſum, perpetua ſe abſtinentiæ lege conſtringit, gratiam coniunctionis non repetit, quam reliquit: fidem ſeruat, dum laudem pudoris ignorat: & moribus ſtudere deprehenditur, quod nulla viduitatis conuerſatione gloriatur. Mulierum ſe, (proh dolor) vota continere nequeunt, quibus caſtitatem ratio perſuadet, poena legis imponit, terror maritalis extorquet. Quare Romani Pontifices eas nuptias non ſatis probant. idq. conſtat ex eo, quòd non poſſunt iterum benedici. *cap. 3. eod.* & qui ſecundò nupſit, aut vnius, ſed viduæ matrimonium eſt expertus, omnibus exuitur clericorum priuilegijs; nec illis fas eſt ad ſacros ordines promoueri. *cap. 2. 3. 4. & vlt. de Bigam. non ordin.* ad quod ſpectat etiam *c. hac ratione, 31. q. 1.* Quibus omnibus manifeſtum fit, Eccleſiam huiuſmodi viduarum connubia non ſatis commendare; permittere tamen, ne forte maiora oriantur ſcandala. Fuit ſemper pontificalis legiſlatoris intentio, ac mens, vt quantùm fieri poteſt, peccata, quibus denigratur anima noſtra, euitarentur. *c. irrefragabili, de offic. ord. c. 1. cum ſeq. diſt. 86.* neque nobis obijci poteſt, quod ait Theophaſtus *in l. 6. ff. de legib.* ea, quæ ſemel aut bis, ideſt, per rarò accidunt, contemnunt legiſlatores. id enim non rarò fit, ſed plerunque, vti publice puniantur peccata. *cap. 2. de colluſ. deteg.* ſed dum lex prohibet, ne iterum nubat, vel intra annum, afferre videtur peccandi occaſionem: quia mulier imbecillis eſt, vt ait Iuſtinianus *in l. imperialis. in princip. C. de nupt.* & Plutarchus *in Problematis* his verbis: Mulieres propinquis, & cognatis non nubunt? Quoniam mulieres propter imbecillitatem, multorum ope, & auxilio egentes, propinquis idcirco adiungere noluerunt, vt ſi qua à viris ſuis iniuria afficerentur, cognati opē afferrent; & Quintilianus his, Imbecillis res eſt fœmina. Et ob imbecilliratem facile decipitur, vti Ariſtotel. & Auicen. lib. de Animalibus aſſeuerant, ac Quidius ſuauiſſimis indicat his verbis;

Fallere credentem non eſt operoſa puellam
Gloria.

D. quoque Chryſoſtomus *in Matth. homil. 23.* Sexus, inquit, mulierum incautus, & mollis eſt; incautus, quia non omnia, quæ videt, aut audit, cum ſapientia, & ratione conſiderat: mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. in quam rem venit & *c. Adam. 33. q. 5.* & *auth. vt immob. ante nupt. donat. §. 1.* ibi, *mulier quippe mariti ſeductoribus facile decepta.* quæ eſt *Nouell. 61.* quapropter Bald. *in cap. 2. de probat.* non male dixit, ea ſtatuta, quæ in contractibus mulierum requirunt conſenſum propinquorum, habere in ſe naturalem rationem, quia mulieres multis deceptionibus patent. idem *in reſp. 115.* & Dec. *reſp. 61.* Iaſon *ad l. non tantum. ff. de re iudic.* & cùm ſit imbecillis, & carni pugnam difficulter inferat, facile in ſtupri crimen incideret. quod longe peius eſſet, maiusq. inde oriretur ſcandalum. quod vt euitetur, multa permittuntur, quæ alioquin ſatis recta non ſunt. *c. denique. diſtinct. 4. c. Siracuſanæ. 28. diſtinct. c. commeſſationes. 43. diſtinct. c. plurimos. 82.* & *c. 1. in fin. de pœnit. diſtinct. 6.* elegans gloſſ. *in d. cap. commeſſationes.* Hinc mirum non eſt, ſi voluerint Pontifices mulierem intra annum luctus nuptam minime notari infamia. quam conſtitutionem extendunt Vincentius, & Ioan. Andreæ. Hic ſiue in muliere timeatur turbatio ſanguinis, ſiue non, locum perpetuo habere dicit; ille, non ad eas tantum, quæ ſteriles ſunt, vel quas conſtat eſſe prægnantes, ſed ad quamuis aliam. Quidam tamen nomine Paulus de Leaza, dicebat ob prolis incertitudinem debere mulierem per trimeſtrem expectare; alioquin non euadere legales pœnas:

Abbas

Abbas contra propter verbum, *Intra*; quod aperte demonſtrat, in qualibet anni parte mulieri licere nuptias inire. Si ergo mulier, inquit, ab initio licite nupſit, non debet legis auctoritate deludi: nam quod fit lege permittente, non poteſt obijci, vti late dixi *ſupra cap.*11. ita vt omnes omnino legales pœnas poſſit euadere: etiam ſi prolis incertitudo oriatur. nam licet de prolis incertitudine nulla fiat mentio apud Innocentium, non debet tamen ad infamiæ duntaxat notam reſtringi: cùm generalis, & libera populi permiſſio nullam patiatur reſtrictionem, vt eleganter tradit Felinus *in d.cap. Eccleſia S. Mariæ.num.*57. *de conſtitut.* quod & vetus compilator voluit nobis indicare, dum ſubijcit illa: Et ne tibi id, vel ei, qui te duxit, in iacturam vel infamiam ab aliquo imputetur, auctoritate præſentium inhibemus. Ego libenter Panormitano aſſentio, quòd verbum, *Intra*, de quo *in d.cap.vlt.* accipiatur quidem pro integro anno, vt à primo ad vltimum diem licite poſſit nuptias inire mulier vacans: ſed aliter atque Panormitanus ipſe id intelligo; videlicet poſſe mulierem licite ſtatim à viri morte ſecundo nubere; dummodo certa ſit ſe non eſſe prægnantem, vel eſſe; ſed ſi ſit incerta, poſſe quidem nubere, ſed ſui corporis poteſtatem ſecundo marito non æque facere, vſque ad id tempus, quo incipit partus naturaliter moueri, & mulier intelligit ſe concepiſſe; quo cognito, recte poteſt, & quidem impune, & licite. idque ratione illa perelegant, quòd quemadmodum matrimonij cõtractus etiam de præſenti in Aduentu Domini, & Quadrageſima non prohibetur; ſed ſolemnitates tantum nuptiarum, quæ in ipſis celebrandis nuptijs fiunt, vti ſunt conuiuia, publicationes, ſacerdotis benedictio, in mariti domum deductio, choreæ, ac tota illa feſtiuitas, & pompa, corporum commixtio, & huiuſmodi alia, de quibus *in ſumma*, & *in c.non oportet. cum triſtus ſequen.*33.q.4. & *in l.vlt.ff. de donat.inter vir.& vxor.in l.cùm fuerit.ff.de condit.& demonſtr.l.ſancimus.C.de nupt.* & alix, de quibus Panorm. *ad cap.Capellanus. de feriis.* quæ & Tridentina Synodus approbauit *cap.*10. *& cap.vlt.ſeſſ.*24. ita in ſpecie à nobis propoſita matrimonium fieri quidem poteſt ſtatim mortuo viro, ſed corporum coniunctione illud perficere non placet, donec mulier intelligat ſe prægnantem eſſe, vel non eſſe. & ſic iſta Innocentij conſtitutio trahi nequaquam debet ad caſum iſtum, cùm ſuboriri fœtus ambiguitas poſſit. & hoc haud male ex Dione *lib.*48. probatur: qui ita ſcribit; conſultos à D. Auguſto Pontifices, an Liuia concepto, necdum edito partu, rite ſibi poſſet nubere; reſpondiſſe, vtique poſſe. ſiquidem oriri amplius non poterat partus ambiguitas. Quamobrem dicendum videtur, matrimonij vſum poſſe viduis aliquo tempore prohiberi ad euitandam prolis incertitudinem; quo ſciri poſſit, an prioris, an verò ſecundi mariti filius inde natus ſit; ac proinde mulierem impunitam non fore, ſi ita feſtinanter nupſerit, vt ex feſtinatione illa oriatur incertitudo. Neque audienda eſt mulier, ſi dixerit id prohibere non poſſe legiſlatorem ciuilem; quaſi in odium matrimonij tendat hæc nuptiarum vetatio; cùm in huiuſmodi negotijs Imperatores non dedignentur ſacras Romanorum Põtificum conſtitutiones imitari, vt hic, hoc eſt *in d. cap.vlt. & in auth. quomod.oport.epiſcop.§.vlt.* & *auth.vt cler.apud proprios Epiſcop.§.vltim.* Reſpondendum enim eſt, Innocentium loqui de conſenſu: vt ſtatim mulier vacans poſſit contrahere, ſed non item matrimonium perficere, ſi oriri poteſt incertitudo. Et vbicunque Pontificia lex expreſſe non prohibet, quod ciuili iure eſt cautum, tum id obſeruare neceſſe eſt. *cap.*1. & 2. *de noui oper.nuncia. cap.ſicut.*21. *de elect. lib.ſex.* licere enim dicitur id, quod lege vel permittitur, vel non prohibetur. *l.quidam Iherus.ff.ſeruit.vrb.prædio. l.ſemper in conuentionibus.ff.de rit.nupt.l.*1. *de iuſt. & iure.* dummodo peccatum non pariat eius obſeruatio, vti perite docuit Abbas *ad cap.filius.num.*3. *de teſtamen.* Innoc. *in cap.cùm contingat. de iureiur.* Petr.de Anchar. *conſil.*21. Ioan.And. *in cap.*2. *de verb.ſignif. in ſex.* Bald. & alij *in cap. quæ in Eccleſiarum. de conſtit.* D.Thomas 1. 2. *q.*96. *art.*4. idcirco Bald. *in cap. in omni. de teſtib.* ſcribit, eum, qui à lege humana excuſatur, non peccare, niſi diuinæ legi aduerſaretur. *cap. ſimile præſcript.* & Felin. *ad cap.*1. *num.*47. *de conſtitut.* in foro conſcientiæ leges ſeruandas eſſe: alioquin fieret, vt omnis legum forma, & ſubtilitas ad interitum ſalutis æternæ deduceret: ac proinde legum virtus magis damnanda foret, quàm maleficiorum. atqui videmus legem humanam ab æterna per naturalem emanare; iuxta illud Prouerbiorum 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Regnandi enim poteſtas diuinitus collata eſt Principibus, Apoſtoli teſtimonio ad Roman.13. *Omnis poteſtas à Domino Deo eſt.* Cùm ergo Principes à ſummo Deo habeant condendi leges poteſtatem, quippe quæ ad culpam obligant, & de genere ſuo ad mortalem, vti D.Thomas *loco citat.* & late Soto *lib.de iuſt.& iur.*1.*q.*6. *art.*4. nulli dubium eſſe debet, quin imperialis conſtitutio obſeruari poſſit etiam in ijs, quæ ad matrimonium indirecte, & minus principaliter tendunt, ſi aduerſus illas nulla extet Pontificalis ſanctio, & quidem expreſſa. qua de re late alibi.

De

De introductitijs mulieribus. Cap. XV.

TAM in libris nostris, quàm in Nouellis Iustiniani, & in Nomocanone Photij passim legitur Introductitia mulier; vel introducta, prout *in c.interdixit.32. distinct.* de cuius vocis significatione dubito, an apud Latinos interpretes quæsitum sit vtquam; non æque apud Græcos. Nam cùm apud eundem Photium *in tit.8. de precibus*, extet cap. ita inscriptum; *De Episcopis, & clericis, qui cum introductitijs mulieribus conuersantur*, quod est cap.14. nonnulli Græcorum existimauere introductitiam mulierem esse illam, quæ pro legitima vxore introducta est, & cum aliquo fornicatore cohabitat: Theodorus Balsamon *in cap.3. Nicenæ synod.* vbi ita scriptum est apud Gentianum Heructum: Vetuit omnino magna synodus, ne liceat Episcopo, nec presbytero, nec Diacono, nec vlli penitus eorum, qui sunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam vtique matrem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt; ibi, inquam, Balsamon asserit, introductitiam illam, esse omnem mulierem cum aliquo extraneo cohabitantem, etiam si ab omni suspicione aliena sit; ex eo quòd Magnus ipse Basilius in Epistola ad Gregorium presbyterum, in qua ei denunciat, vt ab introducta muliere separetur, & non ex eo ipsum deponendum decreuit; tametsi euidenter, & absque dubitatione vlla peccet. Sed quæro à Balsamone, quid sibi velit Iustinianus *in Nouella 6.* quæ est in vulgatis codicibus sub tit. *de sanct. Episcop. S. presbytero.* quam refert & Photius ipse *in d.cap.6.* his verbis: Nullus clericus, qui vxorem non habet, habeat in domo sua introductitiam, præterquam matrem, & filiam, & sororem, & alias non suspectas. Si autem hæc non seruauerit, & bis ab Episcopo, vel cum clericis admonitus eam non ejecerit, vel eo etiam accusato offensum fuerit illum se dedecore gerere, deponatur, & detur curiæ, cuius erat clericus. Quibus verbis monemur clericum ob introductam mulierem esse deponendum; docemurq. non dici mulierem omnem (cum aliquo externo, hoc est non consanguineo, seu marito) cohabitantem; cum clericus possit amicillam habere, modo talis sit, ne de ea haberi possit suspicio. *d.c.interdixit. & c.fœminas.81. distinct.* quo loco Syrius Papa constituit, fœminas in domo clericorum pati non debere, exceptis, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eis Nicena synodus permisit. Synodus autem Nicena permittit in *d.cap.3.* amitam, ac eas solas personas, quæ omnem suspicionem vitare possunt. Hic notandum obiter est, male Contium adnotasse *cap.5.* Nicenæ synod. cùm sit *c.3.* Introductitia ergo mulier meo iudicio erit, quæ libidinis causa intus retinetur; hoc est, quæ non in luce, & oculis ciuium, sed intus in domo habetur. nam & illud Ciceronis ad Atticum rem hanc concinne videtur respicere: Iam verò ò Dij boni, rem perditam, etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones, nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Matrimonia palam, & omnibus coram fiunt; introductiones nequaquam. Immo Vlpianus *in l. cùm fuerit. ff. de condit. & demonstrat.* scribit conditionem nubendi tunc videri impletam, cùm vxor fuerit deducta. & Iustinianus *in l. sancimus. C. de nupt.* Conditionem nuptiarum impleri non posse, nisi ipla accedat festiuitas. Festiuitas autem nihil aliud est, quam solemnis illa in domum deductio. Et ex ijs infertur, fornicarias mulieres dici solitum, introduci; vxores verò in domum deduci cum festiuitate, & pompa. Quod autem Basilius dicit, ob introductitiam mulierem non esse clericum deponendum, licet mortali notetur culpa; accipiendum est, quando clericus ab Episcopo nondum fuit monitus, prout Iustinianus *in citata Nouella* desiderat, & Photius *in d.c.14.* Ante monitionem non potest deponi, etsi peccet mortaliter.

De varia Romani Pontificis electione. Cap. XVI.

VARIATVS sæpe fuit eligendi Romani Pontificis mos, vt passim videre est in historijs Ecclesiasticis, in sanctorum patrum scriptis, atque in libris nostris. quæ omnia cùm sparsa, vageq. dissecta sint, ea ipse in hoc vnum caput, vt omnibus pateant, seligere decreuimus. Primùm igitur B. Petrus à Christo Iesu Apostolorum princeps factus, ac eius in terris Vicarius constitutus, suos successores designauit Linum, Cletum, & Clementem. *can.1. & 2.8. q.1.* Ab his vsque ad secundum schisma inter Damasum, & Vrsicinum (numerantur autem ex Platina Pontifices 35.) cùm locus Petri, & magnus ille cathedræ sacerdotalis gradus vacabat, clericorum omnium, & plebis suffragijs in prædefuncti locum eligebatur Rom. Papa. quod indicat taris D. Cæcilius Cyprian. *lib.4. Epist.2.* de electione S. Cornelij ad Antonianum scripta. Ortum autem schisma cùm cognouisset Imperator Valentinianus, vir religiosus, seditionis vrbanæ, schismatisq. tollendi causa, Damasum, Vrsicino vrbe expulso, anno primo, & mense secundo ordinationis eius, in pontificatu

tificatu confirmat, teſtimonio Socratis *lib. hiſtor. Eccleſiaſticæ 2. cap. 27. & lib. 4. cap. 29.* Theodoreti *lib. 1. c. 15. 16. 17.* Sozomeni *lib. 4. c. 11. & lib. 6. cap. 23.* Et hæc cauſa fuit, vt in eligendis Roman. Pontificibus Imperatorum auctoritas cœperit interponi: primùm quidem in ſchiſmate duntaxat ad ſedandos tumultus, ortos, vt Valentiniano imperante diximus, inter Damaſum, & Vrſicinum, & tempore Honorij legimus inter Bonifacium, & Eulalium: ſpurijs enim reiectis, veri Pontifices in pace Apoſtolicam ſedem obtinuere. Item & Theodorico regnante inter Symmachum, & Laurentium. Et cùm hic expulſus ab Imperatore eſſet, ille vero in ſede repoſitus; tum Baſilius vir clariſſimus præfectus vrbi Romæ, atque vices Odoacris agens, præcepit, ne quis in B. Petri locum ſine eius conſultatione eligeretur. *can. 1. 96. diſtinct.* aliaq. multa contra Eccleſiaſticam libertatem decreuit. quæ in 3. Romana ſynodo, tanquam à non habente poteſtatem conſtituta, ſunt reiecta. & hic nimirum eſt, cuius meminit Innocent. III. *in cap. Eccleſia S. Marie. de conſtitut.* Deinde extra ſchiſma etiam hanc ſibi vſurparunt eligendi facultatem Imperatores; quorum primum Onuphrius vir antiquitatis peritiſſimus exiſtimat Iuſtinianum fuiſſe; qui, vel ex eius auctoritate Vigilius Papa, inſtituit, vt deinceps Rom. Pontifex legitime electus, non ante conſecrari, atque ab Epiſcopis ordinari poſſet, quàm eius electio, ab Imperatore Conſtantinopolitano, vel eius Exarcho, confirmata eſſet, ipſeq. litteris ſuis patentibus licentiam electo Pontifici concederet. Veritus enim eſt Imperator, ne noui alicuius Pontificis, cuius tum maxima eſſe cœperat temporaria auctoritas, Imperatoribus præſertim Italia abſentibus, factione, vrbs, Italiaq. tota ab Orientali Imperio deficeret, ac ſe finitimis barbaris traderet. Hinc paſſim videas apud Platinam, Iuſſu Principis electus; alibi, Iniuſſu Principis; vel in Pelagium. Qui mos peruenit vſq. ad Benedictum II. cuius ſanctitate permotus Conſtantinus Imperator Heraclij pronepos, edicto cauit, vt deinceps is, quem clerus, populuſque Rom. ſummum Antiſtitem delegiſſent, nulla Imperatoris expectata licentia, more vetuſto, ab Epiſcopis ſtatim conſecraretur. Rurſus Adrianus huius nominis primus, conuocata ad hoc ſynodo Lateranenſi Epiſcoporum 153. ius eligendi Vrbis Epiſcopi Carolo Magno, ob pulſos Italia Longobardos, conceſſit, vt Iuo Carnot. ſcribit *lib. 1.* & Gratianus *in can. Adrianus. cum ſeq. 63. diſtinct.* Sed illi iuri aliquo poſt tempore, renunciauit eius filius Ludouicus. *can. ego Ludouicus. eod. diſtinct.* ita vt vetus in nouis Comitijs Pontificijs mos ſeruaretur. qui obtinuit vſque ad tempora Leonis Octaui. cuius auctoritate iterum clero, ſenatui, populoq. Romano eligendi facultas adempta, Othoni primo Germanorum regi reſtituitur. Qua abuſi ſunt Othonis ſucceſſores, veluti ipſe Henricus II. qui accepta à Clemente II. imperij corona, Romanos iurare coegit, ſummi Romæ Antiſtitis electioni ſe nequaquam interfuturos, niſi Imperatoris iuſſu, id facere cogerentur. Tandem Gregorius VII. ius eligendi Henrico IV. ademptum, Cardinalibus & clero, S. P. Q. R. reſtituit. quanquam Nicolaus II. natione Allobrox, qui Gregorio præceſſit, in Lateranenſi Concilio videtur ad Cardinales Epiſcopos electionem detuliſſe; ita tamen, vt à reliquo clero, P. Q. R. comprobaretur, vt *in can. 2. diſtinct. 23.* legitur. At verò Innocentij II. temporibus populus Romanus, quòd Pontifici rebellis eſſet, anathemate notatus, tunc primùm à Pontificis electione omnino excluſus eſt, & electio ad ſolos Cardinales redacta. Vnde Cœleſtinus 2. qui proxime Innocentio ſucceſſit, ſine vllo populi interuentu, Princeps totius Catholicæ Eccleſiæ eſt creatus, vt Onuphrius ex vetuſtiſſimis exemplaribus, ac bonis auctoribus refert; licet non dubitem, quin interceſſerint interdum cleri, populique Rom. ſuffragia; donec conſtitutiones de comitijs Pontificijs in conclaui celebrandis editæ ſunt in Lugdunenſi Concilio à Gregorio X. de quibus late *in cap. vbi periculum. de elect. libr. ſex.* quo loco ponitur cauſa huiuſmodi conſtitutionis; tum quomodo fieri debeat Pontificis electio, ſi moriatur in ciuitate, in qua viuens cum curia reſidebat; & quomodo extra ciuitatem; & quomodo ſe gerere deberent in poſterum Cardinales in futuris comitijs Pontificijs. Quæ conſtitutio adeo præualuit, vt vſque ad noſtra tempora perduret, & obſeruetur, quam in perpetuum obſeruari optamus, atque ſperamus.

De pacto redimendi, cùm emptor vendere voluerit. Cap. XVII.

LIcet dubiam eſſe quæſtionem illam, num contractus præſumatur fœneratitius, vbi pactio de retrouendendo fuerit adiecta; quæ dici poteſt retractus conuentionalis, vti vocat Tiraquellus *in princ. lib. 2. de retractu conuentionali.* & dicitur conuentionalis, & quidem Latino verbo, quod ex conuentione, & pacto partium proficiſcatur. *l. 5. §. conuentionales. & l. In conuentionalibus. ff. de verbor. obligat.* videlicet cùm inter emptorem, & venditorem conuenit, vt venditor intra certum aliquod tempus, aut quandocunque, aut ſimpliciter ſine temporis adiectione, poſſit rem venditam redimere, reſtituto pretio. Quod ſane

pactum

pactum vulgus de retrouendendo, nonnulli de reuendendo appellant; & approbatum videtur iure ciuili *in l. 2. C. de pact. inter emptor. & venditor*. item iure noſtro *in cap. ad noſtram. de emptio. & vendit. & in cap. conqueſtus. de vſur.* neque à Theologis videtur improbatum, vt ait *Tiraquell. loco iam citato, num. 4.* in foro ſcilicet interiori: maxime quòd in ſacris literis Leuitici 25. *Dominus hæc dixit filijs Iſrael: Cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur*. Non adhuc tamen vſurarum caret ſuſpicione: quaſi hoc contractu ad vſuras pateat aditus. Sed non eſt in præſentia inſtituti noſtri de his pluribus quærere. dicam tamen vſurariũ non cenſeri contractum, ſi ſimulatio ſaltem ex parte emptoris abeſt; ita vt emptor vere, & principaliter intendat emere. item ſi non fiat pactũ, vti res maiori væneat prætio, quàm quo vendita eſt. *cap. illo vos. de pignor.* vel ſi minoritas interuenit pretij, quo vendi alioquin poterat. hoc enim euidentiſſimum præbet ſimulationis argumentum; ſi longe, inquam, minori pretio væneat res, quàm alioquin venderetur, ſi pure, & libere venderetur; non, vt dicunt noſtri, ſi vltra dimidiam iuſti pretij venditor decipiatur, ſiue laedatur; ſed ſi in minori parte; ita vt ſi res eſt ſecundum communem æſtimationem valoris 12. non debeat diſtrahi minoris pretij, quam 9. & tunc reor huiuſmodi contractum non cenſeri fœneratitium; etſi non tanti res eſt vendita, quantum valet; dummodo emptor, vt dixi, intendat vere, & principaliter emere. quia licet viliori emat pretio, quam poterat vendi, nihil ei imputandum eſt; cùm id natura comparatum ſit, vt res carius væneat, quam ematur. *l. ſi voluntate, C. de reſcinden. vendit. l. item ſi pretio, §. vlt. ff. locati*. quo loco Paulus eleganter tradit, In emendo, & in vendendo naturaliter eſſe cõceſſum, vt contrahentes inuicem ſe circumſcribant, quemadmodum & Vlpianus *in l. in cauſa. 2. §. penult. ff. de minor.* vt quod pluris eſt, minoris emere; quod minoris eſt, pluris vendere ſtudeant: tum etiam quia res vilior æſtimatur, cùm habeat onus reuendendi appoſitum, Iaboleni teſtimonio *in l. fundi partem, ff. de contrahend. empt.* Neque huic aſſertioni aduerſatur *d. cap.* ad noſtram. & *d. cap.* illo vos. cum iſta venditio pura cenſeatur, non contractus pignoratitius. Sed illud, de quo quærimus, videtur habere maiorem longe dubitationem; Quando ſcilicet poteſtas redimendi in emptoris facultatem eſt collata. Ioan. ab Imola *in d. cap. illo vos. num. 18* exiſtimauit venditionis contractum non ex eo fœneratitium præſumi, quod eam habeat conditionem, vt cùm emptor eandem rem vendere voluerit, primus venditor eam reſtituto pretio emere teneatur. Imolam ſequitur Alexander *Germon. Animaduerſiones*,

conſ. 54. num. 2 lib. 6. Ioan. à Medina *lib. de reſtitutione cap. de cenſu redimibili*, ex recentioribus Didacus Couarr. *lib. variarum reſolut. 3. cap. 9. num. 3.* quippe qui nititur hanc opinionem hiſce ſubſequentibus rationibus corroborare, quòd quemadmodum res quælibet in perpetuum alienari poteſt, & ita vendi, vt nullo pacto emptor eam teneatur reuendere; atque item ea pactione, vt quotiees venditor eam velit redimere, emptor teneatur vendere: ita (vt paria ſint contrahentium iura) poterit venditor adſtringi, & obligari ad emendam rem, quoties emptor eam reuendere voluerit. Poteſt quoque Titius obligari ad emendam rem aliquam, quæ Sempronij ſit, quoties is eam vendere voluerit; quod nemo negabit: poterit igitur idẽ obligari ad emẽdam rem, quam ipſe Sempronio vendidit, cùm Sempronius eam reuendere voluerit, modò iuſtum pretium venditioni accedat. Sed ignoſcat mihi Didacus, ac alij iam citati: nam hac quidem interpretatione nihil peius: cùm vſurarum locus longe lateque pateret. Quis enim dubitat emptorem ſibi ſemper prodeſſe curaturum? ita vt ſi viderit ſibi expedire, ſi retinuerit fundum hac lege emptum, non curet venditori reuendere; vel ſi prodeſſe ſibi nihil cognouerit, ſtatim cogat venditorem, vti reſtituat pretium, & fundum recipiat? Itaque melior longe erit emptoris conditio, quam uenditoris. Tanto melior eſt uenditoris, ſeu indigentis conditio, quanto liberiorem habet facultatem ſe adiuuandi; & quãto magis hoc pender ab eius poteſtate. Contra uero deterior eſt uenditoris ipſius conditio, ſi facultas redimendi ab emptore primo pendet: cùm ſe adiuuare nequaquam poſſit ex huiuſmodi pactione. Tanto magis igitur contractus eſt ſuſpectus, & uſurarius. immo hic uidetur eſſe caſus *d. cap. illo vos.* ibi, *Cum venditioni prædictæ talis fuerit adiecta conditio, vt ſi a tempore contractus uſque ad duos proximos annos præfato T. emptio diſpliceret*. & hæc non eſt ucra conditio, ſed cõtractus pignoratitius. Neque argumenta Didaci quicquam faciunt: cùm ex illis nulla argui poſſit ulurarum ſuſpicio, ut in caſu noſtro. Neque mihi placet, quod noſtri exiſtimant in interpretatione *ad cap. illos vos, ſæpe cit.* tria nempe eſſe neceſſaria, ut uenditionis contractus cenſeatur fœneratitius; uidelicet pactionem reuendendi collatam in emptoris uoluntatem; clauſulam de computandis fructibus in ſortem, & pretium; item quod reuenditio maiori fieri debeat pretio, quam ipſa uenditio. Dico iſta augere quidem ſuſpicionem, ſed non utique efficere, ut contractus præſumatur uſurarius, ſed ſatis eſſe, ut reuenditionis facultas pẽdeat a uoluntate emptoris. Quod ſi emptor tempore, quo uoluerit reuendere, fructus perceptos in ſortem computa-

uerit, tunc puto nullam cenſeri vſuram: cùm videarur illum fundum recepiſſe à creditore, quo magis ſibi de pecunia commodata cautum ſit; argumento eius, quod ſcribit Iuſtinianus *in princ. tit. de fideiuſſ. inſtitution.*

Interpretatio *cap. 1. & cap. a nobis. de cohabit. clericor. & mulier.* Cap. XVIII.

DVÆ ſunt conſtitutiones in titulo de cohab. cler. & mulier. quæ aduerſantur ſibi inuicem: nam *in cap.* 1. clericis interdictum eſt mulierum conuerſatio, & cohabitatio earum etiam, quas canones concedunt: cõcedunt autẽ matrem, ſororem, amitam, & alias, quæ omnem effugiunt ſuſpicionem. At *in cap. penultimo*, cuius autor eſt Innocen. iij. conceditur habitare poſſe cum ijs, in quas naturale fœdus non ſinit vllam cadere poſſe ſuſpicionem. quæ conſtitutio videtur ab antiquioribus conſtitutionibus emanaſſe. Iuſtinianus enim *in l. eum qui. C. de Epiſc. & cler.* Sacerdotes, inquit, & clerici cum ſolis ſuis matribus, & filiabus, & ſororibus, & ijs, quæ eis ante nupſerunt, cohabitent. idem *in Nouell.* 123. Canon autem 3. Nicenæ ſynodi 1. *Vetuit*, ait, *omnino magna ſynodus, ne liceat Epiſcopo, nec presbytero, nec Diacono, nec vlli penitus eorum, qui ſunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam vtique matrem, vel ſororem, vel amitam, vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* & hanc refert Gratianus *in can. interdixit.* 32. *diſtinct.* & Burch. *lib.* 2. *cap.* 106. Iuo *lib.* 3. *tit.* 8. *cap.* 29. Anſelmus *lib.* 7. *cap.* 133. De hac intelligere etiam voluit ſexta ſynodus in Trullo apud Photium *cap.* 5. dum dicit, quæ in canone inſeruntur; & Maguntinum Concilium *in can.* 49. ibi, *vltra licentiam canonum*. Attamen in Cõcilio Nannetenſi, *ex quo d. cap.* 1. eſt deſumptũ, non ex Maguntienſi, vt in vulgatis codicibus, conſtitutum eſt, vt clericus nequaquam poſſit habitare cum ijs mulieribus, quas iam dicti canones permittunt. Gloſſa ibi communiter recepta, teſtimonio Abbatis dicit *d. cap.* 1. accipi de ſuſpectis; hoc eſt, ſi vterque eſt iuuenis: ſed citatum *cap. penult.* quando ſunt adeo ſenes, vti ſuſpicio nulla oriri poſſit. Hæc ſolutio non mihi videtur ſatis recta, neque ratio iſta à Pontifice redditur, ſed illa; quia naturale fœdus nihil permittit fœui criminis ſuſpicari: quæ ratio ab eodem Pontifice affertur *in cap. cum in iuuentute de præſumpt.* quaſi natura hominum mentibus inditum ſit, vt ab huiuſmodi nefandis, & deteſtabilibus concubitibus ſe abſtineant; quæ etiã bruta quædam animalia reſpuere *ſup. cap.* 16. ex Ariſtotele, & alijs Ethnicis hominibus oſtendimus. Non eſt igitur dubitandum, quin ab illo Nannatenſi Concilio nõ diſſentiat Innocentius, forte exemplo ſapientiſſimi Solonis, qui nullam in parricidas pœnam conſtituit, interroganti dicentis, ſe neminem patrem eſſe interfecturum, exiſtimaſſe: motus Innocentius iij. exiſtimauit, nullum fore clericum adeo voluptati, carnalibuſque deſiderijs deditum, vt cum matre, ſororeve ſuam explere libididem cogitaret. Patres verò in citata ſynodo Nannatenſi exemplo Romanorum fortaſſe ſunt incitati, qui in parricidas ſupplicium ſingulare excogitarunt, vt autor eſt M. Tullius *in orat. pro Roſcio Amerino*, & Modeſtinus *in l. pœna, ff. ad l. Pompeiam de parricid.* intelligentes nimirum, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, aut auaritia; nec eſſe tam naturale fœdus (cum tamen hoc non ſit vere naturale, vt *in d. cap.* 17. dictum eſt,) quod non inquinaret, ſuggerente humani generis hoſte, effrenata cupiditas. Cõtigit forſan paulo ante quam ipſa Nannatenſis ſynodus celebraretur, vt aliquis cum matre, vel conſanguinea aliqua ſit deprehenſus, qui cauſam recedendi ab antiquis canonibus, & nouam condendi legem præbuit. Verum quoniam bono legiſlatori ſemper curæ eſt, occurrere illis, quæ plerumque eueniunt, non ijs quæ raro. *l. neque leges. ff. de legibus*, ideo Innocentius iij. antiquioribus inhærens canonibus, clericis conſulere maluit, vt cum ijs habitare poſſint, à quibus natura quodammodo nefarias libidinum contumelias, turpitudineſque repellit; item matribus, & conſanguineis. nam cùm mortui mundo clerici dicantur; ſolatij loco eſt illa cum filijs, & fratribus cohabitatio, argumento *l. iure, ff. de iure dotium*. Conſtitutio tamen *cap.* 1. pro conſilio adhuc ſatis commode retineri poſſet; cùm ipſe B. Auguſtinus fœminarum omnium, ac in eis ſororis, ac fratris filiæ contubernium, familiaritatemque euitaſſe dicatur; quippe qui dicere ſolebat: Quamuis propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas venitarent, poſſe ſuſpicionem efficere.

De

De tranſlatione Epiſcopi, & de differentia ſpiritualis coniugij, quod contrahitur inter Epiſcopum & Eccleſiam, & inter ſacerdotem Epiſcopo inferiorem & Eccleſiam. Cap. XIX.

QVIA in titulo de tranſlat. Epiſc. dixi, ſolum Rom. Eccleſiæ Principem poſſe diſpenſare cum Epiſcopo, vt ex vna in aliam ſe trãsferat ciuitatem, quod matrimonium ſpirituale ſit initum inter ipſum, & eius Eccleſiam; & *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*; Matth. 19. & *can. limina* 30. *q.* 1. à viro ingenij excellentiſſimi ex me quæſitum eſt, quare Pelagius ij. *in can. Epiſcopus.* 7. *q.* 1. ex Concilio Carthaginenſi 4. *cap.* 27. omnibus Epiſcopis facultatem præbuit clericis Epiſcopo inferioribus concedendi, vt ex vno ad aliud ſe transferant beneficium; cùm perinde videatur coniugium contractum inter ſacerdotem Epiſcopo inferiorem & ſuam Eccleſiam, ac inter Epiſcopum, & eius Eccleſiam. Quare, quæ ſit diuerſitatis ratio, ne alijs in poſterum in his hæſitare contingat, paucis hic explicabitur. Conſtat itaque *ex c.* 2. 3. *& vlt. de tranſlat. Epiſcop. & electi.* (vt res paulo altius repetatur) ſpirituale coniugij fœdus, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, perquàm ſimile eſſe legitimo matrimonio, quod inter virum & vxorem eſt contractum: & quemadmodum huius matrimonij vinculũ homo nequit diſſoluere, *ex d. c.* 19. *Matth.* ſic & illius, quod in electione initiatum, in confirmatione ratum, & in conſecratione conſummatum intelligitur. *d. c. vltim.* quæ omnia poſſunt in carnali matrimonio conſiderari. *cap. debitum de Digam.* Neceſsitatis tamen cauſa, & vtilitatis, poteſt ipſe, & quidem ſolus, cum Epiſcopo Romanus Antiſtes diſpenſare, vt vna Eccleſia relicta, aliã accipiat. & tunc non homo, ſed Deus ipſe, quos Papa ſeparat, ſeparare intelligitur; cùm non meri hominis, ſed veri, & omnipotentis Dei vices in terris tueatur, & gerat. *d. c.* 3. Idcirco beatiſſimus Petrus Apoſtolici ordinis princeps ex Antiochenſi Eccleſia ad arcem Romani tranſlatus eſt imperij: vti lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus diffunderet. Euſebius è parua quadam ciuitate Alexandriã, & Felix è ciuitate, in qua prius fuit conſtitutus, Epheſum tranſlati ſunt: & alij quam plurimi ex vna in aliam ſunt traducti, vt videre eſt apud Eccleſiaſticos ſcriptores, velut Euſebium, Sozomenum, Socratem, & alios. idq. quotidie fieri videmus, & experimur; ita vt probatione non ſit opus. Sed non dicitur tranſire è ciuitate ad ciuitatem, neque ſe transferre de minori ad maiorem, qui nec ambitu, nec propria voluntate, ſed aut vi à propria ſede depulſus, aut neceſsitate coactus, aut vtilitate loci, vel populi, non ſuperbe, ſed humiliter ab alijs eſt tranſlatus. *can. ſciat.* 7. *q.* 1. Rationem autem diuerſitatis inter Epiſcopum & ſacerdotem Epiſcopo inferiorem ſciendum eſt eſſe elegantem. dum enim huic confertur beneficium, nulla prorſus interuenit conſecratio; quando vero confertur Epiſcopatus, non item, Siquidem Epiſcopi caput, & manus vnguento conſecrantur. *cap. vnic. in princ. de ſacr. vnct.* Caput inungitur propter auctoritatem, & dignitatem; & manus propter miniſterium, & officium. Caput vngitur, vt oſtendatur eum illius repræſentare perſonam, de quo dicitur Pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Caput enim viri CHRISTVS, caput CHRISTI DEVS: qui de ſe dicit, *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me; Euangelizare pauperibus miſit me:* Lucæ 4. & 1. ad Corinth. 11. Manus Epiſcopi inunguntur, vt ſignificetur eum accipere poteſtatem benedicendi, & conſecrandi. Cùm ergo in collatione beneficij Epiſcopatu inferioris nulla fiat conſecratio, matrimoniũ licet videatur initum in collatione, non tamen conſummatum, ſeu conſummatum intelligitur: cùm conſecratio ſit, quæ ſpirituale perficit, & conſummat coniugium. Ideo Panhormitanus poſt Ioann. Andreæ *ad cap. clerici, de vita & honeſtate clericorum.* exiſtimauit Eccleſiam proprie dici viduam, ſiue viduatam, quando caret Epiſcopo, vel Abbate; cæterum dicitur vacare: quia iſti ſoli dicuntur Eccleſiarum ſponſi, *cap. ne pro defectu. de electio.* Non eſt igitur mirum, quod Epiſcopus poſſit diſpenſare cum clerico inferiore, vt ex vno in aliud ſe transferat beneficium. Quemadmodum enim diſpenſare poteſt Epiſcopus cum eo, qui nuptias contraxit, non conſummauit tamen corporum commixtione, ſi voluerit religionem ingredi, *cap. commiſſum. de ſponſalibus & matrimon. cap. ex publico. de conuerſione coniugat.* quod fit caſtitatis ergo, & fauore, cum ſtatus virginitatis, vel cœlibatus coniugali ſemper ſit anteponendus. *Matth.* 19. 1. *ad Corinth.* 7. *cap. nuptia.* 32. *q.* 1. *cap. qui ſitit.* 33. *quæſt.* 5. *d. cap. commiſſum.* & in Concilio Tridentino *can.* 10. *ſeſſ.* 24. eadem ſane ratione, hoc eſt publicæ vtilitatis cauſa, diſpenſare poteſt cũ clerico, vt vno relicto beneficio, aliud accipiat: cùm in primo non dicatur perfectum matrimonium: ſicut in carnali, quando non eſt corporis coniunctione conſummatum. *cap. debitum. de Digamis.* D. Hieronym. *in cap. quapropter.* 27.

quæſt. 2. quæ ſponſali coniunctione perficitur. idem *in can. ſi quis. & in can. omni eod.* 27. *q.* 2. Dicam tamen, ante coniunctionem perfectum eſſe matrimonium, quo ad vinculum; ſanctumq. ex ſanctitate Sacramenti, vt fuit inter Beatam MARIAM Virginem, & Ioſephum, vti late ſupra *cap.* 2. dictum eſt. Non mihi tamen placet, quicquid dicat glоſſa *ad d. can. Epiſcopus.* 7. *quæſt.* 1. quod Epiſcopus poſſit cogere clericum, vt e minori ad maiorem ſe transferat Eccleſiam, cum nemo creſcere compellatur inuitus. *can. geſta.* 74. *diſtinction.* niſi vrgeat neceſſitas, vel maior poſtulet vtilitas. *cap. quæſitum. de rerum permut.* facit & *c. queris. in fin. de etat. & qualit.*

Dictionem, Conditionem, *in cap. nulli, §. alienationis de reb. Eccleſ. alien. vel non.* ſuperfluam eſſe, & mendoſe à Burchardi librarijs, pro, Venditionem, adiectam. Cap. XX.

EX Concilio apud Siluanen. relatum eſt *cap. nulli. de reb. Eccleſ. alien. vel non.* quod *in §. alienationis*, his verbis eſt ſcriptum: *Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum.* Quæ omnia clara per ſe ſatis ſunt, excepta ila voce, *Conditionem*, quæ interpretibus quæſtionem fecit maximam. Innocentius grauiſſimus, & doctiſsimus iuriſconſultus, & Pontifex maximus, in commentarijs *ad d. cap. nulli.* vult poſſe intelligi verbum, *Conditionem*, vt dicatur contractus conditionalis, vbi prædium conſtituitur tributarium, & vulgò tale prædium dicitur conditionale, mutata ſcilicet conditione, ideſt ſtatu, cauſa, & natura prædij. veluti cùm ab initio liberum eſſet, facis illud tributarium, vel annua penſione grauas. Item poteſt, ait Innocentius, intelligi de contractu ipſo, cui fuit adiecta conditio; veluti ſi nauis ex Aſia venerit. Quæ interpretatio ab alijs eſt prorſus improbata, ob illud in iure vulgatum, Conditio nihil diſponit. vnde alij legebant, Conductionem, quos idem Innocentius damnat, dicens, Conducere non eſt alienare. *l. penult. §. inſtituto ff. de lega.* 2. quia locatio, ſiue conductio non ſolet dominium mutare. *l. non ſolet, ff. locat. l. ad probationem. & l. ſi conductionis, C. eod. de locat. & conduct.* quamobrē Accurſius *ad d. §. inſtituto.* ſcribit, quòd ſi cuiquam interdicta eſt alienatio, poteſt tamen in centum, & mille annos locare. Etſi rectius mihi videtur dixiſſe glоſſa *ad Clem.* 1 *eiuſdem titul. de reb. Eccleſ. alienand.* quòd conductio non ſit alienatio, ſi ad modicum tempus fiat. quod & alij poſt Panhormitanum probant; ſecus ſi in longum, &, vt vulgò interpretes dicere ſolent, in decem annos. quia dominium videtur quodammodo tranſlatum, adeoque vt conductori in rem competat actio. *l.* 1. *§.* 1. *ff. de ſuperficiebus.* Quintinius legendū putat; Alienationis verbum continet teſtamenti conditionem. nam qui teſtamentum condit, alienat. Cuius opinionis videtur fuiſſe Contius. ſed ego non video, quid ſibi velint. Eſt enim certiſsimi iuris, teſtamentum à clericis de rebus proprijs, aut ex diligentia acquiſitis factum valere, non item de rebus Eccleſiæ. *cap. quia nos. & cap. relatum.* 2. *de teſtamen.* Ego olim probabam primam Innocentij interpretationem: hodie ſententiam mutare minime pudet; videlicet, quòd vox illa, Conditionem, ſit ſuperflua, & mendoſe ſit pro Venditionem, à Burchardij librarijs adiecta, quam & Papienſ. retinuit. In veteribus ſiquidem exemplaribus deeſt, vt Antonius Auguſtinus in Notis etiam oſtendit palam, dictio illa, Conditionem, vel apud Iulianum, & Iuonem: tametſi Raymundus vtranque vocem, hoc eſt Conditionem, & Venditionem, edidit, crucem, vt aiunt, interpretibus relinquens. In Græcis etiam exemplaribus, vt idem Auguſtinus interpretatur, ita legitur: *Alienationis autem nomen generale ideo poſuimus, vt prohiberemus & venditionem, & donationem, & in perpetuum porrectam emphyteuſim, quæ non longe ab alienatione diſtat.* Itaque videmus deeſſe, *Conditionem*. Quam lectionem libentius probaui, cum viderem apud Iuſtinianum *in Nouella* 7. *de non alienan. aut permut. reb. Eccleſ. §. nos igitur. verſ. alienationis.* ex qua & conſtitutio noſtra videtur exhauſta, hanc quoque vocem Conditionem, deeſſe. Ita enim Iuſtinianus: *Alienationis autem nomen generalius ideo poſuimus, vt prohibeamus & venditionem, & donationem, & commutationem, & in perpetuum extenſam emphyteuſim; quæ non procul ab alienatione conſiſtit.*

Quare non eſt, quod laborent interpretes in quærenda huius verbi ſignificatione, vi, & effectu.

Recu-

Recuſato eo, qui principalem habet iuriſdictionem, vti ſuſpecto, recuſari poſſe eius quoque Vicarium. Conciliata *l. vnica, C. ſi quacunque prædit. poteſt.* cum *cap. inſinuante de offic. iudic. deleg.* Et qui ſint Vicarij Præfectorũ Prætorio. Cap. XXI.

QVAMVIS alias mihi viſum ſit, quod recuſato Vicario, tanquam ſuſpecto, non eſſet ordinarius iudex recuſandus ex eo ſolùm, quod illius ſit Vicarius, quandoquidem de ſuſpicione Vicario oppoſita cognoſcat ordinarius. *cap. ſi contra vnum. de offic. iud. deleg. lib. 6.* quod tam de Vicario, quam de delegato intelligendum eſt: etſi id negat Alciatus *ad cap. 1. de iudic.* qui tamen conuincitur ex his ipſius textus verbis: *Cum autem ipſe delegatus Epiſcopi recuſatur; recuſationis cauſa coram Epiſcopo eſt probanda.* Quod locum habet, etiam ſi eiuſdem officialis recuſetur: licet ad ipſum ab eodem officiali nequeat appellari. Attamen non placet, vt recuſato principali iudice, ius dicat eius Vicarius; tum, quod nulla ratio id ſuadet, cum Vicarius ſit vna, eademque perſona cum ipſo principali iudice. vti *in cap. 7. lib. 1* abunde ſatis dictum eſt; tum ex his, quæ habentur in *cap. inſinuante, de offic. iud. deleg.* Obſtare videtur *l. vnica, C. ſi quacunque prædit. poteſt.* vbi, *ſi ille, qui in Prouincia officium adminiſtrat, nuptias mulieris, aut virginis tentauerit; & ipſa, & parentes eius liberantur iuriſdictione ipſius iudicis, qua abutitur ad eliciendas nuptias: Cætera verò negotia*, inquiunt Imperatores, *tam criminalia, quam ciuilia Vicario competant.* Tenet Accurſius, ipſius iudicis Vicario iudicium competere. Qui locus ab initio mihi viſus eſt difficilis valde, quod prorſus ſit ab æquitate alienus. ſed re diligenter, matureque perſpecta, animaduerti, parum conſiderate Accurſium hoc dicere de Vicario ipſius iudicis: cum de Vicario Præfecti Prætorio intelligendum eſſe in manifeſto ſit: hoc eſt de Vicario illo, qui pro Præfecto Prætorio mittebatur in tractum aliquem, vel dioeceſim aliquot in ſe Prouincias continentem, vt habetur *tit. de offic. vic. lib. 1. Cod.* Erant Præfecti Prætorio, qui ſummam obtinebant omnium iudiciorum poteſtatem, omnium honorum apicem, vt Ammian. Marcellin. dicit. *Nec huic vlla erat dignitas æqualis*, vt Caſſiodorus ſcribit Formula iij. lib. 6. *Vice ſacra vbique iudicat* (Præfectus, ſcilicet, Prætorio) *errantes mulctat, fiſcum proſua deliberatione diſtribuit, delicta Prouinciarum iudicum punit*, verbo ſententiam dicit: *quid eſt, quod non habeat commiſſum? pæne eſt, vt leges poſſit condere, quando eius auctoritas poſſit negotia appellatore finire, atq; ſine pater Imperij appellatur.* Pro Præfectis igitur Prætorio Vicarij mittebãtur (vt dixi) in tractum, ſeu dioeceſim, nonnullas in ſe Prouincias habentem, & eadem, qua ipſi Præfecti, poteſtate erant prædicti. Idcirco ſæpe dicũtur vices agere Præfectorum Prætorio, aut agere Vicariam præfecturam, vt in *l. 1. §. 2. quibus. ff. de leg. 3.* ibi, *A Præfectis verò Prætorio, vel eo, qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognoſcit &c.* Et licet Vicarij dicantur, non ſunt tamen vt alij, qui nihil proprium habent, cum vice prætorum, præſidum, aliorumq. ſimilium iudicum funguntur; ſed proprium habent iuriſdictionem a Principe ipſo datam. vnde *in l. 1. C. de offic. vicar. Sacræ*, inquit, *cognitionis habeat poteſtatem, & iuriſdictionis noſtræ ſoleat repræſentare reuerentiam. & in l. vlt. C. de modo mulctarum*, ibi, *qui vice noſtra adminiſtrationis gubernacula ſuſceperunt.* Quibus mirifice congruit, quod in formula vicarij ſcriptum reliquit idem Caſſiodorus, dicens: *Vices agentium mos eſt, ſic iudicum voluntatibus obedire, vt ſuas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis: & quædam imago in illis videtur eſſe veritatis, qui proprij non habent iura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia non relinquis, quando propria eſt iuriſdictio, quæ datur a Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem, & vice ſacra ſententiam dicis.* Mittebantur autem in Thraciam Ponticam, Aſiam, Africam, Galliam, Hiſpaniam, & Italiam: quæ omnes in ſe continebant Prouincias, vt Iacobus Cuiatius ſcribit accuratè *in Paratit. C. de offic. vicar.* Si ergo ille, qui in Prouincia officium adminiſtrat, nuptias appetit mulieris, aut virginis, inuita ea, vel parentibus eius repugnantibus; & ipſa, & parentes, quos minis, aut promiſſis tentauerit, ſtatim habita conteſtatione, liberantur iuriſdictione ipſius iudicis. Et quandiu in adminiſtratione fuerit, tam mulieris, quàm parentum, & totius domus negotia Vicario competent. Sed quid ſi Vicarius vim in huiuſmodi contrahendo matrimonio molietur? Conſtituerunt Imperatores, vt ordinarius viciſſim interceſſor exiſtat. *Sin autem vtrique erunt ſuſpecti, ad illuſtrem præfecturam talium domorum*, inquiunt, *tuitio pertineat.* Ex quibus facile eſt videre de Vicario Præfecti Prætorio intellexiſſe Imperatores: Nam & ſi Vicarij aliquam cum Præfectis habent portionem, non tamen præfecti ſunt; nec ſunt illuſtres Vicarij, ſed ſpectabiles. *Nouell. 7.* hoc eſt, *de non alien. aut permut. §. vlt.* & in aula liber-

libertatis locum patrium tenent, vt idem Caſſiodorus, & ad ſimilitudinem ſummorum carpento vehuntur, & chlamyde vtuntur. Ex quibus conſtat manifeſte huius dignitatis ignoratione deceptos fuiſſe noſtros; nimirum exiſtimantes; recuſato, vti ſuſpecto, iudice ordinario, non vtique licuiſſe recuſare eius Vicariũ ex *d.l. vnic.* cum accipi debeat de Vicario præfecti prætorio, non æquè de alijs vulgò Vicarijs, qui mutuato lumine ſplendent, & nituntur viribus alienis.

Impunè eum, qui ſtare velle alterius iudicis iuriſdictioni conuenit, pœnitere poſſe ante iudicis aditionem, & litis conteſtationem. Conciliata *l ſi conuenerit, ff. de iuriſd. omn. iud.* cum *l. penult. C. de pact.* & cum *cap. 1. de iudic.* Cap XXII.

AFRICANVS iuriſconſultus *in l. ſi conuenerit, ff. de iuriſd. omn. iudic. Si cõuenerit*, inquit, *vt alius prætor, quam cuius iuriſdictio eſſet ius diceret, & priuſquam adiretur, mutata voluntas fuerit, proculdubio nemo cõpellitur huiuſmodi conuentioni ſtare*. Sed *in c. 1. de iudic.* quod ex Africano Concilio eſt deſumptum, ex eo, quod Quouultdeus Centurienſis Epiſcopus promiſit ſtare iudicio, & non ſtetit, fuit excommunicatus. Hinc iuris vtriuſque interpretum varia fuit opinio, adeò vt ſeptem reperiantur intellectus: quibus enixi ſunt Concilium Africanum cum iuriſconſulti Africani reſponſo conciliare, vt videre eſt apud Decium, Ripam, & Alciatum: nec iudicio meo metã attingerunt: & ſi differentiæ ratio eſt pluſquam manifeſta. Namque Africanus intelligere voluit, quando non eſt aditus iudex: ideò dixit; *& priuſquam adiretur, mutata voluntas fuerit*. Africanum vero Concilium, quando eſt aditus: idq. conſtat apertè ex illis verbis: *Interrogatus an cũ eo vellet in iudicio*, (vel vt legit Antonius Auguſtinus, *apud Epiſcopos*) *experiri, primo id promiſerat, & altera die reſpondit, hoc ſibi non placere, atq. diſceſſit*. Non enim dubium eſt, quin priuatorum conſenſus poſſit ſibi iudicem incompetentem & incongruum, competentem & congruum facere *d.l. ſi conuenerit. & l. 1. C. eod. de iuriſd. omn. iud.* dummodo ille, qui iudex eligitur, tribunali præſit, aut aliam habeat iuriſdictionem: quia priuatus, priuatum iudicem ſibi conſtituere nõ poteſt *l. 3. C. eod. de iuriſd. & ſignificaſti, de for. cõpet.* quia quæ iuris publici ſunt, à priuatis conferri nõ poſſunt, vt *lib. 1. cap. 10.* dicitur. Vnde B. Aurelius Auguſtinus in quæſt. veter. teſtam. *Præfectus poteſt agere vicem Præfecti, & Prætor Prætoris, non tamen priuatus poteſt agere vicem poteſtatis alicuius*. Cuius Auguſtini ſententia veriſſima eſt. Ex mandato tamen prætoris, vel alterius poteſtatis vice eius fungi poteſt priuatus, *l. vlt. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Sed vnde fit; vt, qui conuenit ſtare velle alterius iuriſdictioni, cogi non poſſit? ratio eſt, quia nuda conuentio obligationem non parit. *l. iuriſgentium, S. igitur nuda, ff. de pact.* non æquè ſi aditus eſt iudex, & ſit lis conteſtata: nam quæ fuit initio nuda conuentio, deſinit eſſe nuda: quia ex facto, hoc eſt ex conuentione iudicis, & litis conteſtatione ſumpſit effectum. Quamobrem Vlpianus *in l. 1 ff. de iudic. Si ſe ſubijciant*, inquit, *alicui iuriſdictioni, & conſentiant, eſt iuriſdictio*. Subijcere dicuntur, qui adeunt: locus eſt pœnitentiæ ante aditionem. *d. l. ſi conuenerit*. Nec quidquam facit *l. penult. C. de pact.* vt qui in conſcribendo inſtrumento fori præſcriptioni renunciauerit, declinare forum non poſſit. Cuiatius vij. ad Africanum tractatu exiſtimauit legem penultimam loqui de conuentione contractui appoſita ex continenti, ne reus vtatur præſcriptione fori, ex qua nemo ambigit obligationem naſci. Et licet inquit, non naſceretur, poſſet tamen præſcriptio fori oppoſita repelli replicatione pacti conuenti. Etenim apparet, & ſi ex pactis iure ciuili nõ dentur actiones, iure tamẽ prætorio exceptiones, & replicationes dari: quæ omnia viri doctiſſimi vera ſunt: ſatis tamen non faciunt *ad d. l. penult.* Non enim dubium erat apud Iuſtinianum, quin daretur actio ex pactis contractui in continenti adiectis, quia inſunt. *d. l. iuriſgentili, S. quinimo.* Sed *in d. l. penult.* dubitatio fuit, num pactum, vel hanc ſcripturam, tenere oporteret; & idem Iuſtinianus reſcripſit nolle quemquam aduerſus huiuſmodi conuentionem venire poſſe: ne contrahentes deciperentur. Non enim mecum aliter contraxiſſet, niſi ego, cum miles ſim, fori renunciaſſem præſcriptioni: quod magnam præ ſe fert æquitatem. Nam cum milites plura habeant priuilegia, ſuoſque militares magiſtratus qui de militum cauſis cognoſcunt, *tit. de offic. milit. iudic. C. & l. vlt. C. de re milit. lib. 12.* in publiciſque tabernaculis, ſeu tentorijs, quæ apud Marcianum iuriſconſultum Principia appellantur, *l. officium, S. 1. ff. de re milit.* ius reddunt, niſi fori præſcriptioni renuntiarent, non de facili haberent, qui cum ipſis vellent contrahere. Ideò ne fraus contrahentibus fiat, voluit Iuſtinianus teneri pactum, quo fori præſcriptio renuntiatur. Neque rectius dixerunt, qui opinantur *d. l. ſi conuenerit*, eſſe accipiendam, cum vterque diſſentit; vt fecit vetus interpres Albericus de Roſate: quem ſequuti ſunt viri alioquin doctiſſimi

ſimi Decius *ad d. cap.* 1. *num.* 192. Alciatus *lib. Paradox.* 2. *cap.* 17. Io. Corraſius *lib. Miſcellan.* 4. *cap.* 5. Didacus Couarruu. *ad cap. quamuis.* 1. *part.* §. 4. *num.* 7. Nam ſi de vtroque intellexerat luriſconſultus, rogo, quid faciebat dubitationem? Cùm iuris manifeſtiſſimi ſit ab omni conuentione, & contractu eorum, qui inter ſe obligati ſunt, recedi poſſe *l. ab emptione. ff. de pact.* Dubitatio erat; num, altero diſſentiente, alterius poſtulatu cogi poſsit. Hinc non immeritò quæri poteſt, num pactum prorogandæ iuriſdictionis, quod per pœnitentiam tolli poſſe diximus, iuriſiurandi religione firmari poſsit? quibuſdam placuit, non eſſe locum pœnitentiæ, vti Angelo, Fulgoſio, Paulo de Caſtro, Alexandro, Iaſoni *ad d. l. ſi conuenerit.* Imolæ, & Aretino *ad d. cap.* 1. Etſi aliter Antonio, Abbati, & Decio viſum ſit; exiſtimantibus nimirum, pactum prorogatæ iuriſdictionis etiam iuratum, ante litis conteſtationem per pœnitentiam prorogantis tolli: ea fortè ratione, quia iuſiurandum aſſumit propriam naturam eius actus, cui apponitur. *l. vlt. C. de non num. pecu.* ſed ex *d. l. ſi conuenerit.* conſtat huiuſmodi pacto non obſtante, locum eſſe pœnitentiæ. Mihi verior videtur contraria ſententia, quæ communis eſt, vt teſtatur Didacus *in d.* §. 4. non ex ratione ipſius Didaci: quippe qui exiſtimat pœnitentiam prorogantis etiam iure ciuili minime tollere prorogantis pactum, etiam ante litem conteſtatam contingens; cùm *d. l. ſi conuenerit.* debeat intelligi de voluntate vtriuſque paciſcentis. Sed, quia iuramentum licet quandoque aſſumat contractus, cui adijcitur, propriam naturam, eſt obſeruandum; niſi prorſus aduerſetur actus naturæ, vt *in d. l. vlt.* & tenor, & obſeruatio tendat ad diſpendium ſalutis æternæ. *cap. 2. de pact. lib. 6. cap. licet. de iureiur. lib. 6.* vel in ijs caſibus, in quibus rectà publicum ius læderetur. vt *in cap. ſignificante. de pignorib.* vel in alterius iniuriam, nempe publici commodi refflecteretur. *cap. ſi diligenti. de for. compet. l. Senatus. ff. de contrab. empt. l. fin. ff. ne quid in loc. pub. l. 2. C. de ædif. priuat.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

EX CEVAE MARCHIONIBVS,

ARCHIEPISCOPI ET COMITIS TARANTASIENSIS,

POMERIDIANAE SESSIONES.

IN QVIBVS LINGVAE LATINAE DIGNITAS aduerſus eos defenditur, qui cum ea Hetruſcum idioma non modò conferre, ſed & anteponere audent.

AD SERENISSIMVM

CAROLVM EMMANVELEM

ITALIAE SVBALPINAE PRINCIPEM.

Google

Digitized by Google

AD SERENISSIMVM CAROLVM EMMANVELEM SVBALPINORVM PRINCIPEM IN AVCTORIS COMMENDATIONEM

Claudij Guicciardi Sanramberti Academici Papinianei Epigramma.

QVID lauros, faſces, palmas, celebresve triumphos
Candida Principibus fila paraſſe iuuat;
Gloria ſi tumulo concludi, & corpus eodem
Debent, ac ſaxo nomen, & oſſa tegi?
Quid tot ſacra Hebe nectat tibi CARLE coronas,
Maxima vel cœlum ſceptra regenda paret:
Ni ſint qui ingenio præſtent aliquando tuorum;
Inuolui tenebris nec tua facta ſinant?
Iam tibi Romanæ linguæ GERMONVS honores
Detegit, & Thuſca vindicat inuidia.
Eia, faue cœpiis, omen ne deſpice; primum,
Auſpice te retinet lingua Latina locum.
Non ſatis apta tuis factis Vulgaris Hetruſca eſt:
Vincere tempus edax ſola Latina poteſt.
Hanc tutare igitur, PRINCEPS, tutaberis illam:
Nec tua letheis geſta tegentur aquis.

F. Antonini Germonij Ord. Prædic. ad Auctorem fratrem Tetraſtichon.

DVm Latiæ linguæ priſcos defendis honores
Inuicti fretus Principis auſpicijs,
Teipſum defendis, Germonum nomen honoras,
Et ſimul inuictum nobile reddis opus.

Πέτρου τοῦ Βοισσάτου Ἐπιγραμμα.

Αὖθις Ῥωμαϊκῆς σεμνὰ δόξ' ἁρίζηλα μοίσης.
Νῦν δ' ὄφεσιν, αὐτὸ πάλιξ, ἰδίην τιθέμην.
Βάσκανε τί φθονέεις, ἢ δύσμορε; ἀλλ' ὁδὶ χῶ ὠὴν.
Τῆς ἰδίης ἐπάρης ἐ φθονίη σοφίης.

Ἄλλο.

Ὦ πᾶσι δόξαν ἐξαλείψατε, ἀντὶ γὰρ ἀνδρὸς
Σὸν ἀνόνιον μύσατ' ἐυφρόσυνον.

Eiuſdem Petri Boiſſati Academici Papinianei.

ROma ſuo debet nomen, muroſq. Quirino:
Poſt eadem eſt armis iterum fundata Camilli.
Is primum agreſti muros ſignauit aratro:
Iſte dolis Romam, & ſubito terrore recepit.
Ille ſoli incertos eadem ſub tecta coegit:
Hic patrium ſeruare ſolum, & contemnere Veios.
Ambo ſolum, & ſedes vitæ poſuere ſuorum.

Iuſſit

Iuſſit vterque ſuos ſeptem non ſpernere colles.
Huic Romana fuit melius facundia curæ:
Quæ terras diffuſa obijt; Populoſq́ remotos,
Qua fuit imperium victoribus: Iſte & in aſtra
Inſert, & totus Latium reſonabit Olympus.
Hic quoque mulcebit proprio diuina lepore
Numina, permixtos referetq́ ſedere Latinos
Eloquio inſignes, atque ipſe videbitur illis.

Antonius Faber Academicus Papinianeus.

VVlgaris linguæ faſtus dum frangis iniquos,
Et Latium Latio protegis eloquio,
Nil minus es, quàm vulgaris, GERMONE, nec vllus
Prodijt in Vulgus rarior ante liber.

Fabianus Mazonus Academicus Papinianeus.

QVantum doctiloquo debet ſua Thuſcia Bembo:
Tantum Roma ſuo debet Anaſtaſio.

Ludouici Pelliſſonis Viennenſis Academici Papinianei Dialogiſmus.

P. *QVid dulces veterum Datio modulamine cantus,*
Tu cythara reſonas mille ſoraminibus?
G. *Vt noua Romanæ concedant carmina linguæ,*
Atque edat nullos barbara turba ſonos.
P. *Vtili haud labor eſt, Latiás quia pollice chordas,*
Dum GERMONE moues, non chelis vlla ſonat.

Aurelij Maximiani Varronis Carmen.

SAt memimiſſe potes, me haud infelicibus auſis
Te ſocio Latijs incubuiſſe modis.
Verùm interrupto curſu, quæ parta fuere,
Pralonga vix non exanuere mora.
Tu reuocas, poſtquam te nunc Romana patronum
Lingua habet, meritis præmia digna tuis.
Nam per te expreſſa eſt palmæ confeſſio ab hoſte,
Atque dedit victas amula lingua manus.

Eiuſdem aliud.

ERgo auſa eſt matrem falſa ſub imagine formæ
Obruere, & patrio pellere nata ſolo?
Te decuit prohibere malum, GERMONE, nefandum,
Ne iure excideret muſa Latina ſuo.
Filia ni malè grata tibi proſpexit, vt eſſet
Digna patrocinio cauſa tuenda tuo.

Ad

Ad Lectorem Ioannes Mantilerius.

DVm collata ſimul vario ſermone tuetur
GERMONVS vulgo verba Latina prior.
Quid valeat, quid poſſit, habes, fundamina nullo
Iecerunt veteres interitura die.
Hæc tamen, vt Thebas Alcides, vindicat omni
Ab labe; & mira ſedulitate fouet.

Octauius Alpherius ad Lectorem.

NOn facta æternum, non buſta ſuperba dederunt
Aeacidæ nomen, Maonium ſed opus.
Non labor, autores, non ſcripta trophæa, Latinus
Sed ſera donat poſteritate lepos.
Illud Alexander tulit, hunc GERMONVS in aſtra
Nimirum cauſa motus vterque pari.

Vbertinus Galiardus ad Authorem.

DVm tenebris cogis Latias exurgere muſas;
Quas dudum preſſit durus, inersq; ſopor,
Illas dum tollis, pariter te tollis in illis;
Bis pretium ferre eſt dignus vterque labor.

Claudij Romaniani Atrebatenſis medicinæ ſtudioſi, ad Authorem Epigramma.

GERMONE Aonidum decus immortale ſororum,
Qui veterum dulci gutture ſcripta canis.
Alter ades nobis Fabius, nunc Plinius alter,
Doctiloquus Varro, Tullius alter ades.
Romanæ linguæ cuſtos dicèris in orbe,
Atque pater patriæ, lausq;, decusq; virûm.
Dignus es, æterni cui conſecrentur honores,
Sacraq; ſolemni conficienda die.
Clarus honor, nomenq; tuum, laudesq; manebunt:
Dum fundet lumen Phœbus ab axe ſuum.
Ergo age, nunc vigeas; vigeat tua fama per orbem:
Attingant laudes ſydera ſumma tuæ.

Caroli Paſchalis Cuneatis Epigramma.

STernitur Aneæ dextra Mezentius audax;
Vi Porſenna fugit Coclitis, & Mutij.
Non tot aues cælo volitant, quot millia Thuſcum
Demiſit poſt hæc inclyta Roma neci.
Finibus eſt pulſus Romanis biſtrio Thuſcus,
Otia dum petulans, luxuriemq; docet.
Non Arnus Tyberi, non fonti denique riuus,
Non certat Latiæ laurus Hetruſca lyræ.
Nempe, eſt in fatis, Romano vt cedat Hethruſcum
Nomen fortuna, moribus, eloquio.

HAEC SVNT QVAE PRAECIPVE HISCE LIBRIS CONTINENTVR.

I.

AN Italica lingua tam latè, longèq. diffundi possit, quàm Latina: & quemadmodum Tryphonini responsum in l. decreta. ff. de re iudicat. intelligendum sit. pag. 200. col. 2.

Constitutio Impp. Arcadij, & Honorij in l. iudices. C. de sententijs, explicata. 201. 1

An idem Tryphonini responsum, quo habetur, Decreta à Prætoribus Latinè interponi debere, hodie obseruetur, & an debeat obseruari. 201. 2

An sermo sit solius hominis. 203. 1

An sermo sit quid naturale, vel hominis inuentum. 203. 1 206. 1

Vlpianus quomodo intelligi debeat in l. 1. §. vlt. ff. de iust. & iur. 204. 2

Quinam fuerit in hoc terrarum orbe primus sermo. 205. 1

II.

Latinum nomen vnde dictum. 211. 2

Quo in loco, & à quibus Latinum idioma, originem habuerit. 211. 1

Quo tempore Latina lingua authores habere cœperit. 214. 1

An apud veteres Romanos duo fuerint locutionis genera, Latinum, inquam, & illud, quo hodiè vulgò per Italiam loquimur. 215. 2

Quare, & quomodo ex vno duo facta sint, Latinum, & Vulgare. 217. 1

Quare Italicus sermo maiorem habeat cum Latinis, quàm cum Barbaris similitudinem. 218. 1

An lingua denominari debeat ab illo loco, in quo originem habuit; an ab eo, in quo ornamentum, splendorem, & grauitatem accepit. 218. 2

An Vulgaris lingua sit Latina corruptio, ibid. in fine.

A quibus Latini mutuati sint tam verba, quàm dicendi genus. 221. 1

A quibus Latinus sermo illustratus sit, & locupletatus; tum à quibus caperit inclinare; quo tempore penitus exciderit; & in quibus conseruatus; item à quibus instauratus; qui denique sint, qui eleganter, ac optimè in vnaquaque scientia scripserint. 222. 1

III.

Qua ratione dignosci, & diiudicari possit, quilibet linguam esse meliorem alia, vel locupletiorem, aut pulchriorem, aut nobiliorem, aut dulciorem. 231. 1

Et cùm Latina Græca conferatur, an illis partibus potior sit Latina. 231. 2

An Latina aliqua habeat vocabula, quæ desiderantur à Græcis. 232. 1

An Latina sit nobilior Græca, quæ, inquam, plures habeat authores. 234. 1

An Italica possit tempore ita fieri locuples, vt est Græca, & Latina. 236. 2

An nobis liceat quandoque à Cicerone, à Virgilio, & ab alijs recedere, & noua verba formare, & fingere. 237. 1

An Latini viuantur à Vulgaribus Nobilitate. 238. 2

An Latinis nouos, & veteribus inusitatos versus liceat effingere. 240. 1

An Vulgaris lingua maiorem habeat dignitatem, quam Latina, 240. 2

An detracto Latinarum litterarum præsidio qualibet scientia edisci, & edoceri rectè possit. 242. 1

An Vulgaris sermo sit Latino pulchrior. 244. 1

An Latina lingua sit dulcior Vulgari. 247. 1

IV.

An Vulgaris lingua sit percepta facilior, quàm Latina. 251. 2

Difficultates, quæ in edisc enda Philosophia percipiuntur. 252. 1

Quæ in Medicina. 253. *in fine.*

Quæ in Poetica. 254. 1

Quæ in Theologia. 254. 1

Quæ in Iurisprudentia. 254. 2

An vna dumtaxat lingua, Vulgaris nempe sit necessaria. 256. 1

An vtilius foret, ac melius, si sacræ litteræ Vulgari idiomate passim legerentur: & incommoda, quæ per Vulgares litteras Christianæ Reipublicæ occurrerunt. 258. 2

An vtilius esset vti illo dicendi genere, quo Bartolus, & alij eiusdem ætatis vsi sunt. 261. 1

An eloquentia sit vtilis, vel pernitiosa potius. 261. 2

Eloquentiæ vis, & vtilitates, quæ ex eloquentia proueniunt. 262. 1

Quid sit eloquentia, & eius effectus. 264. 1

An possit fieri comparatio inter Latinum linguam, & Italicam. 267. 1

FINIS.

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus,

ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS,

POMERIDIANARVM SESSIONVM PRIMA.

AD CAROLVM EMMANVELEM

Sabaudiæ, & Subalpinorum Principem Sereniſſ.

EXQVISITIO, & ſingulari ingenio viri cùm ſe doctrinis tradidiſſet, Sereniſſime Princeps, neglectis omnibus cum publicis, tum priuatis actionibus operam omnem, ac ſtudium ad veritatis diſquiſitionem contulerunt: multo ſanctius, & præclarius rati eſſe diuinarum, atque humanarũ rerum naturam, cauſaſq. perſcrutari, & noſcere, quàm diuitijs, honoribus, aut opibus inſeruire. Hæc enim cum fragilia, terrenaq. ſint, ac quibuslibet temporum mutationibus obnoxia: nihil illis melius, nihil perfectius optare potuerunt. Erant illi ſanè veritatis notione digniſſimi, quam ſcire tantopere cupierunt, atque ita vt eam rebus omnibus præferrent. Etenim plerosq. res familiares, ac domeſticas ſuas reliquiſſe, & omnibus voluptatibus renunciaſſe accepimus: vt ſolam, nudamq. veritatem nudi alacrius conſequerentur. Et licet Ethnica caligine obcæcati adepti non ſint quod quærebant (quia veritas Deus Optimus Maximus, qui omnia ſolo nutu erexit, ingenio, ac proprijs non poteſt ſenſibus comprehendi) tamen an Deus aliquis eſſet, magno ſtudio, longaq. inueſtigarunt diſputatione. Quamobrem factum eſt, vt gens nulla, quantumuis barbara, Deum eſſe negaret. tum veritatis cognitione inflammati, multum temporis contriuerunt hæſitantes, an hæc mundi machina, quam circumſpicimus, ex nihilo excitata ſit, an ab vno dumtaxat architecto conſtructa, vel per ſe, aut vnius Dei poteſtate, ac prouidentia gubernetur, & regatur: Qua item ratione Deus mundum condiderit. Atque ſupra æthera euolantes an vnum, pluresve exiſtant Cæli, vel vnum dumtaxat ſit firmamentum mentis oculis intuebantur: traiectiones quoque, & ſtellarum motus obſeruabãt. Ex alto autem ad ima labentes, aut vnum conſtituebant principium, aut quattuor: vel ex ijs, an ignis, an aër, an terra, vel aqua rerum omniũ caput eſſet, diſceptabant. Motus etiam cæli quemadmodum fieret, vtrum in Orientis partem, ſiue Occidentis; & circa quod, & in quo verſaretur, atque exerceretur: nec non efficientem ipſius motus cauſam ſtudioſiſſimè inquirebant. Neque ijs pluribusq. alijs contenti, ad ea etiam, quibus hominis fabricatio ſuſtentatur, ac regitur, ſe conuerterunt: & multa de facultatibus, deque ipſa anima dictarunt. Alij eam cum corpore interire putarunt: alij ex vno in aliud corpus migrare: alij poſt diſceſſum à corpore in cæleſte domicilium, vnde emanauerat, redire, elegantius, & verius ſunt arbitrati. Quid tandem animus eſſet: quibus conſtaret: de loco, eiuſq. ſitu plura etiam ſunt comenti, vt nobis aliquid veri, & certi relinquerent. De venis quoque, de arterijs, neruis, oſſibus, deque

deque alijs generis eiusdem libros ample confecerunt. Sed cur hæc sigillatim commemoro? cum libri prope omnes vt veritatem alicuius, de qua tractant, rei acute perquirant, conscripti sint? Neque Iuris magistri tot legum volumina summo labore, perpetuoque studio composuissent: nisi rei controuersæ veritatem excogitare, excogitatamq. nobis proponere voluissent. Horum ego exemplis, veritatis eruendæ potissimum gratia incitatus, an verum sit quod viri non alioqui mali tradiderunt, hisce libris, quàm potero diligenter, inuestigare conabor. Namque multi & bonis artibus, & optimis disciplinis ornati; ac alij non satis periti, nescio quo pacto, offensi, vel potius deliniti ita iam in præceps feruntur, vt mala pro bonis amplecti videantur: & lumen inquirentes, diutius aberrare, ac frustra deuagari per tenebras inextricabiles. Student enim vulgares litteras cum Latinis conferre, & quod peius est, iam audent anteponere: copiosiores esse, nobiliores, pulchriores, dulciores, illustrioraque habuisse principia constanter adseuerant. Sed cùm paucos, aut admodum nullos ex nostris viderim, qui istis vagantibus occurrerint & viam veritatis demonstrarint: illis succurrendum putaui; vt & docti ad aliud scribendi genus se transferrent, & indocti veritatem cognoscerent, ad eamque dirigerentur. Quæ enim lingua, tam copiosa, tam pulchra, suauis, aut dulcis, quæ cum Latina comparetur? quæ virtus? quæ nobilitas? quæ grauitas? quæ auctoritas? quæ ve vtilitas maior reperiri potest, quàm in Latinis litteris? Iacent aliæ, tanquam in angulis coniectæ miserrime, nec prope in medium prodire audent. Prætermitto tunc veteres, qui singulari industria, maiori copia, facultate dicendi, ac splendore quodam sermonis Latinas disciplinas auxerunt, & illustrarunt: quorum studia iam recentiores vehementer in dies imitari, & ad eorum gloriam eiusdem æmulos rationis incitari videmus. Nam ex omnibus ferè orbis terræ partibus, & maximos, & præclaros viros contemptis priuatis rebus, & commodis prodire summa cum laude intuemur: qui se penitus Latinis disciplinis abdicunt, eamque sibi requiem iucundissimam, ac laborum tutissimum portum profitentur: & animos suos in earum rerum, quæ ingenio, & diligentia inueniri possunt inquisitione oblectant; vt non tam negotium sibi, quàm otium quærere, vniuersæque Christianæ Reipublicæ inæstimabile, & vt speratur, æternum decus adferre videantur. Quamobrem non possum satis mirari, cur isti se maiorem gloriæ fructum putent ex vulgaribus litteris percipere, quàm ex Latinis: in eo enim, mea sententia vehementer errant: propterea quòd Latina leguntur ab omnibus ferme gentibus, vulgaria suis finibus continentur; vixque perexiguas Ethruscorum fauces egredi possunt. Quare si res, quas assiduè gerimus, ad omnes orbis terrarum regiones tantopere peruenire optamus; cupere debemus, quò tela, & res fœciliter gestæ permanant, eodem studiorum nostrorum gloriam famamque penetrare, sine quibus paucæ terrarum regiones ac paucæ oræ maritimæ dignoscerentur, nec vlla præteritarum rerum extaret memoria. Nullum enim virtus aliud præmium laborum, periculorumque desiderat, præter hoc laudis, & gloriæ: quo quidem sublato, quid est, quod in hoc tam breui spatio & tam exiguo vitæ curriculo otiosam, & quietam ætatem tantis nos laboribus, diu, noctuque traducamus? certe si nihil animus præsagiret imposterum; & si quibus regionibus (vt veteres solebant dicere) vitæ cursus definitur, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis sollicitaretur, neque tot vigilijs conficeretur, nec toties de vita ipsa decertaret. Hinc inesse videmus quosdam in optimo quoque igniculos, qui semper animum gloriæ stimulis accendunt, atque adhortantur, non in ijs, quibus circumscribimur, regionibus esse dimittendam nominis nostri commemorationem, sed per omnes orbis partes diffundendam. Atqui frustra omnis mihi videtur à vulgaribus suscipi labor: cùm ea quæ agunt, breuissimis finibus contineantur. Nos ergo melius, qui ad illam veterem, ac prope diuinam Latinarum litterarum disciplinam, quasi ad asylum celeberrimum confugimus: ad quod vniuersus plane terrarum orbis recurrit. Quapropter diu cogitanti quemadmodum falsas vulgarium opiniones, erroresque turbulentos, & superstitiones pœne aniles detegere possem, nulla mihi occurrit magis probabilis ratio, quàm si in medium adferrem, breuem illam disputationem (veritas enim in disputationibus subtilius limitatur) quam paucis ab hinc diebus Fabritius à Ceua familiaritate, & studiorum communione mihi coniunctissimus, de tota hac quæstione cum Ioanne Baptista à Ceua consobrino meo, Iulioque Cæsare Magnano doctissimis viris de vna, atque altera lingua docte ac subtiliter habuit. Cuius quidem disputationis arbitrum te, Princeps Serenissime, adhibendum duxi. Siquidem tota Sabaudiæ domus veritatis, in qua exquirenda potissimum laboramus, ac litterarum semper amantissima fuit. Ipse autem Latinis, Vulgaribusque studijs ita es

exor-

exornatus, vt te iure optimo omnes admirentur, & ita in te consentiant, vt facilè negotium hoc omne explicare, controuersiamq. dirimere, te iudice possimus.

Cvm igitur Ioannes Manutius in disciplina iuris, atque legibus P. R. interpretandis, scientia, vsu, auctoritateq. illustris, & eloquentia, ingenijq. acumine admirabilis, data hora è florentissimo hoc tuo Taurinensi gymnasio magna cum discipulorum frequentia discederet, domumque se reciperet: cum præ cæteris Fabritius, & Ioannes Baptista, vterque eius auditor, consequebantur. qui cùm Iulium Cæsarem ex altera parte viderent, iuuenem sibi & beneuolentia, & veteri necessitate coniunctum, ad eum confestim ire pertexerunt. Hic verò cùm eos ad se venientes prospiceret, eis etiam statim obuiam venit, atque illos, vt mos amicorum est, salutauit: nec vlla interposita mora extra vrbem spiritus recreandi causa profecti sunt. Iulius autem Cæsar, cùm Fabritium contra morem, & consuetudinem suam asperius audiret loqui: Quid habes, inquit, mi Fabriti? quid est? quid sibi vult hæc tam repentina vultus commutatio? Nil sanè, inquit Fabritius, quod aut tu audire velis, aut ego dicere malim. Tum Iulius, Nihil equidem, inquit, libentius audirem: tum quia te iratum intueor, tum quia in tuis oculis ac in tuo ore, & toto denique vultu nunquam tantum vidi ardorem. Tum ille, Confidis, inquit, vultu cognosci animum posse, vultus namque quot sunt animi motus, tot significationes, & commutationes conficere potest? Tum Ioannes Baptista comiter, vt solebat, potest, inquit, sanè: vultus tamen aspectu sensum animi plerique iudicant. Cùm vultus ipse sermo quidam tacitus mentis sit. Cùm enim adhuc in scholis essemus, mirabar profectò, cur non attentissimas, vt solebas, aures lectioni præberes, quæ ita subtilis, & elegans fuit, vt totum hominem desideraret. Quamobrem multa de te suspicabar: nunquam tamen occasionem nactus sum, vt de ijs tecum loquerer. Nunc licet aliqua animi perturbatione sis incitatus, aut aliquorum verbis, aut factis: omnia prudentia tua, atque amicorum consilio regere, ac moderari potes. Nemo enim prudens debet irasci. vnde laudatur Archytas Tarentinus; qui cùm in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens: Miserum te, inquit, quem iam verberibus necassem, nisi iratus essem. Idem de Platone fertur, qui cùm iratus etiam esset, in seruum grauissima pœna dignum sæuire non existimauit. Tunc Fabritius, Non villici, inquit, culpa, vel aliquo serui errore irascor; nam si hoc esset, facile patientia furoris impetum mitigassem: sed aliud est, quo erubesco. Verùm ne diu vos suspensos teneam, scitote, media hac nocte eorum, qui contra Latinum sermonem scribere ingressi sunt, mihi in mentem aliquos venisse, & me aliquanto in certamen vocasse. Quos simulatque animus mobiliter agitatus videre, & præmanibus habere visus est, in varia visa & incerta cecidit; & statim tanto sui langore correptus, vt nec membris, nec ferè sensibus vti potuerim: & me tandem febris quædam somno priuarit. Quamobrem, mi Ioannes, arbitrabar equidem, vt mihi opus esset officio, & medicorum munere; quod Deus auertat. Et adeo ingens fuit contentio; vt adhuc in ijs circulis versari videar. Tum ille, Magnum, inquit, profectò omen: semper à patre, auoq. dum essem paruulus, dicere audiui, cùm mens nostra in aliquo per quietè occupatur, præsagiri solere id ipsum, quod breui deinde nobis contingat. Et ideo aliquid boni tibi proximè euenturum suspicor. Tum Fabritius, Quis est iste, inquit, Chrysippus qui Stoicorum vaferrimus habitus est somniorum interpres? Tum Ceua statim, Chrysippus, est ne ille, inquit, acerrimo vir ingenio, qui vniuersam de Diuinatione duobus libris explicauit sententiam, vno præterea acute, & copiosè de oraculis, vno non minus eleganter, vt refert Cicero, de somnijs? Si ille est, vellem certe ex eius familia esse, vellemq. eius de somnijs opinionem atque sententiam consequi: sed si imitatione tantam ingeniorum præstantiam, perfectamq. sapientiam adsequi minime possum, voluntate quidem proxime accedam. Tum Fabritius Te, inquit, laudo: & te demum miror velle de somnijs tuam etiam aperire sententiam; cùm omnia fallacia incertaue sint: vt tritum est illud.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Sed date mihi horam, nisi exigui temporis vsuram faciens omnia plane, perspicueq. declarabo. Tum Ceua, Do, inquit, sanè si postulas nó modo horam, sed integrũ diem: non plura enim sunt somnia, quàm quæ de somnijs interpretationes tradi solent. Nam cum somniant præsertim mulieres, alias somnia interpretandi causa mulierculas adeũt: ex quarũ ore, quot labuntur sententiæ? tot equidem, vt nullus, licet summa vir eloquentia, minimam illarum partem possit attingere. Tunc Fabritius, Dicam modo, inquit, sed non insequar longius: cum ad aliud dicendi genus vocer. Itaque aduerte: somniamus enim, cũ sensus, & intelligentia nostra suo fungi officio minime possunt: vt ait ille non solũ dicendi, sed etiã intelligendi grauissimus pater, atque magister Aristoteles: cùm enim animus mouetur, vagaturq. fieri non potest non aliquid vel sen-

tiri, vel intelligi. Namque animus mobiliter agitatus, quod vigilans audiuit, dormiens audire, videreq, videretur. Atque illud eiuſdem Ariſtotelis ei, quod dicimus, accommodatum eſſe video: qua propter, inquit, ea maxime ſomniamus, quæ agimus, aut acturi ſumus, aut volumus: de ijs enim maxime cogitationes, & imaginationes obueniũt. Vnde mihi hęc eſterna nocte euenisſe crediderim: neque abs re. Nam cum heri veſperi poſt lectionem Guid. Panciroli primi in hac Taurinenſi Academia legum profeſſoris, viri ſane optimi, & iuris peritiſſimi mecum eſſent aliquot nobiliſſimi adoleſcẽtes; quorum alij legum ſcientia eruditi, alij non ſolum Medicinæ, & Philoſophiæ diſciplina, ſed Rhetorum quoque arte, veterumq. rerum memoria præditi, & omnes domum noſtram veniſſemus, in bibliotheca ſeparatim vnus quiſque ad ſuum ſtudiũ libellos, quos voluit, euoluit. Omitto quidem reliquos, qui in diuinos Ariſtotelis libros, qui in Poetarum volumina, vel in Hiſtoricorum monumenta, vel in Beatorum patrũ ſcripta, vel in Pandectas, vel in ſummorum Pontificum Decreta inciderunt. Siquidem vnus ex ijs magis in fabulis, quam in diſciplinis, bonisq. artibus verſatus ſtatim præ manibus quaſdam in Ludouicũ Arioſtum animaduerſiones habuit: in quibus perſpexit Ioannem Baptiſtam Pignam, virum alioqui doctiſsimum, auſum dicere Italam linguam, hoc eſt, Vulgarem longè Græcis, Latinis, cæterisq. omnibus anteponendam eſſe. Quamobrem quiſque ſuis relictis ſtudijs; neque ijs admodũ neglectis, magna inter nos orta eſt altercatio: qua de re nulla vnquam eſt clamoribus habita maioribus, neque ratiocinationibus. Vnde & mihi ſuperiore nocte per quietem, adhuc in eo certamine verſari viderer. Quare contra eos diſſerere, eorumq. argumenta prorſus nunc confutare decreui. Quod enim munus vniuerſæ Reipublicæ afferre maius, meliusque poſſumus, quam ſi ætatem puerilem informamus, atque erudimus iuuentutem? ijs præſertim litterarum generibus, & ſermonibus, quos iſti ad Vulgaria procliues, fluctuantes, & labentes vexare, prorſusq. dirimere conantur: quorum ſanè opinio iam per totam Italiam diſſeminata eſt, ac fere procreata. Sed tempus eſt hanc opinionem tãquam vitioſam auertere, & Latinarum litterarũ grauitatem, & gloriam retinere. Et vt id facilius effici poſsit, totis neruis, viribusq. meis operam dabo: vt ne etiam adoleſcentes ad Latinã linguam propenſi propter ſuam fragilitatẽ, atque imbecillitatem, ex ijs diuinis ad illa inania, ac propè frivola ſe conuertant ſtudia: Nam quoquo ſe vertant iam iam neſciunt. Operæpretium eſt itaque Latinam linguam tueri; non enim dicam renouare, cum nulla vnquam viris doctiſſimis charior, nulla acceptior; quam ex animis nunquam maximorum virorum excidiſſe verè poſsis affirmare. Sed vt omnis iuuentus ſe ad hæc ſtudia libentius conuertat, quãtum Latinæ litteræ Vulgari idiomate digniores, copioſiores, vtilioresvè ſint, paucis edocebimus. Tum Iulius Cæſar, Nimium profecto, inquit, extollis Latinum ſermonem, nimium deprimis vulgarem. Pauci certe hac tua ſententia te amabunt: perpaucos hac tua verbum ſeueritate a tanta, tamque vtili, & neceſſaria reuocabis: ſed aliquid eſt iracundiæ tribuendum; quam ſæpe cohibere non poſſumus. Tum Fabritius, Quid opus, inquit tot verbis eſt? an ignoramus Latinam linguam ſemper inter optimos floruiſſe, multumque ab illis & laudis, & ſplendoris accepiſſe? nulla eſt enim, quæ magis homines deceat. Hæc tanquam pyropus inter ſplendidiſſimas gemmas, vel vrbs Roma inter ciuitates, vel Nilus inter flumina, vel Heſperus, aut lucifer inter lucida ſydera, præ cæteris fulget. Tũ Iulius ſubridens, ſepide verò, inquit, nobis Latinam linguam commendas: in eaque extollenda operas noſtras libenter tibi locabimus. Sed cuperem certè, antequam dicendi, diſſerendiq. principium faciamus, eligeremus locum ad diſſerendum aptum ab hominum conſpectu etiam remotum. Nam hic, vt ſatis vides, magna eſt hominum frequentia; hic copia equorum ſemper euntium, ac redeuntium, quibus cælum puluere offunditur: hic ingens calor, quo cum nihil modo copioſe dici, aut commode fieri poſſe exiſtimo. Tum ille, ſanè quidem: mens enim, inquit, noſtra, præſertim dum altiora, atque difficiliora ſiue excogitat, ſiue legit, aut diſſerere mauult; quietem perquirit, vociferationẽ aſpernatur, ſolitudine, & otio quàm maxime delectatur. Ipſa quoque non attenta quaſi gradibus in cogitationem multarum rerum & variarum conſcendit; & à propoſito ſæpe nos attrahit. Habes igitur locum nobis idoneum? Tum Ceua, Pergratum mihi foret, ſi ambo Cluſiæ eſſemus: ibi eſt patris mei villa, quæ ab ipſo oppido non longè diſtat: & tamen ab hominum concurſu remotiſsima: in qua fons perlucidus ſponte naſcitur, iuxta caſtanea latiſsima, nemoroſo vertice exurgit: vmbra circiter paſſuum quinquaginta in agrum obtinẽs. O dulcis receſſus: ò leuis aquarum obmurmuratio: ò Muſarum amica, & viris omnibus doctiſsimis digna amœnitas? Vbi nunc ſumus, ò fortunam ſemper inimicam? quæ nihilum vnquam opportuna tempore mihi habere permittit. At quid prodeſt illa deſiderare, quæ nec in præſentia nobis eſt permiſſum videre? ſed video me illo loco vſque adeò delectari, vt animũ inde auellere ægre poſſim. Cũ igitur nobis per id tẽpus nõ liceat loco illo

illo iucundiſſimo fruiſcamur, parũ hinc abeſt locus, non modo amœnus, verùm etiam ſalubris: vbi fonte gelido, lympidiſſimoq. ex ripa Padi in flumen prolabente arbitratu noſtro perfruemur: Hunc arbores, & frutices circumcludunt. Ad hunc multi ex veſtris familiaribus, ſingulis propè diebus, recreationis gratia ſe conferunt. Quorum quidem vnus eſt modeſtia, & probitate inſignis Antonius Alpheus, iuuenis exquiſiti ingenij, & in iure ciuili multùm verſatus. cum quo ſemper adeſt Bonifacius Carretus, virtute iuxtà, ac nobilitate præclarus adoleſcens, omnium fere, & diſciplina iuris ciuilis eruditiſſimus, & ingenio, prudentiaq. acutiſſimus, nec non oratione maximè limatus; atque vt ego ſoleo dicere, iuris candidatorum promptiſſimus, promptiſſimorum iuris peritiſsimus. Video etiam huc venire vnum, quem & ipſe admiraris, quem omnibus anteponis; quem diligis, ac quod dici ſolet, fers in oculis; Marcum Godum; qui mihi ſemper viſus eſt ingenium poſſidere nobilius, & iuris & aliarum artium ſcientia plurimum excellere: Hos quoque comitantur Horatius Biragus, & Guidus Bagnus adoleſcentes optimi, & in iuris peritia multum exercitati. Dicam deinceps, niſi accedant alij, huc venire Scipionem fratrem tuum, cuius animi dotes, & diſciplinarum varietas omnibus ſunt perſpicuæ: quippe qui ſi legum ſtudijs operam duntaxat impendiſſet, admirabilis nobis videretur; nec vllus ei præferri poſſet. Hi aliq. nobiliſſimi viri, quos propter temporis vſuram miſſos faciam, ſpiritus recreandi cauſa ad hunc ipſum fontem accedũt: cuius aqua ob raram frigiditatem & manus, & faciem lauant. Hæc cùm dixiſſet, breuibus ſpatijs ad fontem peruenerunt. Tum Fabritius, eſt, inquit, frigida, & ſi placẽt frigidiſsima. Huc inuitauere me ij ſæpiſsimè omnes, præcipuè ille probitatis, & eruditionis honos Marcus Godus, quamuis hucuiq. fontem hunc viſere minime potuerim. Equidem qui nunc primum huc venerim, ſatiari non queo, tàm hic ſitus me delectat: & quantum potero, mihi crede, præſertim hoc tempore anni, & amœnitatem, & ſalubritatem hanc conſequar. Tum Ceua, Rectè quidem, ait, facies. Ego cùm mihi Cluſiæ eſſe conceditur, raro autem licet, illo loco: cùm Taurini, hoc libentiſsimè ſoleo vti: vel cùm animus re aliqua perturbatur, vel cùm ſtudio defatigatur, vel cum aliquid mecum cogito. Namque dum in arbores, & viriditatem, quam videmus, oblectante proſpectu oculos amœnamus, ſpiritus ſimul recreantur, & paſcitur obtutus. Itẽ paſcitur mens, quæ veterum rerũ ſemper eſt cupida, præſertim recordatione dignarum: quia ſi ingenuè fateamur, hæ arbores, quas hic circum intueris, ſaras Phæthont. ſorores videtur eſſe: de quibus Ouid.

Illa more ſuo (nam more fecerat vſus)
Plãgorem dederunt, è quis Phaethõta querelas
Maxima cũ vellet terræ procũbere, queſta eſt
Diriguiſſe pedes: ad quem cenata venire
Candida Lampetie, ſubita radice retenta eſt.
Tertia cùm crinem manibus laniare pararet,
Auellit frondes: hæc ſtipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos ſub brachia ramos,
Dumq. ea mirãtur, cõplectitur inguina cortex,
Perq. gradus uterum, pectusq. humerosque, manuſque
Ambit, & exiſtunt tantũ ora vocantia matrẽ.
Quid faciat mater niſi quo trahit impetus irã,
Huc eat, atq. illuc, & dum licet oſcula iungat?
Non ſatis eſt, truncis euellere corpora tentant,
Et teneros manibus ramos abrumpit: at inde
Sanguineæ manant tãquam de vulnere guttæ.
Parce precor, noſtrũ laceratur in arbore corpus.
Iamq. vale cortex in verba nouiſſima veniũt.
Inde fluunt lacryma, ſtillataq. ſole rigeſcunt.
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtãda Latinis &c.

Si illæ manent, illæ profecto ſunt: ſin autem iſtæ ex illis tanquam à proprijs parentibus ſunt ortæ, ſæpe enim à præceptore meo, viro non quidem indocto, didici hunc in locum, vel hinc non longè, Phaethontem, qui dum Phœbi currum temere ducere, ac regere maluiſſet, laxatis ob imperitiam habenis præcipitem cecidiſſe, & eius ſorores (ſi poeticis figmentis eſt adhibenda fides) fratris mortem nimium deplorantes à Dijs in arbores eſſe immutatas. Et licet hæc Poetarum penitus videantur figmenta, atque portenta: ſub fabularum tamen velamine latet quandoque ipſa veritas. Namque circum iſthanc ripam Phaethontis tumulus erectus fuiſſe dicitur, qui primus huic ciuitati præfuit: Ideò & Phaethontia, & Eridania appellabatur à veteribus: vt Philibertus Pingonius, vir quidem & genere, & virtute illuſtris, in ſua non obſcure commonſtrat Chronologia, quæ Auguſta Taurinorum inſcribitur, quamq. paucis ab hinc diebus & doctè, & eleganter conſcriptam in lucem edidit. Et quoquo modo res ſe habeat; hæ arbores me incredibili quadam afficiunt voluptate. Sed nimirum alia quoque cauſa me oblectant, quæ tibi non fortè contigit ita. Quia ſi verum dicimus, hæc arbor, in quam Phaethontiadas conuerſas bellè oſtendimus, conſobrini mei A. Germonij ſymbolum eſt, maiorumq. ſuorum fuit, à totaque eius domo hodie, vt ita dicam, colitur, domiq. ſemper retinetur: & quoties hanc video, mihi ſemper neſcio quippiam delectationis in animo generatur. Tum Fabritius, ego verò, inquit, tibi iſtam iuſtam cauſam exiſtimo; quòd huc libentius venire, atque locum hunc deligere conſtanter perſeueras. Sed in hoc non eſt inſiſtendum.

Itaq. cùm nulla propè arbor, mea ſententia, populo proceritate, aut vmbræ ſalubritate præcellat; confidamus, ſi placet hic, quia ſatis deambulatum eſt; & ad eam diſputationis partem, ex qua egreſſi ſumus, reuertamur. Verùm prius quam exordiar, abs te, mi Iuli, peto, quando in eam rem operas tuas nobis es pollicitus, Laudes Latinæ linguæ, qua plurimum vales, facundia, & dicendi facultate, proſequaris. Iam frigido fonte, iam proceriſsimis populis, iam harmonia, auiumque concentu, ac ſolitudine fruimur: quid amplius deſideras. Tum ille, Imo verò, tibi incipiendum eſt, inquit, tum ſi quid incidat, in quo operas noſtras requiras, videbis quàm tuæ linguæ Latinæ faueam. Tunc Fabritius, Indignum, inquit, profectò exiſtimarem, ſi Latina lingua, cuis indigeret adminiculis; cùm ſe ipſa ſatis commendet: & per ſe laudabilis ſit, & ſine qua nihil laudari poſſit, ac planè intelligi: Vnde non poſſum non mirari; cur ipſe ſimul cum multis alijs Vulgarem hunc ſermonem, ita diligis, & commendas, vt Latino, reliquisq. omnibus ſtudeas præferre. In quo nulla virtus, nulla vtilitas, nullaq. delectatio percipi poteſt. Deſtitutæ enim Latinarum litterarum præſidio omnes artes, atq. diſciplinæ corruerent; nec quicquam acuratius poſſet tractari. Et illud quoq. ſponte fatendum eſt; quòd cùm omnes diſciplinæ diligentiſsimè Latinis litteris ſint explicatæ, videmus, ſi qui de tuis Vulgaribus, earum ſtudio tenentur, ſi ſunt Latinis doctrinis imbuti, Latina potius, quàm vulgaria legere: ſin à latinorum artibus, & diſciplinis abhorrent, nec hæc quidem curare, quæ ſine Latina eruditione intelligi non poſſunt. Denique ſi monumentis aliquid mandare cogitent, magno conſilio, ac prudenti ratione, relictis tanquam inanibus ijs tuis Vulgaribus litteris, operam omnem ac omne ſtudium ad Latinas conferunt. Etenim rogo, mi Iuli, vbi nam ſit vllus gloriæ fructus, qui ex vulgaribus poſsit adquiri. Namq. Vulgaria ſuis finibus, exiguis ſanè conſcribuntur; & ita vt non modo Italiæ limites non egrediantur, ſed neque Italiam totam occupent. Quare ſi Apuliam, aut Calabriam proficiſcaris; vel Siciliam, Corſicam, aut Sardiniam verſus nauiges, & hoc Vulgari Idiomate vtaris, non magis Italus, quam Arabs, aut Scytha videare. Latina verò in omnibus leguntur: nec vlla regio tam inimica penè nomini Romano eſt, in qua non aliquis ſit, qui Romana ipſa facundia non delectetur, eamque peritè intelligat. Sequamur igitur, ſequamur, inquam, maiorum noſtrorum mores, & inſtituta: qui multis laboribus, adeoq. ſudoribus conati ſunt nobis Latinum ſermonem, vti patrimonium quoddam iure naturæ debitum verbis electis, grauiter, ornateq. dictatum relinquere. Qui inter cæteras priſcas, & elegantes linguas diuino propè conſilio, conſeruatus, ſolus dignitatem, ac priſtinum ſplendorem mirificè reddit, atque præſtat. Tum Iulius, Fateror, inquit, ſi Latinum nomen nobis duntaxat proprium, vel peculiare, vel vt ita dicam, ſpeciale, ſiue præcipuum, nec cum alijs eſſet commune: ſed hodie hoc Heluetij, Belgæ, Celtæ, Germani, Hiſpani, Britanni, Galli, & aliæ innumeræ regiones magis, quàm Itali videntur poſſidere. Et hanc nimirum ob cauſam noſtri Latinum ſermonem paruipendendum, & Vulgarem magnis ſtudijs, & eximijs laudibus extollendum putarunt. Ita ſi fundus totus noſter eſt, omni diligentia, & cura excolitur; ſi verò multorum, ſtatim vno alterius ſolertia confiſo, infructuoſus redditur. Tum Fabritius, & hoc nimirum dolendum eſt, inquit, Italos neglecto patrimonio alienos fundos colendos ſuſcipere: & ex vberrimis latifundijs exteros pati abundantiſſimos fructus percipere. Cùm olim ij omnes proprio quaſi nomine Barbari dicerentur: nunc in amœniſſimos Latini fines diuagantur. Sed tamen rectè dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cuius vſusfructus alienus eſt, auctore Paulo Iuriſconſulto; quia vſusfructus non dominij pars eſt, ſed ſeruitus eſt, vt iter, & via. Quare Germani, Hiſpani, Galli, & alij id genus, Latini nominis vſumfructum cum nobis duntaxat communem habent, & ita quidem habent, vt minimam eius portionem à nobis tanquam coloni à dominis agnoſcant. Præterea iſtius Vulgaris ſermonis, quem Italum appellas, ager natura adeò ſterilis eſt, vt nulla arte, nulla cultura adhibita fœcundus eſſe poſſit. Tum Iulius, Mihi, inquit, ſatis conſtat antiquitus Latinam veſtram linguam parùm etiam fertilitatis habuiſſe, & exiguis finibus fuiſſe conſcriptam: atqui paulatim latiùs manans totum ferè orbem occupauit. Si illa tam latè, longeq. patuit, poterit item Vulgaris noſtra ob eius magnitudinem, & delectationem omnia mundi imperia facilè circuire. Tum ſtatim Fabritius, ſcire vehementer, inquit, cuperem; quis nam ſit tam felix Princeps, tamq. potens Reſpublica, quæ hoc aliquando præſtare ſe poſſe confidat. Iam non floret ampliſſima Romanorum Reſpublica, iam non viget fœliciſſimus, atque triumphator Auguſtus; nec alij, qui Auguſtum admirabili cum laude ſequuti ſunt Imperatores; qui ſub Imperio Romano totum orbem cohibuerunt. Quorum alij conſtituerunt; vt quælibet natio tam erudita, quàm barbara, neque actiones in iudicio ederet, nec vllas cauſas niſi Latinis verbis ageret. Item vt Decreta à Prætoribus Latinè interponerentur; quod etiam nunc obtinet ex Tryphonini libro diſputationum ſecundo. Neque miramini, ſi id lege ſancitum ſit; quia id iuris ciuilis eſt, & quod iure ciuili

uili eſt inuentum, verbis duntaxat Quiritium peragi debet. Et quamquam ſtipulatio, quæ à iure ciuili (vt communiter traditum eſt) ortum duxit, non ſolùm Romanis verbis celebrari poſſit, ſed etiam peregrinis. Namq. vt Vlpianus libro quadrageſimo octauo ad Sabinum eleganter ſcribit, hoc non vſque ad Latinum ſermonem protrahimus, ſed & ad Græcum, Pœnum, Aſſyrium, & ad quemuis alium: id tamen eſt vtilitatis cauſa receptum, vt omnis ſermo contineret verborum obligationem; quodq. ante Tryphoninum obſeruabatur: nihil enim refert contractus qua lingua quis celebret: ſequenda tamen eſt formula Latina: vt vir doctiſſimus Iacobus Cuiacius in libro Pandectarum ſecundo, titulo decimo quarto ſcriptum reliquit. In ſententijs quoque nihil intereſt, an & Græcè proferantur, ex Arcadij, & Honorij conſtitutione. Cùm poſt coloniam Romanorum Byzantium translatam Romani & ipſi Græcè loquerentur. Idq. in teſtamenti factione perſpicere licet: quæ quidem iuris ciuilis eſt: nec olim potuit fieri teſtamentum, niſi Latinis verbis; hodie ex Theodoſij conſtitutione, quacunq. lingua. Sed longè aliud eſt in Decretis, quæ à populo Romano, vel ab ipſis Imperatoribus interponebantur: in quibus merum, ac mixtum imperium continebatur: de quibus nunc dicere ad inſtitutum opus parùm pertinet. Sed quia de iure ciuili loquebantur, confeſtim Ceua, Imò, inquit, abs re non fuerit de ijs pauca videre; cùm ea etiam ad Latinum, Vulgaremque ſermonem non parùm facere videantur. Cùm enim aliquando cum ipſum Tryphonini locum, ipſamq. Arcadij, & Honorij conſtitutionem perſpicerem, diligenterq. inquirer; quid probarem haud ſcio. Tandem in Bartoli ſententiam deſcendi, exiſtimantis Latinam linguam pro quacunque lingua intelligibili accipiendam eſſe, adeò, vt non ſolùm Græcus, ſed & Germanus ſermo, eius appellatione comprehendatur. quam quidem interpretationem ante Bartolum, Oldradus, & Dynus ſunt ſequuti: hancq. probare te exiſtimo. Tum Fabritius, Me (vt ſentio) inquit, vocas in aliam, & longè difficilem controuerſiam: ſed cùm ita lubet, paulò altius hoc nobis eſt repetendum. Quod autem ad Bartoli ſententiam, tantùm abeſt, vt probem, quin mihi falſiſſima ſit: & miror equidem Bartolum; nec enim hæc eſt Bartoli ingenio digna: cùm ſit tam impropria, tamq. à verbis Iuriſconſulti aliena, quam qui ſenſum oculorum habet, intueri facilè poteſt. Ego igitur puto longè aliam eſſe huius legis ſententiam: hanc nempe, quòd Latinus ſermo apud veteres Romanos vſq. adeò in pretio fuerit; vt non modò in ciuitate Romæ, ſed etiam in Græcia, & in Aſia publica negotia Latinis verbis peragenda eſſent: idq. Valerius Maximus ijs verbis copioſè oſtendit: Magiſtratus, inquit, priſci quantoperè ſuam, populique Romani maieſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cætera obtinendæ grauitatis inditia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Græcis vnquam niſi Latinè reſponſa darent: quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent excuſſa per interpretem loqui cogebant; non in vrbe tantùm noſtra, ſed etiam in Græcia, & Aſia: quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, &c. Et ob hanc nimirum cauſſam ſancitum arbitror, Decreta Latinè interponi debere. Qui quidem intellectus mihi ſemper placuit: tum à Raphaele Comenſi, & Iacobo de Puteo viris doctiſſimis approbatum, vt Alciatus refert, magna cum voluptate percepimus: quamuis Alciatus ipſe interpretationem hanc reijciat, & improbet: Quoniam Valerius Maximus de priſcis, inquit, inſtitutis agit, quæ fuerunt à maioribus obſeruata, quæ tempore Tryphonini huius reſponſi auctoris amplius in vſu non fuerunt. Verùm, vt faciliùs intelligere valeatis, more legum interpretis in præſentiarum agam. Reiecta itaq. & improbata Comenſis, & Putei ſententia, nouum ſenſum Alciatus adfert. Namq. quod ſcriptum eſt in illo Tryphonini loco, loquitur de Prætoribus, & ſic in Magiſtratibus, qui Romæ ius dicebant: vnde non eſt mirum ſi Latinè debent pronunciare: quæ ratio in cæteris iudicibus, qui in prouincijs ius dicunt, ceſſat: vt meritò illis Græca lingua vti permiſſum ſit. Aduerſatur autem huic Alciati ſententiæ: quod conſtat non modo Prætores, ſed Senatores etiam Decreta aliter, quàm Latinè pronunciare prohibitos fuiſſe: cuius rei meminit in vita Tiberij Seutonius. Quamobrem non ſolùm Romæ, verùm & in Prouincijs Prætores conſtitutos eſſe apertè Pomponius de origine iuris, ijs verbis demonſtrat: Capta, inquit, Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi prouincia. totidem Prætores, quot Prouinciæ in ditionem venerant creati ſunt, partim, qui vrbanis rebus, partim, qui prouincialibus præeſſent. Et ſatis ſcio aliter ab Alciato in libro primo Prætermiſſorum, cuius auctoritas apud me maxima eſt, hoc Tryphonini reſponſum acceptum eſſe; vt vel ex eo colligatis ei non ſatis liquiſſe de re. Nam, inquit, aliter Tryphonini reſponſum accepimus, quàm Acurſius fecerit, quippè ille omnia Decreta Latinè interponi iubet, non barbarè, & imcomptè, vt etiam apud Græcos Latina Decreta ex eius reſponſo proponenda ſint. quod minimè mirum eſſe debet, cùm omnes Romano imperio ſubditi, Romanam linguam ediſcerent; quod etiam Strabo ſcribit. Quæ ſententia quodammodo ex Cice-

ronis

ſonis auctoritate poſſet confirmari. Nam ad Herennium, Latinitas, inquit, eſt, quæ ſermonem purum conſeruat ab omni vitio remotum: vitia in ſermone, quominus is Latinus ſit, duo poſſunt eſſe, ſolœciſmus, & barbariſmus, vnde & de Oratore, purè, & Latinè loqui; & alibi purè, & enſendatè loqui, quod eſt, inquit, Latine. ſed vt paucis comprehendamus, mihi videtur rectus ſuperior intellectus, qui etiam Comenſis, & Putei fuit. Nec ad rem facit, quòd Valerius Maximus de priſco inſtituto intelligat; quod quamuis facilè admittamus, non tamen credendum eſt, ea Tryphonini ætate abolita fuiſſe. Quicquid enim expreſſe correctum non videmus, id veterum legum, conſtitutionumq. regulis omnes relictum intelligunt. Nec pili quidem facio conſtitutionem illam, qua permiſſum eſt ſententiam Græcè etiam ferri poſſe: quoniam eo tempore, vt paulò ante diximus, Romanum imperium ad Græcos erat tranſlatum, vt merito Græcę linguę largitum ſit, quod antè Romano ſermoni conceſſum erat. Hinc videmus in libro duodecimo Codicis, à Valerio Imperatore Græcum, & Latinum ſermonem æquiparari. Tum Ceua, Hæc tibi, inquit, magis, quàm Bartolo, & Alciato aſſentior: ſed illud vereor, ne tibi poſſim concedere, hoc eſt, Tryphonini reſponſum hodie eſſe admittendum, cùm aliter videatur obſeruari. Tum ille, Neq. hac de re, inquit, ab initio differendum propoſuimus, ſed vt vobis apertè commonſtrarem Vulgarem linguam non tam latè, longeq. diffundi poſſe, quàm Latinam: vtrique tamen ſatisfaciam. Ego itaque Tryphonini regulam hodie, atq. ipſius Iuriſconſulti ætate accipiendam eſſe ſemper exiſtimaui. Et licet in quibuſdam Romani Imperij partibus alter ſeruetur, id tamen ab ijs duntaxat, qui ius condendi legem habent: neque iniuriæ cùm plebs, cui potiſſimum Decreta interponuntur, nullam Latinæ linguæ notitiam habeat. In multis verò alijs regionibus, nulla huius rei habita ratione, Latinum ſermonem, tanquam diuinum inſtitutum colunt, & tuentur: præſertim in curijs ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ; à quibus omnia, niſi Latinè condita ſint pro nihilo habẽtur. Neque hic prætermittam, quod vir alioquin doctiſſimus mihi ſolebat obijcere: ergo, aiebat, Eccleſia humanis legibus ſubijcitur. Sed videte: quàm recta ratiocinatio. Romani Pontifices Latino idiomate vtuntur, ſunt igitur Principum ſubditi conſtitutionibus. Satis dilucidè oſtenditur, ſummum Pontificem, cæterosq. infeſiores ſacerdotes non eſſe Imperatorum legibus adſtrictos. Nec enim lex Imperatorum, vt Nicolaus Papa ad Epiſcopos in concilio apud Conuicinium congregatos ſcripſit, ſupra legem Dei eſt, ſed ſubtus. Hinc ex communi Doctorum calculo traditum eſt Laicorum ſtatuta, non modò inodium, ſed etiam in fauorem Clericorum inducta nullius eſſe ponderis, niſi ab Eccleſia prius fuerint approbata. Maluit igitur S. R. E. perpetuò id obſeruari; vt ſicut vna eſt Eccleſia catholica, cuius Roma caput eſt, ita vna eſſet loquendi ratio omnibus quantùm fieri poteſt communis. quod ſi verbis Italicis vteretur, & Germanicis, Hiſpanicis, Gallicis, & quibus non, vti oporteret? Vnde multæ efficerentur Eccleſiæ: qua de re fuſius diſputabimus. Verùm, vt vnde egreſſi ſumus, reuertamur, conſtat ſatis Vulgarem linguam non poſſe tam longè, lateq. ſe propagare, quàm Latinam. Sua igitur ſponte?

At paſtor amicam,
Quamuis deformem, laudat vterq. ſuam.

Qua de re veſter quoque Cicero: ſuum, inquit, cuique pulchrum eſt: adhuc neminem cognoui Poetam, qui ſibi non optimus videretur; ſic res ſe habet, te tua, me delectant mea. Hiſpani ſuum Italico benigniorem, & iucundiorem, Galli ſuum dulciorem, vberioremq. eſſe arbitrantur. Neq. illud fortè abs re erit; quia, ſicut feræ rationis expertes, quæ partus ſuos ita diligunt; vt pro ipſis ſæpiſſime propugnent, & ſic pugnent, vt vulnera, vel ad ipſam necem excipiant, nullos impetus, nullos caſus reformident; nec minus *ij* pro ſuo ſermone, tanquam pro naturali partu ita bellum gererent, vt ne à maiori quidem hoſtium multitudine compelli poſſent. Tum Ioannes, Imò verò, inquit, mihi paucis iam diebus accidit: vt quoſdam nobiliſſimos, & doctiſſimos adoleſcentes Germanos nactus ſim: qui à noſtro Vulgari idiomate non ſic abhorreant, vt illum reliquis omnibus poſthabeant. Tum Fabritius, Ego omnes, inquit, exteros, quos cognoui, nec certè paucos ſæpe de Vulgari hac lingua alloquutus ſum: & multi, & penè omnes eam vſque adeò in precio habent; vt eis nihil turpius, nihil fœdius, nihil miſerius videatur. Et inter cæteros poſtero die fortè fortuna hac de re ſermonem habui cum Claudio Balando Camberiano adoleſcente & moribus integerrimo, & diſciplinis ornatiſſimo; qui totam Italiam peragrauit, & Romæ non modicum temporis eſt moratus: & in hac quoque ciuitate diutius vitam degit; & hodie in legum ſtudia maxima cum laude incumbit. Is, inquam, nec Vulgarem, in qua non mediocriter verſatus eſt, penitus reijciebat, nec laudabat: & maximè illa Italica carmina, quæ ijſdem ſyllabis cadunt, quæ à nobis octaua rima appellatur, pro quibus multùm facitis, nunquam ita ſatis ſibi feciſſe, vt Gallica, non ineleganti ratione aſſeuerebat. Neque mirum, ſi Germani illi adoleſcentes Italicum Idioma cæteris omnibus anteponant: cùm Germanicum ferè ſit omnium obſcuriſſimum. Neque idcircò

tibi

tibi perſuadeas eos ſuum prorſus voluiſſe abijcere, & Vulgarem hunc tuum amplecti. Si autem amas verum, quo nihil hominum generi natura tributum pulchrius, nihil charius, dices, quid nam eos in hanc ſententiam tam facile inuexerit? Tum Ioannes, Etenim, inquit, quoties eis permittitur coniunctiſſimè ſemper & amantiſſimè Franciſcum Octonaium, Phyſicum ſanè excellentiſſimum, Mathematicam, & Aſtrologiã publicè profitentem audiunt, quo nemo ferè ſenior hoc tempore, nemo prudentior; qui, vt moris eſt, Euclidem magna cum auditorum admiratione Italicè interpretatur. ij inquã, non tã cauſa diſcendi artem, quam ob ſermonis amœnitatem, grauitatem, magnamque dicendi copiam illius prælectionibus interſunt. & ſi paucis diebus in Italia propter locorum diſtantiam eis eſſe libuerit; omnia tamen ab illo (ornatè enim doctè, & propriè loquitur) ſe dicunt intelligere. Tum Fabritius, Neq. inquit, illud vnquam concedam, vt ij Germani adoleſcentes, quòd exiſtimas, docti, non alia ſint excitati ratione, quæ tibi non ſit incognita: quamuis hoc ſatis ſcio, nullum Octonaio maximo viro, & ſpectato non tantum in diſciplinis, & ſubtiliſsimis Mathematicæ, & Aſtrologiæ artibus, ſed nec in Vulgari ſermone, cuius princeps ſemper eſt habitus, eſſe comparandum. Sed illa eſt, meo iuditio, cauſa: quia ſolebant dicere; hæc veſtra lingua proximè ad Latinam linguam accedit. Ergo non Vulgaris, ſed Latinæ linguæ lineamentis, ſiue principijs, ſine quibus ne punctum quidem perciperent, ducãtur. Quod idem Galli, Hiſpani, Græci etiam, atque Chaldei, qui linguam Latinam primis, vt dicitur, labris deguſtarent. Quod ſi ita eſt, vt nemo, niſi Latinis litteris imbutus, intelligat: quid Latina lingua magis colendum, aut quid ipſa præſtantius? Quid autem nobis? quidam imperitè dicebat, ſat eſt, vt intelligant: poſſunt enim hanc, & illam habere. Sed ſi vna abſq. alterius beneficio intelligi non poteſt: quid emolumenti eis adferret? nam quod paucis fieri poteſt, vt vtar Ariſtotelis verbis, per plura fieri non debet. Cùm hæc attentè audiuiſſet Iulius, Venio ipſe, inquit, in hanc tuam ſententiam pedibus, & manibus: cùm exiguas Italiæ fines egredi non poſsit. In Italia verò hanc tuam ſententiam diuidi poſtulo. ſed iam ad inſtitutum opus vellem nos proximè accedere: quoniam dictum eſt à te ſatis copioſè Vulgarem linguam non poſſe in tam longinguas prouincias, quàm Latinam protendi: conſequens eſſe videtur, vt greſſum comprimamus, & inceptum iter paulò reuocemus, hoc eſt, vt diligenter inquiramus: an ſermo, vel hic modus loquendi ſolis hominibus datus ſit: & an ſit quid naturale, vel hominis inuentum. Tunc Fabritius, Rem vnã, inquit, omnibus notam poſtulas, alteram perdifficilẽ quæris: quod verò ſciam, & potero dicam. Tunc ſurgens Ceua, Quod tu, inquit, non poteris, aut nelcies, quis noſtrum tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Tũ ille, ego omne, inquit, hoc ſummæ bonitati, ac etiam beneuolentiæ tuæ erga me tribuo: attamen te rogo, atq. obſecro, vt ne poſthac me tam eximia laude ornes, cum minime ea dignus ſim laude: nã & tibi non ſolùm, ſed & mihi proderit, ſi id agas: quoniam & te acrioris iudicij exiſtimabunt; & maiorem de me, quam quæ ſit, opinionem fortaſſe non concipient. Tum Iulius, Non hoc ex te, inquit, ſed de quo mox expoſui, quid ſentias, quærimus; exiſtimas ne ſermonẽ ſolius hominis eſſe? Verùm antequam viro progrediaris, velim vos oratos, ne tot iuriſconſultorum reſponſa, totq. Imperatorum Conſtitutiones in medium adferatis; cùm pauci id poſsint percipere. Quæ cùm dixiſſet ridens Fabritius, Hoc, inquit, inuitus, & coactus facio: ſed Ceua ſimul cũ neceſsitate me aliquando impellit: Et poſtbac, niſi ratio, vel neceſsitas aliud deſideret, me in hoc tibi obſequuturum polliceor. Cæterùm ſcias ſermonẽ hominibus natura ineſſe, vel ipſius hominis induſtria repertum eſſe, difficilem, ac perplexum habere explicatum. Altera verò, quam proponis, quæſtio, nullam propè habet difficultatem: idq. omnibus perſpicuum. Tum Iulius, ego verò, inquit, nedum à ruſticis, ſed nec à doctis quidem hoc ſatis intellectũ puto: ipſe tamen omnibus exploratum dicis, quod nullo modo poſſum percipere: cum ſæpe apud maximi nominis viros legam quaſdã volucres aperè, clarè, & articulatè fuiſſe loquutas, vti picas, pſyttacos; monedulas, coruos, quæ interdum humanam vocem imitatæ ita appoſitè aliquid expreſſerunt, atque pronunciarunt, vt humana voce loqui viderẽtur. Cuius rei præclarum habemus exemplum apud Macrobium. Cùm enim Cæſar Auguſtus inſignem ex Atticis victoriam reportaſſet; occurrit ei inter cæteros gratulantes vnus coruum in manibus gerens, quem docuerat hæc fari; Aue Cæſar victor Imperator: quo facto magnam exhauſit Auguſtus admirationem, officioſamq. auem viginti millibus nummùm emit. Cuius auis magiſter alteram hæc inſtituerat dicere, Aue victor Imperator Antoni. Eodem quoq. tempore ſalutatus à pſyttaco, pro illo nũmos ſolui iuſsit. Clarè etiam loquentem picam redemit. quorum exẽplo pauper commotus furor ſolicitè coruum inſtituit, vt tranſeuntem Auguſtum eadem ſalutatione caperet: qui impendio exhauſtus ſæpe ad auem non ſibi reſpondentem dicere ſolebat, Opera & impenſa perijt. Quãdoq. tamen coruus cœpit pronunciare dictatam ſalutationem. Hoc audito dum tranſiret Auguſtus, reſpondit: Satis domi ſalutatorum talium habeo. confeſtim coruo ſuperfuit memoria; vt & illa, quæ à domino

quæren-

quærente ſolebat audire, ſubtexuerit: Opera, & impenſa perijt. Ad quod Cæſar riſit, emiq. auem iuſſit, quanti nullam adhuc emerat. Hæc, aliaq. abundè ſcripta reperimus: nec vlla opus eſt probatione: cùm multæ etiam in hac ciuitate loqui audiantur, & maximè in Aula Sereniſſimi Ducis, quæ non modò Italicè, ſed & Gallicè verba expromunt. & vna præ cæteris, quam noctù adferre ſolent in Prætorianorum cuſtodiam; & quicquid milites agunt, & dicunt, die omnia Sereniſſimo Duci ſigillatim recenſet. Hinc Poetæ, meo iudicio, exiſtimarunt has aues aliquando humanam formam habuiſſe, & à Dijs propter nimiam arrogantiam, vel propter aliquod maximum crimen in bruta eſſe commutatas: vt dum Pieri, qui Macedoniam poſſedit, & Anippes nouem filias nimis arroganter gloriarentur, Muſas in certamina cantus prouocarunt: quarum vna exorſa eſt, quod Gigantes aduerſus deos contenderint, ex quibus Typhœus terrigena deformitate terruit Deos, compulitq. in Aegyptum; vbi Iuppiter ob metum in arietem conuerſus eſt, Apollo in coruum, Liber in capram, Diana in felem, Iuno in vaccam, Venus in piſcem. Inuicem autem Muſæ cum Cereris laudem decantaſſent, Pierides victæ in picas ſunt verſæ: de quibus Ouidius libro Metamorphoſeos quinto:

Muſa loquebatur, pennæ ſonuere per auras:
Voxq. ſalutantum ramis veniebat ab altis.
Suſpicit, & linguæ quæris tum certa loquentes,
Vnde ſonent, hominēq. putat Ioue nata loquutā,
Ales erat: numeroq. nouem ſua fata querentes
Inſtiterant ramis imitantes omnia picæ &c.

Tum Fabritius, Hæc, inquit, quæ de auibus retuliſti, certiſſima ſunt: illud tamen ſit tibi præcipuum, vt ſolius hominis ſermo ſit: neq. iniuria; cùm ſolus ſermone indigeat. Homo enim magis, quàm cætera animal ſociale eſt, qui non tantum genitus, ac procreatus eſt, ſocietatis, communionisq. appetens; quin etiam magnoperè ijs indiget: cùm nec poſſit, nec eum deceat per agros, & lyluas vitam degere, nec per ſe duntaxat eſſe: ſed in ciuitatibus vnà cum alijs ætatem agere: & hanc humani generis communionem, hanc conſpirationem in Republica benè gerenda, hanc iucundiſſimam vitæ, atq. officiorum omnium ſocietatem coire, & tueri; niſi fortè perfectiſſimus eſſet, quod rarò euenit, vel omnino bellua. Nam homò cum rationale, & ciuile animal ſit, ac natura ciuis, operæ pretium eſt, vt & ſermonē habeat. Verùm ſi ita res ſe habet, videtur Picarum ſermonem habere plurimum intereſſe, quæ, vt naturales referunt, regem habent; & formicarum, quæ more reipublicæ viuunt, & aliorum animalium multorum, præſertim elephantum, qui, vti Plinius teſtatur, regem, centuriones, & cæteros militiæ gradus, qui cæteris præſunt, conſtituunt: quæ omnia licet rationis expertia ſint, & inciuilia, ſocialia tamen ſunt, & gregatim paſcunt. Vnde Cicero, vt pecudes, inquit, ſui generis ſequuntur greges, vt bos armenta. Neq. verò ijs natura defuit, ſicut homini loquendi artificium dedit, ſic animantibus vocem impartiuit. Ita enim mirificè voces ſuas proprijs quibuſdam inter ſe notis diſcernunt, atq. cognoſcunt, vt colloqui videantur; ſæpe etiam humano generi alludunt, aut ſanè videntur alludere. Ridendi namq. ratio apparet in ijs aliquæ, cum demulſis auribus, contractoq. rictu, & oculis in laſciuiam diſſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſq. coniugibus, aut fœtibus proprijs. Non ne aliquid amori mutuo, & obſequio ſimile tribuunt? Iam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos reponunt, habēt vtiq. prouidentiam. Rationis quoq. inditia in multis dignoſcuntur: nam quando vtilia ſibi appetunt, mala cauent, pericula euitant, *latibula*, quibus ſe tegunt, parant, profectò aliquid intelligere videntur. Non poteſt quis negare ſemina quædam rationis in illis dignoſci, eum hominem ipſum ſæpè deludant. Nam quibus conficiendi mellis officium eſt, cùm optatas incolunt ſedes, caſtra muniunt, domicilia admirabili arte conſtruunt, regi ſuo inſeruiunt. Et quamquam rationem habere videantur, non idcircò tamen *illis* ea, quæ homini tribuuntur, communia eſſe dicemus. Multa enim homines faciunt, quæ & bruta faciunt animalia, ſed longè diuerſa ratione. Nam quæ bruta faciunt, naturaliter duntaxat faciunt, non tamen iure; homines verò & naturaliter, & iure, hoc eſt cum ratione. Et licet Vlpianus in primo Inſtitutionum libro dicat ius naturale eſſe, quod natura omnia animalia docuit. quod ius non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari, cæloque naſcuntur, commune eſt. Hinc deſcendere maris, & fœminæ coniunctionem, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreationē, hinc educationem: quoniam videmus cætera quoq. animalia etiam iſtius iuris peritia cenſeri. Debemus tamen hoc intelligere, vt Antonius Goueanus in libris variarum lectionum eſt peritè, ac eleganter interpretatus; quamq. interpretationem paucis iam diebus ſequutus eſt Ioānes Manutius præceptor noſter: ſcilicet Ius naturale conſiſtere in ijs rebus, quas natura docuit omnia animalia. Et cætera iſtius, iuris peritia cenſeri: ſic intelligi; vt cenſeantur perita earum rerum, in quibus hoc ius conſiſtit. Quicquid enim & homines, & bruta faciunt animalia, non eſt continuo iuris naturalis (nam edere, bibere, dormire, educereiuris eſſent naturalis) ſed, vt quæ homines, iure faciunt, eadem ſi bruta facient animalia, iure naturali homines facere dicuntur. Vti enim homines filios procreant, eoſdemque

ſtudio-

ſtudioſè, & diligenter nutriunt, ita & bruta; ſed bruta inſtinctu quodam naturali tantùm: homines autem ratione, iure, ac præſcripto legis; vt cùm maritus ſe ad vxorem applicat, vel pater liberos alit. Quod igitur homines naturaliter faciunt, & cum ratione, id & iure facere dicuntur. Ex eo autem licet intelligere, quòd non quæcunq. homines faciunt naturaliter, iuris naturalis dicantur: nam, vt iam dictũ eſt, edunt, bibunt, dormiunt natura; quæ tamen nemo dixerit eſſe iuris naturalis: bruta quoq. animantia naturaliter duntaxat corpora commiſcent, non iure; homines verò & natura, & iure: quia iure ſoli vtuntur homines. Vim etiam, & iniuriam propulſare iuris eſt naturalis: quamuis Florent. Iuriſconſulto, ſeu potius Triboniano magis iuriſgentium eſſe placuerit. Rectius Cicero, qui in Topicis naturale ius vocat. Nec vlli dubium eſſe debet, quin hoc ſit ius naturale; cùm nullũ reperiatur animal adeò infirmum, atq. puſillum, quod vim non propulſet, ſeq. & ſua non tueatur: vtq. eſt in prouerbio, formicæ inſit ſua bilis: naturaliter tamen facit, non iure: homo autem & natura, & iure, ſcilicet ex legis præſcripto: quia honeſtum, & vtrabarum viſum eſt legum latoribus, vt nobis liceret vim vi repellere. Sed, vt vnde digreſſa eſt noſtra reuertatur oratio, arbitror equidem, vt cũ Lactantio ſentiam, vniuerſis animantibus datam eſſe rationem, hoc eſt, vt ego interpretor, rationis ſimulacrum quoddam, ac ſimilitudinem. Sermonem autem ſolius hominis eſſe vobis apertius indicabo. Cùm enim Deus optim. maxim. hominẽ ipſum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creârit; ſolusq. ſit, qui ſentiens, capaxq. rationis intelligere rerum omnium factorem Deum, ac opera eius admirabilia, virtutem, poteſtatemq. perſpicere: ſolus conſilio, mente, prudentia eſt inſtructus. Ideoq. ipſe inter cæteras animantes rectus corpore, ac ſtatu factus eſt: vt ad contemplationem parentis ſui ſe excitatum eſſe intelligeret: vt Ouidius rectè cecinerit.

Pronaq. cùm ſpectent animalia cætera terrã,
Os homini ſublime dedit, Cælumq. tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Hinc ſermonem ſolus accepit, teſte & ipſo Lactantio, & linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maieſtatem Domini ſui, & gratias pro immenſis erga ſe beneficijs referre poſſet. quod animantibus haud dare neceſſe fuit; cùm homini cuncta, vt ſacræ teſtantur paginæ, ſubiecta fuerint. Vehimur enim quibuſdam tum terrenis tum aquatilibus, tum volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus quoq. domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas, atq. vis nobis ipſis affert vim & celeritatẽ. Nos onera alijs beſtijs, nos iuga imponimus: nos Elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate tantum ad vtilitatem noſtram abutimur: quasq. violentiſſimas natura genuit, illis moderationem nos ſoli adhibemus. Alijs etiam non modò ad cibum vtimur, ſed etiam, vt frigora, caloresq. pellamus, fruimur. Oues enim quæ ad veſcendum hominibus aptæ ſunt, nihil ferè aliud afferunt: niſi vt earum villis confectis, atq. contextis homines veſtiantur. Illæ verò aues, quæ colloqui videntur, nec propriè, nec verè loquuntur: ſed humanam vocem imitatæ, quod audiunt, exprimunt, nec quid dicant, intelligunt. Et hoc ipſum ex eo intelligere licet, quòd non, vt putas, coruus, ſalutator verbis Latinis loquebatur, ſed Græcis, vt à magiſtro fuerat edoctus; quæ longè faciliùs illi erat exprimere, vtpote quæ ad naturalem vocem proximius accederẽt, χαῖρε κάικια, quæ te apud Plutarchum, ac Suetonium legiſſe non dubito. Multa deniq. ad fingẽdam, & emittendam vocem, qua animi noſtri ſenſum declaramus, neceſſaria ſunt, quæ in brutis videntur deſiderari. Ad vſum namq. ipſius vocis, incredibile eſt, niſi diligenter animaduertatis, quanta opera machinata natura ſit. Primùm enim à pulmonibus arteria vſque ad os intimum pertinet: per quam vox à mente principium ducens percipitur, & funditur. Verùm cùm abſq. inſpiratione, & expiratione vox fieri nullo modo potuerit, illaq. compreſſione, & diſtentione maximè indigeat: nec immeritò admirabimur rerum omnium Opificis prouidentiam, atq. ſolertiam, qui aſperam arteriam (ſic enim à medicis appellatur) ſimul commodum reſpirationis, & voeis organum mirabili arte conſtruxit. Atq. tanto artificio laryngem compoſuit, vt illa nũc magis, nunc minus claudi poſſit, & ſpiritum arbitratu noſtro ad maximos ſæpe vſus retinere, & varias voces, hoc eſt leuem, & grauem arctare, & relaxare valeamus. Et tanta deniq. thoraci inſita eſt vis; vt etiam arbitratu noſtro nunc multùm, nunc parùm aeris ad ſolam reſpirationem, aut vt ſimul quoq. voci, quam effingere lubet, aer inter expirãdum ſufficiat, emittere poſſimus. Nam vt paucis dicam: Aſpera arteria, quæ primò animanti ad aeris in reſpiratione tranſitum, ductumuè confert, oſtium habet adiunctum linguæ radicibus, illaq. ad pulmones vſq. pertinet. Et ſpiritus à pulmonibus, vt diximus, per aſperam arteriam ad laryngem, quæ longè omnium fiſtularum functionem vincit, & ad os intimum effunditur. In ore autem ſita lingua eſt finita dentibus. ea vocem immoderatè profuſam fingit, & terminat: quæ ſonos vocis diſtinctos, & preſſos efficit, cùm & ad dentes, & ad palatum inſtar rotundi, amplique ſpatij conſtructum, & ad alias partes pellit oris. Quamobrem plectri ſimilem linguam, medici, & philoſophi ſolent dicere, cordarum dentes, nares cornibus, ijs, qui

ad neruos reſonant in cantibus. Ijs itaq. inſtrumentis, ſingulari prouidentia, & diligenti, ſolertiq. cura conſtructis mirabiliter: quaſi muſica, efficitur vox. quod bruta nequeunt facere animalia: quamuis multa reperiantur, quæ eaſdem propè habent partes, non tamen ita diſtinctas; aut enim mancas, aut latas, & amplas, aut inferius, aut ſuperius inſitas eſſe animaduertimus. Namq. laryngis, quæ, vti diximus, ad fingendum vocem eſt omnium optima, ſuperior ſedes, vt Andreas Veſalius Anatomicorum Princeps ſubtiliter, & amplè ſcribit, latior (ſecus quàm in bobus) in inferiori cernitur. (Natura enim quædam nobis peculiaria impartiuit, quò facilius à brutis animantibus ſecerneremur: hinc etiam oculum ex multis partibus conſtare videmus, & maximè ex quinque muſculis: quanquã multi, & ferè omnes ex quatuor tantùm conſtare ſcribunt. Realdus tamen Columbus libro decimo apertè commonſtrat quinq. eſſe oculi muſculos: ſeq. quintum primò inueniſſe: quem ſanè muſculum, cùm quoddam à doctiſſimo Angelo Viſca Anatomico ſecaretur corpus, diligenter animaduerti. Cuius ſanè beneficio cœlum, ac beatas cœlorum mentes intuemur. quod bruta nequeunt facere animalia: cùm in ipſis hic videatur deſiderari muſculus.) Piſces etiam non modò non loquuntur, ſed neque vocem poſſunt emittere: & ideò pulmones deſiderant, hinc illud prouerbium ἰχθὺς ἀνώνυμος ideſt, magis mutus piſce. Neque vos miramini, ſi plures, qui dentibus carent, loqui audiueritis. Cauſarũ enim aliæ ſunt perfectæ, & principales, aliæ adiuuantes, & proximæ. Dentes ſunt cauſa adiuuans: & ſi eos, quibus deſunt dentes, rectè attendatis, facilè dignoſcetis nec bene, nec articulatè loqui, ſed balbutire. Quare videmus infantes nõ poſſe apertè, & clara voce quid ſignificare, niſi ad eam ætatem, qua dentes habere poſſint, peruenerint. hinc quoq. Iuris auctores ſæpè reſponſitarunt pupillum, qui fari non poteſt, hæreditatem adire non poſſe: & vbicunq. verba deſiderantur, perſona pupilli pro nihilo habetur. Tunc Iulius, Optimè, inquit, quamobrem ſic agamus, vt nos ipſa ducit oratio. Non enim mediocriter mouẽor auctoritate tua, Fabriti, orationeq. tua, quæ me ſatis cohortatur, vt nullum animal ſermonem habeat: belleq. oſtendis inſtrumenta, quibus vox efficitur, miro quodam modo naturà hominibus eſſe inſita. At ſi inſtrumenta, quibus loquuntur homines, eis naturaliter inſunt, & naturaliter loquuntur: Quid enim ſi plures infantes ſtatim atq. in lucem editi fuiſſent, elinguibus matribus ad nutriendum traderentur? quid beneficij inſtrumenta, quæ natura ipſa diuinitus impartiuit, aut ſanè emolumenti attuliſſent? fruſtra quidem ineſſent: cùm ſermonem inuicem conferre non poſſent: quare ego in ea ſum ſententia; vt ſi infantes non ſolùm à mutis nutrirẽtur, ſed & à belluis alerentur, ea lingua, qua primi parentes ſermonem conferebant, ſe explicarent. Tum Fabritius, Inſunt certè, inquit, inſtrumenta naturaliter, verba non item: nam ſi ego id concederem, ſequeretur neceſſariò, vt omnes homines, vno, & eodem ſermone vterentur: verius tamen eſt contrarium. Nonne etiam homines vnius, & eiuſdem ſpeciei ſunt, vti homini in ſenectute caneſcere; non ne & neceſſariò alijs omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei? Qua igitur ratione dicemus ſermonem natura hominibus ineſſe; cùm omnes nec eadem lingua, nec eiſdem verbis loquanturr? Itali enim Italicè, Hiſpani Hiſpanicè, Græci Græcè; & ſingulæ regiones ſua peculiari lingua, & illud magis, quòd in vna quaq. prouincia variè, ac diuersè loquuntur; in qualibet etiam ciuitate, & diuersè pronunciant; & diuersè vtuntur verbis. Illa eſt etiã potiſſima ratio, quod ſi naturaliter homines loquerentur; infans cùm è Gallia in Italiam transfertur, Gallicè deberet loqui, ſed ſermonem habet Italicum: idq. ratio manifeſta docet. Etenim videmus omnes linguas ab initio & inopes, aſperas, & agreſtes, fuiſſe: tum paulatim mitiores, ſuauiores, ac ditiores fieri, & vt ille ait, longo ſplendeſcere in vſu. Latina lingua quàm rudis, & aſpera fuerit, haud ſatis valemus percipere, cùm ij, qui primò ſcripſerunt, ad manus noſtras nuſquam peruenerint. Verum enim verò ex Ennio, vel ſaltem ex eius fragmentis, quæ apud Ciceronem, & alios leguntur, vel ex Plauto, aut Lucretio, quandoq. etiam ex ipſo Terentio, non talem ſuauitatem, verborumq. copiam, qualem ex Cicerone, ſiue ex Virgilio, & alijs eiuſdẽ ætatis hominibus, aut noſtri temporis ſcriptoribus hauriemus. Iucm de Græca, deq. Vulgari Italica. Fuerunt enim Itali Vulgares barbari, & ſi mihi licet, barbariſſimi, tum miſerrimi. Dantes verò lucem attulit claram, Petrarcha clariſſimam: quibus & recentiores conantur addere. Ex quibus nobis liquere poteſt, quantùm ſe exercuit homo & ingenio, & induſtria. Ideò, vt mea fert opinio, nihil eſt tam arduum, nihil tam excellens, & illuſtre, quod huic putem præferendum. Inter cætera, inquam, quæ hominis ſtudio, & ingenio reperta ſunt, locutionis, aut ſermonis inuentio ſola eſt animaduerſione, & omni admiratione digniſſima: namq. rebus nomina impoſuit, eaq. ſingula proprio appellauit nomine: & eò duntaxat inuenta ſunt, vt rem quamcunq. ex ijs recognoſcamus: idq. Imperatores Diocletianus, & Maximianus dilucidè reſcripſerunt. Quod ſanè argumẽto eſt ſermonem eſſe quodã hominis artificio inuentum, & excogitatum: & non naturaliter, vt vos creditis, ãlijq. malè tradiderunt.

Quod

Quòd ſi infantes mutis nutricibus traditi prima lingua, quæ in hoc terrarum orbe fuit, loquerentur: Hæc quidem mihi videntur meræ ægri ſomnia: quæque irridere videtur Quintilianus; Propter quod, inquit, infantes à mutis nutricibus iuſſu regum in ſolitudine educati, etiam ſi verba quædam emiſſiſſe tradantur, tamen loquendi facultate caruerunt. verba enim illa, quæ promebant, non primæ linguæ, ſed ea ipſi arte quadam fingebant. Quoniam ipſe ſemper in ea permaneo ſententia, vt exiſtimem plures infantes in ſylueſtri loco, vel ab omni hominum concurſu remoto, nullius lingua loqui: ſed vt arte quadam, & ſuo ingenio, quaſi cæleſti quodam inſtinctu nouam linguam conſtituerent, rebusq. nomina arbitratu ſuo imponerent. Tum Iulius, Pergamus, inquit, ad reliqua: & videamus, ſi placet, qui nam fuit in hac rerum vniuerſitate primus ſermo. Et quanquam id variè à multis intellectum eſt: mihi tamen nulla videtur hac de re dubitatio: quoniam hæc omnia ſcire in difficili non eſt: relictis tamen hoc latere Philoſophorum traditionibus, præcipuè Peripateticorum, qui mundum æternum ſibi conſtituerunt, nec vllum habuiſſe principium conſtanter aſſeuerarunt. Ideò neque poſſumus intelligere, ſed neque nobis eſt quærendum, qualis primus eſſet ſermo. Nam cùm homines ſemper eſſent, neceſſe quoq. fuit, vt & ſemper loquerentur. Hinc nemo poterit rectè dicere hanc magis, quàm illam primam fuiſſe linguam. Quamobrem nec inquirere debemus, nec ſcire poſſumus, quomodo, vel quo loco, quouè tempore data, aut inuenta ſit. At ſi ad Theologorum ſcholas accedere voluerimus, per quàm facilè hæc omnia percipiemus, ſcilicet vnam primam linguam fuiſſe, qualis, & à quo primùm in vſum deducta. Fuit itaq. prima loquendi formula primi hominis, hoc eſt Adam: cui ſimulatq. creator rerum omnium parens Deus inter cætera munera, hoc cumulatiſſimè impartiuit: quo ipſius Dei opus collaudare, & admirari poſſet, & pro tanto ſibi honore attributo gratias referre, ipſumq. colere: à quo tot, tantaq. beneficia accepiſſet: eam deniq. amare, quam illi humani, ac diuini iuris ſocietate coniunxiſſet. Tum Fabritius. Neque ipſe, inquit, inficiabor Adamum hoc loquutionis genus primùm habuiſſe: neq. dicam, quod cuidam nuper, quem honoris gratia reticebo, excidit; ſi illa, aiebat, qua vtebatur, oratio, Adamus prima fuit; & hæc igitur erit prima. Nec me fugit Adamum primò omnium verbis fuiſſe vſum; ſed qua lingua, & quibus verbis animi ſui ſententiam explicarit, non ſatis mihi hucuſq. oſtenſum video. Scire itaq. debetis hac in re multas, variasq. eſſe hominum opiniones, quibus quid ipſe conſtituam, haud ferè ſcio. Alij enim iuere, qui voluerant Adamum vnà cum ſua poſteritate ea vſum fuiſſe lingua, quæ proprio nomine nuncupatur Hebræa: quaq. inſculptæ erant illæ duæ tabulæ lapideæ, quæ Moſi datæ in Sinai monte fuerunt, tabulæ futuri teſtamenti dictæ: ex quibus tota lex pendet. Alij malunt Chaldeam Hebræa fuiſſe vetuſtiorem, quæ cum hac nonnullam habet affinitatem, ac ſimilitudinem. Alijs longè diuerſum viſum eſt; & vti Scythia primum incoli cœpit, & habitari, ita neceſſariò Scythicam linguam primam extitiſſe. Alij aliter. Nec defuerunt, qui aſſerere tentarunt ſermonem, quo hodie Iudæi loquuntur, non illum eſſe, quo Adamus eſt vſus, nec quo Moſes legem deſcripſit. Nam cùm Eſdra ſummus Iudæorum ſacerdos timeret, ne Hebraica lingua penitus excideret poſt Babilonicam captiuitatem diligentiſſimè in ſeptuaginta duo volumina legem deſcribere ſtuduit. Qui non tàtùm linguam, quæ erat antequam in ſeruitutem redigeretur, ſed etiam alphabetum mutauit, nouis repertis litteris, nouisq. punctionibus. Ego autem exiſtimo Hebræos cum ſermonem inter ſe cõferunt, ideſt Hebraicè, ipſamet lingua, & ipſis met verbis, quibus lex fuit conſcripta, vti. Eiuſdem quoque ſententiæ ſunt multi, quos hac de re alloquutus ſum, viri inter Hebræos celebres: qui etiam arbitrantur primam linguam fuiſſe Chaldæam; quibus fidẽ habere non ſoleo: quamuis in huiuſmodi rei veritate excutienda diu, vt referunt, laborarint. Ego igitur Hebræam omniũ vetuſtiſſimã eſſe hac ducor coniectura; quia ſi Hebræa, vt omnes in ea verſari fatentur, eſt Chaldæa perfectior, & elegantior; veriſimile mihi quidem eſt, vt ſit antiquior: quaſi illa ab hac, tanquam à matre proficiſcatur. At quid infers ex hoc? Videre enim oportet, quid ſit id, quod ipſe mauis ſumere Iuli; ne omnia tibi facilè concedantur. Tum ille, Non abs re ego, inquit, vnà cum commilitone noſtro Ceua quæſiui; quia nã prima eſſet lingua. Etenim nulli ex Ioſephi lib. Antiquitatũ primo, tum ex ſacra Geneſi dubium eſſe debet; quin aliquando facta ſit linguarum diuiſio. Nempè cum Nembroth propter nimiam arrogantiã, qua Deo ſe parem eſſe arbitrabatur, turrim, cuius faſtigium Cęlũ attingere volebat, ædificare cæpiſſet: Deus, qui omnia videt, & cordiũ, renumq. ſcrutator eſt, vt illorum audaciã, & ſceleritatem comprimeret, tantum vno actu operatus eſt, vt ij omnes, quorũ opera illa tam grandis rerũ molitio cõſtruebatur, ſtatim variè, & diuerſè ſint loquuti. Et ita perculſi fuere, vt ab incepto opere deſiſtere coacti ſint: & quot fuerũt artifices, tot linguis ſunt loquuti. Qui deinde vniuerſum terrarum orbem peruagari varia linguarũ idiomata hominibus diſſeminauerunt. Ex quibus apparet ſermonem eſſe naturalem, & non

homiois induſtria comparatum, vt ipſe pluribus docuiſti. Nam ſi in ædificatione turris, Dei permiſſu facta eſt linguarum confuſio; quæ in omnes denique terras effuſæ vario ſermone homines loqui effecerunt, neceſſe eſt has omnes linguas, quibus homines ſeſe explicant, eſſe naturales, cùm ab ipſo Deo datæ ſint. Natura enim, quam Philoſophi ſemper præ manibus habent, nihil aliud eſt, quàm Deus optimus maximus, à quo omnia dependent, & manant. Quæ cùm dixiſſet: Omittamus, inquit, Fabricius, quæſo hæc, ſcilicet, num Deus ſit natura: ſed pergamus ad reliqua. Factam eſſe linguarum confuſionem nihil eſt quidem certius: qui locus in eam me duxit coniecturam, vt veteres Poetas in Moſis libros incidiſſe crediderim. Qui fabulando, ſi ita mihi licet, cecinerunt Gigantes immenſæ molis homines, & ſimiles ſibi filios rerum omnium parentem terram progenuiſſe, quorum magnitudini par exarſit audacia. Nam extructis in excelſum aggerem mõtibus, ſacrilegas manus cœlicolis injicere tentarunt: verùm fulmine ab Ioue miſſo dejecti impiũ genus ſuo ſanguine generarunt; De quibus Virgil. libro Georgicor. primo:

Tum, inquit, *partu terra nefando.*
Cœumq. Iapetumq. creat, ſæuumq. Typhœa,
Et coniuratos Cœlum reſcindere fratres,
Conati ter ſunt imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atq. Oſſæ frondoſum inuoluere Olympũ:
Ter pater extructos diſiecit fulmine montes.

Quam fabulam eximijs etiam verſibus Ouidius comendauit, ad cuius manus Bibliorum libros peruenìſſe non dubito: cùm non ſolùm hanc, ſed etiam initio quandam rerum confuſionem, quæ poſtea in ſuas ſpecies diſtributa eſt, fuiſſe haud obſcurè ſignificarit: Leuiſſima quoque corpora in ſublimi parte, grauiſſima in ima ſubſiſtere: & terram, ex qua omnia generata ſunt, quæq. rerum omnium mater eſſe dicitur, ſeparatam eſſe à cæteris elementis. Homine autem, qui ipſius terræ futurus cultor, & dominus erat, nondum nato, Promethum Iapeti filium, hominem ex humo finxiſſe, cui formato Minerua ſpiritum immiſit. Tantam deniq. inſolentiam extuliſſe, vt incredibili armati audacia, nihil Deum timerent. Duos autem, qui cæteros mortales pietate antecedebant, Deucalionem Promethei filiũ, & Pyrrhan, eandemq. ſororem, atque coniugem, cùm è Parnaſo monte proluuiem imbrium effugiſſent, ſorte moniti Themiſtæ, quæ eo tempore antiſtes terræ fuiſſe traditur, à Dijs veniam impetraſſe, regenerandæ prolis gratia: qui ceſſantibus aquis lapides poſt terga iecerunt: ex quibus homines nati ſunt, à Deucalione miſſos in viros, à Pyrrha in fœminas verſos fuiſſe: quæ quidem omnia videntur à ſacra Geneſi tranſlata. Namque per Gigantes, quorum iam mentio facta eſt, conantes montes montibus imponere, nihil aliud poſſumus intelligere, quàm magnæ illius molis opifices, & ædificatores: ſed quo tendunt iſta? Nam ſermonem non eſſe naturalem iam multis comprobauimus. Nec ad rem quidem facit; quòd facta ſit linguarum confuſio, & diuiſio: quia non eò varia linguarum idiomata inducta eſſe arbitror: vt omnes gentes ijs linguis, quibus illi loquebantur artifices, aſtrictos Deus eſſe vellet: ſed vt ipſe maieſtatem, potentiamq. ſuam oſtenderet, & immodicas illorum libidines, incredibilemq. audaciam reprimeret, & coerceret. Idque argumento eſt, quòd tot fuerunt linguæ, quot artifices: atqui artifices, ſi Beato Auguſtino credamus, qui in libro de Ciuitate Dei decimo ſeptimo, ſeptuaginta duos duntaxat fuiſſe ſcriptum reliquit. Verùm in hoc terrarum orbe non ſeptuaginta, ſed ſeptuaginta, vt ita dicam, millia, & vltra linguarum genera dignoſcuntur. Hæc igitur non probant ſermonem à natura profectum. quamobrem miror equidem viros doctiſſimos, ita facilè elapſos, vt crederent orationem naturale donum eſſe, idque alijs perſuadere conantes, cùm id abſurdum ſit dicere. Et ex ijs, mi Iuli, facilè licet intelligere, cùm perfectum id omne dicamus, cui nihil detrahi, vel addi poteſt, Latinam linguam, quæ primos illos ſimul admiſſos vocalium ſonos, integros, incorruptosq. ſeruauit, quos nec imminuere, nec augere vllus poteſt, veſtra eſſe politiorem, ac perfectiorem, quæ, vel eius potius auctores in dies noua tum ſcribendi, tum proferendi genera intrudunt, & exploratorum more, aut transfugarum potius huc, atque illuc commeant. Tum pulchriorem, dulciorem, nobilioremq. eſſe ſatis apertè intuemur: etenim res omnes, quantò nobiliorem, & pulchriorem habent finem, ad quem tendunt, tantò ipſę ſunt nobiliores, & pulchriores: & quãtò faciliùs quælibet res ſuum conſequi poteſt finem, nec alienis indiget adminiculis, tantò eſt ipſa reliquis fœlicior, melior, & nobilior. Finis autem cuiuſcunq. linguæ eſt loqui, & quod in animo eſt, expromere, atq. explicare. Latina igitur longè Italã nobilior, & melior erit: cùm id faciliùs poſſit peragere, tum maiorem habeat verborum copiam, & varium, atq. multiplex dicendi genus: ſiquidem quam accedere ad linguam veſtram perfectionem, pulchritudinem, nobilitatem, atque dulcedinem poſſe aliquando ſperatis; eam certè nondum conſequuti eſtis: de quorum ſingulis interdum (hæc enim integrum propè diẽ deſiderant) ſi vobis videbitur, diſputabimus. Hæc cùm dixiſſet: ſanè admirari viſus eſt Iulius Cæſar, ſed continuò Ceua, Ipſe, inquit, iam ab initio in tuam ſententiam inclinabam: quãuis nuſquam viderim, nec intellexerim id ab

alio

alio ita apertè,& clarè fuiſſe explicatum, vt à te hodie magna cum voluptate percepi. Cùm verò ex tuis rationibus, & argumentis poſthac nemini dubium eſſe poſſit, quin ſermo ſit arte quadam, & hominis ingenio repertus: vehementer optarem, vt ad alia deueniremus: nam libenter totum hunc diem in ijs diſputationibus contererem. Tum Iulius, Sat, inquit, nunc quidem eſt, quoniam ad veſperam iam vergit dies. Tum Fabricius ridens,Fame, inquit,mihi videris iam laborare Iuli. Tum ipſe, Ferunt, inquit, Socratem,cum vſque ad veſperam continentius ambulaſſet, quæſitumq. eſſet ex eo, quare id faceret,reſpondiſſe ſe, quo meliùs cœnaret, obſonare ambulando famem:ſed mihi non opus eſt vlla deambulatione: quia ſatis obſonij loco mihi famem comparaui: & ſi vobis licebit, à prandio huc lubentius reuertar. Tum Fabricius, Agite verò, inquit, vt vultis: ſed in præſentia, quia id tempus eſt, ſurgendum arbitror. Poſt prandium, ſi vobis fiet commodum, loquemur aliquid, niſi fortè in craſtinum differre mauultis: quia ad extremum ferè tempus diei ſumus: & omnes ſtatim ſurrexerunt: quibus Ceua,Melius, erit in ſequentem diem differre: nam craſtinus dies aliquid fortè ad excogitandum nobis dabit: ſed cras à prandio commodius videtur: ne ſtudia omittamus matutina. Quamobrem omnes poſt meridiem venturos dixerunt.

FINIS POMERID. SESS. I.

POMERIDIANARVM SESSIONVM SECVNDA, AD CAROLVM EMMANVELEM Sabaudiæ, & Subalpinorum Principem Sereniſs.

TANTA eſt, Sereniſſime Princeps, rerum omnium parentis vis, atque poteſtas, quæ ingenijs noſtris miro quodam artificio inſita ſunt, vt ſemper ad maiorem nitamur perfectionem. Nunc enim ſimulatq. editi,& ſuſcepti ſumus, ſtatim ſine magiſtro duce natura mammas appetimus,& ſimul cum lacte nutricis vires corporis, animiq. facultates ſuxiſſe videmur. Cùm verò parentibus redditi,demum magiſtris traditi ſumus, tum ita varijs imbuimur diſciplinis, vt breui temporis ſpatio multa, quæ nobis abdita erant, præceptu fiant notiora. Accedit etiam magnitudo, varietas, & Oratorum copia; tum eorundem lepos quidam,facetiæq. & eruditio admirabilis ſubtili cum venuſtate,& vrbanitate cõiuncta. Excitant quoque Poetæ, qui cùm eminentem doctrinæ, ſapientiæq. effigiem præſtulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & penitus inhæreſcunt mentibus. Adiungitur etiam omnis antiquitas, qua animi noſtri maximè delectantur. atq. ſæpius maiores ætate factos laudatarum artium omniũ procreatrix, & quaſi parens Philoſophia maiore delectatione, ſpe vberiore, præmijsque ad perdiſcendum amplioribus inuitat, atq. allectat. Alijs verò accidit,quò facilius percipi, dignoſciq. ius ciuile poſſit, mira quædam in cognoſcendo ſuauitas,& delectatio;ex quibus fontibus vtilitatem,& perfectionem maximè expetendam videmus:cùm vitia hominum,atq. fraudes damnis,contumelijs, maculis, vinculis, carceribus,verberibus,exilijs,& morte mulctantur: monemur quoq. non innumerabilibus, contentionumq. plenis diſputationibus,domitas habere libidines,& immodicas adfectiones, omnesq. reprimere,& coercere cupiditates; noſtra tueri, ab alienis animos, oculos,manus abſtinere; verus autem iuſtus,atq. honeſtus labor honoribus, præmijs, atque ſplendore decoratur. Alia etiam delectant ſtudia; quibus augetur,& locupletatur animus. vnde nitimur ſemper maiorum noſtrorum veſtigia conſequi, eisque omni conatu noſtra præferre,vt vel eandem, vel maiorem, quam veteres adepti ſunt, laudem, atque dignitatem aſſequi poſſimus. Solent etiam ipſe ſtatuæ, & imagines non animorum ſimulacra, ſed corporum, quæ ſummi homines ſtudioſè erexerunt,

quaſi conſiliorum, & antiquorum virtutum expreſſam,& politam effigiem oſtendentes, incitare nos ad eandem palmam adipiſcendam. Quamobrem multi Duces in re bellica exercitati, cùm ſe occaſio adfert, nullos caſus, nullam hoſtium vim, nullum denique vitæ diſcrimen pertimeſcunt,vt eorum gloria,ac fama veteribus conferatur. nec eos deterret Alexandri gloria, nec Pirrhi Epirotæ audacia, neque Cæſaris magnitudo, atque potentia.Hinc videmus multos, quæ geſſerant, omnia ſparſiſſe, ac diſſeminaſſe in orbis terræ memoriam ſempiternam. Plures verò ex recentioribus circumſpiciuntur, qui deſperatione debilitati, ad Vulgariter potius, quam ad Latinè ſcribendum ſe contulerunt, quòd Ciceronis eloquentiam,aut Virgilij venuſtatem, ac leporem ſe aſſequi poſſe diffidant. quod mihi nullo modo probari poteſt. Namque par eſt omnes omnia experiri,qui res præclaras, & magnoperè expetendas deſiderauerunt: nemo certè vnquam de viribus ſuis,& ſi imbecillibus diffidere,nec omnino deſperare debet.Quòd ſi is, cui vel natura, vel illa excellentis ingenij vis fortè defuerit,vel parùm munitus,ac ornatus erit optimarum artium inſtitutis: teneat tamen eum, quem potuerit, curſum. Prima enim ſequentem (vt docte diſſerebat Cicero) honeſtum eſt in ſecundis,tertijsq. conſiſtere. Namq. Græci in Poëtis non Homero ſoli omnia,vel Archiloco,vel Theocrito,ſiue Pindaro tribuunt:ſed & Sophocli, Arato, Euphorioni, & alijs illorum aut ſecundis, aut etiam infra ſecundos. In orationibus quoq. vnus inter cæteros maximè excelluit Demoſthenes: multi tamen anteà illuſtres, & magni Oratores floruerunt, nec poſteà defuerunt. Neq. Ariſtotelem in Philoſophia ab incurſu demouere potuit vbertas, atq. amplitudo Platonis. neque ipſe Ariſtoteles diuino quodam ingenio,aut rerum ſcientia, librorumq. copia cæteros à ſcribendo deterruit. Neque modo ab optimis ſtudijs præſtantes viri reuocati non ſunt,ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis auerterunt, qui nec Polycleti ſtatuam valuerunt,nec Coæ Veneris pulchritudinem imitari. Nec eos Iouis Olympij ſimulacrum, aut imago Mineruæ ex ebore confecta reuocauit,quin multi eiuſdem æmuli rationis experti,& excellentes prodierint artifices. Quo in genere ſuperioribus quoq. annis Michaelis Angeli, & Raphaelis Vrbinatis excellentiam omnes mirabantur, eosq. veteribus longè anteponebant. Attamen ſi ijs non præferuntur recentiores, parùm, aut nihil admodum cedunt. Sic in omni ſcribendi genere, incredibile eſt quantùm inter Latinos omnes vnus præſtiterit M.Tullius: cùm tamen eſſet ipſe, multi, & quidem magni, & clari extiterunt; & antea extiterunt, quorum ipſe ſæpe meminit, eosque maximis commendat laudibus. Non defuerunt etiam poſtea alij, qui ad Ciceronianam ipſam eloquentiam proximè acceſſerunt. hodie quoque multi ingenio, & induſtria reperiuntur viri,qui antiquitatem penitus redolent. Neq. ſummus Virgilij ſplendor ita cæterorum Poetarum aciem præſtringere potuit; vt ne Horatius videret Muſas plura ſibi dictantes carmina: nec Propertius, Tibullus, Ouidius, Papinius, Lucanus,& alij non pauci. Nec alij recentiores perterriti ſunt illis ſuos ſtudioſè labores addere, vt Mantuanus, Flaminius, Vida, Sanazarus, Bembus, Fracaſtorius, & alij plures: de quibus aliàs. Quare non eſt, cur eorum, qui ſe Latinis ſtudijs prius dediderunt,ſpes infringatur,aut langueſcat induſtria: & ſe ad Vulgaria conferant, quaſi à ſe omnem ſpem abijcientes conſequendi veteres, & dicendi lepore, & ſcribendi exercitatione. Nullam namq. propè video differentiam:cùm neque Petrarchæ, neque Boccatio poſſint anteferri. Et quod arbitrantur eandem poſſe gloriam conſequi; ſi valent,quod difficile eſt,laudo:ita tamen,vt Latinis nihil detrahant:à quibus,ſi quid boni, & iucunditatis habent,cumulatiſſimè acceperunt. Sed hic non ſatis eſt locus,vt de ijs diſſeramus,cùm nihil etiam mihi videatur in Fabritij,& Iulij Cæſaris ſermone eſſe præteritum, quod quiſquam in ijs mediocriter verſatus cognoſci, & percipi potuiſſe exiſtimaret. Quod tu, Sereniſſime Princeps, facillimè poteris iudicare, qui notitiam, rationemq. vtriuſque ſermonis, miro iudicio, acerrimis ſtudijs, optima diſciplina percipere voluiſti. Sed hæc aliàs pluribus: nunc ad inſtitutam diſputationem reuertemur. Nam ſicut heſterno die paulò poſt meridiem diſceſſerunt: ſequenti die poſt meridiem Fabritius, & Ioannes Baptiſta Ceua comiter ad præſtitutum locum deuenerunt: & repentè ex altera parte Franciſcus Linus, homo certè integer, ac religioſus, atque in bonis artibus,diſciplinisq. optimè verſatus, hodieq. Sereniſſimo Duci noſtro, & amantiſſimo tui patri intimus à ſecretis,cum Iulio Cæſare venit: quo cognito ei obuiam properarunt, mirantes, cur illa hora, qua nihil incommodius contingere poterat propter feruentiſſimum ſolis calorem, iter faceret. Qui cùm illum amiciſſimè complecterentur,Quę vos tandem cauſa,inquit, Fabritius, huc impellit? Magna ſanè, inquit, F. Linus; etenim tam ingentes ſunt Taurini calores,vt nunquam meminerimus maiorum,& vt eos euitare paululum liceret,extra vrbē ad hanc dulcem ſpirantem aurā, qua maximè deſeſſi recreantur ſpiritus, accedere putauimus. ſed alia eſt cauſa, Fabriti, quæ nos ad vos appellauit. Nam cùm heri veſperi eſſem cū Hieronymo de Federicis Epiſc. Laudenſi, & ſacroſanctæ ſedis

Apoſto-

Apoſtolicæ apud Sereniſſimum Ducem noſtrũ Nuncio, qui multa de Romanis rebus tam præſentibus, quàm præteritis (habet diuinam quãdam rerum memoriam, & admirabilem ingenij præſtantiam) percontaretur; ad eum venit Hieronymus à Ruuere huius ciuitatis Archiepiſcopus, vir quidem noſtra ætate ſingularis, & moribus, & ſcientia eximius, & cum illo Angelus Iuſtinianus Geneuæ Epiſcopus in omni optimarum artium genere admirabilis: atque vna Ambroſius Barbauarius Sereniſſimi Principis noſtri Theologus inſignis tum dicendi gratia, tum diuinarum, humanarumq. rerum cognitione: aderat quoque Dyoniſius Ciſlagus Inquiſitor generalis vir & doctus, & probus: multiq. alij præſtantes viri, & genere, & virtute præclari: quos vbi audiuit, commotus Nuncius ex ſua ſede demouit, eisq. ſtatim occurrit: qui cùm inter ſeſe, vt ipſorum vſus ferebat, benignè conſalutaſſent; breuibus ſpatijs domum redierunt. Et cùm multa vltrò, citroq. amiciſſime contuliſſent; tum in triclinium ſe omnes receperunt. Ego, prius petita venia, cùm diſcederem, tum mihi occurrit hic Iulius Cæſar noſter, qui interroganti, quare tota abeſſet die, reſpondit ſe apud vos fuiſſe: & mira quædam de latina, vulgariq. Lingua audiuiſſe, ac diſſeruiſſe dixit. Itaque Iulius Cæſar exorauit me; vt huc ſecum veniré: quo nihil charius, nihil iucundius mihi euenire poterat. Tum quia multos ſæpe omni ratione tentans ad differendum elicere non potui, vt quo loco Latina, Vulgariaq. eſſent reponenda, reponerem: tum quia aiebat bonam partem ſermonis in hãc diem eſſe dilatam. Quare ſi moleſti vobis erimus, vel hoc factum exiſtimetis, Iulio Cæſari attribuetis: nos equidem, niſi fortè moleſti interuenimus, veniſſe mehercule delectat. Tunc Fabritius, Equidem quæcumque cauſa vos huc obtulit, lætamur; cùm apud nos videremus homines & chariſſimos, & amiciſſimos: ſed tamen vereor, ne ita ſit, vt Iulius Cæſar tibuit expoſuit. Omittamus quæſo hæc, inquit Iulius: Equidem, mi Fabiti, ita ſum cupidus te in illa eleganti diſputatione audiendi, vt nihil deſiderẽ, quàm tibi meas hodierno die diſputanti aures patefacere. Itaque ſi ego apud te quicquã poſſum, te exorabo certè, vt mihi quoque, & Lino tuæ iucunditatis, & leporis aliquid impertias. Poſtero enim die ſermonem non eſſe naturalẽ, ſed hominis diligentia, & ingenij acumine excogitatum, & in vſum proditum eſſe ſubtiliter, & copioſè differuiſti. quare nunc magnopere optarem (ſi poſſibile eſt) ſcire; à quibus, quo loco, quovè tempore hic Latinus ſermo inuentus, & adquiſitus ſit: & an eo tempore, quo Latini homines florebant, vnicum dumtaxat in vſu eſſet idioma, an duo, Latinum, inquam, & vulgare. Tum Ceua, eſſent profectò inquit, hæc noſtris ſtudijs digna, dignioraq. cæteris, quæ à nobis hucusq. quæſita ſunt, atque excuſſa. & licet maiorem, difficiliorem, adeoq. perplexum habeant explicatum; ab ijs tamen minime deterreri debemus: nam quo quid difficilius, hoc præclarius: quapropter nihil gratius, nihilq. optabilius mihi contingere poſſet, quàm hæc planè intelligere. Tum Fabritius, Forent equidem hæc, inquit, noſtro labore digna; ſi aliqua vera, vel ſaltem veriſimilis ratio reddi poſſet. Verùm quis erit, tam eruditus, tamque in antiquorum monumentis verſatus, qui probabilem huius rei aliquam rationem reddere valeat? Neque ſi ille magnus Latinæ linguæ parens Cicero, vel plurimi alij ſolertes viri, quorum tempora notiora erant perceptu, ad vitam reuocarẽtur, veritatem vllam traderent. Neque verò Pomponius diſertiſſimus Iuriſconſultus, qui Iuris originem nobis demonſtrauit, aliquid in medium auderet adferre. Cùm itaque nulla temporis, quo Latinus ſermo inuentus fuerit, certa ratio reddi poſsit: facilius eſt, meo iudicio, in qua orbis terrarum parte originem duxit, inueſtigare: quo cognito arbitror, & tempus dignoſcetur. Latinum autem nomen à Lario emanaſſe exiſtimat Pompeius: Feſtus, Latinè, inquit, loqui à Latio dictum eſt. Latium eſt ea Italiæ pars, teſte Plinio, quæ eſt inter Oſtia Tyberis, & Circeos millia paſſuum in longitudinem non extendens: quod deinde prolatis Imperij terminis antiquũ Latium eſt appellatum. Poſtea vero Latij nomine comprehenſum eſt, quicquid eſt inter Tiberim, & Vulturnum amnem. Totusq. ille tractus diuiditur in Latium citerius, & Latium vlterius. Latium citerius à Tiberis ripa Fundos vſque protenditur: vlterius à Fundis vſque ad Vulturnum amnem. Verùm ſi quid amplius de ſingulis Latij tam veteris, quam noui partibus, ac ciuitatibus ſcire mauultis; videte diligenter apud Carolum Sigonium librum primum de antiquo Iure Italiæ, nihil amplius erit, quod deſideretis. breuiter enim, & eleganter populos omnes, qui Latij finibus ſepti erant, deſcribit; eorumq. mores, inſtituta, ac fœdera cum Romanis percuſſa recenſet: & quid ius Latij eſſet, & quemadmodum à Romano, atque Italico differret, ſubtiliſſimè commonſtrat. Latium verò ex eo appellatum Poetæ crediderunt, quod illic latuerit Saturnus, dum Iouẽ fugeret: vnde Ouid. eleganter.

Dicta quoque eſt Latium terra latente Deo.

& Virgilius,

Latiumq. vocari
Maluit, ijs quoniam latuiſſet tutus in oris.

QVAM ſententiam ſequutus eſt, & perperã, meo iudicio, Eutropius libris de geſtis Romanorum. Verius Varro, qui Latium à Latino

Rege dictum defendit: Hanc quoque Dionyſius Alexandri Halicarniſſeus in antiquitatum, ſiue originum Romanorum libris approbat. qui cùm dixiſſet Albanorum genus eſſe è Pelasgis, & Arcadibus, Epeisq. Elidenſibus, ac poſtremo poſt Ilium captum Troianis Aeneam Veneris, & Anchiſæ filium comitatis in Italiam: Horum omnium, inquit, commune nomen fuit Latini deductum à Latino eius regionis Principe. Ex quo id à nobis eſt paulo altius repetendum. Hercules enim cùm in Italiam bellandi gratia tranſiſſet, inter eos, quos bello ſubiugauit, fuiſſe aiunt & Caccum illum fabulis celebrem, de quo Virgilius quoque noſter cantat. Is fretus locis natura munitis, cum animaduertiſſet Herculem caſtra poſuiſſe in propinqua planitie, in eum cum prædatorio globo impetum fecit: & dormiente tum exercitu, quicquid incuſtoditum nactus eſt, retro abegit in ſua. Poſtea obſeſſus à Græcis, & expugnatus fortiter, ac præclare reſiſtendo in pugna cecidit, cuius caſtellis dirutis agros occuparunt milites Herculis, & cum ijs Arcades Euandro ſubditi, ac Faunus Rex Aboriginum. Quo tempore ferunt eum filios eo loco, quem hodie Romani incolunt, reliquiſſe ſuſceptos è duabus fœminis. Palantem ex Euandri filia, quam Lauiniam vocabant, & Latinum ex quadam hyperbolea puella, quam obſidem à patre acceptam ſecum circumducebat: eamq. aliquo tempore innuptam ſeruarat: ſed cùm appuliſſet in Italiam, captus amore grauidam reddidit; & abiturus Argos Fauno Aboriginum Regi in matrimonium dedit: quo factum eſt, vt ferè omnes Latinum Fauni putarent filiũ, non Herculis. Horum Palantem aiunt ante pubertatem mortuum, Latinum ſuperſtitem, poſtquam viridem ætatem attigit, factum eſſe Regem Aboriginum: quo abſque liberis maribus defuncto in conflictu cum finitimis Rutulis, regnum deuolutum eſſe ad Aneam iure quodam affinitatis, quod id eſſet Lauiniæ patrimonium; tum quòd dux ardente bello cum Rutulis eſſet; qui poſtea occaſionem tot cõdendi verſus Poetarum Principi dedit. Sic regnante Latino annũ agente regni ſui quintum, & trigeſimum, Troiani cum Aenea poſt captum, ac dirutum Ilium profugi appulerunt Laurentum in littus Aboriginum, quod Tyrrheno mari alluitur, non longe ab oſtijs Tiberis: acceptoq. ab hoſpitibus ad habitandum agro, & quicquid petierunt, oppidum condunt non longè à mari in quodam colle nomine Lauinium. Nec ita multo poſt, vt idẽ Dionyſius litteris mandauit, veteri appellatione mutata vna cum Aboriginibus a loci Rege Latini nuncupati ſunt. Hinc etiam T. Liuius, vt, inquit, Aeneas animos Aboriginum ſibi conciliaret: nec ſub eodem iure ſolum, ſed etiam nomine omnes eſſent; latinos vtramque gẽtem appellauit. Mortuis autem Aenea, Aſcanioq. eius filio, regnauit Siluius, caſu quodam, vt idẽ Liuius teſtatur, in ſiluis natus, à quibus nomen deduxit. Is Aeneam Siluium creauit; is Latinũ, & ita profecti à Lauinio, munitaq. magna vrbe dicta Alba: alia quoque multa oppida deduxerunt, quæ priſcorum latinorum vocabantur. Ex ijs aliquo poſt temporis ſpatio Remus, & Romulus prodierunt: qui fato, vel ſorte quadam in montibus expoſiti, ibiq. educati per aliquot annos vitam cum paſtoribus degerunt. Hinc robore tum corporibus, tum animis ſumpto cœpit vtrumque regnandi cupido; & in ijs locis, in quibus nutriti fuere, vrbem condere cœperunt: & tanta confluxit multitudo Albanorum, latinorum, adeoq. paſtorum, qui omnes vrbem ædificandi magnam ſpem faciebant, vt breui in ampliſsimam vrbem creuerit. Occiſo Remo, ſuperſtes Romulus ſolus eſt potitus imperio. & cõdita vrbs à conditoris nomine nomen ſortita eſt, ideſt Roma. In vrbe verò quamuis latini cum Albanis habitarent, latinè tamen loqui cœptum eſt: deſcendebant enim fere à latinis omnes. Nam, vt ſcriptum reliquit Strabo, tanta fuit populi R. cum populo Albano neceſsitudo, vt non modo voluntatum, & ſanguinis, ſed fœderum etiam, & ſocietatis vinculo colligata eſſet: quòd ambo, inquit, latini eſſent, & eodem ambo ſermonis genere vterentur. Et quamquã latini cum Romanis immixti quodammodo eſſent, duo tamen erant imperia latinorum, & Romanorum. Quam ob cauſam latinum Imperium plerumque ac ſæpius à Romanis vexabatur: item latini in agrum Romanorum ſæpe incurſionem faciebant. Et quandoque ab Anco Romanorum Rege ſuperati ſunt: aliquando etiã in Tuſculano cæſi ad vnum omnes. Legimus quoque nonnumquam in amicitiam populi Romani, ditionemq. veniſſe. Tum ſedatis bellis, calamitatibusq. oblitis, & defectione facta ad arma iterum ventum eſt. Quorum præterea tãta exarſit audacia, vt eos puderet, ſi Liuio credendum eſt, conſanguineos eſſe Romanis. Tandem, vt finem imponam, L. Furio Camillo, & C. Menio Coſſ. omne Latium Romanis ſubijcitur. Hinc ex duobus vnum efficitur imperiũ, & ita effuſis Romanis cũ Latinis, Latini itemq. Romani dicti ſunt. Ideo apud probatos auctores ſæpius reperitur ſcriptum hoc pro illo, & viciſsim: vt illud vulgatum:

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij:
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Romani, hoc eſt latini ſcriptores, cedite Virgilio: & Horatius ſuam teſtudinem commendans; inquit,

Poſcimus, ſi quid vacui ſub umbra,
Luſimus

Luſimus tecum: quod & hunc in annum
Viuat, & plures: age dic latinum
Barbite carmen.

Latinum carmen dixit, quod alio loco Romanum appellauit, vt tunc;

Quod monſtror digito prætereuntium,
Romanæ fidicen lyræ. Et illud Marcialis;

Abſoluis lepidos nimium Auguſte libellos,
Qui ſcis Romana ſimplicitate loqui.

Et alibi ſæpe. quandoque etiam differentia inter hæc videtur poni; vt apud Ciceronem Atticus C. Gracchum & præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, virum commendans, hoc eſt neminem de ſuperioribus pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuiſſe. Immo plane, inquit, damnum illius immaturo interitu res Romanæ latinæq. litteræ fecerunt. quaſi dixiſſet; ſi diutius vixiſſet, multum adiumenti Reipublicæ, & latinis litteris ſplendorem attuliſſet. Dictum eſt etiam à Bruto in eodem Ciceronis libro, latine loqui proprium cuiuis Romani eſſe. Namque cùm ad Antonij, Craſsiq. laudes peruenisſet, & earum multas commemoraſſet: Nam ipſum, inquit, latine loqui eſt illud quidem in magna laude ponendum: ſed non tam ſua ſponte; quàm quod eſt à pleriſq. neglectum. Non enim tam præclarum eſt ſcire latine, quàm turpe neſcire: neque tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur. ſæpe etiam latinos de Italicis, Italicos de latinis dictos legimus. quod multorum veterum auctoritatibus comprobat Sigonius. Sed vt vnde profecta eſt noſtra reflectatur oratio; puto ex ijs vobis ſatis conſtare, hoc latine loqui ex Latio ortum habuiſſe: licet ab initio inops, ac parum rude eſſet. quod minime tamen mirum videri debet: cùm eo tempore omnes paucis exceptis, rudes, & imperiti eſſent. Nulla equidem lingua, vt nata eſt, ad opulentiã apta eſt: locupletatur experimentis, ſplendeſcit vſu rerum, & hominũ ingenijs nobilitatur. Aduentu Aeneæ cœperunt latini cum Troianis miſceri. Tum vrbe condita paulatim vberius factum eſt, atque politius. Nec defuerunt Græci, qui vrbem ipſam incolerent: quorum beneficio & latina lingua eſt facta locupletior. Idque mihi videtur innuere Plutarchus: qui Romuli præclare geſta recenſens, & inter cætera Sabinarum virginum raptus, cauſamq. exponens, multas illius facti hominum opiniones refert, inter quos quemdam nomine Iubam ſcribit credidiſſe Romanos ea dumtaxat cauſa ad rapinã fuiſſe propenſos, vt hæ virgines opus lanificum Romæ exercerent, quod Græci *παλλευειν* dicunt; cùm nondum, inquit, latina vocabula Græcis eſſent confuſa. Idemq. Plutarchus, Iouem, inquit, Feretrium appellant, quod ſecundũ Græcorum linguam, quam olim latinis plurimum immiſtam fuiſſe conſtat, feretro trophæa ferebantur. Et ita ſemper ad maiorem ſplendorẽ, & gloriam latina lingua peruenit. Nec vlla vnquam barbaries potuit de ſuo curſu demouere; quin ad perfectionem omnem aſcẽderit; quamuis Pomponius apud Ciceronem videatur dicere aliquando damnum fuiſſe aliquod paſſam. Neque me pigebit ipſius verba recitare: Mitto, ait, C. Lælium, P. Scipionem: ætatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiæ, ſic latine loquẽdi, non omnium tamen. Nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuuiũ male loquutos vidimus: ſed omnes tum fere, qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. Sed hanc certè rem deteriorem vetuſtas fecit & Romæ, & in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas, & in hac vrbem multi inquinate loquentes ex diuerſis locis, quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda, quàm obtruſa ratio, quæ mutari nõ poteſt, nec vtendum prauiſsima conſuetudinis regula. Quantum tamen ex antiquitatum fonte haurire poſſumus, omnium celeberrimam, ac florentiſsimã Ciceronis fuiſſe ætatem magna cum admiratione intuemur: quam ob cauſam, ſcilicet ne locutio emendata, & latina corrumperetur, conſtitutum à Romanis arbitror, vt ſupra ex Valerio Maximo oſtenſum eſt, vt in omnibus gentibus latino idiomate vtendum eſſet. Hæc cùm dixiſſet: Mihi hæc, inquit Linus, latinæ linguæ origo multum ſatisfacit; quam ab vllo vnquam tam alte repetitam arbitror. Sæpe veterum rerum memoriam percurri, & hac in parte diu elaboraui: nunquam tamen mihi permiſſum fuit, vt hanc latini ſermonis propagationem intelligerem: quamobrem dijs immortalibus immortales ago gratias, quorum numine huc cum Iulio Cæſare noſtro me tranſtuli; hic, inquam, breui tempore percepi, quod per multos dies, permultasq. noctes dignoſcere non potui. Tum Fabritius, Immo ipſe, inquit, non modo Dijs, verùm etiam vobis gratias referam, qui talem mihi occaſionem præbuiſtis: vt rem hanc abditam inquirerem, & ad vtilitatem hominum in medium proferrem. Tum Ceua, Hoc ne quidem, inquit, copioſius dici poterat. Verùm ſi ab vrbe iam condita, vel etiam ante hoc latine loqui ortum habuit, miror profecto, quare latinos ſcriptores vetuſtiores non habeamus. aut enim diu inopia laborauit, aut miſerrime iacuit, vel eorum labores intercidère, aut neſcio quid. Paucos ſane ante M. Tullium fuiſſe reperio. Tum Iulius, ipſe etiam, inquit, mirari ſoleo: eorum enim, qui ad manus noſtras, vel fragmẽta, peruenerunt, aut ſanè eorum memoria, Q. Ennium Poetam eſſe primum exiſtimo, natum Q. Valerio, & C. Manilio Coſſ. anno poſt

Romam

Romam quingenteſimo. In hoc mihi videtur excellere vulgaris ſermo, qui poſt originem breui temporis ſpacio multos habuit ſcriptores, quorum vigilijs illuſtratus eſt, ac locupletior factus. Tum Fabritius, Non ita breui, inquit, tempore, vti ipſe putas, hic vernaculus ſermo auctores aliquo honore præditos habuit; ſed etiam fortè diutius laborauit, & quidem miſerrimè, antequam peruenerit ad aliquam perfectionem. hoc verò non in præſentia. Neque patiar, neque ſinam vos ignorare ante Ennium, vt memoriæ traditum eſt, L. Liuium annis ferè 410. poſt vrbem conditam fabulas dediſſe; ante eum reperio neminem Poetam ſcilicet: quamuis recentiores ad omne diſciplinarum genus hoc protrahant; & perperam, meo iudicio. Etenim regnante Romulo leges aliquæ, quas curiatas appellabant, populo allatæ ſunt, quæ omnes conſcriptæ in libro Sextij Papyrij extabant; qui liber poſtea Ius ciuile dictum eſt, quia Papyrius leges has ſine ordine latas in ſingularem methodum redegit. Numa etiam Pompilius, qui Romulo in regnum ſucceſsit, multas etiam leges condidit, vt videre facile eſt tam apud Liuium, quàm apud Plutarchum. Tulere & cæteri poſteriores Reges, vt omnes Romanarum rerum ſcriptores atteſtantur. Exactis deinde Regibus, & eorum conſtitutionibus non ſatis contenti Athenas legationem miſerunt: qua decem tabulæ conſcriptæ Romæ propoſitæ ſunt, anno poſt vrbem conditam, vt Gellius libro vigeſimo eleganter tradidit, tricenteſimo: quibus mox duæ aliæ additæ ſunt, vt idem Gellius libro decimoſeptimo, ſignificat. hinc poſtea duodecim legum tabulæ nuncupatæ ſunt. quod quidem ius cùm per aliquot annos, circiter cētum apud ſummos Pontifices fuiſſet, tum multi experti, & docti viri interpretari, & augere cœperunt. Ex quibus duos reperio, quos M. Tullius, in libro de legibus ſecundo, veteres interpretes appellat, nempe Sex. Aelium, & L. Acilium. qui dum illam interpretarentur legem, quæ habet; Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento: non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris: Lucius tamen Aelius, Leſſum quaſi lugubrem ciulationē ſignificare credidit: quam interpretationem & Cicero ipſe comprobat, ea potiſſimum ratione, quia Solonis lex id ipſum vetat, ſed hactenus de legum interpretibus: nunc ad alios veniamus, quorum grauior fortè erit ad hoc auctoritas. Nam Lucius Brutus nobiliſſimæ Brutorum familiæ Princeps, qui potentiſſimum Regem clariſsimi Regis filium expulit, ciuitatemq. duro dominatu liberatam magiſtratibus annuis legibus, iudicijsq. deuinxit, quiq. collegæ ſuo imperium abrogauit, vt ciuitate regali nominis memoriam tolleret, maximus orator fuit, ſi Ciceroniano Attico credamus. Item paucis annis poſt exactos reges M. Valerius dicendo plebis diſcordias ſedauit, vnde Maximi nomen primus eſt conſequutus: fuerunt & alij, quorum mētio apud Ciceronem fit, & antiquiſſimi, & doctiſsimi, de quibus fuſius aliàs. quòd ſi ipſi, aut alij de ijs non ſcripſiſſent, nulla profectò extaret memoria. Sed longè ante libros de iure Pontificio, & de diſciplina Sapientiæ confecit Numa Pompilius; cuius rei præclara habemus teſtimonia. Neque vos credatis, vt alij male crediderunt, Numam aliquid non latinis litteris mandaſſe, ſed Græcis; cùm Pythagoræ auditor eſſet; quod quidem falſiſſimum eſt: quia non ſolùm Pythagoram nō audiuit, ſed regnauit lōgè ante Pythagorā. Pythagoras enim Philoſophus claruit ſub Tarquinio ſuperbo, qui fuit Romanorum vltimus Rex, circiter regni ſui annum 22. quo tēpore Darius Cambyſi regi Perſarum ſucceſsit: eiuſdemq. temporis finita eſt ludæorum captiuitas. Quare verò Numam Pythagoræ auditorem fuiſſe exiſtimarunt, ratio eſt in promptu; quam iam diu ex M. Tullio libris Tuſculanarum quæſtionum deſumpſi. Nam cū veteres Pythagoræ diſciplinam, & inſtituta cognoſcerent, Numæq. æquitatem, & ſapientiam à maioribus ſuis accepiſſent: ætates autem, & tempora propter vetuſtatem ignorarent, Numā Pythagoræ auditorem fuiſſe crediderunt. Moriens igitur Numa iuſsit libros vnà cum corpore in ſepulchro condi. Mortuo, vt iuſſum eſt, libros in vna, & corporis reliquias in altera arca repoſuerūt. Quadringentis ferè annis poſt eius mortem libri inuenti ſunt: quemadmodum autem inuenti ſint, & de numero, diſſentiunt hiſtorici. Plutarchus tradit magno facto imbrium impetu, tumuloq. exciſo arcas, in quibus & corpus, & libri conditi erant, vi inundationis apertas fuiſſe. D. Auguſtinus ſeptimo de Ciuitate Dei, apertè dicit virum quemdam nomine Terentiū fundum ſub Ianiculo poſſediſſe: cuius bubulcus cùm araret, arcas duas lapideas aratro reperit: quæ opinio videtur fuiſſe etiam. M. Varronis & antiquiſsimi, & doctiſsimi viri, qui & de religione libros conſcripſit. Eadem planè refert Lactantius, ſcilicet à foſſoribus ſub Ianiculo fuiſſe repertas. ſequitur Valerius Maximus, T. Liuius, Plinius, & ferè omnes, qui de religione aliquid monumentis mandarunt. In eo tamen cōueniunt omnes P. Cornelio, & M. Bebio Coſſ. Quintum Petilij, qui tunc temporis prætoris officio fungebatur, eos libros legiſſe: demum rem tantam ad Senatum retuliſſe, & neque fas, neque pium videri ſibi, vt ea, quæ in libris continebantur, audirentur à plebe. Ita Senatus decreto Q. Petilius in concione populi

eos

eos concremauit. Id verò an inſipienter,& ſtultè, vel docte, & prudenter factum fuerit, alijs conſiderandum omitto. Itaque Numam ſcripſiſſe ſatis probatum eſt: ſi verò horum librorum copiam modò haberemus, manu omnes tangeretis, & latine ſcripſiſſe. Plutarchus enim tradidit duodecim libros de Iure Pōtificio, & duodecim alios Græcos de diſciplina ſapientiæ in arca repoſitis fuiſſe. ſi duodecim Græci erant, veriſimile eſt alios latinos eſſe. Sed audi paulò apertius Plinium,qui poſt quàm varias de hiſce libris veterum ſcriptorum auctoritates enumerauit, ex Varrone ſubiungit duos Pontificales Latinos, totidem Græcos præcepta philoſophiæ continentes repertos fuiſſe. Paulò aliter Lactãtius, in altera arca, inquit,corpus Numæ fuit:in altera ſeptem Latini libri de Iure Pontificio :itẽ Græci totidem de diſciplina ſapientiæ ſcripti. Alij verò magis curioſi de religionis ritu, & vetuſtate, quàm de latinæ rei antiquitate; quaſi id etiam omnibus notum prætermiſerunt: fortè etiam exiſtimantes neminem dubitare latinam linguam antiquiſſimos habuiſſe auctores.Quod autem memoriæ traditum eſt ante L. Liuium neminem dediſſe fabulas, credo eos intelligi de ijs, qui ornatè,& politè fabulas compoſuerunt. Philoſophia quoque, vt ipſe Cicero primo Tuſculanarum Quæſtionum ſignificat,iacuit vſque ad eius ætatem,nec vllum habuit latinarum litterarum lumen: eodemq. loco, multi, inquit, iam eſſe latini libri dicuntur ſcripti inconſideratè ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis. Fieri enim poteſt, vt rectè quis ſentiat, & id, quod ſentit, politè eloqui non poſſit. Nec mirum videri debet, ſi ante illam celeberrimam Ciceronis ætatem pauca eſſent latina monumenta; id namque contigit propter magnitudinem rerum,occupationemq. omnium: qua in re non mihi,ſed ipſi M.Tullio credite. Omnis enim Romanorum virtus in legibus conſtituendis, & in armis conſiſtebat; nec eis vlla erat intentio, nec mens vlla, quàm tueri Rempublicam, augereque, & dilatare Imperij terminos. Et ob hãc nimirum cauſam latinæ diſciplinæ aliquo tempore iacueruut, nec tantùm diſciplinæ, ſed artes etiam; vt videre eſt in pictura; quæ per multos annos apud Romanos nullius pretij fuit, quæ ſi fuiſſet, vt poſtea fuit, & Fabio nobiliſſimo viro laudi datũ eſſet, quod pingeret, multi quoque apud Romanos Polycleti, & Parrhaſij fuiſſent. Vnde Cicero, honos alit artes: omnesq. incenduntur ad ſtudia gloriæ: iacentq. ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. Cùm verò bonarum artium ſtudia in honore haberi cœperunt, confeſtim ad omnem excellentiam peruenerunt latinæ litteræ: & ita,vt omnes ferè Romanorum optimates ad ſcribendum ſe contulerint: & quemadmodũ, qui in epulis apud Græcos lyram recuſabat, habebatur indoctior, ſic apud Romanos Romano nomine indigni crediti ſunt, qui latinis diſciplinis cogitationes ſuas nec mandarent, nec illuſtrare poſſent. Sat eſt,inquit tum Iulius,hac de re: ſed iam videamus, ſi vobis commodum eſt, an apud veteres Romanos illud eſſet loquendi genus, quod hodie ab Italis vſu receptum eſt: quoque Dantes, Petrarcha, Boccatius, Bembus, & alij omnes recentiores ſcripſere. Tum Fabritius, Rem, inquit, ſæpius à me deliberatã poſtulas: te tamen non miror, cùm ab alijs dubitatum ſit: alijque,vt præſtantiſſimus Andreas Alciatus refert, vti Leonardus Aretinus, Poggiusque, & alij vulgares vulgari idiomate,quo & nos in præſentia vtimur, vſos antiquos ſunt arbitrati.Contra diſſeruit Philelphus libris Epiſtolarum, cuius ſententiam, vt idem Alciatus notat, omnes viri docti hodie ſequuntur. quæ opinio multo antequam in Alciati comentarios inciderem, mihi fuit probabilis. Fuiſſe namque ſermonem, qui latinus dicebatur, non æque ornatum, & compoſitum, veluti alium; qui ex præceptis, & regulis Grammaticorum conſtabat. Vulgum itaque latinè loqui ſolitum fuiſſe, ſed non ſalua recti ſermonis ratione; doctos autem homines etiam grammatices inſtituta ſeruaſſe. qua de re vehementer reprehẽditur Tiro libertus à patrono ſuo Cicerone, quòd in quadam epiſtola non obſeruaſſet Grammaticorum documenta. Tum Linus,Nec me, inquit,ſi vobis videtur, pigebit, huiuſce rei meam in mediũ proferre ſententiam: prior, inquam,ſententia mihi videtur poſſe adiuuari ex Triphonini reſponſo; quando aliquando in veſtris Pandectarum libris diligenter animaduerti; Decreta, ait, à Prætoribus latine interponi debent, quaſi innuat & potuiſſe vulgariter interponi.Procopius quoque Perſici belli libris, Stratam apud Romanos viam ſignificare ſcribit. quod in vulgari ſignificatu verum eſt, in latino non æque: vt meritò apud veteres & vulgarem linguam fuiſſe credi poſſit. Idem quoque Procopius ſigniferũ latina lingua bandophorũ appellari dixit: cùm id de vulgari idiomate, non de Latino emanet. Tum Fabritius, non multum, inquit,vrget Procopij auctoritas. Floruit enim ſub Iuſtiniano, quo tempore iam exciderat latini ſermonis puritas: Idque apud ipſummet Iuſtinianum facile perſpici poteſt: qui ſequutus non eſt, vel ſequi ob temporis iniuriam non potuit eam elegantiam, dicendiq. genus, quod illi præſtantiſſimi Iuriſconſulti, ex quorum reſponſis Digeſtorum opus eſt concinnatum, nobis mirifice reliquerunt. Verbum autem illud Bandum à Romanis tantùm cœpit vſurpari poſterioribus tẽporibus,

vt ap-

vt apparet ex Stephano πυρπολίων & Suida: idq. potiſſimum tẽporibus Iuſtiniani; vt cõſtat ex auctore eius libri qui περὶ στρατηγικῶν κατασθέσεων καὶ ἱστοριῶν, Iuſtiniani nomine editus eſt: eo enim nomine pro ſigno militari pluries vtitur. Nec aliquo modo poteſt hæc ſententia Tryphonini reſponſo coadiuuari; de quo latius poſtero die diſſeruimus: illud enim reſponſum debet intelligi, vt in qualibet prouincia, quæ Romano Imperio ſubijcitur, non aliter, hoc eſt, non Græcè, non Aſſyricè, ſeu Gallicè, vel Hiſpanicè, quàm Latinè decreta poſſent interponi: & non, vt Accurſius, Bartolus, & Alciatus commenti ſunt. Credo igitur vnum dumtaxat apud Romanos ſermonem fuiſſe; quamuis rudes, & imperiti inornate, & incompte, ideſt, non obſeruatis Grammaticorum præceptis, loquerentur. Nam ſi hoc idiomate vſi eſſent veteres, & aliquid ſcripto reliquiſſent, vel ſanè veſtigia aliqua apparerent. At quis veſtrum huiuſce rei tantillum reperijt? Idq. ſatis ex Apuleij metamorphoſeos libris dignoſcitur: interrogauit, inquit, miles dominum meum, quorſum vacuum duceret aſinum. At dominus meus latini ſermonis ignarus, tacitus præteribat: quapropter, cùm à milite deturbatus eſſet hortulanus, ſuppliciter reſpondit, ſermonis ignorantia, ſe quod ille diceret, ſcire non poſſe: ergo igitur ſubijciés miles, vbi, inquit, ducis aſinum iſtum? reſpondit hortulanus petere ſe proximam ciuitatem: hactenus Apuleius. Ex quibus ſanè verbis apparet elegantiorem illum ſermonem qualis eſt, quorſum ducis vacuum aſinum? latinum eſſe, nec niſi à doctis ſolitum intelligi; ſed alium barbarum, vbi ducis aſinum iſtum? etiam tali in vſu fuiſſe, vt vel hortulani illum perciperent, & ita loquerentur. Eadem ratione Proculus apud Celſum Iuriſconſultum diſertè ſcribit ſæpe audiuiſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes: pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes, quod præſidij cauſa ſeponeretur. Cùm enim in latina ſignificatione ruſticorum vſus à Iuriſconſultis allegetur, argumento eſt hoc latine loqui etiam imperitis familiare extitiſſe. de quo Cicero etiam per Craſſum libro de Oratore tertio. Nam gemmare, inquit, vites, luxuriè eſſe in herbis, lætas ſegetes, etiam ruſtici dicũt. Idem quoque Cicero per Atticum, in libro, qui Brutus inſcribitur. Erant tamen, inquit, quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe verbis vtebatur, & quia latinè non peſsimè loquebatur, vſu credo aliquo domeſtico: nã litterarum admodum nihil ſciebat. Sed magni intereſt quos quiſque audiat quotidie domi, quibus cum loquatur. Legimus Epiſtolas Corneliæ matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in ſermone matris. Auditus eſt nobis Leliæ Caij filiæ ſæpe ſermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, & filias eius Mutias, ambas; quarum ſermo mihi fuit notus: & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc verò Scipionis etiam tu Brute credo aliquando audiſti loquentem. Ego verò ac lubenter quidem, inquit Brutus, & eò libentius, quòd L. Craſsi erat filia. Potuit ne M. Tullius apertius nobis commonſtrare vnum dumtaxat ſua ætate ſermonẽ fuiſſe? minimè certè; cùm etiam ij, qui erant latinarum ignari, non malè latinè loquerentur. Itemque mulieres, quæ non ſolùm optimè loquebantur, ſed & ornatiùs ſcribebant; quarumque ſcripta videtur M. Tullius admirari. Et Vitruuius, qui floruit ſub Iulio Cæſare, & Auguſto filio, cui & libros dedicauit, ingenuè fatetur, ſe non ſatis in Grammaticorum præceptis verſatum: quin etiam quandoque in ijs labitur: quod doctiſſimus eius interpres Philãder rectè obſeruauit. Idcirco arbitror nihil ineptius potuiſſe dici, quam apud Romanos diuerſa duo linguarum genera in vſu fuiſſe. Tum Ceua, ſi vnicum, inquit, fuit, vnde euenit, vt duo facta ſit, vnum ſcilicet latinum, quo docti tantummodo hodie vtuntur, quo & veteres etiã rudes, & imperiti vtebantur: alterum, quo vulgò per Italiam loquimur, quod vulgare, ſiue Italicum, ſiue Tuſcum dicitur? Tunc Iulius, alte verò, inquit, &, vt oportet, à capite repetis, quod quærimus. Tum Fabritius, video nunc certè, inquit, quam maximam ſuſceperim prouinciam, vt ſolus, & inermis tribus veteranis, & fortiſsimis militibus bellum geram: illa tamen ſpe ducor: vt plus honoris, & laudis, quàm ignominiæ conſequar: cùm ſolus auſus ſim vobiſcum concertare: tum in meam ſententiam vos omnes venire minus dubitem: quod & ſummopere cupio, & ſpero. Agite verò vos in præſentia: cùm id non ſit mei muneris, vt huius veſtræ linguæ propagationem oſtendam. & cùm omnes Linum intuerentur, demotus ſtatim dixit, Ego igitur, inquit, cum vobis ita lubeat, libenter: quamquam multa, & quidem ardua mihi diſcutienda proponitis: quæ ingenij mei vires longè, multumq. ſuperant. Sit igitur iſta res magna, vt eſt: conabor tamen omnia figillatim recenſere, & breui quantùm potero: quibus ſi ſatiſfecero, non parum mihi feciſſe viſus ero. Latinæ itaque litteræ, vt vberius Fabritius dixit, vbi de origine, & antiquitate Latinorum auctorum actum eſt, iam à Romulo in ſcriptis reddi cœperunt, tum à Numa Pompilio paulò vberius, ac fuſius, & ita paulatim ad illam admirabilem Ciceronis ætatem peruenerunt, quæ tunc temporis ad tantam gloriam atque magnitudinem creuere, vt nihil ſupra. Occiſo Cæſare, qui Dictaturam

&aturam perpetuò gerendam ſuſceperat: & Republica a Triumuiris oppreſſa, Auguſto, Marco Antonio, & Lepido, magna ciuium ſtrages edita eſt, inter quos M. Tullio, multisq. alijs ſapientiſsimis viris miſerrimè, & magno cum poſteritatis detrimento vitam exhauſerunt. Audite P. Velleium Paterculum lib. 2. Hiſtor. Quis inquit, ignorat diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, ſenemq. Craſſum, Catonem, Sulpitium, moxque Brutum, Calidium, Cælium, Caluum, & proximum Ciceroni Cæſarem, eorumq. velut alumnos, Coruinum, ac Pollionem Aſinium, æmulumq. Thucydidis Salluſtium, auctoresq. carminum Varronem ac Lucretium? His ergo iugulatis, ac variè trucidatis non minimam iacturam fecerunt latinæ litteræ: illa enim ætas, vt omnes ingeniosi fatentur, & bonarum litterarum, & litteratorum hominum fuit: nec maiorem verborum puritatem, nec copiam, nec elegantiam, induſtriam, gratiam, neque maiores argutias ſubtilitates, atque ingeniorum acumina deſiderare potuit, vt vobis etiam facile eſt colligere ex fragmentis, cùm ita mihi liceat, M. Varronis, tum ex ipſius Cæſaris commentarijs, Criſpiq. Saluſtij monumentis, quæ ad nos pauca peruenta ſunt: Ex Catulli quoque, Propertij, Tibulli opuſculis, & aliorum, qui ad ætatem vſque illius diuini ingenij Maronis, qui bellum cum Theocrito præclare geſsit, Heſiodum ſuperauit; nec Homero aliquid ceſsit: ex alijs item eiuſdem æmulis gloriæ, vt Horatio, Ouidio, & alijs, qui cum Græcis ſtrenue dimicantes victoriam maxima cum laude reportarunt. Mortuo indigniſsimè Cicerone, ſimulq. extincta Romanæ Reipublicæ libertate cœpit hoc latinè loqui inclinare, & propendere, non ob vetuſtatem, vt malè quidam crediderunt, ſed propter illam, & multo crudeliorem per triumuiratum proſcriptionem in omnes ferè viros doctos factam: qui illo ictu cum omni Romanæ vrbis fletu, ac langore ceciderunt. At longè maius damnum attulit multa barbaries, quæ vndique in Italiam præceps irruit: quæ etiam non tantum latinæ linguæ puritatem fœdauit, verùm etiam omne Romanum Imperium ſubuertere, ad nihilumq. redigere conata eſt. Cuius nam tanta fuit natura, tantaq. vis, vt rerum dominam affligeret? Nonne Roma domina, & caput mundi dicebatur, & erat? Ita ſanè. Diuina verò mente ſic forte permittente, vt ne vllum malum impunitum eſſet: etenim ſi viri illi ſagaciſſimi à crudeliſſimo triumuiratus gladio interempti non eſſent; nonquam forſan Romana Reſpublica ab immanibus, & barbaris gentibus eſſet proſtrata. Poſtquam triumuirali proſcriptione conſumpti ſunt, paſsim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiã, & inuidi multi inuaſerunt. Sed huic rei longè maius, vt iã dixi, detrimentũ attulit illa barbaries, quæ præceps in Italiã deſcendit, quæ inter ſe tũ lingua, tum moribus, atque regionibus erat diuerſa. cũ alij Galli, alij Germani, Hiſpani, Vandali, Vngari, Turcæ, & alij multi, ac maximè Gothi; qui iam regnantibus Arcadio, & Honorio, anno ab vrbe condita milleſimo, centeſimo, & quinquageſimo quarto, & à regeneratione humani generis anno quadringenteſimo tertio, Duce Redagaſſo in Italiam conuolarunt. Tum Alaricus, qui cùm apud Polentiam, cuius veſtigia, & reliquiæ hac Auguſta Taurinorũ 20. millia circiter paſſuum diſtant, à Stelicone fraudulenter deceptus eſſet, ius ſuum exequi armis conatus, virtuteque potior, Steliconis proſtrauit exercitũ. Hinc iraſcens, & ſtomachabundus Romam cum exercitu properauit: cui oppugnatæ exciſionem, inflammationem, euerſionẽ, depopulationem, atque vaſtitatem omnem intulit: & Roma prædis, & rapinis onuſtus diſcedẽs, & Siciliam verſus proficiſcens Campaniã, Lucaniã, & ſi Paulo Diacono credimus, Brutiã, Rhegiũq. depopulatus eſt. Attila Hunnorum Rex potentiſſimus cùm ad multa hominum millia vndiq. coegiſſet, in Italiam quoque deſcendit. & paulo poſt anno circiter 454. cum ingenti Vandalorũ manu Genſericus, quem Regina Eudoxia acerſiuerat, Romam eſt profectus. ſubinde Zenonis imperio Odoacer Herulorum dominus ab extremis Pannoniæ terminis huc perrexit: & regiam poteſtatem adeptus eſt, quam fœliciter retinuit, vſque dum Theodoricus à Zenone miſſus eum fraudulenter interemit. Iuſtiniani denique temporibus Totila, quẽ Gothi ſuperſtites Regẽ ſibi adiſciuerãt, collectis vndiq. ad præliandũ viris, Italiam rurſus inuadit. quem tandẽ Iuſtinianus per Narſetẽ ſuũ profligauit, ac occidit. His omnibus ſucceſſerunt Longobardi, quos acerſit Narſes ipſe; cùm Iuſtinianus minor, reiecto Narſete Longinum præfectum mitteret. quod factũ illi indignum viſum eſt, & grauiter ferens ſuam gratiam apud Principem minui: & qui iam ante pro tuendo imperio ſæpius vitam profundere non recuſarat, multo grauius hoc dolore exarſit: hinc neglecto Imperio Neapolim ſe recepit: & ita Longobardos in Italiam appellauit: qui eam deinde totam ferè occuparũt, eamq. per annos circiter ducentos dominatu compreſſerunt. Hos verò Carolus Magnus anno Chriſti 768. repulit, & exterminauit, & Deſiderium, qui vltimus Longobardorum Rex fuit, & eius vxorem, filios, propinquosque omnes in Galliam ſecum deduxit. Et ſic ab hac barbarie Italiam liberauit, & ſimul Romanas litteras reſtituit. Sed præter hos immanes, & barbaros

homines, permulti etiam fuere, quorum ſceleribus, & opprobrijs diutius, veluti nauis in medio mari poſita, varijsq. tempeſtatibus agitata, miſerrimè Italia cóncuſſa, ac ferè ſubmerſa fuit, Quid enim à Decio Imperatore Vrbs Roma, Italiaq. tota vel Imperij, vel maieſtatis habuit: quæ (ſi vetera memoria repetimus) improbiſsimo cuique maximè ſemper patuit, tot incurſiones barbararum gentium, tot oppreſsiones Tyrannorum, tot calamitates perpeſſa, donec ad extremum miſera in ſummis malis conſenuit? & ſimul cum Imperij maieſtate verborum grauitatem amiſit. Quæ ad peiora fortè expoſita eſſet, niſi in legitimam ſummorum Pontificum tutelam, ac tutiſsimum præſidium peruenisſet. Ex quibus ſatis intelligere poſſumus, quemadmodum ex vno Latino idiomate duo facta ſint. Occupata enim à Gothis Roma, occupatisq. à Longobardis ferè omnibus ciuitatibus & ij, illiq. latini ſermonis imperiti, patria lingua loquebantur. Hinc Romani, itemque Itali iſtorum dominatu pulſi, barbaris verbis vti ſæpiſſime coacti fuere. Barbari quoque contra morem, conſuetudinemq. ſuam quaſi regionis, quam incolebant, natura incitati, ductiq. ipſius latinæ linguæ delectatione, pulchritudine, & ſuauitate, quandoque latine, ſed incomptè, & impropriè ſermonem faciebãt; hoc eſt, mixtis quibuſdam verbis. Sic Longobardi, cæterique barbari modò latinis, Latini modò barbaris vocabulis vtebantur. Verùm cùm hoc latinè loqui à barbaro longè, multumq. diſtaret, facta eſt coniunctio, confuſioq. talis, vt hic vernaculus ſermo editus ſit, quodãmodo ex duabus naturis compoſitus. Hæc cùm Linus dixiſſet: Non poſſum, inquit Ceua, verbis explicare, quàm magnum, atque incredibilem dolorem acceperim, dum tales, tantasq. Italiæ incurſiones, depopulationes, inflammationesq. nobis exponeres. Tum Iulius, Hæ res, inquit, mirum, & acerbum dolorem commouere ſolent: nullus tamen dolor eſt, nullaque animi acerbitas, quàm non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Origo enim vulgaris ſermonis mihi hũc dolorem eripuit. Omittamus igitur mœrorem, quem optimus quiſque pro patria, & pro ſuis ſuſcipit. Ego autem illud mirari non deſino, quod multò magis antea mirabar: ſcilicet cùm Gothi, tum Longobardi latinas litteras neſcirent, & permultum temporis Italiæ imperarent, ne hic ſermo maiorem barbararum vocum ſimilitudinem, quàm latinarum habeat. Tunc Linus, Acute ſane, inquit, à ſapientiſſimo Philoſopho noſtro dictum eſt in primo officiorum; Nihil contra naturam vniuerſam contendendum. Namque tanta eſt loci natura, tanta domeſtici, natiuiq. Cæli vis, vt in qualibet orbis terrarum parte arbores vberiores producant fructus eo loco, quo natæ ſunt, licet ſterili, quàm quo tranſlatæ, quamuis vberrimo, ac fœcundo. Hinc minimè mirandum, ſi hic vulgaris ſermo latinis potius, quàm extraneis, & barbaris ſit ſimilis. De loco autem quemadmodum ſentiam, in qua, inquam, Italiæ parte latinus ſermo primùm corruptus ſit, maloq. vſu deprauatus, attendite. Ex ijs enim ſatis perſpicuum fiet, & vnde vulgaris initium deduxerit. Diffuſis ergo nõ minus in omnibus Italiæ regionibus, quàm extra, vt in Gallia, & propè in omnibus Hiſpaniæ partibus, Barbaris, ſtatim tum lingua, tum mores commutari, variarique coeperunt, (ſed de exteris dicere prætermittamus) & lingua, quæ primùm latina erat, tum Barbaris immixta in hoc vulgare idioma eſt verſa, verſa dico, in quelibet Italiæ angulo. Vnde verò nomen ſortiri debeat, magna eſt controuerſia. Nec enim mihi ſatis in præſentia, vt ingenuè fatear, liquet; an lingua denominari debeat ab eo loco, ex quo originem traxit; an ex eo, in quo ornamentum, grauitatem, copiam, & alia id genus ſuſcepit. Etenim Latinum, vt abunde à Fabritio audiuimus, ex Latio ortum habuit: & licet ornamentum, puritatem, ſplendorem, omnemq. dignitatem à Romanis acceperit: Latinum tamen ferè ſemper non tantùm ab exteris, ſed ab ipſis etiam Romanis dictum eſt. Principium verò nec ex Florentiæ ciuitate, nec omnibus Hetruſcis, aut ex Longobardis finibus, ſed ex omni Italia, vti iam dixi, habuiſſe eſt luce clarius. rem tamen hanc compreſsius ſumens, magnoq. deſiderio ad inueſtigandam veritatem inflammatus auſim dicere, vulgare id ſtudium inter nationes Longobardorum natum. Et ne noua nobis hæc ſint, & inopinata; ſcire debetis Longobardos, vt latius retulimus, per ducentos annos toti ferè Italiæ imperaſſe: iſtis præſertim citerioris Galliæ ciuitatibus; Ticiniq. cum ſceptro, & inſignibus regijs ſedem tenuiſſe. Cum igitur illi populi has Ciſalpinæ Galliæ, quod nemini dubium eſt, oras incolerent, neceſſe eſt, vel inuitos fateri, vt in ijs compoſitus, commixtusq. magis ſit vulgaris hic ſermo, quàm in reliquis Italiæ finibus; aut negare oportet ex Longobardorum vſu, & more loquendi hunc ſermonem non effluxiſſe: quod negare non poſſumus: principium, inquam, à Gothis, à Longobardis, ſimulq. à Latinis duxiſſe: quod ſi quis inficiabitur, dignitatis, nominisq. ſui iacturam faciet. Sed cùm hæc lingua ex duobus quodammodo fontibus emanet: quæri ſolet: an hæc vulgaris noua per ſe ſit, an vetus latina corrupta, & deprauata? Nunc verò tecum agendum eſt, Fabriti, non inimico, quidem animo, ſed veritatis

veritatis tantùm eruendæ gratia. Neque te, neque nos omnes arbitror in eam iuiſſe ſententiam, quam multi viri, alioqui doctiſsimi tenuere. Illi enim, qui malè dictis vulgaris linguæ gloriam, dignitatemque violare experiuntur, eamque vulgarem, humilem, & plebeiam eſſe exiſtimant, huiuſmodi eſſe, quò ad latinæ ſimilitudinem, quo foex vini ad vinum purum, & ſuauiſsimum. Namque hoc vulgariter loqui nihil aliud eſſe, quàm ipſum latinum deprauatum, & corruptum, vel propter longam barbarorum conſuetudinem, vel ob nimiam hominum ignauiam, aut ſanè temporum iniuriam. Hæc ſunt, quibus id vulgare ſtudium viri non alioquin mali conantur deprimere, & conculcare. Ex quibus quis dignoſcere apertè poteſt eorum ſententiam eſſe, vt vetus latina lingua, & hæc vulgaris noua, non ſint, nec vnquam duæ fuerint; ſed vnica dumtaxat, ſcilicet latina corrupta. Ipſe verò duas eſſe ſemper exiſtimaui, ideſt vetus latina fuit, & hæc noua eſt, & per ſe. Tum ille, multa, inquit, docte, & eleganter diſſeruiſti, quæ ſatis mihi fecerunt, ſed quod ad præſentem quæſtionem attinet, duas eſſe hodie concedo, quondam tamen vnicam fuiſſe ſatis copiosè diximus. Si vna fuit, & duæ modò ſunt, ex latina vetere hanc nouam pendere oportet. namque filius ſine patre eſſe non poteſt, pater ſine filio poteſt, quò ad eſſentiam dico, non quò ad nomen: referuntur enim pater & filius: poſito vno, ponitur neceſſariò & alterum: nec eſt dominus, niſi ſeruum habeat in poteſtate: poteſt tamen perſona domini, reſpectu illius præteriti ſerui, eſſe deficiente ſeruo. Tum Iulius, qui Lini cauſam, quaſi veriorem tueri volebat. Sit hoc, inquit, verum, quod dicis: contraria tamen hæc videntur eſſe. Contraria verò ea dico; quorum alterum ait, alterum negat: ex quibus neceſſe eſt alterum verum eſſe, alterum falſum. Aſſerunt itaque illi hanc nouam eſſe veterem ipſam latinam, ſed deprauatam, & corruptam. Hinc ſciendum eſt tritum apud Philoſophos, corruptionem vnius, eſſe generationē alterius: & ſicut generatio nihil aliud eſt, quam ex non eſſe ad eſſe, vel, vt cum Philoſophis ipſis loquar, ex non ente ad ens: ſic contra corruptio ex eſſe ad non eſſe. Si igitur hæc vulgaris nihil aliud eſt, quàm latina corrupta, neceſſe eſt, vt latina corrumpatur, ſed ſi corruptionē patitur, deſinit eſſe. Nulla enim corruptio fit, ex qua non fiat generatio: (fremant licet, qui aliter ſentiunt) vulgaris ergo ex non eſſe ad eſſe prouenit: hinc ſequitur vulgarem linguam, quæ eſt viua, non eſſe vnam, & eandem cum latina, quæ perempta eſt, ſed vna per ſe. Tum Fabritius, & ſi in artium, inquit, ſtudijs liberalibus, doctriniſq. non ita fortè verſati ſimus, vt par eſt: dedimus tamen nos & Logicæ, & Philoſophiæ aliquando operam; licet poſtea ad legum ſtudia animum conuerterimus: & niſi me capiat obliuio, nunquam a Bartolomæo Ferrerio, viro omni doctrina, & virtute ornatiſsimo, qui publicè, ac priuatè in hac Taurinenſi Academia me logicem, & philoſophiam docuit, accepi hunc ratiocinādi modum. Collectio enim propoſitioni, non ſatis mihi videtur conuenire; namque illa, meo iudicio, eſſe debet; ſi latina corrumpitur, ex ipſius corruptione oritur vulgaris; ſed latina non eſt corrupta, ex latinæ ergo corruptione non generatur vulgaris. Perperam & illud, vt latina perempta ſit: & ne imperiti quidem id dicerent. Cæterùm noſtrorum intentio non ea fuit, quam ipſe putas, vt vulgarem linguam non eſſe crederent: Iam vobis hoc Ethruſce loqui hodie eſſe, diuerſumq. à latino libenter conceſsimus: ſed eſſe quid latini corrupti conſtanter adſeueramus. Neque in idem ſemper incidimus, vt vos innuere video. Stat enim vulgaris lingua nunc per ſe, non autem latinæ beneficio: quia perempto latino idiomate, remaneret nihilominus vulgare: nam mortuo patre ſupereſt filius, quāquam filij nomen amplius non retineat. Atqui Latinum fuit cauſa, quam Philoſophi materialem vocant: ſicut granum eſt cauſa herbæ: quia ſine grani corruptione non generatur herba: & herba dicitur, vt aliter loquar, terminus ad quem, & granum à quo, vtpotè priuatio ad habitum. Namque à grano mobile mutari incipit: & priuatio fit formæ acquirendæ, adeoque & forma mox amittenda. In granum perficitur mobile, & finitur motus, videlicet forma iam acquiſita per motum. Alijs exemplis res fiet illuſtrior. pone in generatione pulli, fit progreſſus ab ouo, quod nondum eſt pullus, tanquam ad terminum ad quem. Sic procreatio pomi: progreſſus fit à germine, quod nondum eſt pomum. Hinc mutationem fieri videmus à quo ad quem, quodammodo ex non ente ad ens, & ſic mutatio à priuatione ad habitum. Vulgaris enim lingua à non ente ad ens prouenit: ante nihil erat. Sed, vt, ſuſius, tu Line, diſſeruiſti, ex commixtione latini ſermonis cum barbarorum vocabulis originē duxit, veluti à termino à quo ad quem; & ita altera à latina differēs facta eſt. Tum Linus, ſi altera, inquit eſt, exemplum, quod ponunt vini, non eſt iatis rectum: quia cùm vinū acceſcit, vel perit vini ſapor, vappæq. accipit nomen, mutatur, & differt à ſe ipſo quò ad bonitatem: nam ſuauitas illa vini euaneſcit: ſed non quò ad ſubſtantiam: propterea quod non ſolum in eo remanet vini ſubſtantia, ſed etiam vini nomen: & quamquam vini nomen amitteret, ſat eſſet permanere ſubſtantiam. At cùm fit acetum

tum, mutatur; & à ſe ipſo quò ad ſubſtantiam differt: & quoniam mutat ſpeciem, non eſt, neque vinum dicitur, ſed acetum. neque vllo medicamine in vnum poteſt reduci, neque ad priſtinam ſubſtantiam; ſicut homo mortuus ad vitam reuocari minimè poteſt: vappa verò quibuſdam remedijs, quibus homines ſæpiſſimè vtuntur, poteſt reſumere vires, hoc eſt ſaporem, & odorem, veluti æger deperditam ſanitatem recuperare. Verùm quoniam mutationis, & differentiæ ſubſtantialis ea eſt vis, vt non diuerſas, & alteratas, vt Logicorum verbis vtar, ſed alteras res efficiat: neceſſe eſt fateri eos ſibi aduerſari; cùm vini exemplum proponunt. Namque vinum, cùm vappa ſit, non mutat ſubſtantiam, ſed vt ita loqui mihi liceat, alteratur. Tunc Fabritius. Haud negare, inquit, poſſumus mutationes, & differentias, quæ ſubſtantiales non ſunt, ſed accidentales non efficere res alteras, ſed diuerſas dumtaxat, & alteratas: quarum duæ ſunt ſpecies, vna inſeparabilis, altera ſeparabilis. Hæc differre facit alterum ab altero, quod alteritate, vt cum Porphyrio dicam, quadam differt, quocumque modo vel à ſe ipſo, vel ab alio: vt calidus à frigido: item à ſeipſo ex temporum diuerſitate, vt Cicero ſcribit, mox orat. Illa enim differre alterum ab altero dicitur, veluti cùm ab aliquo inſeparabili accidente differt. Differt Demoſthenes à Cicerone, vel Homerus à Virgilio, propterea quòd Homerus cæcus erat, Virgilius oculos venuſtos, & ſuaues habebat, & propterea viſum. Atqui fæx vini eſt quid aliud in vino diſſimile, & quidem longè. nam cùm ex vini corruptione fæx generetur, fit tota diuerſa, & alia à vino, vel, vt ratiocinatores malunt, altera. Etenim & formam vini amittit, & ſubſtantiam. vinum tenue eſt, limpidum, clarum; contra fæx craſſa, ſpiſſa, obſcura. Ex hauſto vino, & cadis vacuis fæcem tunc tantùm inſpicimus. Quamobrem alludens Horatius libro primo carminum, dixit:

Diffugiunt cadis cum fæce ſiccatis amici.

Hinc fæx dicitur excrementum cuiuſque rei. fæcem quoque ciuitatis homines: viles, plebeios, abiectos quandoque appellamus: non quòd ſint ſordes, ſed quia vitam agunt ſordidam, & abiectam: vt illud Ciceronianum pro Flacco, Opifices, & tabernarios, atque illam omnem fæcem ciuitatum, & alio loco, perditiſſima, atque infima fæx populi. Noſtri verò cùm dicunt, hoc vulgariter loqui, quo ad Latinum, neque aliud eſſe, quàm fæcem vini ad vinum purum, & clarum, intelligunt putredinem illam, & craſſitudinem vini, quæ vulgo propriè denominatur fæx. Quam ob cauſam rectè dixiſſe arbitror, vt vulgaris lingua ſit fæx latinæ; cùm ex illa latini ſermonis corruptione ſit producta. Tum Linus, ſi hoc vulgare, inquit, idioma à latino proficiſcitur: quod, vt video negare non poſſumus, non corruptum, ſed generatum eſſe rectius dicemus. Namque Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, qui corruptionem vnius eſſe generationem alterius docuit, docuit item id non à corruptione, ſed à procreatione denominandum, tanquam à digniori. Dicamus igitur vulgarem linguam à latina ortam, & non corruptam. Hac in re, inquit, Fabritius, ſatis tibi facere conabor: illud tamen non prætermittam, generationem non poſſe ſine corruptione eſſe: quamuis corruptio poſſit eſſe, vt Scotus exiſtimauit, ſine generatione: ſi eſt procreata, eſt ergo ante corrupta. De ijs hactenus. Ac, vt nihil non dictum omittamus: ſi quis mihi obijceret id, quod paulò ante ratiocinabar: nempe Latinam non eſſe corruptam, non oriri itaque ex ea vulgarem: Reſponderem ad ſingula: in primis, inquam, corruptam fuiſſe, quod infeliciter nobis accidit Gothorum, & Longobardorum tempore, quodque dolendum eſt: vocabula enim, quæ venuſtiora erant, & elegantiæ plena, longo abuſu conuerſa, & commutata fuerunt: vnde dictæ ſunt corrupta: ſicut Cicero: Sed corrupti mores, deprauatiq. ſunt admiratione diuitiarum, hoc eſt mores ſunt commutati. Neque, vt vere fateamur, vnquam fuit corrupta latina lingua; neque corruptionem patitur: licet non ita ſemper ea familiariter, vt apud veteres Romanos, vtamur: ſemper tamen fuerunt eadem lingua, eadem verba, eadem pronunciatio, ijdem accentus, eademque ſyllabæ productæ, & correptæ, & alia generis eiuſdem. Sed iam vos admirari video: quod mirandum tamen non eſt. quoniam quod à Philoſophis traditum eſt, generationem vnius eſſe corruptionem alterius, ad Phyſicos tantum pertinet; qui de materialibus, & naturalibus rebus tractant. Latinam verò linguam ex eorum numero non eſſe, quiſque ſanæ mentis videt, & iudicare poteſt. Hoc enim latine loqui eſt, tanquam ſplendidiſſimum lumen, cuius ſplendore omnia ferè illuminantur, & colluſtrantur. Ex quo ſi qui candelas ſcirpeas, cæreas, piceas accenderint: & ſi lumen longè inter ſe differens exhibeant: tamen ab eodem lumine & accenſæ ſunt, & ſemper ipſum lumen purum, atque illibatum remanet. Accenderunt prius Itali, tum Galli, Hiſpani quoque, Germani etiam quandoque ex hoc lumine ſua luminа: nunquam legitur extinctum, aut imminutum ex aliqua parte latinũ lumen, licet nonnunquam langueſcere viſum ſit. At hæc poſterius. Poſtea verò quam Itali ſua ſcripta hoc ſplendore illuſtrare cœperunt: &

ipſum

ipſum lumen latinum ita cœpit effulgere, vt diſcuſſis, quæ id ipſum offuſcabant, nebulis, clariſſimè, & ſplendiſſimè illuxerit. Ex ijs itaque mirari deſinetis: quòd & ſi corrupta non ſit Latina, nata ſit, vt Lino magis placet, vulgaris hæc noua: quia etiam vox concionatoris diffunditur in multas aures, vnica tamen eſt vox, ab vnoque homine diffluit. Neque mirum etiam, ſi ipſa vulgaris, latinæ, ex qua ortum habet, gratitatem, & ſplendorem illum mirificum non præſtet: nã propoſita Parrhaſij, aut Apellis aliqua ad imitandum tabula, nunquam, licet eximius pictor formam illam verè effinget: vel ſi hanc poſteriorem aliter pictura exprimere voluerit, longè prima, ac ſecunda fiet vltima deterior. Hæc cùm attente audiuiſſent: Iulius, voce tua, inquit, clauſas iam aures mihi aperuiſti: & obcæcatam mentem lumine tuo illuminaſti: atque immundam faciẽ tua pictura, quaſi ſpeculo patefeciſti: vel procreata ſit ex latina, vel ſit latina corrupta: à latina nihilominus decus, lumen, initium, & ſi quid dignitatis ineſt, habuiſſe, vel inuiti fateri cogimur. Tum Ceua, Egregiè, inquit, mihi quoque probata eſt oratio tua: ſed intento quidem opus fuit animo, & enixus ſum, ne omnia dilaberentur, ſi vnum aliquod effugiſſet: quoniam diu ijs tricis detinebar, hodie me mirabiliter exoluiſti. Tum Fabritius, Atqui ego, inquit, multò magis ſum illis irretitus laqueis. Etenim non poſſum non mirari: cur etiam Linum, & propè omnes vulgaris linguæ vindices pudeat hoc vulgariter loqui emanaſſe à latino fateri; cùm non erubeſcãt dicere ex Barbaris originem duxiſſe. Quid hoc turpius? quid ignobiliusè quid illo præclariusè aut quid admirabilius? ſi iſti hoc munere ſe indignos exiſtimant, neque eis tanto honori dãdum eſt: immo maximo pretio id mercari deberent. Et ridiculum, ac planè fatuum eſt, quod de latina obijciunt. Idem, inquiunt, de latina dici poteſt, quæ eſt corruptio linguæ Græcæ, vel, vt melius dicam, procreata ex ipſa Græca, & ex alijs barbaris ſermonibus, vti noſtra ex Gothis, & Longobardis. Accepimus à maioribus noſtris latinam linguam in Latio fuiſſe productam, etiam ferè à mundi creatione: quamuis nomen Aboriginum haberet, neque ab exteris ibi fuiſſe tranſlatam. licet ab initio inops eſſet: nec mirum, cùm etiam flumina, præſertim hic noſter Padus, à principio exigua ſint: paulatim tamen collectis vndique riuulis, magnisq. cocuntibus amnibus in mare maxima influunt. Aducntu Aeneæ, erectaque & munita Alba incœpit latina lingua augeri non à Barbaris, vti ipſi putatis, ſed à Pelaſgis, Arcadibus, Epeiſq. Elidentibus, & ipſis Troianis: qui omnes communi vocabulo Latini dicebantur. Qua de re,

ſi memoria tenetis, iam latius tractatum eſt. Romani quoque primo retento latino nomine, in magnaque veneratione habito, vtebantur eo latino ſermone, qui nec barbarus, nec omnino Græcus erat, ſed ex vtroque quodammodo mixtus: qui, vt à Dionyſio Halicarnaſſeo proditum eſt, plerumque ad linguæ Aeolicæ proprietatem accedebat. Quintilianus quoque ſimillimum eſſe dixit. auctam tandem, & illuſtratam, tanquam paternam hæreditatem à ſagaciſſimis, legitimiſque Romanorum hæredibus haud vnquam inficiar: & multa etiam à Græcis mutuatos fuiſſe, ſibique, quaſi propria vindicaſſe apertè conſtat. Quare Græca lingua non erat barbara, vt illa Gothorum, & Longobardorum. Aliunde quoque ſumpſerunt, & præſertim à Iudæis: nec mirabitur, qui norit Romanos vniuerſo ferè imperaſſe: quare neceſſe fuit, vt multa ex aliena lingua in vſum eſſent Populi Romani tranſlata: quamuis Andreas Alciatus bonarum litterarum peritiſſimus libro Parergon ſecundo teſtetur, non paucis nos nominibus cum Iudæis communibus vti: Cuiuſmodi ſunt ſaccus, camelus, nugæ, atque alia generis eiuſdem. quibus nominibus multò ante captam Hieroſolymam Romani vſi ſunt: quæ frequentiores apud Ciceronem, & alios approbatiſsimos auctores inueniuntur. Antonius quoque Auguſtinus ætatis noſtræ & acutiſsimus, & doctiſsimus oſtendit Latinos non ſolum verbis alienis, ſed etiam dicendi genere Hebræis per quã familiari vſos: vt illud Eccleſiaſt. Vtile eſt mori, quàm relinquere filios impios: & eodem libro: Bonũ eſt arguere, quàm iraſci. & Dauid in Pſalmis, Bonum eſt, inquit, confidere in Domino, quàm ſperare in principibus: & alibi paſsim. quod dicendi genus domeſticum eſt, atque Iuriſconſultis familiare, vt illud ex Vlpiano: Pro hærede autem, inquit, gerere non eſſe facti, quam animi. Sed & apud Plautum in Rudente:

Videor hoc ipſum agnoſcere,
Non edepol, ait, piſcis expeto, quàm tui ſermonis indigens. & alio loco
Eo tacent, quia' ſi mulier ſemper, quàm loquens.

Vt illud etiam apud Terentium in Eunucho, ſtatim ab initio.

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis.

Quo in loco Antonius Muretus ſubtilis, & & elegans, ex Aemilij Ferreti auctoritate admonuit, Quamplurimis, hoc loco duas eſſe dictiones, ſenſumque eſſe: Si quiſquam eſt, qui ſuum ſtudium eò referat, vt bonis potius, quàm vt plurimis placeat: & deeſſe videtur particula potius, vt & in illo Plauti ex Rudente,

Certum est mori, quàm hunc pati lenonem in me grassari.

Sic sæpe loquutos Græcos existimat Muretus: quibus plerumque deest particula illa, potiùs, quæ sæpè in latino idiomate redundat: vt Cicero de Diuinatione, Tamen eos, inquit, defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quàm abs te defensos, esse malunt? Terentius in Adelphis.

Quin, quicquid possem, mallem auferre potiùs in præsentia.

Et Vlpianus: Si actor malit dominum potius conuenire. Alia eius generis nobis legentibus occurrunt multa, quæ sunt ad Homericam imitationem. Nonnulla etiam ab alijs mutuati sunt nostri; & à Gallis maximè, vt rheda, ac petorium: quorum altero M. Tullius pro Milone, altero Horatius vtitur. Mappam quoque vsitatum Ciro nomen suum Pœni adseuerant; & Gurdos, quos pro stolidis vulgus appellat, ex Hispania, vt Quintilianus ait, originem habuit. Capsum in Cisio vocabulum trãspadanum esse docet Festus Pompeius. Et Iosephus Scaliger nos verbum Ambubaia ex vltima vsque Syria petijsse tradidit. vnde Horatius, Ambubaiarum collegia: pro vagis, & vilibus mulieribus. sunt & alia plurima, de quibus latè Festus, quæ ab omnibus ferè gentibus acceperunt, eaq. deinde latini sibi vindicarunt. Sed maxima ex parte latinus à Græcis conuersus est: & Græcis vtimur verbis, si nostra desunt. Verùm & illud magis, quòd latini vna cum lingua, agris, vibibus, regnis Rempublicam auxerunt: multisq. fortunis locupletarunt Imperium: & maximè Græciam spoliarunt, Græcique omnes sub Populi Romani Imperium, ditionemque cecidерunt. Contra verò cùm hanc nouam linguam adquirerent; maiestatem, nominisq. gloriam, & dignitatem amisit; & Barbaris, quibus antea solebat imperare, paruit miserrime. Tum Iulius, est id quidem, inquit, certo certius: verum quia aliqua diei pars supereſt, ne sit omnino disputatione vacua; vellem, Fabriti, te id iam persequi, quod nobis sæpe pollicitus es: à quibus, inquam, latinæ litteræ auctæ, & illustratæ fuerint: & quemadmodum, & quo tempore intercideriт, & verborum delectum amiserint; & quando suum illum ferè pristinum receperint candorem: quem quotidie magis, & magis videmus nitescere. Tum ille, Posteaquã, inquit, auidos homines ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, vt reliquiarum sit potius aliquid, quàm vos hinc patiar non satiatos discedere. Distinguam igitur latinorum auctorum ætates ordine; vt qui latinæ linguæ parentes, & patroni fuerint, nullo negotio habeatis. Tum à quibus cœperint declinare ipsæ latinæ disciplinæ; in quibus conseruatæ, item à quibus fuerint reuocatæ, atque instauratæ. Linguæ enim, vti res omnes humanæ, principium, progressum, perfectionem, corruptionem, & finem habent: & ab initio rudes, & inopes sunt: deinde vrbanitate, moribus, & acutissimorum virorum ingenijs illustriores fiunt, ac politiores. Quæ cùm aliquamdiu in puritate, proprietate, & elegantia permanserint, corrumpuntur, deprauantur, denique depereunt omnino, vel vetustate, vel hominum vitio: ita, vt scripturæ etiam ipsius nihil quidem supersit. Nam si hodie aliqua veterum latinorum extaret scriptura, videremus profectò aliter Latinum, Euandrum, Turnum, & alios illius ætatis homines loquutos fuisse, quàm vltimi Romanorum Reges, vel primi Consules loquerentur. Versus enim illi, quos Salij canere solebant, non ferè intelligebantur: sed quoniam ita à maioribus sanciti, & constituti erant, aut ob quandam reuerentiam, quam religioni perpetuò adhibebant, nunquam ausi sunt commutare. Scribit quoque Polibius Romanam facundiam à primo bello Punico vsque ad secundum admodum fuisse commutatam, vt conditiones, & pacta inter Romanos, & Carthaginenses admissa, vix possent intelligi: quo factum est, vt latina lingua paucos haberet auctores. Quod satis non possum comprobare: nam si Numæ Pompilij libri à Q. Petilio lecti, ac intellecti fuere: ad quem à Regno Numæ colliguntur anni DXXXV. quanto magis Romanorum, ac Carthaginensium conditiones intelligi debebant? cum primum bellum Punicum annis ab vrbe condita circiter DLXXX. gestum sit: nisi fortè dicamus post primum bellum Punicum ad Latinas litteras illustrãdas magis, quàm antea, se addixisse Romanos. Sed ad id, quod faceſſit negotium, accedamus. Etenim ante vrbem neminem scripsisse arbitror: quamuis vrbe condita leges statim latas esse, ac in scriptis redactas legamus. Numa quoque ipse Romanorum Rex Secundus, non modò leges, quibus aut iubebat aliquid, vel prohibebat, protulit, verùm libros etiam de disciplina sapientiæ, & de Iure Pontificio conscripsit. Sunt verò, qui patrum, atque adeò nostra memoria litteris prodiderint ante Liuium Andronicum neminem Latine scripsisse. Ad quam opinionem vnde illi, aut qua ratione venerint, satis non possum constituere, nisi forte ex eleganti illo Horatiano loco.

Habet hos, numeratq. Poetas
Ad nostrum tempus Liuij scriptoris ab æuo.

Atqui ego Horatij versus aliter soleo interpretari; vt de ijs dumtaxat sermonem habeat, qui fabulas scripserunt; non autem de ijs, qui in

alio

alio argumenti genere vel versibus, vel soluta oratione sunt versati. Alij namq. versus condiderunt: de quibus M. Tullius ex Catonis auctoritate scriptum reliquit: de ijs verò mox. Quod quidem non redarguendi alicuius studio ducti, sed rei illustrandæ cupiditate incensi iam alio loco ostendimus. In eo autem temporis spatio, quod inter Numam, & L. Andronicum constituimus, doctum, & clarum Lucium Brutum, qui potentissimum Regem expulit, ciuitatemq. dominatu liberauit, fuisse valdè suspicatur Cicero. Paucis annis post exactos Reges M. Valerium Dictatorem dicendo sedauisse discordias est ex veterum monumẽtis perspicuum. Lucius etiam Valerius, Appius Claudius, C. Fabritius, T. Coruncanus, M. Popilius ingenio longè plurimum valuerunt: eos tamen oratores habitos esse, aut aliquid scripsisse non satis constat: sed suspicari (vt ait M. Tullius) licet. Fuit autem C. Flaminius ad dicendum eximius, Q. Maximus; Q. Metellus, qui bello secundo Punico cum L. Veturio Philone consul fuit, quo tempore floruit M. Cornelius Cethegus, quem eloquentiæ auctorem, & idoneum quidẽ existimat Cicero ex Ennij testimonio, qui in suis annalibus de eo sic loquitur:

Additur Orator Cornelius suauiloquenti
Cethegus Veturio collega Philoni Filius.

Qui, inquit Tullius, nisi vnius esset Ennij testimonio cognitus, hunc vetustas, vt alios fortasse multos, obliuione obruisset. Hic Cethegus cons. cum P. Tuditano fuit bello etiam secundo Punico. Hunc sequutus est ætate Cato, qui multas doctas, & arguras edidit orationes: eius tamen sermo antiquior erat. ijs antiquior longè fuit Appius Cæcus, qui orationem de Pirrho conscripsit. Extabant quoq. antiquissimæ nonnullæ mortuorum laudationes, quæ, vt ait Cicero, maximè delectabant. Lucius verò fabulam docuit anno ipso antequam natus esset Ennius, post Romam conditam CCCCX. Ante istos tamen alios condidisse versus, hac ducor coniectura: propterea quòd vehementer à M. Tullio desiderantur illi versus, qui multis iam seculis antesuam ætatem in epulis esse cantitatos à singulis conuiuis de clarorum virorum laudibus in originibus scripsit Cato. Anno deinde post vrbem conditam quingentesimo vndeuicesimo Næuius Poeta fabulas apud populum dedit. Tum annis ferè quindecim, cum Pœnis ad arma iterum ventum esset M. Cato, de quo iam facta est mentio, Orator in ciuitate, & Plautus, vti Gellio credamus, in scena floruerunt. Neque longo interuallo Cæcilius, & Terentius prodierunt, ac subinde Pacuuius, & Pacuuio iam sene Accius; & post eos claruit Lucilius, tum Lucretius. Hæc sunt, quæ de priscis, & grauissimis vatibus habemus. Cum Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, Sex. Aelius, qui iuris ciuilis, auctore Cicerone, omnium peritissimus, & ad dicendum paratus erat. De minoribus verò C. Sulpitium Gallum, Tib. Gracchum. P.F. & P. Scipionem Nasicam, L. Lentulum, Q. Nobiliorem, M. filium, T. Annium Luscum, L. Paulum Aphricani patrem, Seruium Galbam, & alios eloquentes fuisse intelleximus. Tum viuo adhuc Catone multi minores natu extiterunt Oratores non indiserti, vt A. Albinius, Ser. Fuluius, Ser. Fabius pictor & iuris, & antiquitatis benè peritus, Q. Fabius Labeo, Q. Metellus, L. Cotta, C. Lælius, & P. Aphricanus: sed eis paululum ætate, & maximè eloquentia præcessit Ser. Galba: licet M. Tullius interdum dicat elegantiam in Lælio, vim in Galba fuisse. Hæc si minus apta videntur huic nostro sermoni, Line, Iulio assigna, qui me inflammauit Latinorum auctorum ætates, & tempora persequendi. Ego verò, inquit Linus, delector ista quasi notatione temporum. & ad id, quod instituisti, Latinarum litterarum genus distinguere ætatibus, istam diligentiam esse accommodatam arbitror. Tunc Fabritius, Sed quoniam, inquit, vobis omnibus hæc temporum narratio placet, recensebo breui, quò fieri poterit, reliquos magnos Latinæ linguæ artifices, & patronos. Ex quorum numero etiam fuisse L. & Sp. Mummios fratres, Lucium, Sp. Albinum, L. & C. Aurelios Orestes, P. Popilium, Caium Tuditanum, M. Octauium, M. Aemilium Lepidum, qui est Porcina dictus. Hunc inter Latinos Oratores, inquit Cicero, sibi primum videtur & lenitatem aperuisse illam Græcorum, & verborum comprehensionem, etiam artificem stylum. quem sequuti diligenter sunt C. Carbo, & Tib. Gracchus. ac subinde Q. Pompeius, L. Cassius, M. Antius Briso, duo Cœpiones, P. Crassus, Sergius Galba, P. Scæuola iuris peritissimus, tum duo C. Pannij, Caij Marci filij, T. Albutius, L. Cæcilius Antipater; sed maximè Caius Carbo, & Tiberius Gracchus, qui diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis disciplinis eruditus; scripsit quoque Epistolas ipsa Cornelia Gracchorum mater eruditissimas. Fuerunt etiam elegantissimi L. Piso, L. Furius Pilus, M. Manilius, M. Fuluius Flacus, C. Cato Aphricani sororis filius, P. Decius, M. Drusus C. F. & M. Penus, C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, L. Crassus, M. Antonius, C. Cotta, Q. Mutius, Q. Aelius Tubero, & C. Gracchus, cuius immaturo interitu res Romanæ, Latinæq. litteræ damnum fecerunt. Huic successit ætati P. Galba Seruij illius eloquentissimi viri filius, C. Licinius Nerua, C. Fimbria, M. Brutus, L. Cœsidenus, T. Albutius, proximeq. Q. Catulus, qui non illo antiquo more, sed

politiori,& nouo erat eruditus. Dicebant & ornatè,& politè Q. Metellus, M. Syllanus, M. Aurelius Scaurus, Aulus Albinus, Sp. Torius, M. Marcellus, P. Lentulus, L. Cotta. ijs omnibus longè præſtiterunt Antonius,& Craſſus: quibus adiunctus erat iuriſperitorum eloquentiſſimus Q. Scæuola. ijs duobus, Craſſo, inquam, & Scæuola, nihil quicquam fuiſſe in vrbe Romæ præſtantius exiſtimabat Cicero. Seruius plurimum quoque in ciuili, forenſiq. arte profecit. Doctum item fuiſſe legimus L. Lucilium Balbũ, C. Aquilium Gallum, Cn. Domitium, C. Cœlium, M. Herennium, C. Clodium, C. Titium equitem Romanum, & L. Aphricanum poetam, hominem peracutum, & in fabulis quidem diſertum. Extra vrbem apud Socios, & Latinos oratores habiti ſunt Q. Vectius Vectianus è Marſis, Q. D. Valerij Soriani, C. Ruſticellus Bononienſis, eorum omnium eloquentiſſimus, T. Betutius Barrus Aſculanus. Ex Latio L. Papirius Fregellanus, ijs tamen ſuperior, ætate ſcilicet fuit Tib. Gracchi P. F. & T. Tineam Placentinum hominem facetiſſimum, ac diſertum cognouiſſe dicit Cicero. Antonio autem, & Craſſo primus, ſed longo interuallo accedebat L. Philippus, deinde L. Gellius. Horum propè ætati coniuncti videbantur D. Brutus, L. Scipio, Cneius Pompeius Sextri F. Sextum fratrem ingenium præſtantiſſimum contuliſſe ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriæ, ac rerum Stoicarum ſcientiam tradiderunt veteres. Adfuit præterea Cn. Octauius, C. Iulius L. F. P. Cethegus, Q. Lucinus Viſpillo iuriſperitus, T. Annius Velina, T. Iuuentius, P. Orbius, T. Aufidius, M. Virgilius, P. Magius, Quintus Sertorius, C. Gorgonius, T. Iunius L. F. His acceſſerunt proximè, ætate tamen paulò inferiores C. Cotta, P. Sulpitius, Q. Varrius, C. Curio, L. Fuſius, M. Druſus Pariſtius: nec vlla oratorum ætas vberior fuit. Ex ijs Cotta, & Sulpitius primas obtinuerunt. Superuenit non multò poſt Hortenſius, cuius æqualis fuit M. Craſſus, Craſſi æqualis, & inimicus C. Fimbria, tum Cn. Lentulus, nec multò ſecus P. Lentulus, M. Piſo, P. Murena, Caius Cenſorinus, L. Turius, C. Macer, C. Piſo, M. Cœcilius, L. Torquatus, in quo plurimæ erant litteræ, nec hæ vulgares, ſed interiores quædam, & reconditæ diuina memoria, ſumma verborum & grauitas, & elegantia, atque hæc omnia vitæ decorabat grauitas, & integritas. L. Domitius, qui nulla quidem arte, ſed latinè tamen cum multa libertate dicebat. Cn. Pompeius vir quoque ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam conſequutus fuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes traxiſſet. Nam, vt ait Cicero, erat oratione ſatis amplus, rem prudenter videbat; actio verò eius habebat, & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatẽ. Eius æquales fuerunt D. Syllanus, Q. Pompeius A. F. qui Bithinicus dicebatur, P. Antonius, L. Octauius Reatinus, C. Statienus. His addidit Tullius C. & L. Cæpaſios fratres, C. Coſconium Calidianum, Q. Arrium, & duos maximos viros Cæſarem, & Marcellum; hic quotidianis commentationibus ſe acerrimè addixit; verbis vtebatur lectis, & frequentibus, & ſplendore vocis, dignitate motus reddebatur ſpecioſum, & illuſtre, quod dicebat. Cæſar verò, vt Ciceronianus ille Atticus percontabatur, omnium ferè Latinè loqui elegantiſſimè, nec id ſolùm domeſtica conſuetudine, ſed vt eſſet perfecta illa bene loquendi laus multis litteris, & ijs quidem reconditis, & exquiſitis, ſummoque ſtudio, & diligentia eſt conſequutus. Aequales deniq. fuerunt Ciceronis T. Pomponius, M. Brutus, & Atticus, tum ei chariſſimi, & magna neceſsitudine coniuncti, vt in Bruto, & in alijs locis videre eſt. Horum omnium longè Princeps Cicero fuit, tum verborum delectu, tum dicendi grauitate, atq. inueniendi ſubtilitate. De quo ita loquitur Velleius Paterculus libro primo: Ita vniuerſa ſub principe operis ſui erupit Tullio, vt delectari ante eum paucisſimis, mirari verò neminem poſsis, niſi, aut ab illo viſum, aut, qui illum viderit. & libro 2. Nihil tam indignum illo tempore fuit (hoc eſt triumuiratus) quàm, quòd, aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab illo Cicero proſcriptus eſt, abſciſſaque ſcelere Antonij vox publica eſt, cùm eius ſalutem nemo defendiſſet, qui per tot annos, & publicam ciuitatis, & priuatam ciuium defenderat. Nihil tamen egiſti, Marce Antoni (cogit enim excedere propoſiti formam operis erumpens animo, ac pectore indignatio) nihil, inquam, egiſti, mercedem cœleſtiſsimi oris, & clariſsimi capitis abſciſſi numerando, auctoramentoque funebri ad conſeruatoris quondam Reipublicæ, tantiq. Coſ. irritando necem. Rapuiſti tuo Marco Ciceroni lucem ſolicitam, & ætatem ſenilem, & vitam miſeriorem te principe, quàm ſub te Triumviro mortem: famam verò, gloriamque factorum, atque dictorum adeo non abſtuliſti, vt auxeris. Viuit, viuetque per omnium ſeculorum memoriam, dumq. hoc, vel forte, vel prouidentia, vel vtcumq. conſtitutum, rerum naturæ corpus, quod ille pene ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt, eloquentia illuminauit, manebit incolume, comitem æui ſui laudem Ciceronis trahet, omnisque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur, citiusq. in mundo genus hominum, quàm defectus cadet. Huius totius temporis fortunam, ne deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit, adeò nemo exprimere verbis poteſt. Hactenus Paterculus.

culus. Hunc duo, qui tunc temporis excellebant Oratores Cotta, & Hortenſius imitandi cupiditate incitarunt. Nam cùm primas (aberant enim multi Oratores, & maximè M. Craſſus, & duo Lentuli,) in cauſis agere Hortenſium, & magis quotidie probari vidiſſet; Antiſtiumque Pilonem ſæpe dicere, minus ſæpe Pomponium, rarò Carbonem animaduerteret: domum ſe recepit; & noctes, & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabatur. Iuris ciuilis ſtudio multùm operæ dedit Q. Scæuolæ P. F. qui licet nemini ſe ad docendum daret, tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi benignè docebat. In Dialectica cum Stoico Diodoto ſe exercebat: cui etiam doctori, & eius artibus varijs, atq. multis ita erat deditus, vt nullum diem ab exercitationibus oratorijs præteriret. Declamitabat cum aliquo quotidie tum Latine, tum ſæpius Græcè. Interemptis deinde pro republica recuperanda tribus Oratoribus Scæuolâ, Carbone, Antiſtio, & recuperata Reipublicæ libertate, ex numero Oratorum Pomponius, Cenſorinus, Muræna reuocati. Ipſe ad cauſas & priuatas, & publicas adire cœpit, non vt pleriq. ad diſcendum, ſed inſtructus, & doctus. qui dum primùm diceret (pro Sexto Roſcio primum publicè dixit) redolere ipſæ Athenæ in foro videbantur. Sed cùm amici, & Medici propter corporis infirmitatem, quæ in eo maxima erat, vt cauſas agere deſiſteret, hortarentur, in Aſiam, quò mutaret orationis genus, & vitæ periculum euitare poſſet, & temperantius diceret, profectus eſt. Primùm verò Athenas venit, & cum Antiocho Philoſopho per aliquot menſes fuit: tum ſe magno ſtudio apud Demetrium Syrum dicendi magiſtrum exercuit. Poſt peragrans Aſiam cum ſummis Oratoribus ſemper aderat. Neq. ijs contentus Rhodum venit, ſeq. ad eundem, quem Romæ iam anteà audiuerat, Milonem contulit. Biennio elapſo Romam ſe recepit non ſolùm exercitatior, ſed & natura, & diſciplinis commutatus. Quo tempore vti diximus, maximi erant cauſarum patroni Cotta, & Hortenſius: cum hoc verò ſibi magis arbitrabatur rem eſſe, quod & dicendi ardore proprior, & ætate coniunctior eſſet, huiuſq. æmulus vbique fuit. Nam cùm propter aſſiduitatem in cauſis, & induſtriam, tum propter exquiſitius, & minime vulgare dicendi genus animos hominum ad ſe orationis nouitate conuertit. Itaq. operam eloquentiæ curiosè dedit, Philoſophiam complexus, Ius ciuile, quod ad priuatas cauſas, & ad Oratoris prudentiam maximè neceſſarium erat, didicit; Romanarum rerum memoriam optimè tenere ſtuduit, & ea omnia, quæ in humanum corpus cadere poſſunt, in eo cumulatiſſimè reperiebantur. Vtinam extarent etiam Hortenſij Orationes, aliaq. eius ſcripta, ei honori quoque daremus. Fuerunt enim & induſtria, doctrina, honore, atque amicitia propè coniuncti: & in maximis cauſis Cicero ſibi Hortenſium, Hortenſius ſibi Ciceronem anteferebat. Vt politum, & elegans eſſet Hortenſij orationis genus, hac ducor coniectura: namq. M. Tullius de ſe ipſo, & Hortenſio loquens; Dicendi, ait, genus quod fuerit in vtroq. orationes vtriuſq. etiam poſteris noſtris indicabunt. De Hortenſio nihil, quod ſciam, habemus: De Cicerone non modò orationes, verùm etiam multos Rhetoricorum libros, multos Philoſophiæ & naturalis, & moralis, variosq. Epiſtolarum; quæ omnia, licet nonnulla deſiderentur, circumferuntur tamen. At nimis videor de Cicerone: ſed omni huic ſermoni propoſitum eſt, non tantùm, vt eius laborem, & induſtriam, ſed vt ingenium & eloquentiam, atque exquiſitius, & politius eius dicendi genus oſtenderem. Illos igitur Latinos auctores, qui modo in mentem mihi venerunt perfectum Latinè loqui non attigiſſe dicimus: quanquam eorum aliqui à nobis vltimo enumerati, veram, & perfectam Latinæ linguæ elegantiam ediderunt. Namq. Romana facundia, vt Græcæ ſe opponeret, eiq. poſſet pra ferri, floruit Ciceronis tempore: quo omnes vel paulò ante, vel paulò poſt ſolertes, & exquiſiti viri, atq. ipſum eloquentiæ lumen, vixerunt. Cæſarem enim non ſolum ex ipſo Cicerone, & alijs eloquentem eſſe intelleximus, ſed etiam ex ipſius Commentarijs facilè poſſumus animaduertere. Eodem tempore etiam fuerunt L. Torquatus, L. Domitius, Piſo, M. Claudius, Marcellus qui vti iam diximus, ſummam habebant verborum grauitatem, & elegantiam. His proximus ætate fuit M. Terentius Varro, ſed doctrina ſenior: qui ſi Græcos numero librorum non æquauit, Latinos ſaltem in hoc genere vicit omnes: tam enim multa ſcripſit, quam multa vix quemquam legere potuiſſe credamus; tamq. multa legit, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur. Qualia verò ea ſcripta fuerint, M. Tullius ex eius ad Varronem libro primo Academicarum Quæſtionum non obſcure docet, & ſi quis eius verba deſiderat, hæc ſũt: Nos, inquit, in noſtra vrbe peregrinantes, errantesq. tanquam hoſpites, tui libri, quaſi domum deduxerunt: vt poſſemus aliquando qui, & vbi eſſemus, cognoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarumq. rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti: plurimumque poetis noſtris, omninoq. Latinis & litteris luminis attuliſti, & verbis: atque ipſe varium, & elegans omne ferè numero poema feciſti: Philoſophiâq.

multis

multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad docendum parùm. Alio loco dicit diſputationem habuiſſe cum M. Varrone, homine omnium facilè acutiſſimo, & ſine vlla dubitatione doctiſſimo. ſolebat item M. Tullius ſæpe in ipſius Varronis libros incumbere, quod epiſtola quadam ad Atticum indicat ſatis. Qualis, quantusq. fuerit, videte etiam apud B. Aurelium lib. de ciuit. Dei 6. cap. 2. Auguſtinum, qui in euoluendis Varronianis ſcriptis diligentiſſimus fuit. Habemus & illius ætatis C. Salluſtij aliquot ſcripta, ex quibus quantum præſtiterit & ingenio, & verborum delectu, quisq. doctus iudicare poterit. Fuit & vir maximus, & iuriſperitiſsimus Gallus. Aquilius Ciceronis collega, & familiaris, cuius ſæpe meminit, & præſertim in Topicis; Solebat, inquit, Aquilius collega, & familiaris meus, cùm de littoribus ageretur, quid eſſet littus, ita definire, quà fluctus eluderet: induxit etiam de dolo formulam, vt auctor quoq. eſt Cicero tertio officiorum, & ſtipulationis teſte Iuſtiniano, formulam: de cuius formulis vna, vel potius conſilium, extat adhuc in Pandectis celebris, & difficilis. Quid plures illius feliciſsimæ ætatis coner perquirere? quorum nomina, vt præſtantiſsimorum virorum multis in locis concinnata reperiantur. Libros autem cùm ſint vetuſtate, & barbarorum iniuria extincti, nuſquam comperiemus: niſi eius temporis ea proferamus, quorum monumenta ſingulis diebus in manibus noſtris verſantur. Legimus enim multorum doctiſsimorum virorum epiſtolas, quæ inter familiares Ciceronis adſertæ fuerunt, vti Seruij Sulpitij, M. Marcelli, Q. Metelli Celeris, Q. Metelli nepotis, P. Vatinij, L. Lucceij, M. Bithinij, Curionis, M. Cœlij, Dolabellæ, Cn. Plauti, Galbæ, C. Aſinij, P. Lentuli, Trebonis, M. Catonis, C. Cæſaris, Cn. Pompei, Q. Ciceronis filij, Cornelij Balbi, Oppij, Hircij. quæ omnes ita elegantes ſunt, vt eas non facilè à Ciceronianis valeamus diſcernere. Quamobrem dicendum eſt ſolam Ciceronis ætatem vberiores, & ſuauiores edidiſſe fructus: & in illa ſola fuiſſe merum ſuccum, non fucatum, ſed naturalem Latinitatis candorem nituiſſe, & pari quodammodo ingenij vbertate, eadem vrbanitate, & orationis facilitate omnes illos ſcripſiſſe. Quod diſertè Cornelius Tacitus de claris oratoribus comprobat ſcribens: Sicut apud nos Cicero quidem cæteros eorundem temporum diſertos anteceſſit: ſic Caluus, & Aſinius, & Cæſar, & Brutus iure prioribus, & ſequentibus anteponuntur. qui licet inter ſe ſpecie differrent, eandem tamen omnes eloquentiæ ſanctitatem ferebant. Eodem quoq. tempore floruit Vitruuius, qui licet Grammaticorum regulas interdum non obſeruaret; apparet tamen quàm eruditus, & promptus eſſet. Natura, vt eadem ætas rerum omnium vberior cæteris eſſet, omnes vires ſuas exercuit, & in lucem protulit maximos illos Poetas, tanti Latini nominis perpetuum decus, & gloriam, Tibullum, inquam, Catullum, Propertium, Gallum, Horatium, Virgilium omnium principem, Ouidium, & alios eximios, quorum verſus deperditi ſunt. qua ætate conſtat etiam quantus eſſet & ingenio, & elegantia maximus ille Princeps, Auguſtus: idq. apertiùs indicat nobis eius edictum, de Aeneide Virgilij non abolenda promulgatum. Declarant quoq. nobis illius ætatis hominum ingenia T. Liuij Decades ampliſſimè, & elegantiſſimè conſcriptæ. Cùm hæc attentè omnes audiuiſſent, commotus Iulius, De ijs, inquit, hactenus. Sed modò de illis, qui poſt perfectam Ciceronis, & Virgilij ætatem ſcripſerunt, videamus. Etenim multi quidem, ſi non eandem, quam Cicero, elegantiam conſequuti ſunt, non longe tamen abeſſe & ingenio, & verborum delectu mihi videntur. Tum Fabritius, Non poſſum, inquit, niſi in tuam venire ſententiam. Illud tamen ſcitote, quòd poſteaquàm Romana reſpublica ſub vnius poteſtate fuit redacta, corrupti ſunt mores, commutatæ leges, & ſimul commutata, & corrupta Latina lingua: & ita paulatim ſub Imperatoribus amiſit illam naturalem puritatem, & verborum elegantiam: deniq. cùm Romanum Imperium Bizantium eſſet translatum, & infinitæ, & barbaræ nationes in Italiam ſe receperunt, ita deprauatus, & corruptus fuit Latinus ſermo, vt in libris duntaxat conſeruaretur: qui circiter annos octingentos neq. lecti, neq. viſi fuere. quam ob cauſam alij deperditi omnino ſunt, alij vetuſtate deprauati, alij ſitu, & mucore, aut à tineis conſumpti. Tandem quidam Itali natura potius, quàm arte præditi, libros, qui in bibliothecis conſeruabantur, quiq. à barbarorum impetu, ac rabie, atq. à blattis euaſerunt, in publicum proferre, tum corrigere, emendare, atq. interpretari ſumma diligentia cœperunt. Quod ſanè factum ita fœliciter euenit, vt hodie Latina facundia ad priſtinum illum, & natiuum ſplendorem reſtituta videatur. Non inficior equidem poſt illa florentiſſima Ciceronis, & Virgilij tempora, multos extitiſſe doctos, & elegantes viros: fateor tamen multum à præcedentibus eos diſtare, ac longo interuallo inferiores eſſe tum loquendi proprietate, tum verborum puritate, facilitate, grauitate, atq. dicendi lepore: nec dignos eſſe, qui cum illis conferantur, aut iudicio, aut doctrina, aut aliqua ingenij præſtantia. Sic illo tempore floruit Seneca, qui ab Imperatore Claudio calx ſine arena, & ſcopæ diſſolutæ vocabatur. Huic ſucceſſit Seneca nepos, qui elegantes tragœdias nobis reliquit. Fuerunt & duo Plinij, auus, & nepos:

nepos: vtriuſq. maxima fuit apud homines auctoritas: vnus enim illius ætatis doctior eſt habitus, alter ſummus orator. Iſidem propè temporibus floruere Cornelius Tacitus, Suetonius Publiusq. Velleius Paterculus hiſtorici: Lucanus, Perſius, Syllius Italicus, qui conſul vltimo Neronis anno fuit, P. Velleius Paterculus Hiſtoriæ Romanæ ad M. Vinicium Coſ. compilator, Statius, Iuuenalis, Marcialis Poetæ; & Cornelius Celſus in omnibus artibus, & omnibus diſciplinis verſatus; Quintilianus Rhetoricus; Aulus Gellius, Iulius Hyginius Aſtrologus; Palæmon, & Scaurus Grammatici: Alburnius Valens, Tuſcianus, Vindius, Verus Vlpius, Aphricanus, Marcellus, Arrianus, Nerua, Saluius Iulianus, qui cùm Ius ciuile antea inordinatè, confuſiſsimeq. traditum eſſet, & arbitrio Prætorum plerumq. conſtitueretur, primus tanquam in quamdam artem illud redegit, edictaq. Prætorum certa ſerie contexuit, omneq. ius libris propè centum concluſit; & hinc edictum perpetuum cœpit appellari, quod deinde in epitomen ab Hermogeniano ſex libris eodem ordine concluſum fuit, quem ordinem iuſsit Iuſtinianus ipſe obſeruari; diuiſitq. omne iuris corpus in ſeptem partes. Sed redeamus domum, id eſt ad Iuriſconſultos. fuerunt ſubinde L. Voluſius, Tertullianus, Metianus, Papinianus, & eius auditores Vlpianus, Paulus, Ternutius, Palernus, Macer Terentius, Clementius, Menander, Arcadius, Rufinus, Papirius Fronto, Anthius, Maximus, Hermogenianus, Florentinus, Iuſtus, Tryphoninus, Calliſtratus, Venuleius, Celſus, Alphenus, Sabinus, Aelius Gordianus, Proculus, Scæuola, Modeſtinus, Pomponius, & cæteri, omnes Iuriſconſulti, viri ſanè doctiſſimi, &, vt ex eorum reſponſis apparet, elegantiſſimi. Vltimus, qui integrum habuit Imperium, fuit Theodoſius nomine primus. Hic imperium inter Honorium, & Arcadium diuiſit: quibus regnantibus cœperunt ſimultates, odia inter Principes gigni: hinc defectiones, inſidiæ, & bella exarſere: quibus Italia miſerè diuexata, Romanumq. imperium omnibus ornamentis ſpoliatum eſt. Interim Genſericus Vandalus, Attila Hunnorum rex, Odoacer Herulorum dominus, & alij Gothi, Franci, innumeræq. barbaræ gentes in Italiam conſcenderunt, de quibus latè per te, Line, cognouimus. In hac commiſtione, & confuſione euaſit omnino corrupta Romana facundia. In nonnullis tamen diuinitùs fuit præſeruata, ne tanto munere priuaretur Italia, vt in Cypriano, Arnobio, Lactantio, Ambroſio, Hieronymo, Rufino, Auguſtino. eiſdemq. ferè temporibus ſcripſerunt multi eximij Poetæ, vti Auſonius, Claudianus, Iuuencus, Prudentius; Grammatici, Donatus, Priſianus, Diomedes: Rhetor Victorinus: Hiſtorici, Trebellius Pellio, Curtius, Vopiſcus, Lampridius, Spartianus, Capitolinus, Idarus, Eutropius, Ammianus Marcellinus, Paulus Oroſius, Proſper Aquitanus, Caſſiodorus, Sydonius Apollinaris, Iorandas, Paulus Diaconus, Gregorius Turonenſis, Annonius Monachus, Vegetius: Tribonianus Iuriſconſultus, qui Pandectarum, & Codicis Iuſtiniani compilator fuit: Symmachus, & Boetius; hic ſe in omnibus Philoſophiæ partibus, & Mathematicis ſcientijs ſtudioſè exercuit: quiq. ita fœlix in ſcribendo fuit tam ſoluta oratione, quàm verſu vt facilè dici poſſit vltimus, qui rectè, & politè ſcripſerit latinè; vel primus, qui latinè loqui priſtino ſplendori reddere conatus ſit. Hunc enim Laurentius Valla vltimum doctum fuiſſe teſtatur: neq. male, cùm poſteà hi duntaxat fuerint digni inter Latinos doctos connumerari, ſanctus Gregorius, Venerabilis Beda, Leo, Maximus Taurinenſium Epiſcopus Hilarius, Remigius, & Diuus Bernardus. ijs exceptis, latinus ſermo poſt Boetium tanquam mortuus ſemper miſerrimè iacuit: donec Franciſcus Petrarcha eum excitare, & quaſi à mortuis reuocare cœpit. Is libros, qui à barbarorum depopulationibus, & deuaſtationibus ſuperfuerunt, in lucem protulit, tum ad latinè ſcribendum & proſa, & verſu mirabiliter ſe addixit. Poſt Petrarcham Ioannes Rauennas Grammaticus, qui multos deinde Latinæ linguę ſtudio inflammauit; qui magna cum totius populi vtilitate docti euaſerunt. Ex quorum numero fuit Leonardus Aretinus, Franciſcus Philelphus, Laurentius Valla, Guarinus Veronenſis, Poggius, Homnibonus Acuſius, Nicolaus Perotus, Victorinus Feltrus, Franciſcus Barbarus, Petrus Paulus Vergerius, Maffœus Vegeius, Leonardus Iuſtinianus, Gregorius, & Lilius Tifernas, Antonius Panhormitanus, Ioannes Auriſpus, Petrus Candidus, Blondus Flauius, & pleriq. alij. Eiuſdem quoq. temporis in Philoſophia excelluerunt viri maximi, Beſſario, Gemiſtus, Ficinus, & ij quidem Platonici; Peripatetici fuerunt Trapezuntius, Argirophylus, Faber, Niphus, Pomponatius, Contarenus, & Simon Grineus, atq. Ioannes Picus Mirandula, qui has duas Philoſophorum ſectas in concordiam adducere, & Platonem cum Ariſtotele conciliare propoſuit. Eloquentiſſimi antiquorum imitatores, quiq. Ciceronem ad vnguem enixi ſunt obſeruare, fuerunt Laurentius Valla, & is Quintilianum admirabatur maxime, quemadmodum Hadrianus Cardinalis M. Tullium, Nizolius, Doletus. Proximiùs verò ad Ciceronianam eloquentiam acceſſit Bembus, Sadoletus, Longolius, Perionius, Flamminius, Petrus Brunellus, Aldus Manutius, Nicolaus Gruchius: poſteriores, Paulus Manutius A. F. M. Antonius

tonius Muretus, Carolus Sigonius. Poetæ Petrarcha,Pontanus,Marullus, Hieronymus Vida ſummus Virgilij imitator, idem Bembus, Sadoletus, Flamminius, Sanazarus, Fracaſtorius, Molſa,Nauagerus, Heobanus Aeſſus, Hieronymus Faletus,Bergeus. Hiſtorici Laurentius Valla, Platina, Ioannes Saxonus, Papa Pius, Blondus, Sabellicus, Pontanus, Paulus Iouius, idem Sigonius,Folieta, Philibertus Pingonius,& alij. Iuriſconſulti Budæus, Alciatus, Zaſius,Haloander, Viglius, Baro, Duarenus, Conanus, Goueanus, Balduinus, Tiraquellus, Lælius Taurellus, Cuiacius, Antonius Auguſtinus, Guido Pancirolus præceptor noſter,Bernardus Trotus, L.Vitalis, & alij præſtantiſſimi, quorum nomina ob corruptos animi mores, ideſt hæreſim ſunt damnata. Medici Leonicenus,Manardus, Ioan. Baptiſta Montanus,Copa, Linacer,Io.Ruellius, Cornarius, Fernelius,Rondelætius,Syluius, minores natu Ioãnes Argenterius noſter omnium acutiſſimus,Iulius Scaliger,& Philoſophus, oratorq. iuxta eximius, Franciſcus Valeriola eloquentiſſimus, qui paucis etiam iam diebus,multis relictis ſcriptis hic obit. Hieronymus Cardanus, Donatus Antonius Abaltusmarus, Dionyſius Fontanonus, Laurentius Iobertus, Andreas Veſalius,Realdus Columbus,Gabriel Falloppius, Io. Iacobus Vuecherus, Hieronymus Mercurialis, Io. Coſterus;Horatius Eugenius,in hacq. Academia medicinæ profeſſores eximij. In Philoſophia eleganter, & doctè ſcripſerunt Giernerus, Theodorus Zuinggerus, idem Scaliger, Perionius. Item Franciſcus Vicomercatus Philoſophorum ſuæ ætatis princeps. Lucilius Philatheus, Antonius Berga, Auguſtinus Buccius, hicq. ſummus Orator,& Martinus Scotus: quorum omnium doctrina,& dicendi lepore hoc noſtrum Taurinenſe Gymnaſium illuſtratur, atq. decoratur. Quid plures coner recenſere? Nam quocunq. oculis, & cogitatione nos vertimus, tanta elegantiſſimorum virorum nobis ſuboritur lux, vt hæc noſtra ætas in illam fœliciſſimam commutata videatur. Sat eſt, inquit Ceua: nam ſi per Latinorum Doctorum agros etiam euagari ſtudeas, haud poterimus hodie domum redire. licet enim nobis iam cum Naſone canere,

Iam labor exiguus Phœbo nunc reſtat, equiq.
Iam pulſant pedibus ſpatium decliuis Olympi.

Hoc cùm audiret Linus, Hac tanta, inquit, recentium Latinorum narratione detinebar, vt venientem noctem minus aduerterem. Surgamus igitur, nosq. curemus, vt cum ijs adſcribi aliquando mereamur.

FINIS POMERID. SESS. II.

POME-

POMERIDIANARVM SESSIONVM TERTIA.

AD ILLVSTRISS. BERNARDINVM A SABAVDIA

Sereniſs. Sabaudiæ Ducis Sodalitij Virgineæ Annunciationis Torquatum Equitem, & in aula Prætorianorum Præfectum, Caburri Dominum.

OPTARBM mihi, vir Illuſtriſſime, non qualem in Cicerone, quia vnica, & incredibilis fuit, ſed aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem: vt quantùm Latinæ litteræ vi ſua propria valent, tantùm ingenij quoq. viribus nixæ exercerent ſe aliquando; vt detectis, conuictisq. tam publicis, quàm eorum, qui ſe doctos putant, erroribus quodam velamine adumbratis, Latinis, Vulgaribusq. diſciplinis operam dantibus clariſſimum lumen infunderent. Quod quidem duabus ex cauſis fieri vellem: vel quò magis poſſent credere viri ingenioſi Latinis ſtudijs, qui etiam mendacio credunt, ducti facilitate, & dulcedine quadam Vulgaris ſermonis: vel certè, vt ipſi Vulgares auctores ſuis potiſſimum armis, quibus ſe regere ſolent, opprimerentur à nobis. Sed quoniam Latina res ſatis per ſe ornata eſt, à ſuisq. auctoribus iampridem aucta, & maximis ornamentis illuſtrata, non aliunde ornatum quærit, atq. fucum. Ipſe verò non eloquentiæ, ſed Latinæ ipſius rei ſpe, hoc ſuſcepi munus, maius fortaſſe, quàm vt poſſit meis humeris ſuſtentari. In quo tamen ſi ego defecerim, Latina potentia, & magnitudo ipſa complebit. Namq. ridiculum, ac planè fatuum ſemper fore exiſtimaui, contra ipſammet fortitudinem decertare. Qua propter ſæpe mirari ſoleo; cur multi Vulgaria tela, & fragilia ad committendum prælium contra Latinos fulgentibus, ac Vulcanicis armis tectos capiant. Atq. illos quidem meritò quis poſſit, vt amentes, ſtupidosq. abigere, & pro nihilo putare qui nullam vim Latinas litteras habere prædicant. Horum vero peruerſa opinio ita iam per totam Italiam peruagata, vt infinitos eximio iuuenes ingenio à ſtudio Latinæ diſciplinæ, qua omnis humanitas, omnis doctrina elegans, omnis antiquitatis memoria continetur, reuocauerit; periculumq. porrò ſit ne, ſi hæc peſtis altiores radices egerit, cùm ea ſemper præcipua Italorum laus fuerit, vt ſoli ex omnibus Latino ſermone peritè, ac ſcienter vterentur, eum qui ſuſtentent, pauci in ampliſſimis Italiæ oris reperiantur. Quare, vt libenter ad hoc ſtudium ſe conferrent præclari iuuenes; & vt oſtenderem quantùm Latina monumenta Vulgaribus præſtent, eorumq. errorem iam per omnem Italiam labentem penitus detegerem, breuiter his libris dicendum duxi; idque libentiſſimè Latinis litteris breui tempore mandandum putaui: quanquam hoc ipſum opus in varias maleuolorum reprehenſiones incurſurum non dubitarem. Nam aliquot, vir Ampliſſime, ita agreſti reperias ingenio, vt, quæ in Latinis litteris ſumitur, omnem perire operam exiſtiment: & ſe hercule dicant in Vulgaribus totam ætatem malle conſumere. Alij verò, & ij quidem bonis artibus, & diſciplinis optimis eruditi, Vulgarem ſermonem Latinis, Græcis cæterisq. linguis præferendum eſſe arbitrantur. Reperiuntur & qui id non totum redarguunt, ſi minus eleganter, grauiter quoq. agatur: verùm tantum ſtudium, tantum adeò laborem in eo ponendum non cenſent. Alios tandem futuros opinor inter Latinos eminentiſſimos, qui me ad aliud ſcribendi genus reuocent: & Latinas litteras, licet nonnihil pulchritudinis, & iucunditatis habeant, parùm tamen dignitatis, & auctoritatis poſſe hominibus adferre contendant. At me, quin eorum ſententiam reprehenderem, continere non potui, adeò communi ſenſui, & rationi aduerſari ſemper viſa eſt. Quamquam Latinæ linguæ vituperatoribus non admodum difficilè exiſtimo reſpondere: illorum tamen errorem planè, perſpicuèq. declarabo. Namq. ex ipſorum ingenijs reliquorum ingenia metiuntur: quæq. ipſis recondita ſunt, & penitus abdita, &

cæteros fugere arbitrantur; neminemq. profiteri vellent. Alij verò, qui doctrina, & virtute ornati sunt, quasi desperatione, vt aliàs diximus, debilitati, quod sibi non liceat imaginem antiquæ illius Romanæ orationis agnoscere, ad Vulgare potius, quàm ad Latinum præsidium confugiunt. Illi autem, quibus hoc propemodum placet, moderatius id volunt fieri, temperatam quandam in eo postulant eloquentiam, mediocremq. dicendi copiam: & sermonem ferè malũt illum humilem, quo vulgus vtitur, à quo prorsus latini sermonis abhorret candor. Hos denique qui eloquentiam rebus omnibus anteponunt, in me vnum consurgere video. Ipsis enim omnis nostra defatigatio leuis videbitur: cum id quod quærimus, Grammaticorum potius, quàm Iuris candidatorum esse existimabunt. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur inane, ac leue putent Latinum studium, cum in eo omnia sua studia, laboresq. omnes positi sint. Fuit quoque semper mihi hæc sententia; nullam omnino scientiam quem vnquam assequuturum, maximè Iuris ciuilis disciplinam, in quo non eluceret Latinæ linguæ saltem mediocris cognitio: cuius rei quàm peritissimi fuerint Iurisconsulti, quisq. videt, & iudicare potest. Tum quid causæ est, cur me reprehendant? Reprehendunt autem magnũ illum Philosophum, perfectumq. Oratorem M. Tullium, quo cum libenter errarem, qui etiam de ijs sæpe scripsit. Tum diuinum illud M. Varronis irridere videntur ingenium, quo nemo vnquam doctior, teste Firmiano, ne apud Græcos quidem, ne dum apud Latinos vixit; ex cuius voluminibus multis, vnum duntaxat de Latina lingua varium, ac elegans extat, alterum politum de re rustica, in quibus etiam multa desiderantur. Quòd si ij reprehensione aliqua digni sunt; & me merito coarguent: quorum tamen laboribus & meos libenter adiungam: non quod eis alicubi sint comparandi vel elegantia, vel grauitate, vel copia, atque scientia, sed, vt ea, quæ ab ipsis doctissimè, ac diligentissimè conscripta sunt, faciliùs tueri possim. Satis denique mirari non queo, vnde hoc sit tam insolens fastidium: Etenim si delectamur, cum scribimus; quis est tam inuidus, qui ab eo nos abducat? Ad alia forte vocant? id quidem absurdum est: sicut enim dolore alij mouentur, alij cupiditate, iracundia etiam multi afficiuntur: ita reperiuntur, qui Diuina perscrutari malunt, qui Philosophiam sequi, alij Iuris prudentiam amplecti: & in ijs potissimum artibus, & disciplinis quisq. elaborat, ad quas aptissimus est, vt Virgilianum illud.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.

Mihi autem in præsentia hæc nec inepta, nec injucunda visa sunt: vti neque legentibus omnino insipida, aut ingrata erunt: quod & summopere cupimus, & speramus. Quocirca cum te his à fratre meo Rodomonte, quo vteris, quæ tua est humanitas, satis familiariter, delectari, & ab illo hominum genere plurimùm abhorrere intelligam, hanc tertiam Sess. in qua totius nostræ disputationis cardo vertitur, splendidissimo tuo nomini consecrare decreui. quod si approbaueris, eius amplitudo, & gloria cæteris commendabit. Sed iam sermonem Fabritij reliquum, ac fere postremum memoriæ prodamus. Nam tertio die omnes ad præstitutum locum se contulerunt. Deindè cùm in postmeridianum solem inclinare tempus animaduertissent; Quid est Fabriti? inquit Julius, imus ne sessum? Tum Fabritius, Tuæ, inquit, Iuli, erunt partes: & duobus spacijs, tribusq. factis, conuersus dixit; Cur non imitamur; Line, Crassum illum, qui est in libris de Oratore Ciceronis? qui vnà cum Iulio, Catulo, & cæteris in mediam syluam se transtulit, in qua erat locus maximè & opacus, & frigidus, & nos illuc eamus, hoc est in illam, quam ibi non longè videtis, villam, quæ vulgo verè, ac propriè Belueder, denominatur. Sanè, inquit, Linus: etenim sunt in ea villa multæ sedes huic nostro non inopportunæ sermoni. Sunt aulæ quidem regiæ tum operibus magnificis, tum exquisitis antiquorum imaginibus. Extant duodecim Imperatorum effigies ex marmore mirificè sculptæ. extant quoque Deorum simulacra magnoperè depicta, aliaq. multa miro quodam artificio efficta, quæ nobis minutatim intuentibus maximam adferunt delectationem. Videmus etiam in ingressu Serenissimorum Ducum Emanuelis, inquam, Philiberti, & Margaritæ eius vxoris, horumque filij Caroli Emanuelis Principis statuas ex marmore ita elaboratas, vti ne Polycletus quidem, aut Phidias ad verum corporis membra artificiosius effingere potuissent. Adsunt viridaria multa, & amœna, nemora ampla, & opaca. Prorumpunt item fontes lympidissimi: quorum vnus est plenissimus piscium, alter studiosè factus; vbi habitare, vbi sedere, vbi disputare commodè quisq. potest. Inuitat certè is ad disputandum tum propter dulcem aquarum murmurationem, tum propter spirantem maximè auram, qua locus & opacus, & frigidus redditur. Cùm placuisset idem cæteris, in villam venitur: & ibi obstupefacti ob loci amœnitatem, & magnificentiam ad fontem consederunt. Quibus statim Ioannes, Cùm mihi, inquit, plerumque euenire soleat omnia in dubium, incertumq. reuocare, & non nunquam rem minime dubitandam in contentionem ponere, non verebor in præsentia abs te, Fabriti, quærere, quæ mihi satis aperta non sunt, & cognita. Ex quibus credo

haud

haud malè poſſe omnis huius noſtræ diſceptationis dignitatem,atq. excellentiam intelligere. &,vt paucis comprehendam,illud eſt, quod me pendentem animi diu tenuit; nempe qua ratione dignoſci, & dijudicari poſſit quælibet lingua eſſe vel melior altera, vel locupletior, aut pulchrior,aut nobilior,aut dulcior:& harum rerum, quæ nam ſit, quæ maiorem obtineat partem,an Græca,an Latina,an hæc noſtra Vulgaris? Tum Linus,Subtile, inquit,eſt profectò hoc diſputandi genus: ſed non erit leuis Fabriti, defatigatio hæc noſtra. Tum ille,Non equidem, ait, eſſet,ſi à peritiore,& magis in his linguis verſato diſputaretur. Verùm homini minime Græco, neque Ethruſco,& in ijs dicendi generibus parùm exercitato, hæc res ardua erit, & perquam difficilis: ſed quantùm in me erit,faciam:atqui opus mihi eſt, vt quod quæritis à capite repetam. Ideò in primis neceſſe eſt videre in quibus hæc bonitas, nobilitas,pulchritudo,& dulcitudo, vel ſuauitas conſiſtat. Orſus igitur ab initio, &, vt res ad finem perducatur, dico res omnes quantò nobiliorem,& digniorem habent finem,ad quem referuntur, tantò ipſas digniores,& nobiliores exiſtimari: & quantò faciliùs quælibet res,cuius finem adſequi poteſt,nec alienis,& externis indiget auxilijs, tantò eſt ipſa cæteris præſtantior, nobilior, & melior. Namq. finis cuiuſcunq. linguæ eſt verba fundere, loqui, & animi ſenſum explicare, & patefacere. Illa itaq. lingua nobilior, & melior erit, quæ nullo adhibito negotio animi ſenſum, mentem, cogitationem meliùs exponere poterit. Illis verò hoc prorſùs peragere licebit, quæ maiorem verborum copiam,& varium,vagum, fuſum, & multiplex dicendi genus habebunt.Bonitas ergo cuiuſq. linguæ conſiſtit in verborum copia,& dicendi genere,id eſt in oratione. Item lingua omnis conficitur locutionibus,hoc eſt orationibus: quamquam, vt ait Cicero, omnis locutio oratio ſit, tamen vnius orationis locutio hoc proprio ſignificata nomine eſt. Et locutio,ſiue oratio verbis fit. Hinc dicere poſſumus linguam illam pulchriorem eſſe, quæ pulchriora continet verba, pulchrioresq. habet orationes. Deniq. ſciendum eſt omnem linguam, vt iam diximus, conſtare orationibus, orationes verbis, verba ſyllabis ſyllabas litteris. Sic omnis littera proprių, & peculiarem ſonum habet,diuerſumq. à cæteris litteris: & hic ſonus quandoq. dulcis, aliquando durus,acutus, grauis,inanis,preſſus,diſtinctus,quandoq. etiã maior,quandoq. minor, atq. melior fit. Idq. in ſyllabis ſpectandum,& quidem magis,cùm litteris conficiantur. Syllaba enim eſt comprehenſio litterarum,vel vnius vocalis enunciatio,vnius, aut duorum temporum capax. Omnis verò ſyllaba, vel breuis eſt,& vnum duntaxat tempus recipit; vt cor,vir; quod atomum metrici vocant: dicunt enim atomum, quia atomus eſt corpus indiuiduum propter ſoliditatẽ. Vel longa,& duo recipit tempora,vt Res, Dux, Rex, & alia ſexcenta. Propriè autẽ illa dicitur ſyllaba,quæ ex pluribus litteris conſtat. Quæ vero vna littera efficitur, impropriè, vel, vt loquuntur, abuſiue, ſyllaba nuncupatur,& Monogramma vocatur. Aliæ appellantur Digrammæ,vt ne,vſq. ad Hexagrammam, vt Stirps. atq. adeò, quod mireris eptagrammam,vt Strigls. Syllabæ conueniunt quattuor,tenor,ſpiritus,tempus,& numerus literarũ. Tenor, vel acentus triplex eſt,acutus, grauis, & circumflexus. Spiritus duo,aſper, & leuis,Tempora tria,breue,longum,& commune. Numerus aut vna littera eſt contentus, aut plures admittit:ſenarium tamen numerum vix vnquam egreditur. Quem ſonum nobis etiam in verbis, quæ ex ſyllabis oriuntur,licet exaudire. Tum in orationibus, quæ ex verbis profluunt. Inde dulciorem linguam iudicamus illam, quæ dulcioribus verbis,& ſuauioribus orationibus conſtat. Dulcedo igitur,& ſuauitas cuiuſcunq. linguæ in orationum ſuauitate conſiſtit. Multa ſanè huiuſmodi eſſent hic recenſenda, ſed cùm ab alijs elegantiùs, & copioſiùs oſtenſa ſint, non temerè hæc omittam; tum quia vobis etiam ſatis perſpicua ſunt, & iam à teneris annis ante oculos ſæpius poſita. Tum Linus, Sat eſt quidem: ex ijs, inquit, quò progredi velis, iam cogitatione conſequor: ſed accedamus proximè, hoc eſt, cùm Græca lingua Latinæ comparetur, num ſit melior, locupletior, pulchrior, nobilior. Ego in ea ſum ſententia,vt exiſtimem latinos græcis inferiores eſſe. Non enim poſſumus eſſe tam graciles: non ſumus tam fortes, ſubtilitate vincimur. Proprietas penes illos eſt certior: ingenia græcorum etiam minora ſuos portus habent: plerumque maioribus quoq. velis mouentur: atque ſemper altò ferri videntur. &,vt verbo dicam,ſunt copioſiores. Idq. Lucretius,qui maximus Philoſophus, & egregius Poeta eſt habitus, palam profitetur, ita dicens:

Nec me animi fallit Graiorũ obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe
Propter egeſtatẽ linguæ, & rerum nouitatem.

Quintilianus etiam peritiſſimus Latinæ linguæ, & omnis antiquitatis, & rerum græcarum, latinarumque, & eloquentiſſimus longe poſt Lucretium libros plurimos, & doctiſſimas declamationes compoſuit. ſæpe tamen diſſeruit nos ſermonis paupertate laborare. Tum Ceua quaſi iraſcens, Quis Quintilianus, inquit, an Cicero maiorem huiuſce rei fidem nobis facere poteſt? Cicero quidem. Atqui Cicero non ſolùm Latinam linguam non eſſe inopem, vt vulgò creditum eſt, ſed etiam locupletiorem

eſſe, quàm græcam dixit. & ſi eius verba deſideras, ſunt hæc ipſa in primo de Finibus bonorum, & malorum. Sed ita ſentio, & ſæpe diſſerui latinam linguam non modò non inopem, vt vulgò putarunt, ſed locupletiorem etiam eſſe, quàm græcam. Idemq. in eiſdem libris teſtatur: Etſi, inquit, quod ſæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non græcorum modò, ſed etiam eorum, qui ſe græcos magis, quàm noſtros haberi volunt, nos non modò non vinci à græcis verborum copia, ſed eſſe in ea ſuperiores. Verùm diſſeruiſſe id non arbitror, vt Romanorum animos (veluti quidam crediderunt) qui libentius in græcas litteras incumbebant, ad latinè ſcribendum faciliùs reuocaret. Nam mihi videtur M. Tullius ſæpius hoc repetiſſe; & niſi ob magnam cauſam id tam ſæpe ſe repetiturum non eſſe putabam. quoniam in libris etiam Tuſculanarum quæſtionum dixit: Sed meum iudicium ſemper fuit omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius, quàm græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent in quibus elaborarent. Quæ cùm dixiſſet, ſtatim Fabritius, Mea, inquit, nunc intereſt, vt ſupra hac controuerſia, quid ſentiam, paucis aperiam. Nam quod, tu Line, acutè, & eleganter de Lucretio, Quintilianoq. obijciebas, non mirum eſt: Lucretius floruit ante Ciceronem, qui Latinam linguam honoribus ampliſſimis, fortunisq. maximis copioſam ſuperſtitibus reliquit. Item Virgilius, qui ex altera parte latinæ linguæ patrimonium tam amplum, & lautum conſtituit, vt nihil charius, & precioſius haberi poſſit. Nam ſi Lucretius, vti præceſſit, ſic ſequutus Ciceronem, & Virgilium fuiſſet; nec forte hæc effudiſſet verba, nec ita ieiunè, & duriter ſuos verſus condidiſſet. Quintilianus quandoque etiam non obſcurè docet, nos copia græcos vincere. Quod verò, tu Ceua, de Cicerone grauiter, & ornatè dictabas, eum exiſtimaſſe latinam linguam locupletiorem eſſe, quàm græcam, ego ſemel, atque iterum ſingula ſæpe legi: ſed vbi ſcribit locupletiorem, etiam Eſſe, puto legendum fore: de ijs paulò poſt. Cæterùm multa ab ipſo M. Tullio reperta eſſe, & ingenij ſui acumine illuſtrata, & aucta videmus; quæ græci ignorarunt. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta animi magnitudo, quæ præſtantia, quæ dicendi copia, quæ inueniendi ſubtilitas, quæ tandem excellens in omni genere virtus in vllis fuit, vt ſit cum ipſo Cicerone comparandæ fuerunt multi græci & doctiſſimi, & elegantiſsimi, multumq. virtute, tum plus etiam diſciplina valuerunt, non tamen ei conferendos putant latini. Libros plurimos Rhetoricorum conſcripſit, locosq. fere omnes ex Philoſophia tractauit: nunquam tamen ab vſu forenſi, & publico abhorruit. conſulatu quandoq. etiam maxima cum laude eſt functus; Rempublicam quoque ipſe conſul iam armis, ſceleribus, proſcriptionibus, incendijs, & rapinis plenam liberauit: neq. rerum bellicarum admodum ignarus, de quibus, niſi impeditus fuiſſet, & gloriosè triumphaſſet: cuius ſanè gloriæ non ſatis græci ac omnium præſtantiſsimi reſpondent. Quod etiam indicare videtur Plutarchus, vbi Demoſthenem cum Cicerone comparat. Sed quod ipſe aſſerit, noſtros inueniſſe per ſe ſapientius, aut accepta ab illis feciſſe meliora; non tantùm de Latinis litteris intellexit, ſed de moribus quoq. & vitæ inſtitutis, rebusq. domeſticis, ac familiaribus, quæ Romani & melius tuebantur, & lautius. Tum de Iure ciuili, & legibus, ferendis, in quibus quantùm præſtiterint Romani prudentia cæteris gentibus, Craſſus apud ipſum Ciceronem miro quodam modo oſtendit: Quod, inquit, quantùm præſtiterint noſtri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim quàm ſit omne ius ciuile præter hoc voſtrum inconditum, & penè ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cùm hominũ noſtrorum prudentiam cæteris omnibus, & maximè græcis antepono. Atq. de re militari intelligit: in qua Romani tum virtute, tum diſciplina longè græcos, cæterasq. gentes ſuperarunt. Græci enim nunquam, vt doctè ſcribit Appianus, Græciæ fines egreſſi ſunt. Romani verò in omnes imperiũ tenuerunt: & teſtis eſt ipſa Græcia quæ etiam in Romanæ Reipublicæ ditionem venit. de ijs hactenus. Nunc exponam, quare legendum putem locupletiorem fore, quàm eſſe: neque miramini: quamuis trita lectio adprobata ſit à Manutio, à Lambino, à Io. Michaele Bruto, qui breues, & doctas animaduerſiones in M. Tullij libros, diligenter cõſcripſit, & ab omnibus deniq. recepta. Nam legendum dixi potius fore, quàm eſſe; quia licet Latini plurima nouarent; Cicero quoq. eorum Princeps non tam rerum inuentor fuit, quã nouorum verborum: non tamen breui temporis curſu potuit verborum copia ſuperare græcos: qui longo vſu, multoq. tempore ſemper conati ſunt vberiorem eorum linguam inuſitatis etiam verbis reddere, & maximè Stoici; quibus licebat, cùm rem aliquam inueniſſent minus perspicuam, inauditam quoq. ei rei inuſitatum nomen imponere. Ea verò quæ M. Tullius attigit, græcis nihil cedũt: ſed cùm eius ætas breuis eſſet, non potuit omnia pertingere. Hæc tamen alij, qui eum ſequuti ſunt maximi viri, attigerunt. & ſi neceſſe eſt exprimi verbum è verbo exprimunt: cùm ſit verbum, quod idem declaret magis,

magis, minusuè vſitatum. Solent etiam, quod vno Græci, ſi aliter non poſſunt, idem pluribus verbis exponere: quod verò rariſſimè hodie euenit: cùm locupletior Latina lingua facta ſit. Quamobrem mirari iam deſinetis, ſi, fore, legendum dixerim. Namq. Virgilius multa, Horatius, Ouidius, Catullus, Propertius, Tibullus, Marcialis, Lucanus, Titus Liuius, Quintilianus, Seneca, Plinius, omnesque noſtri iuriſconſulti plurima, à quibus Græci, vel inuiti conantur mutuari; & alij innumeri, & præſertim recentiores in omni dicendi genere inuenerunt per ſe ſapientius, & accepta ab illis fecerunt meliora. Atqui ſi per vos mihi licuerit, paulò poſt latius. Tum Ceua, Veniamus, inquit, ad reliqua: putasne illud verbum, Ineptus, quod à Craſſo, vel ab ipſo Cicerone inuentum fuiſſe dicitur, deſiderari à Græcis? Id reuocat me in dubium; quia inter ſe non ſatis conueniunt interpretes. Nam quibuſdam viſum eſt hoc verbum, Ineptus, apud Græcos reperiri, & præſertim viro græcarum, & latinarum rerum peritiſſimo Gulielmo Budæo in diſertiſſimis, & copioſiſſimis ſuis commentarijs, qui cùm Græcis aduerſus Ciceronem ipſum valde inſtat. Tunc Fabritius, Quanta, inquit, Gulielmus Budæus eruditione linguarum, antiquitatisq. cognitione fuerit, præclara illa teſtantur commentaria in perpetuam hominum memoriam, æterna, vt exiſtimamus, futura. Trium maximè voluminum labores nunquam peribunt, vt quo de Aſſe, ponderibusq. quo de lingua græca, quoq. de Iure ciuili tam diligenter, atque peritè duſeruit, vt nihil maius deſiderari poſſe videatur. Quod verò ad Ius ciuile pertinet, officit eius luminibus altitudo ædificiorum ab Alciato ſublatorum, & ab eius diſcipulo Antonio Auguſtino, græcarum quoque rerum, & antiquitatis eruditiſſimo. Nonnunquam etiam ab Iacobo Cuiacio, honore, & ſplendore totius nationis Gallicæ, & ab alijs non paucis: vt ille, qui in primis habebatur peritus, vix aliquo numero inter conſultos cenſeatur. quæ ſententia eſt eiuſdem A. Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis, quam libenter in medium retuli, ne ego tanti viri cenſor apud vos videar. Et ne exiſtimetis etiam virum doctiſſimum ſæuire in Budæum niſi vrgente cauſa; ex multis vnum duntaxat vobis indicabo locum: Cuius verba ſunt hæc apud Papinianum libro Quæſtionum trigeſimo primo: Quod ſi filius, inquit, antè moriatur in ciuitate, nihil eſt, quod de ſecundis tabulis tractari poſſit. ſiue quoniam viuo patre filiusfamilias mori intelligitur, ſiue quoniam non reuerſo eo exinde ſui iuris videtur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt. Alciatus verò horis de verborum ſignificatione ait, Hoſtium potitus, ideſt captus ab hoſtibus: excin-

plo Plauti in Captiuis. Budæus Accurſij interpretationem ſequutus, Hoſtium potitus, Hoſtium poteſtati ſubiectus eſt, legendum cenſet; quam interpretationem tanquam minus congruentem latini ſermonis elegantiæ reiecit Alciatus, cuius deinde ſententiam adprobauit, & rectè, idem Auguſtinus ex multis iuriſconſultorum locis, quos hic breuitatis cauſa omittam: non prætermittam tamen Plautinos locos apud Alciatum relatos: ij autem ſunt,

Nam poſtquam meus Rex eſt potitus hoſtium:
Ita nunc belligerant Aetoli cum Aulidis.

Et ſic in eiſdem Captiuis:

Ergo poſtquam gnatus tuus potitus eſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit, nunc deſidero.

Et in Epidico,

Filiam, quam ex te ſuſcepi,
Eductam perdidi, hoſtium eſt potita.

Sed, vt iam dixi, eſt apud iuriſconſultos frequentior hic dicendi modus, quàm apud cæteros. ac proinde ſilentio Tryphonini locum in titulo de Captiuis, & poſtliminio reuerſis, præterire, niſi ægrè poſſum: Cætera, inquit, quæ in iure ſunt, poſtea quàm poſtliminio redijt, pro eo habētur, ac ſi nunquam iſte hoſtium potitus fuiſſet. & alibi ſæpe. Sed, vt eò reuertamur, vnde huc noſtra declinauit oratio. Idem Budæus reprehenditur etiam in re græca; & hic meritò, meo iudicio, redargui poteſt: non tamen eum accuſem, neque reprehendam certè; cùm eius doctrinæ latis nequeam reſpondere: at plus Ciceroni hac in re tribuam, quam Budæo: eò quòd longe magis Cicero in græcis diſciplinis eſſet verſatus, quàm Budæus, & cùm ea quoq. ætate græca notiora eſſent percepta, quibus etiam M. Tullius minime carere potuerat. Quòd ſi Græci hoc valuiſſent verbo; ne vllum quidem ipſe verbum hac de re feciſſet, ne ab hominibus ingenijs, & omni doctrina affluentibus, quibus illa ætas maximè abundabat, derideretur. Idem de conuiuij verbo; quod Græci συμπόσιον vocant. Melius ſanè Latini & elegantius, qui conuiuium dicunt, ideſt ſimul viuere, quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem appellant. Intereſt etiam aliquid inter laborem, & dolorem; ſunt finitima omnino; ſed tamen differre aliquid videmus. Eſt enim labor, vt Cicero in libris Tuſculanarum Quæſtionum rectè definit, functio quædam vel animi, vel corporis grauioris operis, & muneris; dolor autem motus aſper in corpore a ſenſibus alienus. Hæc duo Græci vno nomine appellant: Iam audite Ciceronem: Itaq. inquit, induſtrios homines illi ſtudioſos, vel potius amantis doloris appellāt: nos cōmodiùs laborioſos: aliud eſt enim laborare, aliud dolere: ò verborū inops interdum, quibus abundare te ſemper putas,

Græcia. Aliud, inquam, eſt dolere, aliud laborare. Cùm varices ſecabantur C. Mario, dolebat: cùm æſtu magno ducebat agmen, laborabat. Sunt & alia, quæ multò melius notata ſunt verbis latinis, quàm græcis: eam enim inſaniam, quæ iuncta ſtultitiæ patet latius, à furore diſtinguit Cicero: Græci volunt quidem, ſed parum valent verbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν illi appellant. Sic non habent nomen, quod huic latino, Auctor, ſatis commodè reſpondeat. & pleraq. eiuſmodi, quæ ad Iuriſconſultos pertinent, exprimere non poſſunt: vt apparet ſatis ex ijs quæ poſterioribus temporibus conati ſunt Iure ſcribere: & maximè fideicommiſſum, ac ſexcenta alia, quæ in eandem rem adduci poſſunt: de quibus dicere non eſt ſatis nunc locus. quæ quidem à Latinis inuenta ſunt per ſe elegantius, & inuenta ab illis, fecerunt potiora, atque præſtabiliora. Studuerunt etiam noſtri vbique latinam linguam facere locupletiorem: quapropter apud nos eſt ablatiuus caſus, quem illi non habent. Gerundia etiam, & ſupina penes Græcos non inueniuntur. Atque hæc quidem de rerum nominibus. Secundo loco eſt de nobilitate: quæ inquam, Lingua, an græca, an latina plures, & nobiliores auctores habeat. Qua in parte longa à Quintiliano habita eſt oratio: ego autem plura paucis dicam; dicamq. libere quid ipſe ſentiam, & ſi quæ minus forte vera dixero, veſtrum erit admonere: facile enim in veſtram, & in omnium doctiſſimorum, vt meliorem ſententiam diſcedam. Abſit tamen mihi primum omnis temeritas: quæ cùm omnibus in rebus turpis in aſſentiendo ſit, tũ in eo loco maximè, in quo iudicandum eſt de rebus arduis, & perdifficilibus. Meum itaq. tale eſt iuditium, vt nihil græcis hodie cedamus, neq. grauitate ſcientiarum, neque elegantia, neq. auctorum copia. Quid de Græcis ſcriptum reliquerit P. Velleius Paterculus in vltimis verbis lib. primi ſuæ hiſtoriæ, attẽdite. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quam vniuerſa Græcia, operibusq. floruit adeo, vt corpora gentis illius ſeparata ſint in alias ciuitates, ingenia verò ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Neq. ego hoc magis miratus ſum, quã neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmoniũ oratorem, aut, dum vixit, auctoritate, aut poſt mortem memoria dignũ exiſtimatum. Quæ vrbes, & multæ aliæ tahum ſtudiorum fuere ſteriles, niſi Thebas vnum os Pindari illuminaret: nam Alemana Lacones falsò ſibi vendicant. Non inficiar tamen omnes planè ſcientias accepiſſe à Græcis, & præcipuè Philoſophiam, & alia generis eiuſdem: quamobrem M. Tullius, Vt omittam, dicebat, illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas. Habemus Homerum, Iaunum, habemus Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Demoſthenem, &, vt verbo dicam, omnes. Quotidie etiam nouo quodam ſplendore noſtri prodeunt; augentur quotidie maximis honoribus, ampliſſimisq. fortunis latinorum opes, atque diuitiæ. Sed contrà Græci, quod maximè dolendum eſt, pauci, aut admodum nulli, reperiuntur, qui in græcas diſciplinas incumbant. Item Græci ipſi, tanquam mortui iacent, nec ad ſcientiarum, optimarumq. artium auram poſſunt reuocari. Verùm, vt hic morbus ſanaretur, Deus Optimus Maximus, medicum nobiliſſimum, & optimum Gregorium, inquam, decimum tertium Pontificem Maximum ad nos miſit, qui laborantibus ſuccurrere, ægris mederi, & afflictos omni vi conatur excitare. Scitis enim Germaniam omnium Chriſtianorum fuiſſe religioſiſſimam, tum Lutheri, & aliorum deprauatiſſimorum hominum ſectis omnium euaſiſſe corruptiſſimam: itemq. Græciam, quæ non ſolùm pietati addicta, ſed & omni ſapientiæ erat, omnisq. virtutis plena; & hodie ipſamet ignorantia eſt facta. quibus morbis vt mederetur Summus Pontifex, duas erexit Romæ ſcholas, vnam Germanorum, alteram Græcorum: & multos, & doctos viros è florentiſſimis Italiæ Academijs delegit, quos ad hæc gymnaſia regenda conſtituit: inter quos præſertim Theodorus Rendius patria Chius, præceptor noſter, omnium noſtræ ætatis græcarum literarum peritiſſimus; qui per multos annos in hac Taurinenſi Academia mirificè græcas diſciplinas edocuit, ad hoc munus electus eſt. isq. paucis ab hinc diebus Romam magno huius Academia deſiderio profectus eſt. Ex quibus gymnaſijs bonis auſpicijs, optimisque moribus conſtitutis, & diuinis legibus confirmatis permulti docti, & excellentes viri prodibunt: qui præclaris moribus, pluribusq. & ſanctiſſimis diſciplinis imbuti Germaniam diſſidijs, ſceleribus, parricidijs, atque hæreſibus iam planè totam dilaceratam ad integritatem Chriſtianæ religionis, & ad cæleſtium bonorum ſpem, vt arbitramur, facilè deducent. Alios Græciam quoque diſſidijs, & ſchiſmatis à ſanctæ ſedis Apoſtolicæ vnitate diuulſam ad ſummi Pontificis obedientiam reducturos ſperamus: & artes, optimasque græcas diſciplinas iam prope demerſas alleuaturos, fractumque ac prorſus debilitatum græciæ nomen ad priſtinam dignitatem & gloriam reſtituturos exiſtimamus. Tum Linus, De ijs, inquit, gymnaſijs à viris ſumma doctrina, & integritate referri quandoq. audiui: ſed illud me in dubium reuocat; num omnes in ijs recipiantur gymnaſijs. quòd ſi Germani dũtaxat in Germanico, Græci ſoli in græco, mihi videtur renaſci Græcia. Verũ ſi hanc Gregorij ſumm. Pontificis

libera-

liberalitatem, maximaq. beneficia repudiauerit, aut ſanè magno deſiderio non conabitur amplecti; nunquam forte vlla, & ſi maxima, impenta reſtaurabitur. Sed pergamus ad reliqua: Credo equidem nos hodie non vinci à Græcis; ſed quomodo olim? Atque omittamus, vt dicis, ſcientias, quarum multas Græci inuenerunt, antequam extarent Romani: easq. poſt Romam conditam ſerius acceperunt. Sed quod ad linguam attinet, mihi videtur etiam Græcis interdũ cedere. Marcus enim Tullius, qui ſemper viſus eſt acerrimus rerum latinarum defenſor, parensq. perpetuus, videtur dicere ex Poetis nos inferiores eſſe. Tum Fabritius, Quod, inquit, ad ſermonem pertinet, parum, aut nihil admodum Græcis cedunt. & tam de Poetis, quàm de ijs omnibus, qui ſoluta oratione ſcripſerunt. Et ſi Cicero Bucolica, Giorgica, Aeneidemq. & alios plures legiſſet, vel tantùm vidiſſet; Latinos Græcis longè prætuliſſet. Quod verò traditum eſt Ciceronem audiuiſſe Virgiliũ aliquot coram Auguſto, & eius vxore recitante verſus, qui ita ampli, graues tum lepore, tum copia, tum breuitate mirabiles, priſcorumq. Romanorum gloria, & geſtis locupletes erant; vt Cicero coactus eſſet dicere, Magna ſpes altera Romæ, quaſi ipſe prima exiſtimaretur: qui verſus adhuc extant & breues, & copioſi, atque tanto homine digni in Aeneidos libris; Id ſanè ridiculum eſt: poteſt tamen quiſque arbitratu ſuo & loqui, & ſcribere: ſed ego nunquam eò adductus ſum, vt crederem Ciceronem cognouiſſe Virgilium: vel ſi eum, non tamen eius virtutes, quibus illuſtrabatur, cognouit: vel ſi ij verſus coram Auguſto, vel ſaltem coram Octauia eius vxore ſunt recitati, fuerunt regnante Auguſto, quo tempore iam ceciderat Cicero noſter. Hæc verò miſſa faciamus. Multi fuerunt Poetæ ante, & poſt Ciceronem; Virgilius tamen ſolus eſt Homero æquiparandus tum copia, tum breuitate, verbis etiam, ſententijs, figuris, atque diſpoſitione totius operis. Elegia Græcos etiam ſuperamus, cuius maximus videtur auctor Tibullus, Propertius, & Ouidius, Gallus etiam, ſed ad nos temporum iniuria non peruenit: & ſcitote falsò hactenus ſub nomine Cn. Cornelli Galli quædam edita fragmenta, cùm cuiuſdam nomine Maximiani ſint. Satyra tota noſtra eſt: cui auſpicatiſſimum dedit exordium Lucilius: quem illũ eſſe credo, cuius Ciceronianus Craſſus meminit: isq. dicere ſolebat: ea, quæ ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quàm ipſe de ſe (qui etiam ſcribebat, Perſium non curo legere.) hic maximus &, vt idem Craſſus tradit, omnium ferè ſuorum hominum doctiſſimus. Multo tamen terſior fuit, ac purus magis Horatius, & ad notandum hominum mores præcipuus. quos poſequuti ſunt Perſius, & Iuuenalis. In Lyricis apud Græcos Pindarus, apud nos Horatius elegantiæ, iucunditatis, & gratiæ plenus, atque variis figuris, proprijsq. verbis eminentiſsimus. Tragicos multos ex latinis fuiſſe accepimus, quorum ſcripta ſi extarent, hac etiam in parte Græcos forte vinceremus. Multi putarunt nos ſolum Senecam habere: qui etiam à multis, & indignè, reprehenditur. Sed reprehenditur interdum quoque Plato, Ariſtoteles, Virgilius, Cicero, aliiq. in omni ſcientiarum genere fœliciſſimi. Laudatur tamen Seneca à doctis; audiuiq. nonnunquam à Ioanne Baptiſta Cynthio viro omni doctrina, & ſumma Græcarum, & Latinarum rerum cognitione peritiſſimo, & in hac Taurinenſi Academia publicè profitenti, Senecam longè Græcis, & maximè in Choris præferendum: idque in ſcriptis retulit, quæ hodie circumferuntur. Tragicus fuit Accius, & Pacuuius grauitate ſententiarum, & auctoritate perſonarum clariſsimi. Varius etiam varius fuit, & doctiſſimus: vnde Horatius.

Quid autem
Cæcilio, Plautoq. dabit Romanus ademptum
Virgilio, Varioq.?

Ouidij quoque Medeam maximè commendat Quintilianus: in qua quantum Ouidius præſtare potuit, nec tãtillum quidem prætermiſit. Eorum verò longe Principem Pomponium Secundum idem Quintilianus ſcribit. In Comœdia Cæcilio, Plauto, aliiſq. plurimum Latini debent: elegantior tamen, & artificioſior Terentius: quem, vt Menandro æquiparem, vereor. cùm ne Græci quidem conceſſam ei venerem obtinuerint. Fabius quoque Quintilianus Hiſtoria nihil Græcis Latinos cedere exiſtimat: nec opponere Thucydidi Saluſtium, nec Herodoto T. Liuium veretur: neque ipſe dubitabo, quod Græci Xenophonti tribuunt, in C. Iulium Cæſarem iuſtiſsime transferri poſſe. Oratores autem, vel præcipuè Latinam eloquentiam parem facere Græcæ poſſumus. Demoſthenis nihil cedit M. Tullius, niſi quia ille prior fuit. Hic non ſolum vim Demoſthenis conſequutus eſt, ſed Platonis etiam copiam, & Iſocratis iucunditatem mirabiliter effinxit: de cuius laude melius eſt tacere, quam pauca dicere: quamobrem hic eum iure prætermitto. Oratores innumeri fuerũt, de quibus latè heſterno die diſſeruimus. Caius vero Iulius ſi forenſi negotio dumtaxat vacaſſet, nullus alius ex Latinis aduerſus Ciceronem vocaretur: namque illum eodem animo dixiſſe, quo præliauit, conſtat. Fuit Cæcilius, fuit Caluus, quem multi cæteris alijs præferebant. Seruius Sulpitius, Caſsius Seuerus, Domitius

mitius Afer, Iulius Aphricanus,& alij multi ante,& poſt Ciceronem, & eiuſdem ætatis non pauci. In Philoſophia vbique Platonis æmulus fuit M. Tullius: quo in genere præſtantiſsimus quoque Brutus extitit,tum M. Terentius Varr. Non inſubtiliter, & ineleganter ſcripſit Cornelius Celſus: isq. in re medica longe Græcos ſuperauit, cuius monumenta ſatis teſtantur: nec Cicero, ſi de medicinæ facultate diſſeruiſſet, elegantius, & grauius memoriæ, poſteritatiq; mandare potuiſſet. Parum, aut nihil admoduni recentiores noſtri græcis, neque latinis veteribus cedunt. Item Iuriſconſulti & grauitate verborum, & ingenij acumine, & inueniendi ſubtilitate, atque copia Græcos ſemper vicerunt. Theologiæ diſciplinis multum floruit Græcia; longe magis latini tum auctorum copia, tum doctrina. Sed multi, multa, inquiunt,habuerũt à Græcis Latini. Nos quoque id libenter fatemur. Fuerunt enim priores: quòd ſi ſubſequuti fuiſſent, à latinis mutuati eſſent, ſicut aliundè, vt eſt neceſſe, ſumpſerunt: nihilominus à latinis quandoque acceperunt: idq. Fabius docet libro Rhetoricorum primo. Nam & maxima, inquit, ex parte Romanus inde conuerſus eſt,& confeſsis quoque Græcis vtimur verbis, vbi noſtra deſunt, ſicut illi à nobis nonnunquam mutuantur. Et ſi plura à græcis acceperunt latini, quàm græci à latinis: nunquam tamen tanti beneficij immemores fuerunt maiores noſtri; vt videre eſt tum apud Ciceronem ſæpiſſimè, tum apud Quintilianum. Et Horatius clamitabat etiam:

Vos exemplaria græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Et paulo poſt.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Muſa loqui.

Contra verò iſti, qui ethruſce ſcribunt, quicquid boni,& iucunditatis habent,à latinis mutuati ſunt: immemores tamen, & tanti beneficij ingrati non modo id quod intereſt, ſed & ſortem ſibi creditam reſtituere negant; atque honorem latinis debitum, eis detrahunt; & pro præmijs maximam iniuriam, maximaq. inferunt opprobria; quod quidem magnopere pudendum eſt. Sed, vt extremum habeat aliquid oratio mea; concludam illud de Græcis, vt aliquando copia vincamus: & nos ſæpe à Græcis vincamur: quod autem ad grauitatem, ſuperamus; quod ad nobilitatem attinet, nihil cedimus. De Græcis verò hactenus. Etenim hæc ipſa forſitan fuerint non neceſſaria. Tum Linus, Iſta,quàm,inquit, neceſſaria fuerint, non facile dixerim: iucunda certe nobis fuerunt, neque tantum non longa, ſed etiam breuiora, quàm velimus: Caterum ego ſemper arma pro ethruſce ſcribẽtibus aduerſus latinos audactet cœpi: nunquam tamen abuſus ſum illa benignitate, atque liberalitate, ita, vt ne innumerabilia beneficia ab ipſis accepta æquo animo non recognoſcerem: & qui aliter faciunt, indigni hominum commercio exiſtimabuntur. Et cum de Græcis actum ſit: veniamus quæſo ad noſtros: de quibus difficile eſt fortaſſe plus intelligere, quam quantum ex monumentis ſuſpicari licet, ſcilicet vt inſpiciamus quantum interſit inter græcam, & hanc noſtram vulgarem. Quæ licet non tam locuples ſit, quàm latina, & græca, ſpero tamen eam tempore, & quidem breui, fore locupletiſsimam: nec immerito, cùm græca omnino mortua ſit, & latina ſemimortua. Tum Fabritius,de Græcis,inquit, plus forte,quàm ſat eſt: ſed videamus de latina, cùm ita mauis, & vulgari: nam ijs cognitis, quod quæris facilè dignoſcetur. Et ne vos diu ſuſpenſos teneam, dico, & ſæpe diſſerui, latinam linguam eſſe locupletiorem vulgari,immo vero locupletiſſimam: neque vnquam concedam vulgarem poſſe locupletiorem fieri. Omitto igitur græcam, quæ neque ita mortua eſt, vt ipſe putas: de latina dumtaxat ſermonem habeo, quæ magis viget, quàm iſta vulgaris. de qua idem dicere poſſumus, quod de latina Cicero Romanis iudicibus aliquando commonſtrabat: Nam ſi quis, inquit, minorem gloriæ fructum putat ex græcis verſibus percipi, quàm ex latinis, vehementer errat: propterea quòd græca leguntur in omnibus ferè gentibus, latina ſuis finibus, exiguis ſanè continentur. Nam hodie latina in omnes orbis terrarum vrbes, ac ſedes penetrant: vulgaria non modo extra Italiam egrediuntur, ſed ne Italiam quidem totam circumuolant. Vnde Franciſcus Floridus latinarum rerum ſtrenuus defenſor: nec enim, inquit, in Italia tota, ſi hac lingua vtereris intelligère. Quid enim ſi Apuliam, aut Calabriam concedas,& vernaculo idiomate loquare? næ omnes te Syrophenicem, aut Arabem arbitrarentur:& paulo poſt. Quid ſi in Siciliam, Corſicam, aut Sardiniam nauiges? & vulgarem hanc linguam crepes? non magis mehercule ſanus videberis, quàm qui inſaniſſimus. qua de re in primo ſermone, antequam in Floridum inciderem, dixi. Quamobrem non vnam, (ſi ita licet) vitam, ſed multiplicem latina habere diceremus. & vulgaribus ne quidem vitæ initium ineſſe. Quæ cùm audiuiſſet Iulius, qui ſemper attentiſſimas aures diſputationi præbuerat, demotus à ſede, Fateor, inquit, fatenturq. omnes noſtri non ita longe, lateq., vt latina hanc deuagari; augeri nihilominus quotidie poteſt: quod græca, latinaq. nequit: cùm græci,tum latini adſtricti ſint illis verbis, quibus veteres vtebantur, vt ne

tranſ-

tranſuerſum quidem vnguem ab illis diſcedere liceat, ſi nomen, ac famam ad poſteros emanare deſiderant: nos verò laxiores habemus habenas: & per immenſos campos vagari, & huc, atque illuc carpere, ſi quid boni eſt permittitur, & noſtra propria facere. Quamuis ſatis ſciã aliud eſſe viri doctiſſimi Bembi iudicium. Prohibet enim aliter ſcribi, quàm, & Boccatius, & Petrarcha ſcripſerunt, cùm illi elegantius, tum copioſius, atque politius, quàm cæteri ſua condiderint ſcripta: nunquam tamen eo adductus ſum, vt hac in parte Bembo crederem (licet plerumque ab eius opinione inuitus recedam) cùm nobis liceat noua effingere verba, nouumq. dicendi genus excogitare: quòdq. à doctis erit receptum, & approbatum. Tum Fabritius, Tardè quidem, inquit, Iuli, ſed ſubtilius, & elegantius, agis. Si vobis verò licet, cur & non nobis? debemus certè quàm maximè poſſimus Ciceronis vim, copiam, & dicendi modum conſequi; Virgilij quoque verba, grauitatem, & admirabilem ordinem, aliorumq. multorum, qui in re latina & maximi, & præcipui fuerunt, quorum mentio ſæpe facta eſt, elegantiam verborum, & linguæ ſubtilitatem imitatione exprimere. quod vtinam feciſſent maiores noſtri, qui relictis, ne dicam neglectis illius fœliciſſimæ ætatis dicendi generibus ſequuti ſunt verba, & dicendi modum, quæ infœliciſimis ſuis temporibus vigebant: quamobrem maius damnum fecerunt latinæ litteræ. Sic hodie, ſi poſſibile eſt, expreſſam veterum imaginem proponere debemus, idq. multi non inuita, vt aiunt, Minerua, ſed permittente natura mirabiliter effingunt. nam ea, quæ illi aut per ſe inuenerunt, aut ab alijs acceperunt, non poſſunt magis eleganti, & proprio vocabulo nominare, quàm eo, quod ipſi appoſuerunt. Sed ſi aliquid ab ipſis prætermiſſum ſit, de quo nunquam forte eis loqui contigit, poſſumus vti verbis, quæ alij reperierunt, niſi omnino ab elegantia latini ſermonis abhorreant. Ipſe etiam in ea ſum ſententia, in qua vir amabilis fuiſſe fertur: qui rectè exiſtimauit ea, eſſe audacter vſurpanda, quæ apud idoneos auctores reperiuntur. Neque enim vllum verbũ nobis videri debet durum, aut obſoletum, quod apud ſcriptorem probatum reperiatur. Qua quidem in re longè, lateq. diſſenſio ab ijs, qui vocem omnem, ſeu barbaram horrent, quam apud M. Tullium Ciceronem non legerint. Licet itaque nobis à Ciceronis, & aliorum priſcorum vocibus aliquando deflectere: & vti vocabulis, quibus alij viri docti vtebantur, hoc tamen, vt aliquam latini ſermonis habeant ſimilitudinem. Verùm ego hic ex multis vnum dumtaxat vobis indicabo: quod erit exempli cauſa. Nam verbum illud, poſſibile, quo antiquiſſimus Plautus eſt vſus, & alij ferè omnes tum veteres, tum recentiores, M. Tullio nunquam placuit, & pro illo δυνατόν dicebat: neque hac voce, Nouiſſimus, vnquam eſt vſus: mihi tamen ſine aliqua reprehenſione poſſe quis vtroque eorum vti videretur. Si etiam aliquid à nobis excogitatum, vel effictum erit, quo de illi nunquam cogitaſſent; cur non licebit, & oportebit nouum nomen imponere? Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, ſi ſecum quæ fierit in omni arte, cuius vſus vulgaris, communisq. non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, cùm præſcribuntur earum rerum nomina, quæ in quaque arte verſantur. Sed, vt omittamus artes ingenuas, & elegantes, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis vterentur nobis inuſitatis, & inauditis, vſitatis ſibi, & cognitis: quibus cùm nobis vti contigit, cùmque apud antiquos in vſu non eſſent; decet, & oportet eorum artificiorũ vocabula conſtituere. Etenim in rebus artificioſis, & in quibus artificum manu opus eſt, quotidie aliqua reperiuntur, de quibus priſci ne ſomniarunt quidem; & maximè in rebus belgicis, quis neſcit multa paucis abhinc ſeculis eſſe inuenta inſtrumenta, & multa, ac varia armorum genera? quorum nulla notio apud Romanos, & ſi potentiſſimos, & artificioſos, fuit. multa etiam alia ad remigium pertinentia reperta ſunt, quibus nomen imponere nobis dumtaxat conuenit. Neceſſe ergo erit noua deſiguare, & cõſtituere vocabula, quibus latina lingua locupletior redderur. Quod etiam permiſſum erat Stoicis, & præcipuè Zenoni eorum Principi, qui non tam rerum, vt Cicero ait, inuentor fuit, quàm nouorum verborum. Quod ſi Græci fecerunt (vt de rebus non peruagatis, inuſitatis verbis vterentur) qui in ijs rebus tot iam ſeculis verſati ſunt, quoſque vberiores plerique putarunt: quantò magis nobis cõcedendum eſt? Audebimus igitur nouis, ſi neceſſe eſt, verbis vti. Putas quoque, Iuli, multa apud vulgares in vſu eſſe, quæ apud latinos neque ſunt, neque erunt, vti ſunt Articuli, quos & Græci habent. miſſos verò faciamus, vt iam dixi, Græcos. illud tamen ſciendũ eſt, apud Homerum paucos admodũ reperiri Articulos; ijs tantùm vtitur, cùm aliquid demonſtrat. Vulgares, demptis articulis, carẽt omnibus fere caſibus: non habent niſi caſum ſingularis vnũ, & pluralis vnum: at latini duodecim poſſident. vos articulis, pro caſibus vtimini: nos poſſumus etiã vti pro articulis relatiuis, & pronominibus: ſed perinde nobis eſt ſimplex (vt ita loquar) caſus, ac ſi ſimul cum caſu articulo vteremur: cùm illi natura inſitus ſit: & quod paucis fieri poteſt, per plura fieri (& ita putarunt noſtri) non debet. Latini præterea verbis paſſiuis, & depo-

deponentibus abundant maximè: vulgares ne vllum quidem habent: deſiderantq. in omnibus verbis præteritum perfectum, licet pro præterito perfecto, eius participio cum verbo habere, vel eſſe, vtantur. Illud fatear, apud latinos in tertia perſona numeri pluralis, temporis præteriti perfecti, duas dumtaxat eſſe voces, ſcilicet amauerunt, vel amauere: Vulgares verò quattuor, quintamq. addunt Poetæ: quas hic recenſere non licet. Supina denique nulla, participia pauca à vulgaribus reperta ſunt: comparatiua etiam nulla, ſuperlatiua pauca: ijs verò omnibus latini ſunt valde locupletes. Neque ſatis eſt, quod dicunt, pro ipſis, verbalibus circumfluere, magnamq. diminutiuorum copiam habere: quoniam latini neque ijs carent. Quod autē Bembus nō inſubtiliter exiſtimabat ethruſcam linguam quandoque magis abundare verbis, quàm latinam, vt penes ethruſcos ſit illud verbum, *Valere*, quod non ſit vſitatum latinis: dico vnam hirundinem, vt in prouerbio eſt, non facere ver. Non enim exiſtimamus linguam eſſe locupletiorem altera, quia vnico verbo abundat. Neque nobis deeſt illud verbum valor; immo peruagatum eſt, & vſitatum latinis; ſed pro pretio vtimur. Vulgares verò & ad pretium, ad hominemq. referunt: & cùm ad hominem refertur, ſuperſunt quidem nobis, quæ idem ſignificant. Nam hominem ſtrenuum dicimus, fortem, magnanimium, acrem, conſtantem, potentem, valentem, robuſtum, inuictum, magnū, animoſum, excelſum, multum roboris habentē: in quo multum inſit roboris, ac virtutis: tum qui animo excelſo, & alto, & virtutibus exaggerato eſt, maximi animi, qui omnia in ſe poſita eſſe ducit, & humanos caſus virtute inferiores putat: & alia plura. Tum ille, ſufficiunt hæc, inquit, in præſentia: ſed quod ad grauitatem dicendi, & ſcribendi attinet: credis ne ethruſcos cum Romanis eſſe conferendos? Multos, & quidem doctos ſæpius audiui vulgares noſtros latinis prætuliſſe, neque immeritò: quædam enim in ijs elucere videtur maieſtas, quædam grauitas, vt nihil ſupra poſſit deſiderari. Tum Fabritius, vehementer, inquit, erras, mi Iuli, nemo quidem mediocriter doctus, & in latinis, vulgaribusq. libris verſatus vllam conſtituet ſimilitudinem: quæ enim maior grauitas, quæ maior maieſtas, quæ auctoritas, quod verborū pondus reperiri maius, meliusq. poteſt, quàm quod apud Romanos legitur? quantum ad dicendum in ea etiam ſum ſententia, vt exiſtimē maiorem Romanis fuiſſe grauitatē. Nam ſi maiorem grauitatem in latinis litteris ineſſe videmus: quis dubitet, quin inſit & maior in dicendo? Hinc B. Auguſtinus vir non ſolum pietate, ſed etiam omni doctrina, atque elegantia ornatiſſimus dicere, vt quidam referunt, ſolebat, ſi optandum eſt ſe nihil aliud expetere, quàm audire Apoſtolum prædicantem, Ariſtotelem diſſerentem, & Ciceronem orantem. quare, rogo, tam vehementer cupiebat videre Ciceronē orantem? niſi vt incredibilem illius maieſtatē, admirabilemq. grauitatē, quam in ſcriptis mentis oculis intuebatur, in dicendo proprijs oculis perſpiceret, penetraret, ac proprijs auribus audiret. Satis id etiam nobis indicare liquet: qui & latinis litteris, & vulgaribus eminentiſſimos homines orātes audiuimus tum vulgari oratione, tum latina: in hac quædam neſcio redundabat grauitas, & gratia, vt facilè auditores, quò vellet, adducerent. In illa ieiune, humiliter, eneruatè, & ſummiſſe ita ſe habebant, vt audiētium animos ad propoſitum finem nunquam allicerent. Tum Iulius, vincimus, inquit, latinos nobilitate: quamquā latini numero magis, quā qualitate, & magis ſoluta oratione, quàm verſibus vulgares ſuperant. & vt omittam Tragicos, à quibus, ſi non vincimus, non vincimur tamen: ſed ex Lyricis, ſi Pindarus Horatium ſuperauit, Franciſcus Petrarcha Pindaro præfertur, ergo magis Horatio: eadem ratione ſi Homerus eſt Virgilio ſuperior, vel æqualis: Dantes Homero excellit. rides, aut ſtupes? iocari, me putas? moriar ſi iocor. Neque miramini: nam alij & doctiores, & acutiores in hanc iuerunt ſententiam, cui ego libenter adſcribam. Tum ſtupens, ac ridens Fabritius, & ad alios conuerſus, Iulius, inquit, homo facetus eſt, & aptiſſimus ad iocandum. Si verò, non iocaris, ſtulte, & incaute omnia hæc agis. Si autem alij hanc tenuere ſententiam, & vt ipſe exiſtimas, doctiſſimi, pace eorum dixerim; nihil ſtultius eſt dictum, nihil peius excogitatum: vellem præterea, vt id mihi ratione aliqua commōſtrarent. Facile eſt, mi Iuli, dicere Dantem Homero, ac Virgilio præcellere: poteſt enim quiſque ad arbitrium ſuum loqui: & ſibi proponere vnum altero eſſe doctiorem, licet in rei veritate longè inferior ſit. Nam Tragicis, vt paulò ante diſſeruimus, non cedimus Græcis. Sed ſi Petrarchæ ſcribendi genus cum Lyricis æquiparetur, quod adfirmare non auſim: quis Horatio Petrarcham præponet? vel figuris, vel ſententijs, vel grauitate, vel ſimplicitate, proprietate, & verborum puritate? Delectat magis: delectat quidem rudes, & imperitos. Ex Lyricis carminibus magnam docti capiunt cum fructu voluptatem. vt maximus ille, vti alios ſileam, & potentiſſimus Gallorum Rex Franciſcus, bellorum fulmen, firmum ſcientiarum columen, fortiſſimumq. præſidium, quem tanta Lyricorum verſuum delectatione fuiſſe ductum, vt ſemper Horatium Lyricorum patrem, atque magiſtrum

præ

præ manibus haberet, accepimus. Idem dicere poſſimus de Heroicis: nam ſi illic ſtulte, hic profectò ſtultiſſimè. Nihil ſanè in Dante video, cur eum Virgilio comparent iſtí, vt video, miſeri: niſi fortè, quia Virgilius Dantem dumtaxat per tartareos locos, & Eliſios campos duxit, & Beatrix per cæleſtia regna. Non potuit Virgilius fide Cælum penetrare, nec eius ætas ei promiſit: quod vtinam ei conceſſum eſſet: nã quemadmodum ruſticarum, profanarumq. rerum omnium vim, ac naturam graphicè admodum conſcripſit: maiori quidem ſono, & altiori voce cæli penetralia nobis intonaſſet. Qui licet gentium erroribus obcæcatus eſſet, non tamen longè abfuit à veritate: cuius de ſummo Deo, quem ſpiritum, ac mentem appellauit, hi verſus ſunt:

Principio cælum, ac terras, camposq. liquentes,
Lucentemq. globum lunæ, titaniaq. aſtra
Spiritus intus alit: totamq. infuſa per artus
Mens agitat molẽ, et magno ſe corpore miſcet.

Ac, ne quis ignoraret, quis nam eſſet ille ſpiritus, qui tantum habet poteſtatis, alio loco demonſtrauit ſcribens:

Deum namque ire per omnes
Terrasq. tractusq. maris, cælumq. profundũ,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq. ſibi tenuis naſcẽtem arceſſere vitas.

Alijs quoque locis quodammodo fidei luminibus illuſtratus Vnum Deum eſſe declarauit: ſed, vt ad Dantem redeam, non tantùm Maroni noſtro non excellit, ſed ne vllo quidem modo conferendus. Nam illud præſertim Dantis verſuum genus, vereor, ne ſit heroicum, quod noſtri hexametrum carmen appellant: nec vlla propè in eo videtur eſſe Poetica fictio, nec aliquid poetici coloris. Si verò vlla inter latinos, & vulgares Poetas ſimilitudo effingi poſſet: omnia Ludouico Arioſto haberé. Hic enim quàm maximè potuit Virgilium imitatus eſt, tum ſententijs, tum figuris: tum grauiter, & humiliter, ſi opus eſt, loquendo, & pro locorum temporũ, perſonarum, atque cauſarum varietate moderari, fingere, ornare, atque formare ſemper enixus eſt orationem. quæ regio, quæ ora, qui locus, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, quæ feræ, quæ monſtra, & portenta, qui montes, vel quæ tam remotæ ſyluæ, vt quæ oculis, vel cogitatione conſequi poſſumus, in illius opere miro quodam artificio expreſſa non videamus. Quamobrem tantùm Arioſto vulgares debent, quantum Homero Græci, & Virgilio Latini. Hic etiam Comædias artificioſè compoſuit; & alij, vti Ludouicus Alamannus: non tamen eo genere iocandi, & eleganti, vrbano, ingenioſo, faceto, quo Plautus noſter, Terentius, atque omnis antiqua Comædia referta eſt. Nec poſſunt quidem, cùm metris illis indigeant, ſine quibus nequeunt rectè fabulari, hoc eſt octonarijs, trimetris, ſenarijs, & alijs, quibus circumfluunt latini. Vnde Arioſtus duodecim ſyllabarum metro, qui vulgò ſdruciolus dicitur, vſus eſt: Alamannus vndecim ſyllabis, qui tritus, & peculiaris eſt vulgaribus, qui à latinis Hendecaſyllabus appellatur, eo quòd vndecim conſtet ſyllabis. Horum etiam vterque Satyras prudenter, & doctè dederunt: quas recentiores quidam Horatianis prætulerunt. Sed hæc mihi iam nauſeam faciunt: dixi enim Horatium præcipuum eſſe ad notandos hominum mores, neque eũ vulgares longè poſſe inſequi. Sed ne amplius me in hoc certamen vocetis, breui dicam omnia, quæ mihi in promptu ſunt. Denobilitantur maximè vulgares Elegijs, quibus potiſſimum miſerabiles hominum ærumnæ, & amoris querimoniæ ſolent decantari: quamquam in hoc genere fertur Alamannus ſcripſiſſe, ſed ieiune, & exiliter. Apud latinos quàm maxima ſint volumina tum veterum, tum recẽtium, nullus veſtrum ignorat. Epigrammata à veteribus pauca condita ſunt, vel ſaltem non inueniuntur niſi Catulli & ea, quæ Priapeia inſcribuntur. His tamen Martialis & decus, & ſplendorem attulit, eaq. valde locupletauit, locupletauitq. quotidie viri docti, & excellentes, quorum laboribus refertæ ſunt omnes bibliothecæ. Quo in genere vos omnes inopia laboratis: niſi forte dicamus metrum illud, quod apud vos *Sonetto* appellatur, cũ Epigrammatis eſſe conferendum, quod ego magis puto. Nec deſunt etiam, qui in omnibus latinis Poematis quotidie tanta ingenij vbertate, tanta elegantia, tanta ſuauitate cum bene dicendi grauitate coniuncta libros conficiunt, vt non ſolùm vulgaribus excellant, verum etiam latinis veteribus parum, aut nihil admodum cedant. Quis in Vida elegantiam, verborum copiam, atque totam illam Virgilianam formam, figuramque dicendi non miretur, & obſtupeſcat? Quis elaboratius, aut nitidius carmen Pontano condidit? Quis etiam latinas Sanazari Muſas, tanquã delubra non colet? Eodem quoque tempore Andreas Alciatus iuriſperitiſſimus, atque optimus haud dubitauit legum ſtudijs minime relictis verſus decantare. Et Bembus ſanè veſter prudens, & acutus, & in ſuo genere perfectus, reiectis quandoque vulgaribus Muſis, totum ſe latinis conſecrauit. Neque maiori, neque altiori verſu Dianæ artem quis celebrare potuiſſet, quam Petrus Angelius Bargeus, vir in re poetica perfectiſſimus, effecit. Alij etiam non pauci, de quibus alias diximus, ſunt, qui in altiſſimo, & amœno Parnaſi monte nati, & alti viden-

videntur: quorum ingeniorum indicem si vellē retexere, superfluum esset. Etenim quocumque oculos, & cogitationem conuertimus, tantum recentium Poetarum frequentiam circumspicimus, quæ non modo doctissimorum veterum, & elegantissimorum virorum mores, & disciplinā, sed eorum etiam veluti expressam imaginem omnium oculis subijcere videtur, quantam mēs capere potest. Neque vos fugit multa à vulgaribus desiderari carminum genera, quæ nobis peruulgata, & cognita sunt, inque magna veneratione habita, vt Saphica, Adonica, Asclepiadea, & alia generis eiusdem: vt videre est tum apud Horatium, tum apud Tragicos, & Comicos. Tunc Iulius, Multa quidem, inquit, in præsentia sitimus: quæ tamen longo vsu, quasi diuturnam sitim explere cupientes, inuenire possumus, nihilq. latinis cedentes. Latinis verò nuper ea, quæ ab Horatio, Catullo, & ab antiquis reperta sunt, effingere licet. Tum Fabritius, Nō sum, inquit, nescius, an videris Kalend. Maij quædam Iuris axiomata, quæ ab vno ex nostris Academicis religiosissimo, optimo, & in omni disciplinarum genere peritissimo, Hieronymo à Ruuere Archiepiscopo nostro fuerunt dicata: quibus alius Academicus tibi, omnibusq. nobis familiaritate coniūctissimus, Anastasius, inquā, Germonius hos paucos versiculos addidit.

Defessa ceruice, Poli quæ sydera tollit,
Sustinet Alcides opus.
Sic virtus tot pressa malis, miserisq. sepulta
In tenebris secli iacens,
Subsidijs, animiq. tui tam fulta vigore
Vndique surgit fulgida.

Quod carminum genus, vt existimo, nunquā typis visum est: quod neque malum, neque alpernandum, cùm satis auribus faciat: quorum auctorem cum esse putabam: sed splēdidissimo, inquit, atque ornatissimo viro Francisco Bonohomio Vercellensiū Episcopo maximus habendus est honor: qui non istud tantùm, sed alia quoque non pauca ingenij acumine, summaq. diligentia excogitauit; quæ ita graphicè admodum efficta sunt, vt Horatianis parum cedant. Multa etiam heroica & grauitate, & lepore plena compositit: quæ idem Germonio ob singularem eius humanitatem, & propensam in eum beneuolētiam legere interdum permisit: Hæcq. cùm apud eum essem, magna cum voluptate perlegi. Quæ quidem, si publicis consignauerit monumentis: credam posse illud Virgilianum ad hoc optimè referri, dicens:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Cum ipse Cremonensis sit. Verum, vt eo iam, vnde digressi sumus, reuertamur: num censes igitur, inquam, licere nobis noua excogitare carmina, diuersisq. modis posse effingere? Tum ille, Prorsus, inquit, cùm belle ostendas. Nobiliorem etiam Latinam linguam, quàm vulgarem esse facillimè concedo. Maxima enim inest nobilitas: alia verò est nobilitas, mi Fabriti, quam malo dignitatem appellare: & hæc videtur à latinis aliena. Dignitatem nullam præ se fert latina lingua; dignitatem haberet, si Principes in eam incumberent: at ne incumbunt quidem, sed potius eam videntur negligere: & hāc nostram vulgarem omni feruore amplecti. Tum ille, Tam citò, inquit, me in aliam aciem reuocas? Nimirum confecta res esse videbatur: & ad exitum venisse quæstionem arbitrabar. Atqui iam luce clarius, tibi ostendam, quanta Latinæ linguæ dignitas insit, & gloria. Etenim constat sermonem illum esse digniorem, qui viris tantùm doctis communis est, & præcipuus. Sed quis latinum sermonem, nisi in eo versatus, intelligit? Vulgaris omnibus familiaris est: nam quid aliud est vulgare, si ab ethymo licet arguere, quàm quod à vulgo tractatur? sunt & aliæ causæ non aspernandæ, quibus, quantùm dignitate latinus præstet, commostrabimus: de quibus paulò infrà. Neque ab incepto itinere me vnquam illud dimouebit, quod Principes latinis litteris non studeant: cùm in hoc latinarum litterarum dignitas non consistat. Nec mihi videntur etiam omni latinæ disciplinæ beneficio posse Principes vacare. Nec illud & ipse ignorare debes, quòd sicut non vna est omnium facies, ita non est vna tantùm in naturis hominum similitudo: alios dulcia, alios amara, delectant. Alij gloriæ seruiunt, alij pecuniæ. alij tecta magnifica, alij opes, atque imperia expetunt: alij virtutes rebus omnibus anteponunt. Talis fortè erit Princeps, quem nobis proponis, vt nihil nisi voluptatibus studeat, vel aurum, argentumq. turpiter cumulare, vel imperia vlurpare, vel populos sibi subditos continuis afficere calamitatibus, & virtutes omnes fugare. At hic neque optimus, neque bonus, nec bello, nec paci satis aptus, nec Principis nomine dignus. In Principe bellum gerente, scientia, vt ille ait, rei militaris, virtus, auctoritas, & fœlicitas inesse debet. Tempore pacis in omnibus versatum artibus necesse est. Ideo Iustinianus Romanorum fœliciſſimus Imperator, & semper Augustus, merito scripsit, Imperatoriam maiestatem nō solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam, vt vtrumque tempus belli, & pacis rectè possit gubernari: & Princeps Romanus non ex armis tātum, sed ex legibus etiam glorioſam sibi victoriam comparare: & fiat, subiugit, Iuris religiosissimus: qua de re Papinianus diserte multis ante seculis scriptum reliquerat, vocans Marcum Imperatorem prouidentissimum, & iuris

religio-

religioſiſſimum. Quomodo autem fiet Iuris religioſus, niſi & Philoſophiæ cultor fiat? cùm Iuris prudentia nihil aliud ſit, quàm vera Philoſophia: cuius rei grauis eſt teſtis Vlpianus in ſuis Inſtitutionum libris. Et veluti paterfamilias domui ſuæ præeſt, ita Princeps ciuitati: pater ſi in ratione vitæ peccat, quomodo familiam rationem vitæ docebit? ſi Princeps illitteratus, & indoctus, quomodo ciues? quoniam multi imitatores Principum ſemper extiterunt, vt apud Ciceronem de legibus habetur. Nec enim tantum mali eſt peccare Principes (quamquam eſt hoc magnum per ſe ipſum malum) quantum illud, quòd permulti imitatores Principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcumque ſummi ciuitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuiſſe: quæcumque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo ſequutam. Ego autem nobilium vita, victuque mutato mores mutari ciuitatum puto. quo pernicioſius de republica merentur vitioſi Principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolùm obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſq. exemplo, quàm peccato nocent. Quam ſententiam tanquam Dei ſimulacrum ſemper ante oculos hodie habere Principes, omnesq. optimates deberent, & omni conatu cuitare, ne mores ciuitatum corrumpantur: ſed corruptos diligentiùs corrigere, correctos omnibus honeſtatis, & gloriæ exẽplis honeſtare, atque amplificare. Quam infamiæ notam, vt effugerent potentiſſimi Principes aliud ſibi faciendum putarunt. Ex quorum numero fuit magnus ille Alexander omnium bonarum artium tutor: qui vitium hoc præſertim ſcientiarum ignorantiam, tanquam peſtiferum morbum à ſe ipſo reiecit: & Ariſtotelem, cuius doctrina fulciebatur, & cæteros ſuæ ætatis doctos in magna veneratione habuit: necnon Homerum vnà cum pugione ſub puluino iacens ſemper voluiſſe dicitur. Nec Philoſophia illa contentus, quæ ad mores, & ad vitam pertinet, ſed alteram, quæ eſt de natura, & de rebus occultis, omni ſtudio, & ſedulitate complecti nitebatur. Ferunt quoque Scipionem Aphricanum Xenophontis œconomicis tantum tribuiſſe, vt illa ſemper præ manibus haberet. C. Iulius Cæſar, qui Imperatoris nomen primus meruit, quantùm in omni ſcientiarum genere excelluerit, teſtantur eius diuini Commentarij. isque Gallijs prouincijs iugum ſeruitutis quomodo impoſuerit, & cætera bella quàm fœlici ſydere geſſerit, quiſque ſcit: omnia tamen tam litteris, quàm gladio proſperè eſt conſequutus. Auguſtum ſileo, qui Cæſaris bona, tum nomen, tum diſciplinas iure legitimo acquiſiuit, cuius etiam Commentaria, ſi extarent, incredibilem homines inde caperent vtilitatem. Hic viros ſapientes amabat, magnis afficiebat præmijs, eoſq. ciuitate donabat, & præcipuè Poetas, veluti Deos colebat; multisq. muneribus honorabat. Et ab ijs vſque ad hunc diem numerare non facilè poſſem omnes Principes, qui cætera, præter virtutes, nihil exiſtimabant. Ex quibus quorumdam libro decimo Codicis extant conſtitutiones, quibus ſancitum eſt, & adhuc magno cum honore retentum; vt nõ modò omnes litterarum, & bonarum artium profeſſores, ſed eorum etiam vxores, & filij, atque etiam res, quas in ſuis ciuitatibus poſſident, ab omni functione & ab omnibus muneribus vel priuatis, vel publicis ſint immunes: & neque in prouincijs hoſpites recipere, nec vllo fungi, ſcilicet inuiti, munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati, vt ſi quis eos vexauerit, pœna arbitrio iudicis mulctetur. Et illud magis, vt mercedes eis, & ſalaria redderentur, ſancitum eſt, quò facilius liberalibus ſtudijs, & bonis artibus iuuenes inſtituãr. Nec minus omnia priuilegia liberalibus ſtudijs operam dantibus, quàm præceptoribus, perpetuò valitura lege decreuit Imperator Federicus. Sed quid eos commemoremẽ cùm patrum, ac noſtra memoria vnus inter reliquos vixerit Frãciſcus Gallorum Rex potentiſſimus, cuius auſpicijs Gallia eſt inſtaurata, & virtuti iam in perniciem collabenti receptaculum, & munitum præſidium facta eſt. Hicq. omnem laudem, omnem gloriam in virtutibus eſſe poſitam optimè diſſerebat. Neque dignum mihi viſum eſt Emmanuelem Philibertum Sereniſſimum, & ſummum Ducem noſtrũ, Principum omnium decus, in quem vnum, tanquam in ſpeculum omnes intuentur, ac ſuſpiciunt, prætermittere. qui quàm propenſo erga virtute præditos animo ſit, (cùm ipſe proprium ſit virtutis domicilium) quantaque illos beneuolentia, & fauore proſequatur, ſuperfluum eſt dicere, cùm res ipſa loquatur. Quot enim penes eum exiſtunt eloquentes Oratores, quot ſapientes Philoſophi, quot acerrimi Mathematici, & rei Medicæ peritiſſimi, religioſiſſimi, & præſtantes Theologi, quotque eminentiſſimi Iuriſconſulti? quorum iudicio, atque ſcientia omnes ciuitates ita pacatæ ſunt, vt omnes eum vel maximè admirentur: ijs omnibus multos impartitur honores, ijs magna proponit præmia. Vnde ex omnibus orbis terrarum partibus, tanquam accerſiti ad eum conuolant, ab eoq. perhumaniter excipiuntur. Quis etiam tam elinguis eſſet, vt de inclyta eius vxore,

Margarita Biturigum, & Allobrogum Duce non loquatur? in qua non ſolùm humanitas, pietas, miſericordia, liberalitas, & ſanctitas, verùm etiam tanta animi magnitudo, ac virtus effulgebat, vt innumerabilibus omnium artium magiſtris, nihil vtilius, ac honeſtius viſum ſit, quàm libros doctè, & perpolitè conditos ſub illius nomen edere, & eiuſdem animi dotes, ſapientiam ſingularem, dicta, ac facta eximijs ſcriptis collaudare, & pro rei, de qua agebatur, dignitate explicare? Horum quoque filij Caroli Emmanuelis Subalpinorum Principis iam nomen, & fama vndique diuulgatur: qui licet pubertatem nondum ferè egreſſus ſit, ſenilem tamen ætatem ingenij maturitate videtur attigiſſe. Namque incredibile eſt, quantùm ſe liberalibus ſtudijs oblectet, quantumque in ijs ingenij fœlicitate proficiat: in eo quoque tantùm memoria valet, vt omnium propè nationum ac gentium mores, & ritus optimè calleat. Hic parentum veſtigijs vbique adhæret: & quidem meritò; cùm hæc inter mulieres, vt Sol inter ſydera, ijs virtutibus, quæ tam illuſtrem Principem decent, excelleret. Ille Principibus omnibus fœlicior, in rebus gerendis acrior, in geſtis benignior, & temperantior: & cæteræ virtutes, eximiæque artes, quæ in ſummo, ac perfecto Principe deſiderari poſſunt, in eo cumulatiſſimè reperiuntur. Quod ſi hæ artes, & diſciplinæ nihil dignitatis haberent, neque ijs operam Principes darent, nec earum profeſſores tot priuilegia, & immunitates eſſent conſequuti, nec hodie conſequerentur. Sed, vt paucis dicam, Latinis litteris ineſt dignitas; quia ſi Principes ſuis ciuitatibus præeſſe debent, & populis recta, & vtilia præſcribere; in omnibus artibus, & optimis diſciplinis eos verſari oportet. Si verò Principes neceſſariò (ſi docti malunt euadere) Latinis diſciplinis indigent: quis non concedet dignitatem in latinas litteras cadere? ſi concedit: in latinis litteris dignitas inerit: quoniam deſituro latinarum litterarum præſidio, neque Princeps, nec quiſquam alius liberalia ſtudia poteſt ediſcere. Tum Ceua, Hæc, inquit, periucunda mihi fuerunt, Fabriti, cuperem tamen non ea te intermittere, ſed acuratius tractare, quò facilius tua percipiamus argumenta. Miror ſanè, cur detracto Latini ſermonis beneficio non poſſint Principes, cæterique omnes virtutem adipiſci, & gloriam abſque illis maximam conſequi. Tum ille, Rem, inquit, à me, Ceua, vt video, ſæpe deliberatam, & multùm agitatam requiris. Itaque non multum hæſitans reſpondebo: ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promptu, quod iſta ipſa de re multum, vt dixi, & diu cogitaui. Nam cùm Iurisprudentiam, tum Philoſophiam, cæteraſque diſciplinas viderem diligentiſſimè latinis litteris explicatas, exiſtimaui, ſi qui vulgaribus litteris periti, earum ſtudio tenerentur, ſi eſſent latinis doctrinis eruditi, latina potius, quàm vulgaria lecturos: ſin à latinorum artibus, & diſciplinis abhorrerent, nec hæc quidem curaturos: quia ſine latina eruditione nulla ars, nec vlla diſciplina ſatis intelligi poteſt. Nec igitur Principes, vt dixi, nec cæteri, licet exquiſiti ſint ingenij, latino deficiente illa legere curabunt, nec intelligere valebunt. Vides autem eadem ipſe. Didiciſti enim non poſſe vllam quamlibet ſcientiam percipi, nec ritè edoceri ſine certis, & quibuſdam præceptis, & principijs, tum quadam proprietate verborum, quibus ita aſtricti ſumus, vt ipſismet, non nouis cogamur vti. Niſi fortè Nos Amafanij, aut Rabirij, quorum M. Terentius Varro apud Ciceronem meminit, ſimiles eſſe velimus; qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis vulgari ſermone diſputabant, nullam denique artem eſſe nec dicendi, nec diſſerendi putabant. Nos autem ijs omnibus tanquam legibus diuinitus inſtitutis, moribusq. confirmatis, cogimur vti. Et ſi ea, quæ docti à Latinis petere malunt, indocti ne à vulgaribus quidem accipiunt: vt fruſtra omnis ſuſcipiatur labor. Hæc cùm affatus eſſet; Tunc Linus, Immo iam Philoſophiam, inquit, Aſtrologiam, Mathematicam, Rhetoricam, & reliquas artes poſſem ſcribere, non ita planè, vt Amafanius, & Rabirius, ſed nouis, ideſt vulgaribus verbis. Apud vulgares etiam non ignoras quæ ſit, & quanta ſubtilitas: ipſi enim omnia, quæ à Latinis diſputata, & conſcripta ſunt, in vulgares ad verbum ornatè conuertunt: ſiue interpretum funguntur munere, ſiue tuentur ea, quæ dicta ſunt ab ijs, quos probant, eisque ſuum iudicium, & vulgarem ſcribendi ordinem adiũgunt. quid habes, cur Latina anteponas ijs, quæ & ſplendidè dicta ſunt, neque ſint conuerſa de latinis? Nam ſi dices ab illis has res eſſe tractatas: vt ne ipſos quidem latinos eſt cur tam multos legant, quàm legendi ſunt. Quid enim eſt à Cicerone in Philoſophia prætermiſſum? legimus tamen Senecam. Quid Quintilianus? non mediocriter delectat, cum tractet locos à M. Tullio ante tractatos. Quid Poetæ? Multa à Virgilio, & ab alijs mutuati ſunt. Num etiam deſiſtit Virgilius ab ijſdem de quibus & ab Homero ſcriptum eſt, vel Horatius à Pindaro, & ab antiquis ad arbitrium ſuum ſcribere? Quòd ſi Latini Græcas fabu-

las

las vertunt: vel ſi Platonis, aut Ariſtotelis, aut Demoſthenis locos transferunt, quid eſt cur vulgares latinos non poſſunt conuertere? Quid ſi latini leguntur à nobis ijſdem de rebus alia ratione compoſitis, quid eſt, cur vulgares à nobis non leguntur? quodque nemo inficiabitur. Quod autem putas nullam artem, nec vllam diſciplinam vulgari idiomate rectè poſſe tradi: propterea quòd vulgaris lingua eſt valde inops, & aliorum maximis indiget auxilijs, tibi non aſſentior. Immo credo vulgarem linguam non modo non inopem, vt ipſe exiſtimas, ſed locupletiorem etiam fore, quàm latinã. Omnia enim, & iam retuli, quæ non tantum à latinis, ſed à Græcis item dicta ſunt, vulgaribus litteris legimus. Tum plurimum Poetis, omninoq. vulgaribus & litteris luminis attulerũt, & verbis: atque varium, & elegans omni ferè numero Poema fecerũt. Philoſophiamq. Aſtrologiam, atque Rhetoricam multis locis inchoarunt. Quid amplius in Philoſophia, & in Aſtrologia, ab Alexandro Picolomineo (vt reliquos taceam) deſideratur? Quis in Rhetoricis præceptis tradendis aptior, & diſertior Bartholomeo Caualcante? Idem de reliquis artibus dicere poſſumus. Tum Fabritius, Tuo, inquit, Line, te iugulas gladio: cùm ab ipſo Caualcante perſpicuè dictum ſit, vulgarem linguam, quã maximè inopem eſſe, (de qua latius nos ſupra) & ſe non poſſe Rhetorum præcepta doctè, & rectè tradere, niſi vtatur quibuſdam Latinis verbis, quæ rei, de qua tractat, ita propria ſunt, & peculiaria, vt ipſe ab illis nullo iure, nullaq. optima ratione dimoueri, & ne latum quidem vnguem, vt aiunt, poſſit diſcedere. Alia quoque habet Philoſophia, alia Medicina, alia Mathematica, alia Theologia. Quomodo etiam ea, quæ in iure ciuili, vel Pontificio continentur, vulgaribus litteris poſſent explicari? In hac cõtrouerſia Ceuam Iudicem conſtituo, cùm in hac magis ſit verſatus, quàm in alijs. Curioſi ſanè fuerunt Iuris auctores, multumq. inſudarunt in quærenda verborum proprietate, atque inueſtiganda: & tu tam facilè putas verba ciuilia vulgari idiomate interpretari, explicarivè poſſe? nullo quidem modo. Nec vllus hucusq. auſus eſt Pandectarum opus de latino in vulgarem ſermonem transferre, nec interpretari. Ergo ſi ſic eſt, vt eſt, ad Latinos eamus, vt ea à fontibus potius hauriamus, quàm riuulos conſectemur. Tum Linus, Multò, inquit, citiùs, quàm arbitrabar, me à propoſito meo auertiſti: & Caualcantis, qui varius, & multiplex, atque copioſus fuit, auctoritate conuiciſti. In hoc enim, quaſi radijs ſolaribus illuſtratam Latinæ linguæ dignitatem, & gloriam ſplendeſcere video. Cauſam quoque probabilem tu quidem adfers: aut enim Latina legere mallent, qui erunt eruditi, aut ne hæc quidem, qui illa neſciunt. Sed nec vulgaria, qui latina poſſunt, reijciunt. Quid enim cauſæ fuit, cur Princeps noſter decreuerit, ne quid, niſi vulgaribus verbis in iudicijs ageretur? vel Bibliothecam illam, quam Theatrum vulgus appellat, omnibus antiquorum, tum recentium hominum geſtis, ac factis mira cum iucunditate, & omni admiratione refertam, diſciplinarumque omnium floribus ornatam vulgari potius eruditione, quàm latina ſcribendum eſſe mauult? cùm multo minori pretio latinè tranſcribi poſſet: cùm Codices, ex quibus eſt concinnata, omnes penè ſint latini? Quæ cùm dixiſſet, expectabant omnes, quid eſſet Fabritius dicturus: qui mox; Rem ſanè, inquit, à me poſtulas, Line, perdifficilem: de qua quid ipſe ſentiam, ſi placet, exponam: vt nihil habeas, quod huic ſermoni peruertendum putes. Tum ille, Nihil equidem, inquit, noui, nec quod præter te ſentiam: etenim ſententiam tuam multis rationibus, & argumentis comprobatam iam ſequor. Hæc cùm audiuiſſet, Non dicam igitur, inquit Fabritius, vt quidam dictitarunt, id ita actum eſſe, quia Principi ſic libuerat, nam ſtat pro ratione voluntas: quoniam eneruata, & puerilis eſt hæc ratio. Nec ipſe exiſtimes vulgares litteras Latinis voluiſſe anteponere: nam ſi hac ratione motus eſſet, neque declamationes in Senatu latinis vocibus fierent, neque ab ipſo Senatu latinè pronunciarentur ſententiæ: ſed quadam erga plebem Latinarum litterarum ignaram pietate, & miſericordia affectum, vt cum eis lis de re ſua, aut aliena apud Iudicem eſſet, ſe tueri facillimè poſſet, vel cùm negotium, obligationem, ſtipulationem, venditionem, emptionem contraheret, vel res ſuas donaret, vel vltima conderet elogia, melius Tabelliones has res omnes conficientes intelligeret. Artes verò, & diſciplinas, quas cùm vulgi non interſit ſcire, nec ignorare, in ſuo ſtatu permanere, easque latinè profiteri libentiſſimè patitur. Nec Theatrum illud vulgaribus potius, quàm Latinis condere voluit, quòd ei Latina fortè leuiora, aut inculta, aut horrida viderentur, nec abhorreret ab ipſis, ſed vt id pluribus pateret: nam vulgaria hodie aliquantulum ſunt faciliora perceptu. Nec illud facit, Line; quòd maiores faciat impenſas, quam non faceret, ſi latinis litteris ſcriberetur: quia res quantò maioris pretij eſt, tanto charior, & dignior Principibus videri ſolet. Quid tandem in hoc eſt loco, quod requiras? Tum ille, De ijs, inquit, plus fortè, quàm res eſt: atqui

veniamus ad pulchritudinem, qua multi vulgarem linguam latinæ excellere putarunt, neque iniuria; quoniam cuiuſcumque linguæ, & præſertim Græcæ, tum Latinæ pulchritudo primum ex numero, tum ex concentu; qui harmonia dicitur, æſtimatur: in ijsq. maximè conſiſtit. Namque tam Græci, quam ipſi Latini dum verſus, vel ſoluram orationem, quam proſam vocitamus, conficiunt: id præcipuum ante oculos habent, vt breues, aut longæ ſyllabæ ſint; ex quibus fit numerus. Poſtremò quodammodo per accidens, accentuum rationem expendunt: ex quibus harmonia conficitur. Sat enim Latinis eſt verſus habere quandam numerorum moderationem, & pedum, pedes ſuas peculiares ſyllabas, ſyllabas menſuram, ratò autem accentus. Atqui vulgaris linguæ pulchritudo maximè in harmonia poſita eſt, deinde in numero. Etenim vulgares dum carmina effundũt, vel ſoluta verba conſcribunt, in primis accentuum grauitati inſeruiunt, & longitudini ſtudẽt; vnde naſcitur numerus: quoniam id ratũ dumtaxat, atque firmum habent, vt verſus iuſtis, & debitis ſyllabis conſtent: & vt accentus opportunis locis inſiti ſint. Nec an ſyllaba breuior, nec longior ſit, niſi fortè per accidens, animaduertunt. Hinc ſi quis ex Græco, & ex Latino conuertet illam numerorum, & pedum moderationem, quæ temporibus, & interuallis, ac ſpatijs metienda eſt, permutet etiam ipſum uerſum, qui inanis (idem de ſoluta oratione dicere poſſumus) deinde fiet: licet ijdem eſſent accentus: pari quidem ratione, ſic in vulgaribus accentuum mutatio fieret, corrumperetur, & deprauaretur verſus; licet eædem ſint ſyllabæ. Sed vt comprehendam breui, harmonia videtur mihi, idq. nemo negare poteſt, pulchrior, ſuauior, & hominum auribus quid magis efficere, quàm numerus. At vulgaris lingua etiã & Græca, & Latina pulchrior, cùm hæc magis harmonia, quàm numero vtatur: illæ numero potius inſeruiunt, & pariunt, quod videre eſt in fidibus. Fidicen enim manu ſiniſtra, cuius officium eſt interualla illa ſuperiora attingere, conficit numerum; & dextra, cuius digitis nerui in inferiori parte pulſantur, concentus efficit. Sic Latini, atque Græci, qui potiſſimum ſyllabis vt iam diximus, ſtudent, numerum habent; Nos verò quàm maximè accentibus contenti acuta cum grauibus temperantes harmoniam iure merito nobis vendicamus. Verùm ſi concentus eſt numero pulchrior, vt eſt, erit vulgaris lingua & Græca, & Latina pulchrior. Tum Iulius, Quid tenſes, inquit, Fabrici; Niſi harmoniam? verùm cùm ſine hac in linguis nihil quicquam egregium eſt, tum in cæteris quidem rebus, in quibus ſimus deſideratur. Neque enim & ipſi cæli ſine aliquo concẽtu incitari poſſunt. Quam ob cauſam maximus ille ſtellifer curſus, cuius conuerſio eſt concitatior, acutè excitato mouetur ſono. Nam illi octo curſus; in quibus Mercurij, & Veneris eadem ferè eſt natura; & poteſtas, cùm Solem æqualibus ſpatijs comitãtur, ſeptem conficiunt diſtinctos interuallis ſonos: qui numerus rerum omnium quodammodo nodus eſt, quod docti, vti Cicero docte, ac ſapienter ſcripſit, homines neruis imitari, atque cantibus aperuerunt ſibi reditum in hunc locũ. Muſas eſſe mundi cantum ruſtici etiam ſenſerunt; qui eas Camœnas, quaſi caneas à canendo appellarunt. Ideò canere cælum antiqui cõprobantes, concentus muſicos ſacrificijs, vt diſertè Macrobius docet, adhibuerunt: qui apud alios lyra, & cythara, apud nonnullos fiſtulis, tibijs, alijsvè muſicis inſtrumentis decantari ſolebant. Mortuos quoque ad ſepulturam conſequi oportere, cum cantu multarum gentium, vel religionum mores, & inſtituta ſanxiſſe accepimus: hac fortè perſuaſi ratione, quod diſcedẽtem animum à corpore, ad originem dulcedinis cantus, hoc eſt ad cælum faciliùs reuerti putarent. Dum enim natura hominis anima tuſtentatur; muſicis ſonis ducitur (vt non modo qui ſunt boni moribus, & optimo habitu ornati, ſed vniuerſæ etiam barbaræ nationes, cantus, quibus vel incenduntur ad gloriæ ſtudia, vel ad imbecillitatem, atque molliciem voluptatis incitantur, exerceant) qui in fragili corpore memoriam retinet illius ſoni, cuius in cælo capax fuit. Qua forte ratione motus Ariſtoxenus eruditus muſicus, idemq. Philoſopus, dicebat animum eſſe intentionem ipſius corporis quãdam: velut in vahtu, & fidibus harmonia, quam ex interuallis ſonorum noſſe poſſumus, ſic ex membrorum ſitu, & ex totius corporis natura, figuraq. varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic ab artificio ſuo non recedebat, cùm muſicus eſſet: cui alludens interdum Cicero, Canere, inquit, ipſe doceat: bene enim illo prouerbio Græcorum præcipitur.

Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.

Et ad propoſitum redeundo, tanta eſt harmoniæ vis, vt nullus, etſi agreſtis, & immitis ſit, qui non aliquo concentuum oblectamento teneatur. Et quid mirum, ſi tanta eſt inter homines cantus delectatio; cùm aues etiam, vt Philomela, acanthis, attagen, olor, aliæve generis eiuſdem cantum veluti inſtituto quodam, & artis diſciplina excolunt. Aliæ verò vel aues, vel terrenæ, ſeu aquatiles beſtiæ, cantus dulcedine quodammodo inuitatæ, in retia, & laqueos ſponte ſe inducunt. Paſtor quoque fiſtula diſparibus cicutis ſeptem compacta, gregibus paſtũ digreſſis quietem imperat. Hinc nos

ratio-

rationis, & conſilij compotes linguarum, ſine quibus nec mentem, nec conſilium vllum patefacere poſſumus, ſonum, vel potius harmoniam illam admirabilem, quæ accentibus fit, debemus omni conatu perſequi. Quam ob cauſam omnes iam prope cantibus, & ſonis repleti, tanquam ſomnolenti extabant, & ne verbum quidem faciebant. Tum Fabritius, Ego iſta quidem, inquit, harmonia tenebar: ſed dulciori longè ſum affectus, & ſuauiori: de qua nunc. Multa verò eſſent prius à nobis differenda, vel ad rem noſtram pertinentia: quæ libenter omittam, ne diutius hac in parte elaboremus. Atque pròximè ad vocis ſonos accedamus; qui tres omninò ſunt, inflexus, grauis, & acutus, qui vulgò dicuntur, accentus: quibus vulgares quidam locupletes magis, quàm Latini, & Græci ſe eſſe crediderunt: in quo toto errant cælo. Nã quod ad accentus pertinet, Græci Latinis copioſiores fuerunt: qua in re hoc diſthicon aliquando apud Aldum Manutium vidi:

Non valet accentus milleſima claudere Graios
Pagina: Romanos vna, breuisq. poteſt.

Item copioſiores fuerunt vulgaribus, qui etiã parum admodum curioſi de ijs vocibus fuerũt, & ſunt. Quod palam vir doctiſſimus Bembus veſter fatetur: qui cùm, inquit, de accentibus ſim dicturus, non præfabor illa, quæ Græci longa oratione pertractant magis ad eorum linguam, quàm ad noſtram pertinentia: idque omnes, quos viderim, qui de ijs vocibus aliquid litteris mandarunt, haud obſcure ſignificant: & qui ſenſum oculorum habet, nullo negotio in eorum ſcriptis dignoſcere poterit. Hinc Ludouicus quoque Dulcius iure merito quoſdam mirabatur, eorumq. audaciam comprimebat: qui dum nouis regulis, nouisq. ſcribendi legibus, quas Græci Orthographiam appellant, vulgarem ſermonem ornare putarũt; veriùs onerarunt, quàm ornarunt. Item ex Latinis quidam in vnaquaque voce accentus collocauit, cuius labor fruſtra omnis mihi videtur ſuſcipi. Quis enim eſt ita fatuus, qui mediocriter in vtraque lingua verſatus ſit, vt non perſpiciat maioris vocum partis, quæ ſibi vel legenti, vel loquenti occurrunt, penultimam longa, aut breui conſtare? Verùm ſi Latini auctores, & præſertim Poetæ (vt idem Dulcius ait) quibus propter pedum varietatem, & diſſimilitudinem, ſine quorum beneficio verſus non condirentur, accentus erant neceſſarij, noluerunt ijs, vt Græci, ſe onerare, ſed paucis vſi ſunt, adeoq. pauciſſimis: quantò minus vobis vulgaribus licebit, qui non pedibus, ſed quodam ſyllabarum quantitatis ordine (quamuis accentuum tempus obſeruare neceſſe ſit) verſus ad finem perducitis? Nec video cur quoque Linus concentum, quem harmoniam vocat, potius apud vulgares eſſe, quàm apud Latinos exiſtimet. Nam eadem ferè eſt harmonia, ſed latinis potior: &, vt de Poetis primùm loquamur, qui, licet verborum licentia liberiores ſint numeris, tamen paulò ſunt ſtrictiores. Ijs, inquam, potiſſimùm cura fuit, vt multa excogitarent, quæ non ſolùm aures, quarum eſt iudicium ſuperbiſſimum, offenderent, ſed, vt eis voluptatem adferrent maximam. Et quod natura fieri non potuit, inſtituto quodam, & longa conſuetudine ipſi approbarunt. Inſanus enim dixerunt prima littera producta, iniquus breui: infœlix longa, inhoneſtus breui: mater dicitur producte, pater contra. In quibuſdam verbis ſecundam litteram & breuem, & longam ponunt, vt volucres, cerebrum, & alia generis eiuſdem. Quod verò hoc elegantius? è medio verbo litteram auferunt, vt illud periclis pro periculis, vt apud Virgilium libro octauo:

Accipite Aeneam, & tandem arcete perichis.

Quandoque etiam duas: nam, Proh Deum, atque hominum fidem, & Virgilius:

O qui res hominumq., Deumq.
Aeternis regis imperijs, & fulmine terres.

Itemq. conſueuerunt vltimam reijcere litteram, vt peculi, Terenti, pro peculij, Terentij. Addunt quoque ſi neceſſe eſt, vt relligione, pro religione. Dicimus etiam nequire pro non quire, malle pro magis velle, nolle pro non velle. Dein quoque ſæpe, & exin pro deinde, & pro exinde dixerunt noſtri. Quin etiam verba ſæpe contrahuntur, non vſus cauſa, ſed aurium. Quomodo enim Axilla, Ala factus eſt, ſubtracta aſperitate x. quam litteram etiam è Maxillo, & Taxillo & Vexillo, atque è Paxillo conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit. & Malam, Talum, Velum, Palum, facta eſſe. Contrahebant alia etiam nomina antiqui, quò eſſent aptiora, vt duellum, bellum, duis bis. Vnde hoc? cum illis elegantius dicimus, cum autem nobis non dicitur, ſed nobiſcum. Ex eo eſt mecum, tecum, non cum me, & cum te: vt eſſet ſimile illis vobiſcum, atque nobiſcum. quòd ſi illa dicerentur obſcenius concurrerent litteræ. Si quæramus cur? ita ſe nuari adſueuerant. Voluptati autem aurium morigerari debet verſus, & oratio. Multa etiam alia, quæ ab ipſa tamen dem arte, & doctrina poſtulari videbantur, inuenire ſunt conati; de quibus non eſt in præſentia inſtituti noſtri, dicere. vocem tamen, & numerorum aures iudices ſemper conſtituerunt. At videamus de concentu. Concentum non exiſtimamus ex ſyllabis, nec ex pedibus, quanquam ſine ſyllabis, & pedibus non exiſtat verſus: ſicut etiam vulgares ex ſyllabis ſuos verſus iudicant, tum ex accentibus.

Nam licet hexametrum carmen, quod ſex conſtat pedibus, omnes pedes, & pedes iuſtas, & debitas ſyllabas habeant, non tamen ex ijs pedibus rectum, & optimum carmen dicemus: vt hoc, quod nunc mihi in mentem venit:

Roma mœnia terruit efferas Hanibal hoſtis.

Quis non videt ſex cõſtare pedibus? & quinto loco, vt neceſſe eſt, dactylum habere, & vltimo ſpondeum? qui pedes ſuas etiam ſyllabas habeat. quas verò aures niſi planè fatuas demulcet? Non tantùm ſyllabas, & pedes, à quibus ne unguem quidem diſcedere licet, ſpectari oportet: ſed verba legenda ſunt, potiſſimum bene ſonantia, & exquiſita ad ſonum: tum ſplendidis nominibus verſus eſt illuminandus. Collocabuntur deinde verba, vt inter ſe quàm aptiſſimè cohæreant. & ſi poſſibile eſt, ſecundũ primo annectatur verbum, ſecundo tertium, tertio quartum, quarto quintum, quinto ſextũ: vt apud Virgilium omnes ferè ſunt: vt illa.

Vrbs antiquo fuit, Tyrij tenuere coloni, vel;
Carthago Italiam contrà; Tyberinaque longè, vel;
Oſtia dives opũ, ſtudijſq. aſperrima belli: vel,
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam. vel;
Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus eſſe.

Et, vt verbo dicam, in quorum ſingulis oportet, inſint illæ penthemimeres, ſiue heptemimeres à Græcis ita nuncupatæ: ab latinis autem Ceſuræ dicuntur, quæ carminibus non parum luminis afferre ſolent. Ex ijs vobis ſatis apparere poteſt, nec ex ſyllabis, nec ex pedibus omnino laudari verſum, ſed ex verborum ordine, & connexione; quæ tandem longitudinum, & breuitatum, atque acutarum, grauiumq. vocum ſono plena concentum quemdam auribus noſtris efficit, vt nihil pulchrius, nihil iucundius, nihilq. audiri poſſit ſuauius. Quæ res etiam maiorem voluptatem adferre poteſt, quàm interuallorum breuium, & longorum varietas, quibus latinum carmen totum implicatum eſt, atque permixtum? & quoniam animus tum ſtabilis eſt, tum volubilis, neceſſe eſt eiuſmodi naturam varietate contineri. Alia eſt etiam in noſtris diſſimilitudo, ac varietas, quæ hominũ animos, auresq. mirabiliter demulcet, & iucunde occurrit ſatietati, & hæc vulgaribus nunquã euenire ſolet. nec, quod magis eſt, poteſt. Vulgaris enim verſus nunquam vndecim egreditur ſyllabas: & latinus verò decem, & ſeptem, vt Virgiliana illa:

At domus interior gemitu, miſeroq. tumultu
Miſcetur: penituq. cauæ plangoribus ædes
Fœmineis vlulant: ferit aurea ſydera clamor.

Sæpius etiam tredecim ſyllabis, idq. frequenter apud ipſum Virgilium, vt illud:

At me tum primum ſæuus circumſtetit horror,
Vt regem aquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. &c.

Et à tredecim ad decem, & ſeptem vſque diuagari licet: qui tanquam fines, & termini conſtituti ſunt, extra quos egredi nobis interdictum eſt: quanquam interdum liceat etiam euagari ad decem, & octo ſyllabas; vt in illis qui Hypercatalectici verſus appellantur. vt illa ex Virgilio:

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem. & alio loco.

Inferitur verò ex fatu nucis arbutus horrida.

Et licet hæc non egrediantur decem & ſeptem, poſſunt tamen eiuſdem metri egredi. ſed ſicut in muſicæ diſciplina auribus noſtris nulla infertur voluptas, niſi ex diſparibus vocibus cãtus fiat: nec in omnibus muſicis inſtrumentis, niſi inæqualibus neruis, & diſparibus motibus perficitur concentus; ita in verſibus nulla erit delectatio, nulla voluptas, nulla lætitia, nec vllus iucunditatis fructus niſi ex diſparibus pedibus, & ſyllabarum varietate, atque aliqua verſus fiat diſſimilitudine. Illam itaque harmoniam, quæ ex latinis prolabitur, dumtaxat hauriemus. Nec mirum, ſi rerum varietas oblectationem animis noſtris afferat: cùm veteres etiã Deum varietate delectari putarint. Nam cælum ſignis, & luminibus diſtinctum, & ornatum, terras quoque varijs montibus, planitie, ſyluis, arboribus, herbis, floribus, lympidiſſimis fontibus, & pluribus animalium naturis exornatas videbant. tum ignem, aerem, terram, mariaq. incredibili artificio elaborata, ex quibus diuinum numen, cui hæc omnia parent, concentum efficere tradiderunt. Vnde etiam elegantiſſimè veſter Poeta Ludouicus Arioſtus:

Et per tal variar natura è bella.

Alia etiam ſunt, quæ vel natura ipſa adfert, vel ars, hominumque diligentia, quæ tandem conſuetudo longæuusque vſus approbauit: & hæc in legendo oculus, & in dicendo animus proſpicit, quæ omnia defeſſas aures ſolent demulcere. Hæc de Poetis. Nunc de Oratoribus dicemus: qui Iſocratem omni conatu imitari ſtudent. Hic verbis ſolutis, auctore Cicerone, numeros primus adiunxit. Cùm enim audiret Oratores cum ſeueritate loqui, Poetas autem cum voluptate, fertur numeros ſequutus, quibus magna cum iucunditate in oratione vtuntur. Hoc verò genere antiqui iã ante Iſocratem delectabantur: cuius rei Gorgiam Leontinum auctorẽ laudamus, ſed eo vius eſt intemperantius. Inueniẽdi quoque Princeps fuit Thraſimachus, cuius tamẽ omnia nimis erãt ſcripta numeroſe. Hos verò moderatione vicit Iſocrates:

quam-

quamobrem numerorum princeps dicitur. leges enim, quæ ei nimis videbantur difficiles, & arduæ, paulò latiores, & faciliores reddidit. Conſtat igitur numeris adſtrictam orationem eſſe debere, ſed non vt verſus: & ſicut ſoluta oratione, adeò ſuaui, & graui verſus carere debet, ita oratorius numerus carebit verſibus, ne vitioſa omnino reddatur oratio. Fit autem oratorius numerus ſplendore aliquorum verborum, & quodam dicendi modo, qui à Cicerone concinnitas dicitur: quæ quatuor modis efficitur. Cùm oratio caſus habet in exitu ſimiles; ſiue paria paribus adiungantur, & ſimiliter definita, itemq. contrarijs cum opponantur contraria, fit ſuamet ſponte, & ſi id non agatur, numeroſa. Norit etiam pedes; in ijs tamen veteres diſceſſiſſe video; ſed Iambus, inquit, Cicero, frequentiſſimus eſt in ijs, quæ demiſſo, & humili ſermone dicuntur: In amplioribus Pœon, cuius vis eſt ex tribus breuibus, & longa, ſeu vna longa, & tribus breuibus: in vtroq. Dactylus: ſic in varia, & perpetua oratione hos tanquam purpuram inter ſe miſceri, & temperari oportet. Sed ego in ea ſum ſententia, in qua video Ciceronem fuiſſe. Ego autem, inquit, ſentio omnes in oratione eſſe quaſi permixtos, & confuſos pedes. Aures verò, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium dimenſionem. Itaq. & longiora, & breuiora iudicat, & perfecta & moderata expectat. Conamur ergo vti in verſu, ita & in ſoluta oratione, ne fraudentur aures, & offendantur. Eſſent ſanè plura hic differenda, quæ cùm ſint ab ipſo Cicerone, à Quintiliano, & ab alijs etiam copioſiùs, & elegantiùs expoſita, quàm ne diutiùs quidem ipſe poſſem, ad eos libenter committo. Quod verò maiorem hauriamus ex Latinis fontibus, quàm ex Vulgaribus voluptatem, legat, qui intelligit, Ciceronem, & alios qui numeroſè ſcripſerunt. Nec qui lyra pulſauerit, Line, & neruorum inferiorem duntaxat partem tetigerit, non harmoniam conficiet; imò verò, vt ita loquar, ineptiſſimam diſſonantiam. Sonus enim ſine aliquo motu fieri non poteſt, nec motus ſine numero. Neceſſe igitur erit, vt vbicunq. eſt concentus, prius ſit numerus, tum ex numero proficiſcatur concentus. At ſi ita eſt, vt eſt, harmonia erit Latinis. Et niſi Latinis litteris ineſſet pulchritudo, & incredibilis voluptas, non tam latè, longèq. diffuſa eſſet, nec omnes propè Latina lingua loquerentur. Neq. tam auidè Cumani, vt ſibi Latinè loqui liceret à Romanis efflagitaſſent. Cuius ſanè rei T. Liuium auctorem habemus: Cumanis, inquit, eo anno petentibus permiſſum, vt publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi ius eſſet. Tũ Iulius, Esto, inquit, vt dicis, Fabrii, doctos maiorem iucunditatis fructum ex Latinis litteris percipere, quàm ex Vulgaribus: namq. pulchrior mihi longè videtur: ſed vereor ne tam dulcis ſit, vt eſt ipſa Vulgaris. Cum enim Boccatium, & Petrarcham lego, vel potius cùm ab aliquo Florentino legi ſentio; neſcio quid iucundius, & dulcius audiri poſſit. tanta enim dulcedo aures afficit, vt nihil gratius audiri poſſe putem. Hæc cùm dixiſſet Iulius, ſanè lætari viſus eſt Linus, qui inquit, mehercule gaudeo, quòd in hac opinione ſis, in qua diu ero, niſi aliter mihi oſtenſum fuerit: quoniam Latino ſermone Græcus quantò eſt dulcior, tantò Vulgaris Græco. In qualibet lingua tribus modis ineſt dulcedo, vt litteris, vocibus, verborum copia. Græcum verò idioma Latino eſſe dulcius, Quintilianus palam profitetur: Quare, inquit, qui à Latinis exiget illam gratiam ſermonis Attici, det mihi in loquendo eandem iucunditatem, & parem copiam. Quòd autem Vulgaris ſit dulcior Græco; quisq. iudicare poteſt. Dulcedo namq. de qua habetur ſermo, ex litteris oritur; litterarum verò vocales dulciores ſunt conſonantibus: atqui Ethruſcorum verba, exceptis, quæ per *in*, & *del*, & quibuſdam alijs monoſyllabis, per vocales finiuntur. Erit igitur Ethruſca Græca dulcior, cùm Græcorum, vt videre eſt, verba non in vocales ſemper, ſed ſæpius in conſonantes deſinant. Hinc Quintilianus cùm vellet edocere Græcum ſermonem dulcedine quadam Latinum exuberare, inter cæteras hac maximè vtus eſt ratione, vt apud Græcos ne verbum quidem terminetur in M. quod Latini pleraq. illa, quaſi mugiente littera abſoluant. Dulcior quoq. ſit lingua, accentibus, & noſtra Vulgaris ſemper cum accentibus profertur. Tum vltima ſyllaba aliquando excitatur acuta: Latina nec acuta, nec flexa circũducitur, ſed in grauem, vel in duas graues ſemper cadit. Verborum copia dulcior etiam redditur ſermo, ſed magis per accidens. quare ſi hæc verba dura, aſpera, humilia, vſitata, vel inſolentia videantur, arbitratu noſtro in dulcia, plena, grauia, ſolentia, minus peruagata, & noua, atq. tolerantia transferri poterimus. At cùm Vulgaris ſermo ſit omnium vltimus, & copioſior erit. Græci Zephirum habent, Latini Zephirum, & Fauonium: nobis autem Zephiro Græco, Fauonio Latino, & illo, qui vulgò per Italiam *Ponente* dicitur, vti licebit. Tunc Fabritius, Hæc ferè, inquit, cùm de pulchritudine diſputaretur, agitata ſunt: ſed, cùm ita vobis videtur, diſpiciamus. quanquam parum, aut nihil admodum inter ſe differant. Omnia iſta, inquam, ego alio modo interpretor: nam qua ratione pulchritudo effcitur, eadem propè dulcedo; fit, dico, varietate. At quæ maior poteſt eſſe varietas, quàm in Latino ſermone, in quo verba & vocalibus, & conſonantibus

clauduntur. Nam ſi ſemper per vocales finirentur, non dulcedinem auribus noſtris parerent, ſed offenſionem, atq. faſtidium. Et veluti in conuiuijs ciborum ſimilitudo ſolet hominibus incredibilem adferre ſatietatem: ita auditor defatigatur ſimilium verborum ſatietate. Quamobrem à M. Tullio in primo de Inuentione diſertè dictum eſt, omnibus in rebus ſimilitudinem eſſe ſatietatis matrem: & alio loco, varietatem occurrere ſatietati. Hinc credo Latinam non modo hac veſtra Vulgari, ſed & Græca eſſe dulciorem: cùm noſtra terminetur in M. quod licet quibuſdam videatur mugire, iucunditatem tamen propter diſſimilitudinem habet: & ſi rectè pronuncietur, vt ego à nonnullis diſertiſſimis viris quandoq. audiui, mirum in modum aures demulcebit: quodq. à veteribus ſic pronunciatum fuiſſe arbitror. Nec Quintilianus ſi Ciceronis, & aliorum peritiſſimorum virorum tempore floruiſſet, iucunditatem attici ſermonis, nec fortè copiam deſideraſſet: nec forſan M. mugire diciſſet. Quod tamen non ei, ſed temporum iniurijs imputandum eſt. De accentibus, paulò antè longa habita eſt oratio, qua oſtenſum eſt inter Vulgares, & Latinos nullam propè eſſe differentiam. Profertur Latina lingua, aut vox ſemper cum accentibus, & non ſolùm Latina, verùm etiam linguæ omnes. Nec mirum ſi ultima ſyllaba non acuatur, quia pro acuta ſatis nobis faciunt conſonantes; neq. id penitus à Latinis deſideratur; quoniam benefit, & ſatisfit, & calefit, & calefis, atq. alia compoſita à fis, & fit, ut ſimplicia, acuunt ultimam. Apud Latinos etiam nonnunquam circumflectitur ultima ſyllaba, ut aliàs, familias, & huiuſmodi, cùm ſunt aduerbia. Sic ergò, circumflectitur, hoc eſt pro cauſa. ut ait ille:

Illius ergò
Venimus & magnos Erebi tranauimus amnes.

Siſenna quoque Milites, inquit, ut lex Calphurnia conceſſerat virtutis ergò ciuitate donati. idque frequentius apud recentiores. Verborum autem copia nos non uinci, ſed Vulgaribus longè ſuperiores eſſe, ſæpius commonſtrauimus: & quamuis permiſſum uobis ſit pro Zephiro, duobus alijs nominibus uti, non licet tamen ad conſequentiam protrahere; cùm id Vulgaribus ſpecialiter permiſſum ſit: &, ut ſuprà dicebamus, ex Ariſtotele, una hirundo non facit uer. Quid illa tandem, num utiliora cenſes, quæ omnibus ſunt communia? Quid Italus ſermo Gallis, Hiſpanis, Germanis, Græcis, omnibusq. alijs prodeſt? Quid Itali ſcriptores habent, cùm eorum nomen, atq. fama tantùm uiciſſim per Italiam, neq. per totam uolitet? Iacent tanquam in angulis, ſi non leguntur ab omnibus. Aegrotabunt ſi aeris mutationem non faciunt; peribit eorum nomen, ſi ad aliam dicendi formam mentes, ac uoluntates non mutabunt. Latini uerò quotidie magis, atq. magis uigent: eorum uireſcunt ſcripta, commemoratio huius nominis fuſiùs ſpargitur. Græci ſua quodammodo ſpernunt, noſtris utuntur. Quid reliquæ Prouinciæ? Gallia quidem barbaris antea ſermonibus deformata, & monſtruoſa, nunc hoſtium Latinæ linguæ corporibus inimica, Romanorum ſermonem in tantam familiaritatem recepit, ut mihi hoc ſæpius intuenti Gallia in Italiam conuerſa uideatur. Hiſpani quantùm huic fauent, minimè ignoras, Line. In Germania quoque regione non modò uiri ſagaciſſimo ingenio præditi, ſed & ipſæ mulieres Latinis diſciplinis excellunt. Apud doctos Chaldæos, Arabas, Syros, atq. Iudæos Latina leguntur. Quid nam igitur eſt Latino utilius? Tum ille, Laudo, inquit, id quidem, cùm bene reprehendas: & ſe iſto modo res habeat. Et cùm ultrò progredi uellet. Sat, inquit Ceua eſt, Line: Nam ut ille Virgilianus Tityrus dicebat:

Iam ſumma procul villarũ culmina fumant,
Majoresq. cadunt altis de montibus umbræ.

Tum Fabritius, Rectè mones, mi Ceua: exiſtimabam, inquit, huic finem imponere diſputationi. Verùm quidem hæc hactenus: cætera quotieſcunq. uoletis, & hoc loco, & alijs parata uobis erunt. Tunc Iulius, huc, inquit, cras redeundum eſt, & cùm ibi parata eſſet cymba, in eam omnes ſe contulerunt.

FINIS POMERID. SESS. III.

POME-

POMERIDIANARVM SESSIONVM QVARTA.

AD ACADEMICOS PAPINIANAEOS.

CVM ſæpe hanc noſtram ætatem, multorumq. hominum ingenia, ac virtutes mirari ſoleo, tum maximè in ijs ſtudijs, quæ multis iam ſeculis vel ob longam inter ſe hominum diſceptationẽ, vel ob ipſas temporum calamitates, aut ſanè fato ita ferente in tenebris, & pulſa loco miſerrimè iacebant. Nec enim vllum veſtrum latere arbitror, quàm rudis, quamq. inops ab initio tota Latina res fuerit: deinde verò dominatu regio Republica liberata, quæ tota erat præſtanti ſapientia, & exquiſiti ingenij viris plena, quanta progreſſio, quàm admirabilis, incredibilisq. curſus ad omnem perfectionem factus ſit. Namq. vrbe moribus, & legibus diuinitùs conſtituta, tum auſpicijs, cæremonijs, comitijs, prouocationibus, equitum, peditumq. diſtributione, ac tota militari re ordine quodam miro deſcriptis, ad omne diſciplinarum genus Latini homines ſe contulerunt. Et ita quidem ſe geſſerunt, vt non ſolùm omnis doctrina latinis verbis illuſtrata ſit, ſed & in omnibus orbis terrarum partibus latinè loqui neceſſe ex legibus fuerit. Nec verò hic eſt locus, vt de ijs loquamur: alio hæc abundè à Fabritio dicta ſunt. Hic autem conſideranti mihi hæc ſtudia, multa ſanè occurrunt, cur ea, quæ tantopere ab illis conſeruata, & culta ſunt, quæq. ad omnem excellentiam peruenerunt, ita deinde inculta reddita ſint, & veluti in aliquod pittrinum detruſa fuiſſe videri poſſint. Florente enim Rom. Republica, florentibusq. Latinis diſciplinis iterum cœpit illa, quæ eſt omnium malorum radix, regnandi cupido: quamobrem magna eſt inter ciues orta diſſenſio, & plures tum magiſtratuum, tum priuatorum hominum cædes factæ ſunt: quorum importuna clades, Latinum curſum retinuit, & incredibile poſteris detrimentum pepeit. Sed hanc certè rem longè deteriorem fecit multa barbaries, quæ non modo in vrbem Romam, verum etiam in Italiam totam vndiq. confluxit: quæ multis poſt annis in ea fuit, ac dominata eſt. At ijs temporibus, vti ingens, optimusq. campus, qui cùm duro anni tempore ob magnam Aquilonis, Auſtriq. vim infructuoſus eſt factus, & omni ſua pulchritudine deſtitutus, vere aduenïente, Zephiroq. ſpirante, atq. mira agricolæ ſedulitate totus delectationis, & vbertatis plenus redditur: ita hunc Latinum agrum, qui propter ſæuientes turbulentiſſimorum hominum flatus quodammodo ſterilis, paucos, aut admodum nullos fructus edidit, excellenti multorum ingenio, & ſingulari induſtria cultum florere, ex omniq. parte fruges magna cum voluptate emittere perſpicimus. Nec mihi in præſentia opus eſt, nec dies ſufficeret, vobis recenſere eos, quorum præſidio, quaſi poſtliminio Latinus ſermo redijſſe viſus eſt; nec eos, quibus nihil charius, nihilq. illuſtrius eſt, quàm eorum optimas opiniones, vel veterum ſcripta interpretari, corrigere, emendare, atq. omnia Latinis litteris colluſtrare, & tanto quidem lepore, vt hæc noſtra ætas in illam veterem celeberrimam mirificè commutata videatur. Fœlix ſanè ætas, fœlicioresq. nos, qui tales auctores nacti ſumus, maximè in Iuris prudentia: Budæum, qui primus poſt Iuſtinianum, elegantiam ad ius ciuile applicare cœpit: tum Andream Alciatum, qui plurimum quoq. luminis, & facundiæ non modò ciuili ſapientiæ, ſed poeticæ etiam, cæterarumq. bonarum artium ſtudijs attulit. Fuere & pleriq. alij, vt Zaſius, Viglius, Haloander, Duarenus, Goueanus, Conanus, Antonius Auguſtinus, Cuiacius, & multi alij, quos breuitatis cauſa omittendos duxi; qui libenter operam dederunt, vt ius ciuile iam diu inanibus, & barbaris verbis inuolutum omni elegantia, & diſcerent, & docerent. Et de legum interpretibus quidem hactenus. Scripta autem eorum qui de humanioribus litteris tractant, multa etiam colligi poſſunt: quibus Cicero ab inferis videatur reuocatus. Eius namq. præclaras animi dotes, verborum puritatem, dicendiq. copiam nobis tanquam expreſſam imaginem mirabiliter proponunt. Quid Angelus Politianus? Quid P. Manutius? Quid Muretus? Quid Sigonius? quid omnes demum recentiores? Sic de cæteris artibus. Philoſophiæ

ſtudium

ſtudium vetus quidem in noſtris : ſed tamen ante F. Vicomercati, & Scaligeri ætatem, qui bene ſcriberet, paucos, ac propè nullos reperio, quos appellare poſſim nominatim. In re quoq. Medica talis ſe habuit Fernelius, vt ne quidem M. Tullius, ſi de ea tractaſſet, elegantius ſcribere potuiſſet. Poſt Fernelium multi eiuſdem æmuli rationis multa politè, eleganterq. condita reliquerunt. Idem largitur ijs, qui de rebus à ſenſu penitus abditis, & fidei beneficio notis, quæ Theologia dicitur, diſputant ; quorum omnium labores redolent antiquitatem. Sed multò fœliciter vobis accidit, Academici, qui tales, tantosq. anteceſſores habetis, Pancirolum dico, Manutium, Vaudum ; qui ita cùm natura, & ingenio mirabili, tum iuris ſcientia, atq. eloquendi ſuauitate, & copia inſtituti, ac ornati, vti qui eos ſuperet in Italia, vix putem ſupereſſe quemquam. Cæterum eſt, vt de vobis dicam : qui vti horum doctiſſimorum virorum diſciplinam, atq. inſtituta adte qui melius valeatis, hanc Academiam more maiorum conſtituiſtis, legibusq. confirmaſtis: in qua ſic vos geritis tam in proponendis, quàm diſceptandis perdifficilibus, & controuerſis iuris quæſtionibus, vti omnes viri docti, quaſi obſtupefacti in vos tanquam in ſpeculum oculos conijciant. Et inter cætera laudatur maximè veſtra illa conſtitutio ſanctiùs lata, & vſu iam confirmata, quæ habet ; Si quis in Academia temerè aliter, quàm Latinè ſermonem habuerit, iure ſtatim reijcito. quod argumentum maximum præbet, vos Latini ſermonis gloriam, & dignitatem tueri, eamq. cæteris rebus præferre: & meritò, cùm ſine eo omnis ars, & omnis doctrina illiberalis ſit. Cùm verò hoc Latinè loqui ad ciuilem diſciplinam, cæterasq. artes comparandas & vtile, & neceſſarium ſit, non mihi hic arbitror pluribus explicandum. Nemo enim eſt, niſi planè rudis, & imperitus, quin ſciat ad bene ciuiliter diſſerendum, atq. ſcribendum, quantum habeat virium, & ponderis latinus ſermo. Quare iam conſtanti animo pergite incumbere in iſtam Academiam, in qua eſtis, & ad iuris principatum, tum ad obſeruandas leges, præſertim hanc noſtram toto animo, vt facitis, atque omni ſtudio contendite : & Fabritium Academiæ veſtræ Principem omni conatu imitari conamini. Nam cùm ab Academia diſcederet, ad aliam diſputationem, quæ iam per tres continuos dies agitata erat, ſtatim ſe contulit. At cùm tardiùs propter veſtram longam diſceptationem ad præſtitutum locum deueniſſet, mirabantur omnes. Quapropter Ceua, qui contra morem, & conſuetudinem ſuam, relicto Fabritio, non ſolùm amicitia, ſed etiam cognatione ſibi coniuncto, vnà cum F. Lino, & Iulio Cæſare ad præteriti ſermonis ſedem deuenit, Vt citius, inquit, hoc, quod ſuſcepimus non mediocre munus conficere poſſimus, vellem Fabritium adeſſe. Miror equidem : ſed maiorem aliquam eſſe cauſam ejus moræ, & tarditatis ſuſpicor. Qui cùm acceſſiſſet proxime, ille eſt, inquit Linus, ni fallor, quem ad nos celeriter venientem video. Quid tu tandem; nunquid nam noui? Tum Fabricius, Nihil, inquit, ſanè. Tum Iulius Cæſar, cur igitur, inquit, tardius, quàm poſtero die dicebas, iter ad nos confeciſti? Iam per duas quidem horas modò ambulantes, modò apud iſtam aquulam ſedentes admirati omnes te magno deſiderio expectabamus. Tum ille, maturiùs, inquit, adueniſſem : ſed heri veſperi ſimulatq. longam inter nos diſputationem habitam interpoſuiſſemus, domum, vt ſcitis, me recepi : vbi mox redditæ mihi fuernt quædam iuris propoſitiones, quas θέσεις Græci appellant, quibus hodie diſcutiendis quattuor quidem horas conſumpſimus. quòd ſi ego, tanquam Princeps tantæ diſputationi finem haud iuſſiſſem imponere, vſq. ad extremum diei facilè peruenisſemus. Fine tamen differendi impoſito nullam moram interponendam putaui, quin ad vos cõuolarem. Itaq. confeſtim, relictis Academicis, & ſtudijs ijſdem, & vetuſtate amicitiæ coniunctis huc perrexi. Tum Iulius, nunquam, inquit, de hac veſtra Academia intellexi : ſed quinam, precor, ſunt iſti Academici? Statim, inquit Fabritius, multi, & quidem docti : qui, vt dicam liberè, ſunt, & tale eſt omnium iudicium, decus, atq. gloriæ huius almæ vniuerſitatis. Ipſe verò dignus, vt in eam acciperer, fui, non ingenij mei, aut vllius doctrinæ viribus, quæ imbecilles admodum ſunt, ſed ob eorum humanitatem, ac ſingularem erga me beneuolentiam. Multi enim me doctiores, & acutiores tanquam minus idonei ex Academicorum numero reiecti ſunt. Nec vllus in ea deſcribi poteſt, quin priùs aliquas elegantes iuris aſſertiones propoſuerit, eaſq. aduerſus omnes ſtrenuè tueatur. multaq. alia deſiderantur : de quibus dicere haud eſt neceſſe. Tum Linus, vehementer, inquit, cuperem te eos ſingulos nominare. Tunc Ceua, Ego, inquit, nihil charius. Verùm quia mihi ſatis cogniti ſunt (mihi enim interdum ob ſuum in me ſtudium, & amorem differentes audire licuit, eosq. deinde ſemper plurimi feci) pro Fabritio tibi ſatisfaciam. Et proſequar, cùm ita mauis, omnes nominatim : ſed vt credo, non omnes tibi cogniti ſunt. Vnus namq. eſt Gallus, qui Petrus Boeſſatus dicitur, in quo natura vires omnes ſuas videtur exercuiſſe: Iuris ciuilis intelligentia, atq. omni prudentiæ genere præſtat: & inter cætera hoc ſæpe admiratos omnes ſolet reddere, quòd lectiones doctiſſimorum Panciroli, & Manutij Latinè, vti moris eſt, profitentium attentè audiens

diens Græcè ſcribit, & ne verbum quidem prætermittit. Duo etiam Allobroges ſunt, & Latinis, & Græcis litteris eruditiſſimi. Eorum alter eſt Antonius Faber ingenio, ac memoria plurimùm valens, & is ſemper quare ita à legumlatoribus reſponſum ſit, & ab Imperatoribus ſancitum, conatur rationem reddere, & quidem, vt aiunt, palpabilem, tum ſuauis, & copioſus in dicendo, doctiſſimus, omniumque in diſputando acutiſſimus. Alter Claudius Guichiardus ſummus orator, & rerum antiquarum pater. Hic quoq. paucis abhinc diebus de Sepulturis, ſepeliendiq. omnium nationum ritu libros aliquot prudentiſſimè, atq. grauiſſimè conſcripſit: in quibus adoleſcentis ingenium, & eruditionem quis facilè poteſt animaduertere. Eiuſq. multi tam Græci, quàm Latini conditi verſus circumferuntur. eorum neminem puto te cognoſcere: ſed quemq. ſæpius vidiſſe. Alios ſanè Academicos & doctos, & prudentes ſæpe, niſi me fallo, alloquutus es. Vnus namque eorum eſt hic Fabritius noſter, totius Academiæ Princeps creatus, cuius ingenij ſuperfluum eſt indicem ſubtexere, cùm eius virtutes luce ſint clariores. Vnus etiam eſt M. Antonius Iuſtinianus; qui dubito an potius Vlpianus, quàm Iuſtinianus appellari debeat. cum ſit peracutus ad excogitandum quid in iure aut in æquo aut eſt, aut non eſt. tum verbis eſt ad rem ſumma cum breuitate mirabiliter aptus, mirabiliſq. in hoc interpretandi, explanandiq. & differendi genere, ſic, vt ſimile nihil viderim. quantùm verò Græcis diſciplinis excellat, taceo, cùm in ijs natus ſit, atq. altus. Ioanni quoq. Antoniatio neminem anteponere audeo. in eo enim induſtriam conſtat ſummam eſſe, maximamq. in diſputando ſubtilitatem, in dicendoq. grauitatem. In eodem numero, & eiuſdem fere ætatis eſt Alexander Zobolus Latinis quoq. & Græcis litteris ornatiſſimus: præterea acutior rebus inueniendis, nec minus verbis expeditus: qui licet per tres duntaxat annos legibus operam dederit, tantùm tamen profecit, vt decem mihi videatur conſumpſiſſe. Adeſt & Cæſar Coſtaphortius, qui Latinè in primis eleganter loquitur: rem prudenter conſiderat, eamq. maxima ſuauitate profert. rem quoq. ſtudet vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare, obſcuram explanare, ambiguam cùm primum videre, tum diſtinguere, deniq. habere regulam, qua vera & falſa iudicarentur, &, quæ antinomia videtur, tollere. Duo deniq. ingenioſiſſimi, & prope æquales M. Antonius Siuorius, & Fabianus Mazonus. hic in omni diſciplinarum genere verſatus, Græcis litteris eruditus, Poeta egregius, Philoſophiamq. Lutetiæ Pariſiorum honorificentiſſimè profeſſus. quantùm verò in iuris ſcientia emicet, puto tibi ſatis liquere, cùm id omnibus perſpicuum ſit. Paucis enim abhinc diebus multa iuris axiomata publicè diſputanda propoſuit (quod omnes ferè Academici facient, & fecerunt) quæ vel cum omni admiratione aduerſus expertos, & fortiſſimos athletas ſtrenuè defendit, maximamq. gloriam reportauit. Ille præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero. Noli enim putare quemquam promptiorem ad cognoſcendam argumentorum vim, & ad reſpondendum eſſe faciliorem. hic etiam iam ab initio ſuorum ſtudiorum relictis, ne dicam, neglectis Doctorum commentarijs, totus Iuriſconſultorum reſponſis, hoc eſt, textui ſe ſtudioſiſsimè præbuit, ſtrenuuſq. hoſtis Vulgaris ſermonis, & Latini optimus tutor: quod idem ſunt cæteri. Eſt etiam vnus tui amiciſsimus, & Fabritio, Iulioq. magna neceſsitudine, & mihi cognatione coniunctus, atq. huius Academiæ maximus auctor, Anaſtaſius Germonus. Sed, vt ne longiùs progrediar, ij omnes ita prudentes ſunt tam natura, atq. arte, vt, quemadmodum ex illo ficto Troiano equo multi illuſtres proceres exierunt, ſic ex hac Academia quotidie nouo quodam ſplẽdore aliquis prodeat. Hæc cùm dixiſſet: Cognoſco eos certè, inquit Linus, & eos ita cognoſco prudentes, & doctos, vt quamprimùm, mi Fabrici, hæc Academia videatur mihi diſſolutum iri. Tum ille, imò, inquit, nunquam deficiet: quoniam cùm quis ad doctoratus inſignia aſcẽdit, tenetur prius pro ſe alterum ſcientia, & moribus, & ab omnibus Academicis diligenter inquiſitum, atque adprobatum ſubſtituere. Tum Ceua, De ijs, inquit, ſatis. vellem ad inſtitutum opus iam accedere. Namque dici non poteſt, quam ſim heſterna, & alijs diſputationibus veſtris delectatus, vel potiùs adiutus: etſi mihi conſcius ſum, nunquam me nimis cupidum fuiſſe diſputationis. Tum Fabritius, Sanè, inquit, gaudeo, quod nos interpellas: inclinat iam longè poſt meridianum tempus dies. Sed vos pergite, vt cœperatis, & ſingillatim reſpondebo. Tunc Iulius, Cùm Vulgaris, inquit, lingua ſit perceptu facilior, quàm Latina, ſemper exiſtimaui fore vtilius, ſi iam inde ab ineunte ætate docere, atque pueros Vulgaribus litteris erudire ſtuderemus. Etenim non mediocrem in Latinis litteris ediſcendis operam, & diuturnam curam ponunt, ſed omnem propemodum conſumunt ætatem: vt priuſquam veram Latinarum litterarum cognitionem adeant, è Philoſophorum, Medicorum, Poetarum, Iuriſq. peritorum, ac Theologorum ſcholis tales euaderent, vt de eorum virtute minùs dubitare liceret. Quæ cùm audiuiſſet Fabritius, Quis eſt, inquit, tam hebes, tua pace dixerim, vt iſta moueat? Nam quò quid difficilius, hoc præclarius, & quod præclarum

rum eſt,idem arduum,& quantò magis arduum, tantò iucundius hominibus videri ſolet. E ſpinis colliguntur roſæ. Agricola quoque poſt multos labores vberrimos legit fructus. Nec mercator vehementiſſimam Aquilonis, Auſtriq. vim, nec fæuientes, & ruentes nimborum procellas, nec ingentes calores facilè patietur, niſi priùs lucri ſpe concepta: neque miles militiam exercebit, neq. feret vt corpus omne vulneribus, & cruore diffluat, niſi victoriæ ſpe, & quæſtus propoſita. Nec porro ſcio,quæ ſit iſta tanta difficultas,quæ in ea verſatur: maiorem ſanè in Vulgari ediſcenda intueor: ſi,inquam,veram,grauem, politamq. amemus,& illam,incultam,horridam, vel, vt ita dicam, maternam, de qua prorſus te nihil dicturum opinor,tanquam rem omnino futilem, nulliusq. pretij relinquamus. Vos omnes teſtes eſtis, teſtis longa veſtra defatigatio, teſtis etiam diuturna veſtra in Vulgaribus litteris exercitatio. Quod verò putas,mi Iuli,de pueris, ridiculum penitus videtur. Namque virtutes illas à te enumeratas magnorum virorum mens, & intelligentia ferè capere poteſt. Et, vt primum de Philoſophia loquamur, nulli dubium eſt,quin ipſa magnis ſtudijs, ſummisq. lucubrationibus indigeat, ſi ad ſummum eius faſtigium aſcendere nitamur. Nonne & illa nos Ciceronis ſententia docere debet? Philoſophia, inquit, virtutis continet, & officij,& bene viuendi diſciplinam, quam qui profitetur,grauiſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur. Et de ea duntaxat intelligit, quæ ad vitam, & ad mores pertinet: quòd ſi ad illam,quæ naturalis vulgò dicitur, te vertas,maiorem profectò capies admirationem: non de Iuſtitia, non de Temperantia, de Fortitudine, & alijs id genus: quamuis libenter fatear quid graue eſſe,& quid magni ponderis habere. Sed de ijs, quæ aliquando Rodomons Germonus, Philoſophiæ Medicinæque doctor, litteris mandauit:quæ hic propter breuitatem recitabo;

In primis rerum ſpecies,arcanaq. Cœli,
Cauſarumq. docent ſeries cognoſcere certas:
Si fluat & Pontus, vel ſi diffunditur aer.
Si grauia ima petunt, proficiſcitur ignis ad aſtra:
Lubrica quare imbres telluri alimenta miniſtrat.
Aethera ſi venti, rurſus ſi flumina paſcunt.
Inde docent miro ſcrutari an acumine mentis
Sit ſimplex in mundo aer,terra,ignis,& vnda:
An ve elementorum facit hoc diſcordia concors,
Et cùm ex ijs conſtent, tandem immutantur ab iiſdem,
Et ſe inter certant,ſibi ſintue aduerſa viciſſim.
Vnde nec æternum poſſint durare per æuum,
Frigida dum pugnant calidis, dumq. humida ſiccis:
An ſit & vnde fluat Fatum,Fortunaq. Caſus:
Atq. mouens pariter cum motu detur ineſſe.
Vnde fluant nubes, pluuiæ,fulmenq. creentur.
Aſtrorum aſpectus, occaſus, nomina,& ortus:
Nec non à nimbis ſimul ante cauere futuris:
Nuntia Iunonis varios ſuccinta colores
Imbibit Iris aquas,alimentaq. nubibus affert,
Dum fumi ſeſe ex fluuijſq. paludibus vdis
Attollunt etiam aſtrorum virtute caloris.
Quin etiam madidis Notus ocyus euolat alis,
Humida dũ denſis redimitus tempora nimbis.
Vltrò hominum, pecudumq. genus, pariterq. volantum.
Qua ratione queant tandem ſentire, moueri,
Oſſacere,audire,& guſtare,& tangere multa:
Quid ſit cõmunis ſenſus, Phantaſtica virtus,
Quæ ſit vis memorandi, quodq. Apprehenſio rerum.
Qui intellectus agens, an ſit Phantaſmaq. imago
Rerum obiectarum,certa ratione docebunt,&c.

Ipſa eſt etiam,quæ in hac elegantiſſima rerum vniuerſitate,in hoc maximo,& potentiſſimo naturæ imperio, in hoc amœniſſimo diuinarum, & humanarum mentium domicilio mentem aliquam primam, æternamq. eſſe naturam ab omni mortali concretione ſeiunctam, eamq. huius magnificentiſſimi,& nobiliſſimi ædificij, quem mundum ritè appellamus, architectum, mortalium, immortaliumq. rerum parentem, ac effectricem eſſe oſtentauit. Cuius beneficio ſtellarum quoq. globos terræ magnitudinem facilè vincere; tum nouem orbes, vel potius globos, quibus connexa ſunt omnia,illuſtrat,& complet, Solem,inferioremq. locum obtinere Lunam,quæ luce lucet aliena. Hac ſola inſtituti ſapientia maiores noſtri animum immortalem eſſe dixerunt. quanquam quid ſit animus, vel anima, & quo in loco ſita ſit, nondum inter Philoſophos conuenit. Quidam enim ignem, quidam ventum,quidam ſanguinem,eſſe dicunt. Alij ſedem in corde, quaſi Principem in medio principatu habere: alij in capite, tanquam in arce poſitam: alij vbiq. & in qualibet corporis parte. & quomodocunq. ſit,licet veram,& perfectam Dei cognitionem non haberent, immortalitatem tamen animæ conſtituerunt. Hæc, pluraq. alia continet Philoſophia. Hinc meritò eximius ille noſter Platonis imitator putauit Philoſophiam non eſſe vulgarem, quòd eam non niſi docti homines aſſequi poſſent: Eſt, inquit, Philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens. Geometriam, Mathematicam, & Aſtrologiam, quæ cùm habeant cum ipſa Philoſophia aliquam ſocietatem, atq. affinitatem,non temerè omittendas eſſe duxi. Ad ea verò, quæ medicina ratione perfulgent, conuerſus,

uersus, quàm præclara, & illustri contemplatione rerum plurimarum naturas persequatur, atq; peruestiget, breui cognoscetis. Quid enim ea potest hominum generi charius, aut optabilius esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos, inquam, & aduersam valetudinem repellit? quæ vitam incolumem, & ab omni languore liberam, quàm diutissimè tuetur? Et sicut corporis firma dispositione nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores, sic nulla valetudine, aut sanè infirma illa nihil tristius, nihilq. calamitosius. quapropter rectè, & ornatè ab Horatio dictum est;

Tolle querelas

Pauper enim non sum, cui rerum suppetit vsus.
Si ventri, si lateri est, pedibusq. tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Ipsa igitur est ad hominum commoda, societatemq. tuendam comparata. Eius namq. adminiculo ijs corporis inclusi compagibus vitam transigere possumus beatam, atq. tranquillam: quin tamen ij, qui eam profitentur, in multa, ac varia rerum cognitione versentur, nemini dubium est. Primum enim totam hanc hominis fabricationem, omnemq. humanæ naturæ figuram, atque perfectionem intuentur & excutiunt. Et cùm homo pluribus constet partibus, omnia minutatim discernunt, & scrutantur: os, dentes tam acutos quàm intimos, qui genuini appellantur, linguam, tonsillas, palatum, & alia, quorum beneficio extenuatur, & mollitur cibus, depulsum, & quasi detrusum cibum accipere stomachum: sed quomodo, & effectus, causasq. perquirunt. in aluo multa quoque incredibiliter effecta, quæ constant ferè neruis, diligenter animaduertunt. Esse autem multiplicem, & tortuosam, arcereq. & continere, siue illud aridum sit, siue humidum, quod recepit, vt id mutari, & concoqui facilè possit: tum eam astringi, tum relaxari, atque omne quod accipit, cogere, & confundere, vt facile & calore, quem plurimùm possidet, & conterendo cibo, & insuper spiritu omnia cocta, atq. confecta in reliquum corpus diuidi, atq. diffundi. Ex intestinis autem, & aluo secretum à reliquo cibo succum eum, quo alimur, permanare ad iecur per quasdam à medio intestino, quod mesenterium medici appellant, vsque ad portas iecoris ductas, & directas vias, quæ pertinent ad iecur, eique adhærent; atque inde alias, per quas cadit cibus à iecore deflectens. Ex eo cibo, vel vt Anatomici loquuntur, à sanguificatione, cùm vtraque secreta est bilis, secretiq. humores, qui ex renibus proueniunt, reliqua se in sanguinem conuertunt: qui tandem in eam venam, quæ caua dicitur, profunditur: perq. eam ad cor perfectus iam, coactusq. calore diffunditur. A corde autem, quod etiam arteriarum radix, fons, & origo est, in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, licet aliter Galeno, & pluribus alijs Medicis visum sit: qui eam ab iecore in omnes corporis partes prolabi crediderunt: quam disputationem huius artis peritioribus libenter omittam. Illa potiùs admirabilis vis artificiosi operis, diuinq. describetur. Qui enim calore in pulmones spiritus ducitur (namq. in pulmonibus inesse raritatem quandam, & assimilem spongijs mollitudinem ad hauriendum spiritum aptissimam, quos tum se contrahere aspirantes, tum respirantes dilatare, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes) is primùm ex naribus in fauces trahitur, non nihil à gargario obtemperatus statim in laryngem, deinde per totam asperam arteriam, & ipsorum pulmonum substantiam fertur. Hinc verò spiritus iam agitatione pulmonum calefactus, & cordi quodammodo præparatus; cuius pars, tanquam fuliginosa, cordique minus vtilis respirando redditur: pars altera in sinistrum cordis sinum, qui ventriculus cordis nuncupatur, per arteriam venalem delata, tenui, feruidoq. sanguini, quem cor parte sinistra continet, ita commiscetur, vt vitalis spiritus conficiatur: qui postea ex hoc ventriculo per magnam arteriam vnà cum sanguine impetu ruente, ac feruido disseminatus in omne corpus distribuitur; & calorem singulis membris priuatis innatum reficit, atque temperat. Sed ne longiùs ducatur oratio; Hæc cibi, potionisq. organa corporis nostri, quæ admirabilis architectus extruxit; quemque ipsorum vsus, & actionis gratia, numerum, situm, formam, connexum, substantiam vasorum, neruorum, ossium, commissurarum, tum auditum, visum, tactum, omnesq. corporis sensus perscrutatur Medicus, & explicat. Et, vt miram hominis fabricationem, naturamq. demonstrat, & euoluit, haud secus cunctarum ortus, & occasus, ipsamq. omnium ex elementis compositionem animalium, stirpiumque proprias vires percurrit, atque commonstrat. Altius quoq. euolans quæcunq. ex patefactis terræ voraginibus, & faucibus eruuntur, excutit; indeq. sublata, cœlorum, & syderum conuersiones, & quæ inde profluunt, manantq. virtutes orbis inferioris moderatrices seruat, & pertractat. Tanta, vt paucis comprehendam, rerum cognitione excellit Medicina, vt omnium, quæ mundus complexu suo continet, naturam, atq. vires sagaciter adipiscatur, quas demũ ad vnius hominis (vnius præcipua illi cura est) commoda, salutemq. referat, vt illorum vsu integram corporis valetudinem obseruet, aduersam propulset; licet non semper hunc ipsum finẽ attingat. Quæcunq. tamen Medicina ratione perlustrat, ad hominum vtili-

vtilitatem refert,& accommodat. Ea,inquam, eſt conſpiratio, is conſenſus, vt homo ſaluus, & incolumis ſeruari valeat,& æger in integrum reſtitui. Non poſſum quoque niſi ægrè Poeticam facultatem præterire. Exiſtimas credo, Iuli, Poeticam nihil aliud, quàm fabulas continere. Continet autem occultam quandam Philoſophiam,vitæ quidem emendatricem,quæ non ita facilè percipitur, vt vulgò creditum eſt. Multa enim ab ipſis Poetis ſunt conficta,vt effictos noſtros mores in alienis perſonis,quaſi expreſſam, & politam imaginem vitæ quotidianæ videremus. Atqui Calliope,& omnis Muſarũ cohors, non ita iuuenilium amorum laqueis ſunt adſtrictæ, vt iunt hæ, quas proprijs oculis cernimus, fucatæ mulieres, quæ nihil iure poſſident, niſi mollitiem,calamiſtros,rugothacia,inaniaq. pigmenta,quibus quotidie, vt magis iuuentutem ſuis illecebris pelliciant, vtuntur. Hæ ciuitates argento, auro, & gemmis ornatæ incolunt, iuuenes diligunt, atque amant: illæ loca inculta habitant, & pro diadematibus aureis, & è margaritis, corollas violis, & roſis contextas geſtant: tum iuuentutem vt plurimùm fugiunt, ſenes complectuntur, ac in proprio ſinu amantiſſime fouent. Nec equis in illam fœlicem patriam aſpiratur, nec in illum altiſſimum,& ameniſſimum montem quadrigis conſcenditur: ſed pedibus, & ſemper per ſenticoſa, & ſaxoſa loca iter fit: & quantò ſenior,tantò ſanè melior, atq. fortior. Nec illi præterea clariſſimo fonti admouent labra, ante quàm ſuaues eloquentiæ floſculos, & vberrimos Philoſophiæ fructus, ac diuinarum, humanarumq. rerum ſcientiam infaſcem vnum colligarint. Et ſi tandem ad Theologorum artem longè cæterarum diſciplinarum honore, atque commendatione inſignem parumper deducam orationem meam, magnam quidem auribus, & toto ſenſu hauries admirationem. Namq. ſuperioris memoriæ Philoſophi, qui verum Dei optimi maximi cultum nõ ignorarunt, mortalem, cæcam, caducamq. ſapientiam multis iam luminibus illuſtratam cum immortali, atque diuina coniunxerunt Theologia, quæ proinde ita Chriſtianæ fidei fontibus Philoſophorum hortulos irrigare cœpit,vt è duabus vna quaſi conflata videatur. Docet ipſa, non argumentis tantùm ſubtiliſſimis, & rationibus probatiſsimis, ſed certis, & omnium Sanctorum Patrum conſenſu approbatis auctoritatibus, ac ipſamet Dei voce, in Cælo, & Mundo ineſſe diuinam mentem per res omnes intentam, cuius nutu, & numine omnia mouentur: & illam ipſam vim, & omnem hanc, quam conſpicimus, naturam è nihilo excitaſſe, ſibiq. hanc rerum vniuerſitatem, tanquam templum, atque delubrum elegiſſe,vti ſolus puro corde, & vera à nobis religione coleretur. Hanc quoque excellentiſsimam mentem à nullius rei adminiſtratione, & procuratione vacare, nec vlla ceſſatione torpere,ſed ita humanas actiones curare,vt dignis factis, virtutumq. meritis præmia, maleficijs, atq. ſcelcribus ſupplicia conſtituerit ſempiterna. Nec minus trinum, & vnum rerum omnium principium, vel (vt melius dicam) vnum principem, Deum Optimum Maximum Patrem, & Filium,& Spiritum ſanctum commonſtrat,quam admirabilem Chriſti incarnationem; qui cum diuinæ naturæ hypoſtaſis eſſet,ita humanam aſſumpſit naturam, vt vna & eadem eſſet diuinæ, & humanæ naturæ hypoſtaſis, ac perſona. Cuius deſtituto præſidio nec ipſius Chriſti reſurrectionem,nec eiuſdem in cœlum aſcenſum,nec Spiritus ſancti infuſionem conſiderare poſſemus, aut Sathanam iam ab initio, tanquam fulmen è cœleſti patria ruentem in profundiſsimum,& horribiliſsimum carcerem,vbi perpetuò eſt regnaturus; ac hominem ad Dei imaginem, ſimilitudinemq. ab ipſomet Deo procreatum; & Angelos infinito prope numero in electorum miniſterium datos. Tum ſacramentorum diſciplina,quæ eſt maxima Theologiæ pars, quæ vel Dei iuſſu neceſſaria,& vtilitate vberrima eſt, totam hominis diligentiam, facultatem, induſtriamq. poſtulat ſingularem. Sacramenta enim ex genere earum rerum eſſe, quibus æterna ſalus, & iuſtitia comparatur, dubitare non debes. In quibus Sacroſanctis miniſterijs bonorum omnium copia, & affluentia incluſa eſt: & præſertim fons omnium gratiarum Euchariſtia, quæ omnium Sacramentorum auctorem Chriſtum Dominum admirabili quodam modo in ſe continet: à quo tanquam a fonte ad alia Sacramenta quicquid boni, & profectionis habent, prolabitur, & manat. Vis igitur pueros, quippe qui non habent animi iudicium,tam facilè Theologorum nomen adſequi? Videris mihi velle ſeminare,vt dicitur, margaritas ante porcos. Hæc eſt illa ars (vt vno verbo dicam) per quam non ſolum nobis peruia fiunt inuiſibilia Dei, ſed & interiorum diſciplinarum, veluti per ſolem, qui ſua magnitudine, & ſplendidiſsimis radijs cuncta illuſtrat, documenta ſuo candore illuſtrantur, & auctoritate confirmantur. Sed quid in alienas meſſes falces immittimus? cùm ager noſter ſatis ſit fœcundus, & omnibus ferè rebus abundans? Nobis non dubium eſt, niſi planè in iure ciuili plumbei ſumus, quin leges diuinitus ſint inuentæ, & ab Imperatoribus, tum à ſummis Pontificibus miro iudicio, ac prudenti conſilio ſancitæ, atque promulgatæ. At rogo, quid aliud in legibus continetur, quàm luſtitia? luſtitiam enim colimus,& boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo

ſeparan-

ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolùm metu poenarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione afficere cupientes. Vnde Iuſtitiã ab Vlpiano dicitur eſſe conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens. At mi Iuli, videris omne ius velle penitus euertere, & non vnicuiq. ſed nemini ſuum aſſignare. Si res non ita ſe habet, vt te innuere video: cur ergo in illum inextricabilem errorem incidiſti tam facilè? vt putares antequam ad Latinarum litterarum cognitionem adſcendiſſent impuberes, iuriſconſultos facillimè fieri? Nam ſi Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas, vt eſt, ius omne tollis, cùm in impubere nulla ſit voluntas, vt quiuis legum interpres manifeſtè oſtendit, qui etiam nihil poſſe, vel ſcire intelligitur. Quod autem non eſt, nec conſtans, nec perpetuum eſſe poteſt: in impubere igitur nulla erit Iuſtitia: ſi nulla eſt, poterit ne de ſeruitutibus, de teſtamentis, de ſubſtitutionibus, de iure accreſcendi, de legatis, de fideicommiſſis, de bonorum poſſeſſionibus, de ſtipulationibus, de euictionibus, de vſucapionibus, de parricidijs, de furtis, & alijs infinitis formulis, & quæſtionibus, quæ paſsim in iure proponuntur, quas temporis breuitas commemorare non patitur, conſultò reſpondere, & cuiq. res ſuas largiri? Iam te oculis cerno bona, vitamque tuam, parentum, fratrum, omniumq. proximorum paruipendere, & bonos hominum mores in mollitiem, omnem pietatem in crudelitatem, omnem lætitiam in lacrymas, ſordesq. lugubres conuertere, populis quietis, & pacatis bellandi, delinquendiq. occaſionem præbere, ſtudia religionis, & virtutis officia extinguere, omnia ſalutis monumenta perdere. Quot enim ſceleratiſsimi, ac perditiſsimi homines omnium actionum ſuarum naufragium nil metuentes oppugnarent, & commune præſidium diſturbarent, & vniuerſi noſtri generis arcem, fundamentum humanæ vitæ euerterent, Iuſtitiam ipſam excellentiſsimam virtutum omnium dominam, & reginam, cuius auctoritate, & vi maxima vtimur, non modò ad rem regendam, & ad celebrandos conuentus, ad ſocietates regendas, ad concilia publica, ac priuata, ad communem ſalutem, atque vtilitatem ciuium, ciuitatumq. incolumitatem, ſed ad hoc etiam, vt ij, qui male ficio, & ſcelere paſcuntur, qui latrociniorum, cædium, incendiorum, & ſpe rapinarum aluntur, turpiſsimè puniantur? Hæc ſunt, & alia innumerabilia, quæ breuitatis cauſa omittam, teneris puerorum, & impuberum mentibus, aut maximorum, eruditiſsimorumq. hominum ingenijs digna. Dicam deinceps, nulla iuris ratione hos Iuriſconſultos fieri poſſe: cùm lege Iulia, auctore Calliſtrato, libro edicti monitorij primo, cautum ſit, ne minor viginti annis iudicare cogatur: & nemini licere minorem viginti annis compromiſſarium iudicem eligere. quanquam Vlpiano æquiſsimum viſum ſit tueri etiã poſſe ſententiam à minore vigintiquinq. annis datam, niſi minor, decem, & octo eſſet. Diſcipulis quoque definit Iuſtinianus quinquennium, quo, ſcilicet, dent operam audiendis profeſſoribus, & perlegendis libris conditorum iuris. Ante Iuſtinianum erat definitum quadriennium, nec niſi, qui probaſſet tantùm ſe temporis legum ſtudijs impendiſſe, admittebatur in numero Aduocatorum: & ita Imperator Anaſtaſius optimè ſanxerat. Ex ijs duo colliguntur argumenta. vnum eſt, quod hos tuos impuberes nulla iuris ratio patitur Iuriſconſultorum nomen adipiſci poſſe. Alterum, non tam difficile eſſe Latinarum litterarum ſtudium, vt vulgò creditur. Nam ſi illa iuris conditorum ætas, qua mores, & iura, & verba ciuilia erant notiora, aut ſanè faciliora perceptu, definiebat, poſſet hæc noſtra ſeptennium, & ſupra concedere: cùm horrere ſpinis omnibus videantur omnia (vt vir præclaræ eruditionis Iacobus Cuiacius aliquando dictabat) quæcunq. de iure ab antiquis ſunt prodita. At qui videmus maiorum diſcipulorum partem vix quinquennium attingere, & ante vigeſimum ætatis annum elegãter de iure dicere. Et vt hoc nequaquam inficiaris, vnum inter plures tibi ante oculos ponam, quem ſingulis prope diebus cernis, quiq. tui amiciſsimus eſt, Clementem Vualdum: qui vix decimum octauum annũ agens in Iuriſperitorum numero cum omni laude eſt adſcriptus: qui etiam tanta elegantia, tantaq. ingenij præſtantia legum theſauros publicè aperit, vt, vel eum omnes iure optimo admirentur. Putas ne adhuc pueros, & impuberes harum omnium artium honore, & dignitate potiri poſſe, priuſquam ad Latinarum litterarum cognitionem peruenerint? At mihi in hoc viſum eſt acutiſsimi Venuſini Poetæ ſententiam in medium proferre: qui dilucidè, ac poliè veluti imagines, puerorum ætatem carminibus pinxit:

Et tenera, inquit, nimis
Montes aſperibus
Formanda ſtudijs: neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer:
Venariq. timet, ludere doctior,
Seu græco iubeas trochо:
Seu malis vetita legibus alea.

Hæ ſunt puerorum vires, & quaſi propria, & non Philoſophari, mederi, iudicare, diuinaque ſcrutari. Vel adhuc in ea ſententia es, vt credas vulgarem ſermonem Latino faciliorem eſſe? vel eo auxiliante citiùs, quàm Latinis præſidijs omnium ſcientiarum præmia aſſequuturos? Hæc cùm audiuiſſet Iulius quaſi obſtupefactus, Non

audeo,inquit,id quidem dicere; me pudet tam citò de ſententia eſſe deiectum. Sed magis pudendum eſſet,ſi in ſententia permanerem. quid enim minus eſt dignum, quàm mihi quicquam falſum,& ab omni veritate alienum verum videri? Turpe eſt quidem. Tum Linus, Videsne, inquit, quàm breuiter admonitus ſis, non pueros tantùm terreri, verùm etiam ſenes? & conuerſus ad Fabritium,Ego vidi ſanè: ſed alia, Fabriti, deſidero. Experiaris igitur: nam ſi tibi quicquam veri, & boni habere videbantur, ſequar proculdubio meam iam veteratam ſententiam. Illud itaque eſt, quod mihi libenter perſuadeo; vt vna tantùm lingua, Vulgaris nempe ſit neceſſaria: nam ſi hac ſola homo vteretur, ad maiorem in omni diſciplinarum genere excellentiam peruenire. ac, ne ego ſine ſale loqui videar, rem exemplis illuſtrabo. Etenim ſæpenumero mirari ſoleo, cur in tanta præclarorum ingeniorum multitudine, tanta bonorum auctorum luce, qui quotidie nouo quodam ſplendore prodeunt, tam pauci, & admodum nulli in ſummis artibus admirabiles exiſtant? cùm ſuperior ætas viros doctiores, acutiores, ac planè in omni optimarum artium ſcientia diuinos, quàm hæc noſtra produceret? nulla quidem verior mihi cogitanti occurrit ratio, quàm quòd ij ſtatim atque in lucem editi fuere ad vltimum vſque vitæ ſpiritum, vnam duntaxat, hoc eſt maternam linguam amplexati ſunt. Cur enim Ariſtoteles Philoſophorum omnium ſemper habitus eſt princeps? cur Homerus cæteris Poetis longè præfertur? Demoſthenem cur nemo eloquentia ſuperat? quia linguam vnam, ideſt, Græcam ſunt aſſequuti. Et dum matres eos lactabant, vires, & linguam ſimul adſumebant. neque illis opus erat elementis quibuſdam,& Grammaticorum regulis,quibus nos vtimur: ſed eorum animi eo iam neglecto tempore, quod cum Pædagogis debebant conterere, ad contemplationem arripiebantur. Idem de Latinis dicere poſſumus. Quis tam eloquens,& tam ſapiens vir, vt Ciceroni tuo ſit comparandus? Quis tam argutus Poeta,vel tam copioſus, vt Virgilio poſſit æquari? Quis eſt etiam tam in comœdijs verſatus, & tam facetus, & tam audax, qui P. Terentio his omnibus antiquiore ſe doctiorem eſſe arbitretur? ij quoque iam ab ipſa infantia, & ab ipſis incunabulis erudiebantur Latino ſermone. quòd ſi nulla alia eſſet lingua, quàm Vulgaris, poſſemus & nos à proprijs matribus lactantibus edoceri, atque inſtitui, & ad maiorum noſtrorum doctrinam, ingenijq. præſtantiam proximè accedere: ſed ſi res non ita agatur, nunquam? Tunc Fabritius, Magnum inquit, opus proponis, & difficile. Ariſtoteles qui vir? & quantus nemo neſcit, Eſt enim optimus,atque doctiſſimus, cui omnes non modò Philoſophiæ,ſed & eminentiam Ariſtotelem extulerunt. Sed à tua primùm ſententia longiùs abſum, quòd putes Græcos Grammaticorum præceptis nunquam fuiſſe aſtrictos, cùm, & hodie adſtricti ſint, eisq. vt nos facimus,vtantur. Ad cuius rei fidem faciendam nec Ariſtotelem ipſum, nec Platonem, ſiue Plinium in medium adducam; cùm viuum, & fide digniſſimum habeamus teſtem Vincentium Marinum Epiſcopum Albenſem, virum omnium bonarum artium ſcientia ornatiſſimum, quem plurimi facio, & maximè in re Græca: cùm in Græcia educatus ſit, litterisq. Græcis ediſcendis multum temporis contriuerit. Alij etiam nobis ſunt, & quidem familiariſſimi teſtes, Vincentius,inquam, Iuſtinianus,non minùs Græcis diſciplinis, quàm Philoſophia, & iuris prudentia eminentiſſimus, & ipſius frater M. Antonius: vterque enim in Chio inſula ortus eſt, atque educatus,ibiq. Græcas diſciplinas, mirabili cum laude, didicit: eas tamen abſq. Grammaticorum regulis, ac præceptis nuſquam valuit attingere. Et id quoque ratio manifeſta docet. Quod autem olim etiam fuiſſent Grammatici, facilè videre eſt apud Theodoſium, & Valentinianum Imperatores libro duodecimo Codicis: qui lege lanxerunt, Grammaticos tam Græcos, quam Latinos, Sophiſtas, & Iuriſperitos profeſſionem exercentes ſuam, ſi ad viginti annos iugi obſeruatione, ac ſedulo docendi labore peruenerint, vicaria honorari dignitate; quæ Comiti, & Duci ab legum interpretibus æquiparatur. Sed, quid imus per emendicata ſuntragia, dum videmus Suetonium Tranquillum duos ſcripſiſſe libros,alterum de claris rhetoricis, alterum de illuſtribus Grammaticis? Si erant qui Grammatices artem profitebantur, neceſſe eſt,vt & pueri operam Grammaticæ darent. Idem de Latinis. Nonne Terentius Afer fuit, & Virgilius Mantuanus, ex humiliq. loco natus? non potuerunt igitur elegans illud dicendi genus a lactantibus matribus adſequi. Sed quid in his moror? ſi & Ciceronis ætate floruerunt Romæ doctiſſimi Grammatici: & ipſe Latinæ linguæ parens Marcus Tullius, ab homine extraneo Grammaticam Latinam fuerit ædoctus; quod & ipſe alicubi fatetur. Quod

vero

verò nullus hodie Ariſtotelem antecedat, comitetur, vel proximè conſequatur, ſatis probo. Longius enim tempus, quàm ſolent hodie, conſumpſit in audiendis profeſſoribus, & in euoluēdis omnium ſcientiarum libris. Familiariſsimus tum fuit, & in omnibus rebus Magno Alexandro coniunctus, atq. magiſter, à quo omnia optata cumulatiſsimè accipiebat. Quis, ipſo excepto, animalium naturas tam propriè, ac diffusè monumentis mandare potuiſſet? Pollet ingenium plurimùm, pollet virtus, atq. iudicium; pollent plus ſæpe diuitiæ, rerumq. omnium abundantia. Et omnia (vt iam dixi) Alexandri ſumptibus largè ſuppetebant. Reliquam Philoſophiæ partem, fortè de Anima, de Cœlo, de Meteoris, & alijs generis eiuſdem, ab alijs doctiſsimis (vt vulgò creditur) corraſerat, & corrogauerat; quorum ne veſtigia quidem extant; aliquorum verò nomen, plurimasq. ſententias, atq. opiniones, quas oppugnandi tantùm gratia reliquerat: cætera, Alexandro permittente, flammis mandauerat; vt eius nomē magis eluceret mortalibus. Quoquo modo res ſe habeat, vel inuiti fateri cogimur, nullum Ariſtotele, ſiue ſcientia rerum, ſiue ſcriptorum copia, ſiue eloquendi facultate, aut inuentionum acumine, vel varietate operum clariorem haberi. Illud tamen verius puto, vt hoc ſit munus quoddam à natura, vel ab ipſo Deo optimo maximo Ariſtoteli largitum. Et, vt miſſas ſanctorum Patrum ſententias faciam, vna duntaxat ſufficiat ab viro non Chriſtiano, ſed doctiſsimo Marco Tullio in libris de Natura Deorum prolata: Nemo, inquit, magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. Quòd ſi non ita eſſet, quis dubitat Platonem, cum præcipuus, vt dixi, ſit vel acumine differendi, vel diuina eloquendi facultate, rerumq. omnium intelligentia, non ſuperaſſe Ariſtotelem? qui licet antiquorum errorum caligine obcæcatus eſſet, omnia tamen illa, quæ ſub ſenſus cadere minimè poſſunt, tanquam Chriſtianæ fidei luminibus illuſtratus, perſcrutatus eſt, ac planè intellexit: quem aliquando miratur Quinſilianus de eius virtutibus loquens: Vt mihi, inquit, non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur Oraculo inſtinctus. Idem dici poſſet de Socrate, qui primus, vt Cicero ſcribit, Philoſophiam deuocauit è Cœlo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quærere. Fuit quoque Pytagoras vir magnæ laudis: fuit Anaxagoras, fuit Democritus, Heraclitus, Dicæarchus, Ariſtoxenus, Zeno, Xenocrates, Themiſtocles, Empedocles, Theophraſtus, & ingens Philoſophorum numerus, qui Græcis tantùm litteris operam impenderunt; nec tamen Ariſtotelis acumen, nec honorem longiſſimè valuerunt attingere. Ita fœliciter Homero, & Demoſtheni accidit. Fuere enim, vt ſatis conſtat, permulti docti, & excellentes Poetæ: omnes tamen ſine dubio in omni genere dicendi procul à ſe Homerus reliquit. Reliquit enim Heſiodum magnum huius diſciplinæ decus, tum Theocritum in ſuo genere admirabilem, Pyndarum, Lyricorum principem ſententijs, figuris, rerumq. omnium copia affluentem; Euripidem, Aratum, Sophoclem, Euphorionem, Archilochum, Philemonem, Menandrum, & alios plures apud ſacrum Heliconis fontem educatos. Extiterunt quoq. in alio genere dicendi viri grauiſſimi, & eminentiſſimi multi: inter cæteros inuenti præcipui fuere Ariſtophanes, & Eupolis, doctiſſimus Aeſchines, dulcis, & acutus Hyperides, Lycias ſubtilis, & elegans; Demetrius ingenij, & facundiæ multùm potens; & alij non pauci, quorum longè princeps Demoſthenes fuit, in quo inerat tantus ardor, labor, induſtria in quotidianis exercitationibus, tanta dicendi copia, tanta rerum ſcientia, tanta animi magnitudo, atque præſtantia, vt eo nihil illuſtrius videri poſſit. Latinorum verò quot, quantiq. fuere, qui ſub eodem ſpiritu, cæloq. editi, ac nutriti fuerunt? quorum animi dotes, virtutesq. ſingulares, quàm maximæ ſint, omnes intelligunt, qui ſenſu oculorum, & mente præditi ſunt. Nam quocunque oculos conijcimus, quocunq. nos cogitatione conuertimus, nobis admirabilis eorum lux oboritur. Terentio tamen, Ciceroni, Virgilio ſimillimus nemo, nec erit qui futurus ſit. Erit igitur fatendum eſſe donum quoddam ſuperius eis impartitum: cùm omnis ſapientia, vt ſapientiſſimus reliquit Solomon (ſi licet miſcere, vt dicitur, ſacra profanis (à Domino Deo ſit; & alio loco: Si enim, inquit, Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ. Cuius rei præclara, & infinita habemus exempla. Theologia enim excelluit Diuus Chriſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius, Athanaſius, Cyrillus, Cyprianus, Gregorius, Ambroſius, Hieronymus, Bernardus, & alij ſanctiſſimi Patres, quorum ſcripta mira voluptate intuemur, & admiramur. omnium tamen clariſſimus fuit D. Auguſtinus, & grauitate ſententiarum, & verborum pondere, & auctoritate ſiue ad hæreſes impugnandas, ſiue ad Chriſtianos inſtituendos. quippe qui nō pluuias (vt in prouerbio eſt) aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat, dono quodam Prouidentiæ genitus, in quo omnes vires ſuas Theologia exerit. A Medicis etiam tanquam Dij immortales colūtur Hippocrates, & Galenus. Nec multò minus à nobis illi Iuriſconſulti, ex

quorum voluminibus Digeſtorum opus eſt concinnatum: qui quales, quantiq. fuerint, quisq. iudicare poteſt: quibus nihil eſt, vt eſt omnium vox, atq. ſententia, quod addi, vel adimi poſſe videatur. In omnibus enim diligentia, grauitas, prudentia, æquitas ſumma, ſcientia rerum, & orationis dignitas præſtat. Ex ijs verò vnus duntaxat extitit Papinianus, qui ſingulos, vt in Codice Theodoſiano legitur, vincebat: vnde ab Iuſtiniano in quadam ſua conſtitutione, & alibi, vocatur acutiſſimi ingenij vir, & meritò ante alios excellens Papinianus. E cuius etiam ſchola, tanquam ex equo Troiano tanti iuriſconſulti prodierunt, vt vnus etiam Iuris aſylum appellari meruerit. Sequitur Iuriſperitorum alia ingens manus, qui in Iure ciuili, & Pontificio nomen ſunt adſequuti. Fuit Azo, extitit Accurſius, Dynus, Cynus, Baldus, qui nihil ignoraſſe traditur; Panormitanus, Felinus, Caſtrenſis, Aretinus, Alexander, Socinus, Imola, Cagnolus, Decius, Ripa, Alciatos, & reliqua Iuriſperitorum turba, quorum qui Bartolum ſuperet (vnum excipio Accurſium, cui plurimum debemus) inuenio neminem; fremant licet, qui aliter ſentiunt. Sed quid imus per emendicata ſuffragia? cum argumentum ex ijs, qui Vulgarem ſermonem, quantùm potuerunt, verbis electis, grauibus, politis, atque ornatis illuſtrarunt, fas ſit deſumere. Franciſcus Petrarcha omnibus eloquentiæ partibus exemplum (de Vulgari ſentio,) & ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate, in paruis proprietate vincit. Item iucundus, grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis: nec modò Vulgari, ſed & Latina lingua ſplendidiſſimus. quem in alio genere ſcribendi ſequutus eſt Boccatius. Boccatium ſequutus nemo. Vnde neceſſariò apparet, vt in vnaquaq. ſcientia, atq. arte, ſit vnus alijs excellentior, & qui illius inſtitutum, & artem ſectetur: magnis etiam ſtudijs, multis adeò lucubrationibus adhibitis ad perfectionem illam tarò, vel nunquam peruenerit: quia quicquid habemus, ab illo manat: quanquam ſæpe multa recondita, ex præſtanti noſtro ingenio requiſita ei adnectimus: omnia tamen illi tribuimus. Ratio manifeſta eſt, quam Ariſtoteles Poſteriorum primo tradidit: Quia omnis, inquit, doctrina, & omnis diſciplina ex prænotione gignitur. Ex ijs itaq. percipere poſſumus, non propter innatam eorum linguam, vel ab incunabulis adquiſitam iam dictos homines excelluiſſe; ſed, vt ſæpius dixi, propter donum quoddam à natura, vel ab ipſo Deo Opt. Max. eis impartitum. Hoc idem in ijs rebus, quæ ſine litterarum cognitione perficiuntur, intueri licet. Et, vt de pictura, quæ eſt omnium artium regina, dicamus: Nonne legimus Zeuxim tanto fuiſſe iudicio, vt cùm vuas miro quodam artificio pictas in ſcenam detuliſſet, ad eas ſtatim aues aduolaſſe? & Parrhaſium ipſius, vt ita loquar, collegam linteum attuliſſe pictum, veritate ita repræſentata, vt Zeuxis linteum manibus remouere conatus ſit? ijs tamen multò eximius, teſte Plinio, fuit Apelles, in quo tanta fuit picturæ virtus, atq. præſtantia, vt Alexander Macedo à nullo, quam ab ipſo Apelle pingi voluerit. ob cuius etiam excellentiam fertur hos verſiculos pinxiſſe Ouidius;

Si nunquam Venerem Cous pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub æquoreis ſilla lateret aquis.

Idem dicere poſſumus de Michaele Angelo. Nam quis inter recentes pictores arte, vel ingenio cum ſuperauit, aut adæquauit? qui ita hominum, Deorumque imagines lineis, & coloribus fingebat, vt eis ſæpius, tanquam ex neruis, & oſſibus compoſitæ loqui, ridere, flere, moueri, ac intelligere viderentur. Cuius rei ne Plinij quidem indigemus teſtimonio; cùm non vna adhuc extet effigies ab ipſo mirabiliter picta, atq. confecta. Verum ſi a pace ad bellum, vel à litteris ad arma arguere fas ſit, inter plurimos Priami filios, vnum Hectorem omnium fuiſſe fortiſſimũ ex hiſtorijs didicimus. Et Græci pro Achille laudantur. Tum Macedones Alexandri gloria, & honore triumphabant inſigni. Carthaginenſes Ducem habebant Hannibalem. Apud Romanos ex infinito potentiſſimorum hominum numero duo vel tres, veluti tria bellorum fulmina duntaxat extiterunt, Scipio, ſcilicet, & C. Iulius Cæſar, & Pompeius, quorum conſilio, & vi maxima Rom. Reſpublica valde aucta fuit. Tum Linus benignè, vti ſui moris eſt, Sat, inquit, eſt; nam facilè ex tuis exemplis patior hanc eſſe gratiam gratis datam. Tibi, inquam, concedo, viros illos noſtris fuiſſe ſapientiores; non quod Græcæ, aut Latinæ linguæ operam tantum impenderint, ſed quòd ſit munus illis deſuper largitum. In quam ſententiam ſponte reliqui omnes iurant. Tum Ceua, Laudo, inquit, id profectò: cùm iſto modo res ſe omnino habeat. Illud tamen me adhuc in dubium reuocat, melius fore, ac plebi vtilius, ſi ſacræ litteræ de Latinis in Vulgarem fuiſſent conuerſæ. Debent namq. eæ omnibus eſſe notæ, ac perſpectæ; quò facilius bonum à malo, vtile ab inutili diſcerni poſſit. Eſt enim penè ſupra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod ſit vel factu malum, vel improbum dictu. Verùm, ſi ſapientes, & litterati homines, qui frenare ſe poſſunt ab omni opere prohibito, nonnunquam tamen ob ſacrarum litterarum obſcuritatem ipſa ignorantia vincuntur, ac proinde in errorem contra Dei præceptum incidunt, quantò magis ij, qui parum, aut nihil admodum

bonis

bonis litteris imbuti ſuæ, à Dei vijs, in quibus, hominem ambulare præcepit, & præceptis, quæ ſeruanda mandauit, aberrabunt? Erunt eorum lumina in altiſſimis tenebris defixa: & pedes nullo penitus vitio afflicti non modo currendi, ſed ne gradiendi quidem facultatem habebunt: & linguas tanquam muti in eloquium, ſermonemq. minimè ſoluent: & more ſurdorum aures nemini parefacient. At, ſi vulgari idiomate legantur ſacræ paginæ, quod in ijs continetur, & rudes, & imperiti nullo negotio intelligent; & à multis peccatis, quæ propter fragilitatem mortalibus occurrunt, facilius ſe tueri poſſent. Quæ cùm dixiſſet, admirati omnes adoleſcentis ingenium, tum errorem, in quo ſcienter verſabatur, tandem ſe omnes viciſſim intuebantur: nec qui ei reſponderet, commouebatur. Quamobrem Linus, Meæ, inquit, vt video, ſunt partes: & licet aliàs mihi magis vulgares litteræ ſatisfecerint, nunquam tamen id probaui, vt ſacræ litteræ vulgari idiomate legerentur. at cùm hoc ſuſceperim munus, vellem, Ceua, vt à ſententia hac tua recederes: nam bonum, & malũ propoſuit nobis Deus, vt quod magis velimus, deligeremus. Natura enim comparatum eſt, vt tam ſapientes, & docti, quàm inſipientes & indocti, quandoque ipſa fragilitate vincantur. ſed nullus eſt adeo rudis, & imperitus, qui neſciat bonum à malo ſecernere: nec vllus eſt ita planè fatuus, quin illa duo præcepta, ex quibus tota lex pendet, & Prophetæ, non intelligat: cùm id etiam natura hominum mentibus inſitum ſit: vt Deum, à quo omnia proueniunt, toto corde, totiſq. viribus diligamus: & proximum ſicut noſmetipſos tueamur, diligamus, foueamus, contraq. omnia pericula, & accipiamus, & præſtemus auxilium. Cæterum quis eſt ille tam ab hominum congreſſu, tamque (tua pace dixerim) mente captus, vt iſta moueat? Quamobrẽ nonne ſcimus, atque vidimus Chriſtianam Rẽpublicam luctibus, gemitibus, lachrymis, atque funeribus plenſiſſimam? Nonne irruentes, & labefactantes in Chriſtianas regiones, maximas flagitioſorum hominum, & religione depraua-tiſſimorum copias intueri poſſumus? Quam varia, & multiplex impietatis, & fraudis ratio fuit? quot diræ, infeſtæ, inuidioſæ, perditæ, iniuiæ, peſtiferæ religionis Principes, & auctores extiterunt? Euerſores ſacrorum, piratæ, & prædones diuini iuris, & humani, graſſatores, venefici, Rerumpublicarum labes, ac peſtes, & quæcumque propoſita impunitate naſcuntur mala, fuerunt? Quod ſi maiores noſtri, & ij etiam, qui hac ſola fruuntur ætate, tam diligentes, ac ſeduli fuiſſent in diuino latino ſermone conficiendo, vel conſeruando, quàm in reijciendo, atque ſpernendo fuerunt, non tot, tantisq. ærumnis, ac calamitatibus Chriſtiana ciuitas fuiſſet obnoxia: non ita antiquiſſima religionis monumenta ſanctiſſimè cuſtodita relicta eſſent, & deſperata: non ita hominum mores ad perniciem elapſos, non perturbatam ſacrorum rituũ diſciplinam direptionibus, atque incẽdijs euerſam cerneremus: non ita ſibi plebem infimam, quæ eſt ſemper nouarum rerum cupida, licentiam arbitratu ſuo, ſimulatione, ac ſpecie religionis arripuiſſe, nec eius impunitatem eſſe ſanctam, nec ſceleratiſſimam corroboratam audaciam videremus. Quis non meminit, graui Chriſtianorum damno, ardentem diu crudeliſſimo bello Germaniam? quæ ſanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac ſacrorum Conciliorum, & Sanctorum patrum doctrina excolenda, exhibendaq. maximis Pontificibus Chriſti Redemptoris noſtri in terra Vicarijs debita obedientia, & reuerentia, nulli Chriſtianorum prouinciæ fuit vnquã ſecunda. Quis Flandriæ cruorem, & vaſtitatẽ non admiretur? Quis Britanniæ naufragium nõ exhorreat? In quibus etiam non multis antè ſeculis Dei Opt. Max. cultus, ſanctæ religionis, pudoris, moderationis, temperantiæ, beneuolentiæ, pacis, doctrinæ, humanitatis, pietatis, ſanctitatis, cæterarumq. virtutum omnium ſtudia florebant, nunc pro ijs vagantur, atque dominantur inceſtus, rapinæ, fraus, inſidiæ, certatio, vis animi, labor corporis, libido, impietas, auaritia, turpitudo, temeritas, cædes, ſacrilegium, omnis denique fœditas. Templa ſunt direpta, ſacrarum Virginum collegia euerſa, cæremoniarum antiquitas, & ſacrorum religio violata, Diuorũ, Diuarumq. imagines, ſigna, cruces ſanctæ, & ſalutares aræ omnes diſiectæ: grauitas, dignitas, ac maxima Pontificia, vt iam dixi, auctoritas, quod dolendum eſt, afflicta. Quot tandem, quantisq. incommodis, doloribus, & acerbiſſimis ſupplicijs Chriſtiana gens fuit iactata? Videsne propter Vulgares litteras quot detrimenta Chriſtianæ regiones paſſæ ſunt. Nam quidam, & multi profectò Diuinarum, atque adeò humanarum literarum rudes, & ignari, ſacra ſuo modo interpretantur, efferuntur, & velut vti ſurunt. Nec mihi ſatis probatur id, quod Iulius hic noſter interdum obijciebat: Si enim, aiebat, Chriſtiana Reſpublica ob vulgarem ſermonem ita eſt deformata, totq. miſerias, & ærumnas eſt paſſa; cur non fuit illa iam à ſanctis Patribus religioſiſsimè conſtituta pluribus ærumnis, & calamitatibus vexata? cùm ea tempeſtate Latina lingua, eademq. vulgaris eſſet, & imperitis, rudibusq. cognita, ac familiaris? ſed haud negare, mi Ceua, poſſumus, quin eo tempore Petri nauicula varijs, multiplicibusq. turbulentiſsimorum hominũ flatibus agitata, ac planè demerſa

fuiſſet: quamuis Dei Optimi Maximi erga nos bonitate, & miſericordia ſemper in meliorem, & tutiorem portum ſe contuleritnid tamen contigiſſe ob latinarum litterarum ignorantiã haud auſim adfirmare: quod etiam facile euenire potuiſſet. neque enim illa ætate viris omnibus verborum latinorum vim, ac proprietatem percipere datum erat. Nec & illud nobis mirum videri debet; quòd olim ij Latini; ijdemq. vulgares ſuo arbitratu ſacras paginas non ſint interpretati, vt hodie iſti inquinati, & peruerſi homines ſolent facere. Namque (vt verbo dicam) tale erat eius argumentum: ſi propter vulgares litteras tot natæ ſunt diſſenſiones, tot ſubſequutæ peruerſitates, totq. monſtroſæ opiniones, multò quidem plures antiquitus oriri debebant; cum omnes Latini. Vulgares eſſent: quæ ratio non eſt recta: quoniam illi hanc ob caulam errare minimè poterant; cùm ſacræ litteræ latinis verbis extarent, eaſq. ipſi proprio, & germano ſenſu acciperent: quod facere nequeunt iſti perduelles: nempe quia omnis lingua quædam propria verborum genera habet; quæ cum in aliam vertuntur, ridiculoſa, & peruerſa aliquando videntur. Qua de re audi Diuum Auguſtinũ libris de vera religione loquentem. Habet, inquit, omnis lingua quædam propria locutionum genera, quæ cùm in aliam trãſferuntur, videntur abſurda. Sic iſti neochriſtiani, cùm diuinas litteras è latino in vulgarem ſiue Italicum, ſiue Gallicum, aut Germanicũ vertunt, non poſſunt ſano ſenſu transferre, nec vim verborum ſatis explicare. Vnde neceſſe eſt ſacrarum Scripturarũ pravos ſuboriri intellectus, peſſimasq. ſubſequi opiniones. Hinc ſacroſancta illa Oecumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, vt huic peſtifero morbo mederetur, laxit: vt ſi quis ſacros ipſos libros integros, hoc eſt, veteris, & noui teſtamenti cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia legi conſueuerunt, & in veteri vulgata eruditione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit; & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit. & alio loco. Et ſi, inquit, Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, vt vulgari paſſim lingua celebraretur. Quamobrem, retento vbique cuiuſq. Eccleſiæ antiquiſſimo, & à Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra probato ritu, ne oues Chriſti eſuriant, neuè paruuli panem petant, & non ſit, qui frangat eis: mandat ſancta ſynodus paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex ijs, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctiſſimi huius ſacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim dominicis, & feſtis. Inſuper eadẽ ſacroſancta ſynodus conſtituit; vt, ſi quis dixerit lingua tantùm vulgari Miſſam celebrari debere; anathema ſit. Quòd ſi paſsim Miſſa vulgari idiomate celebraretur, vna Latina Eccleſia in plures diuideretur. vnde multa fortè Chriſtianæ Reipublicæ orirentur incommoda. At alia eſt, & fortior ratio: quandoquidem ita natura comparatum eſt, vt homines ad omnia principiò ferantur ardentiùs, poſt autem paulò deferueſcant: tandem verò non tepeſcant modò, ſed frigeſcant omnino. Sic videas, quicquid animatum eſt, primum maximos progreſſus facere, tardius autem medio tempore adoleſcere, tandem verò caneſcere, ac penitus marceſcere: & hoc maximè in plantis licet obſeruare. Sic haud infœliciter in ſanctiſsimis noſtræ Religionis primitijs accidit; quia non ita admodum licentioſiores erant homines, & audaciores, vt ſacras paginas interpretari, corrigere, emendare, docere, & per vicos, atque plateas auderent profiteri. Sed Deum ſemper præ oculis habebant: eius præceptis, ac mandatis obtemperabant: & Chriſti denique miniſtros maximo ſemper honore reuerebantur, maximiſq. laudibus ornabant: ab eorumque dictis ne latum quidem vnguem diſcedebant. Atqui hodie, quòd maximè dolendum eſt, eò peruenit hominum audacia, vt liceat, frigeſcente quoque pietate, malo genio zizania ſuperſeminare, & (ſopitis iam excubitoribus) lupis, in pecus dominj graſſari. Sed quantum vulgaris lingua, vt alibi, in Hiſpania præſertim, detrimenti attulerit, docet Ioannes de Mariana in libro ſuo generalis Hiſtoriæ quartodecimo cap. 7. ſcribens, Alphonſum huius nominis Caſtellæ Regẽ Decimum, inter Hiſpaniæ Reges Primum laxiſſe, vt epiſtolæ omnes, inſtrumẽta quoque emptionis, ac venditionis, atque aliorum omnium contractuum, etiam ſupremas defunctorum voluntates idiomate Hiſpano, (quod Romãcæ vocãt) celebrarentur, ac ſcriberentur, eo conſilio, vt illa lingua omnino rudis, atque impolita, elegãs, locupletior, ac nobilior fieret. Eadem de cauſa mandauit, vt nouum, vetuſque teſtamentum, alijq. ſacri libri ex latino ſermone in Hiſpanienſem verterentur. A quo tempore, inquit Ioannes, ſenſim langueſcente latino ſermone, omnes regiæ prouiſiones, ac decreta, publicaq. inſtrumenta, omnes inſuper ſcripturæ Hiſpaniæ ſcribi cœptæ ſunt: vnde, tum ſacri, tum profani homines magnam in litteris ex ignorantia cladem acceperunt. Hæc cùm attentè audiuiſſet Ceua, magnam cœpit admirationem, & conuerſus ad Linum, Nunquam, inquit, audieram, id ita ab Oecumenica Tridentina ſynodo eſſe ſanci-

ſancitum, quod ſi ſciuiſſem, ne verbum quidem hac de re feciſſem. Neque vnquam ego putaſſem ob ſermonem vulgarem tot vitia, atque aduerſa in humanum genus cadere potuiſſe: Deterruiſti ne mentiar, nos ab oratione vulgari. Video nunc mecum ipſe cogitans, quo in diſcrimine verſabar: in quo etiam admiror eos, qui ſe latina dicunt contemnere: cùm ſint tam vtilia, tamq. hominibus neceſſaria. Sed omnino ab hoc inani ſermone ad latina meliora ſtudia me conferam. Verùm quid vtilitatis habeat eloquentiæ ſtudium, nondum percepi; immo inane quid, & leue mihi videtur. Quæ opinio ſatis viſa eſt Iulio probabilis, qui mox, Ego, inquit, id non poſſum, niſi magno animi dolore, prætermittere: namque tantum ſtudium in eloquentia ponendum eſſe nec bonum, nec vtile cenſeo. Incredibilis ſanè eſt vis eloquentiæ: ſolet enim quemuis facilè decipere, & quò velit trahere, & reducere, & falſum quandoque pro vero oſtentare. Solet etiam, quæ aperta, & nuda ſunt, obſcurare, & quæ ſunt perceptu facilia, difficiliora quibuſdam verborum velaminibus reddere: quapropter multi eloquentiæ difficultate perterriti à propoſito detrahuntur: & auctores, qui ſibi maximè placent, legere non valent. Atque multi ingenio ſatis, & virtute præditi, quo facilè omnem ſcientiam adipiſci poſſent, deſperatione debilitati, relictis litterarum ſtudijs ad humiles, & ſordidas artes ſe conferunt. Quare ego in ea ſum ſententia, vt exiſtimem longè vtilius fore, & melius ſi eam dicendi rationem diſcamus, qua ſuperioribus annis vſi ſunt maiores noſtri, veluti Bartolus, Baldus, & cæteri, qui illa floruerunt ætate. Multum enim temporis in diſcenda eloquendi facultate conterimus, quod prædicti non fecerunt; ac proinde maiore in legum diſciplinis, & in cæteris optimis artibus gloriam, & maiorem, quàm nos non valemus, vtilitatis fructum conſequuti ſunt: quod fortè nos eorum verbis, & dicendi modo vtentes adipiſceremur. Quæ cùm diſſereret, viſus eſt ſubridere Fabritius, qui poſtea, Quid eſt, inquit, Iuli? Eloquentiam reijcere palam profiteris: & ipſemet eam magno feruore, omniq. conatu amplecti mihi videris. Poteſt illa vnà cum Philli Ouidiana clamitare:

Heu patior telis, vulnera facta meis.

Quare ſi eloquentia poteſt ſuis proprijs viribus falſum pro vero oſtentare, & bonum in malum conuertere, & res apertas obſcuras reddere, funditus tollatur: tollatur tamen argumentandi, diſſerendiq. facultas, quæ ſolet etiã omnes captiones docere. Auferantur leges, quæ homines ad multa ſupplicia & ad mortẽ ipſam mittunt. Extrahatur radicitus Medicina, quæ ægrotantibus amara medicamenta adhibet. E medio remoueantur arma, quibus immaturam necem homo homini contra diuinum, atque humanum ius ſæpiſſime adfert. Sed ſi adimerẽtur arma, neque tuti domi erimus, neque ab hoſtiũ incurſionibus, & depopulationibus nos tueri poterimus. Sublato enim Medicinæ præſidio, quid humana natura? detractis legibus, quid totus terrarum orbis? Quid ſi extingueretur Dialecticorum ſcientia? nec falſum à vero diſcerni poſſet. Deficiente quoque eloquentia, quid nobis humanæ litteræ, quid hiſtoria, cognitioq. rerum, quid Poetarum euolutio, quid tanta tot verſuum memoria, quid regionum terreſtrium, ac maritimarum ſcientia, quid tot gymnaſia, totq. Philoſophorum ſcholæ voluptatis afferrent? Quo tandem modo quiſque ſiue in legum, ſiue in iuris ſcientia, ſiue in multa imperij tractatione, omniumq. Rerumpublicarum ſatis callidè verſari, & peritè poſſet? Vt enim ex illo dilucido fonte, & exquiſito Ciceronis capite percipitur: Vt exiſtimem, inquit, ſapientiam ſine eloquẽtia parum prodeſſe ciuitatibus, Sed nimis tarde, mi Iuli, dedimus noſtræ diſputationi principium: quia iam video ſolem in Occidentem deſcendere: attamen ſi lubet ipſius eloquentiæ primordium ſtrictim ponderare, eam facilè reperiemus digniſſima profectam origine, lectiſſimisq. rationibus propagatam. Et quanquam eloquentia nonnulli abutuntur, eamq. ad peſtem, & perniciem conuertunt, non tamen eloquentiæ, ſed eis imputandum eſt, ſicut non arma quæ vitam hominibus exhauriũt, ſed eos, qui illis ad eorum necem vſi ſunt, in crimen reuocamus: ſic non eloquentiæ ars, quæ per ſe laudabilis eſt, ea malè vtentes digni ſunt reprehenſione. Neque tanta eſt eloquẽtiæ vis, vt poſſit extinguere, & opprimere veritatem. Nam M. Tullium eloquentiæ ipſius vnicum exemplar ab indoctis, & ineloquentibus, quia pro veritate nitebantur, ſæpe ſuperatum eſſe accepimus, cur ergo deſperemus veritatem ipſam contra fallaciem, captionemq. facundiam ſua propria vi, & claritate valituram? nec vllus ab eloquentia terreri debet; quia res, de qua agitur, quanto magis facundia illuſtrata eſt, tãto magis clara fit, & illuſtris. Verum quia hæc attento animo vos audire intueor, ipſius eloquentiæ ortum à fonte repetam, ac vim ipſius oſtendam. Quibus cognitis, non erit dubium, quò ipſa ſit referenda: nam vos ipſam accuſatis, ne dicam vituperetis, & ipſe defendo, defendamq., dum viuam. Eloquentiæ igitur cùm ſit vna de ſummis virtutibus, vt nos docet ſummus Rhetor, nec vobis, nec vlli dubium eſſe debet, quin ab ipſo, qui cauſa omnium virtutum eſt, & caput, producta ſit, nẽpe à Deo Opt. Max. cuius, vt diuinæ litteræ teſtantur atque fatẽtur,

dona

dona sunt linguarum genera, omnesq. sapientiarum, ac scientiarum sermones, ex quo, & per quem, & in quo sunt omnia. A summo itaq. cælo demissa in rebus humanis potentiam accepit, facultatemq. flectendi hominum mentes ad honestatem, animos quoque accendendi ad gloriam. Seueros homines humiliores reddit, odium in amorem conuertit: vt habemus de Demosthene gloria dicendi maximè Græcorum florente, cuius admirabilis, & gloriosa oratio hostium à Philippo Macedone missorum, vt in eum impetum facerent, iram mitigans, mentes, animosq. ad perniciem procliues ad honestatem traduxit. Athenienses orationis Pisistrati vinculis adstrictos libertati seruitutem prætulisse constat. Neque eo minus fuit Pericles, in cuius labris tantum leporem melle profecto dulciorem veteres Comici habitasse dixerunt, vt quocumque vellet Athenienses duceret: ac ipsos propter excellentem dicendi artem cognomen ei Olympicum addixisse volunt. Hegesias etiam Cyrenaicus Philosophus tanta ingenij vbertate, tantaq. dicendi copia valuit; vt multos, & malè, ad voluntariam mortis appetendæ cupiditatem excitaret, & accenderet. Alij feros, & agrestes homines eloquentiæ vi ad humanitatem allexerunt. Vnde Poetæ Orphea, & Amphiona canunt demulsisse feras, & cum arboribus montes traxisse: atque id Horatij verba illa significant:

Siluestres homines sacer, interpresq. Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq. leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet, &c.

Hi verò omnes è florentissimæ prouincia Græcia omnium doctrinarum inuentrice sunt profecti. Quid aliorum demum meminerim? qui afflictos sunt consolati, perterritos metu vacuos reddiderunt, seditiones expulerunt, diripientes, & Reipublicæ statum vexantes propulsarũt, liberis ciuitatibus, & prouincijs iugum seruitutis imposuerunt, inimicos sibi amicos fecerunt. Quis acumine M. Antonij viri quidem clarissimi, & eloquentissimi non obstupescit? cuius facundiæ vim, sermonisq. grauitatẽ admirati milites ad eum interficiendum missi, eductos iam, & vibratos gladios errore vacuos vaginis reposuerunt. Quæ vrbs tanto præsidio munita, tantoq. hominum comitatu septa, quæ loca, quæ oræ maritimæ, quas orbis regiones tam latæ, atque longinquæ fuerunt, quæ primus ille Cæsar non solum armis ornatus, sed etiam bene dicendi facultate munitus, non subuerterit, ac summis laudibus de illis triumpharit? Catilina, cuius insignis nequitia, & sæuitia vniuersum Reipublicæ statum deturbarat, Ciceronis, qui tunc temporis consul erat, oratione coactus è ciuium numero decessit, nec vllo modo vim orationis pertulit. Quantum excelluit Q. Hortensius? Quid etiam de eius filia Hortensia dicam? quæ non magis genitoris nomen, quàm facundiam, verborumq. elegantiam imitata est, atque consequuta: & audaciam cum bene dicendi facultate tam mirificè adnexuit, vt cùm matronæ graui tributo à triũuiris essent oneratæ, exorauerit vt maior pars præscriptæ pecuniæ ijs relaxaretur. Nec alios, qui mira cum bene dicendi arte multa, & memoratu quidem digna fecerũt, nisi longa oratione possem cõmemorare: quos non inconsulto omittam. Illud tamen vos ignorare non patiar: quod nullum cuiusuis facultatis genus eloquentiæ copijs carere potest. Namque si præclaræ doctrinæ familiari quodam, tenui atq. cõtrito dicendi genere explicentur, verba frustra fundantur. At si vel inferioribus, vel altioribus rebus eloquentiæ lumine quisque adfuerit, non mediocrem sibi conciliat dignitatem, gratiam, atque auctoritatem. Quis enim siue Philosophus, siue Iurisconsultus, siue Theologus, aut suum, aut eius, quam profitetur, artis, nomen, ita contemnet, & abijciat, vt sua malit, artisq. insignia, & ornamenta in obscuritatis tenebris, latebrisq. iacere, quàm eloquentiæ luce illustrata in adpectum, mediumq. proferre? Etenim eloquentiæ hæc vis est, patefacere, & illustrare obscura, & pro locorum, temporum, personarum, atque causarum varietate moderari, fingere, ornare, atque formare orationem; eamq. audientium mentibus pari verborum, sententiarumq. splendore, & grauitate perpolitam admouere. Et qua facultate potest, & ampla grauiter, & humilia tenuiter, & breui tempore dicere, eadem, mutata ratione sæpe numero paucis percurrit, aut exaggerãdo fusius exponit: & quæ mediocria sunt, in amplissimo gradu collocat dignitatis, & quæ sublimia videtur, speciemq. habent, atque maiestatem insignem, imminuendo eleuat, atque prosternit: sæpe humana diuinitus, diuina humanitus audiẽtium oculis, animisq. ita offert, insinuat, & ostẽdit, vt quæ cogitando complecti vix possimus, audiendo, & intuendo teneamus. Tantumque inter disertum Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, & Theologiæ doctorem, & non disertũ interest, quantum inter doctum, & indoctum, vel propè inter rationis expertem, vel muta, & inanimata. Quapropter in illam veteris disciplinæ, probitatisq. effigiem nonnunquam intuenti, & causam, cur illa ætas, atque religio multo sanctius, & rectius, quàm hæc nostra constituta, & firmata fuerit, curiosius inquirenti, clarissimũ illorum nomen, & virtus occurrit, qui non solũ

vitæ

vitæ cõmendatione, probitate, & innocentia, verùm eloquentiæ viribus mortalium cupiditatibus, ſceleribus, atque libidinibus ſemper reſtiterunt: & contra omnes fraudes, & inſidias, cõtra ſceleris, & improbitatis vires, contraq. omnes hæreſes ſalutem rebus humanis attulerunt. Sed, vt à Philoſophis pauliſper recedamus, quibus flagitioſiſſimum ſemper viſum eſt Philoſophiæ gloriam ab eloquentiæ pulchritudine, & ſplendore diſtinguere (quare ijdem olim Philoſophi, & oratores appellabantur) tum à Iuriſconſultis, quorum facundia vniuerſus orbis illuminatur, ac regitur, & ad ſanctiſſimos Theologos vetuſtatis ornamento, atque luce, & poſteritatis fama, & honore inſignes accedamus: vt ex admirabili eorum auctoritate intelligatis, poſſit ne Theologorum diuina ſcientia ab eloquentiæ viribus eſſe ſeiuncta: quæ tanto erit cõmemoranda magis, & præclara, quanto accuratius ad omnium hominum vtilitatem conijcitur, & ad laudes concelebrandas, & prædicandas Dei Opt. Max. qui eſt loquendi facultatem homini largitus ad communionem, & ſocietatẽ cum hominibus tuendam. Et hæc eſt illa Chriſtianæ eloquentiæ vis, qua Gregorius Nazianzenus, & Baſilius, inter ſe amicitiæ, ſapientiæ, ſanctitatis æquales, plurimum valuerunt: & Iuliani amentiſſimi, & perditiſſimi hoſtis Chriſtianæ Religionis impetus, atque conatus compreſſerunt. Hac excelluit Athanaſius vir ſanctitate etiam præditus, quem nulla turbulentiſſima periculorum procella, nullus humanorum detrimentorum flatus, nulla temporum commutatio potuit vnquam de ſuo curſu demouere, quin Arij improbum, & ſceleratum confregerit furorem. Hac magnopere præſtiterunt, vt dicam paucis, Diui Chryſoſtomus, hac Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Hyeronimus, Leo, Cyprianus, qui Chriſtianæ Reipublicæ decus, & lumen longè dilucidiſſimum, vt alios præteream quamplurimos, quorum eſt frequentia digna tanti Chriſtiani nominis gloria. qui quidem omnes tanta fuerunt famæ celebritate, & maximè ingenij vbertate, vt ſummam hominũ capacitatem facilè ſuperet. Quorum idcirco mirificè laudatus ſemper erit labor, laudataq. induſtria: quoniam ſic præclariſſimi, & excellentiſſimi viri omnes vndiq. eloquentiæ floſculos carpebant, ac delibabant, vt nõ tam coloris, vel odoris ex ijs ſuauitatem, voluptatemq. capiendam, quàm mellis dulcedinem exprimendam ſibi eſſe arbitrentur. Quare grauis illorum, erudita, perpolita, & pietatis, innocentiæque præſidijs vallata oratio, cum præſtanti, atque diuina animi virtute connexa, magis Chriſtianæ Reipublicæ luctibus, lachrymis, funeribusq. ſubuenit: ruentes etiam in Chriſtiani orbis regiones maximas, & potentiſſimas ſceleratiſſimorum hominum, & religione corruptiſſimorum copias repreſsit: ac omnem barbariem influentem, atque incendijs, rapinis, depopulationibus, & armis furentem in Aſiam, Africam, & Europam efferueſcentem, atque erumpentem obiecit, ac profligauit. Variam, & multiplicem impietatis, ſceleritatis, & perfidiæ rationem compreſſit: Religionis antiquiſſima ſtudia, & omnia virtutis officia diligentiſsimè cuſtodita tenuit. Tum inuidioſæ, ac peſtiferæ nouitatis reos, & diræ, infeſtæ religionis principes, & auctores, Rerum publicarum labes, & maculas, prouinciarum furias, & faces, orbis terrarum monſtra, atque portenta, & omnem denique nequiſsimorum hominum peccandi licentiam propulſauit, repulit, exterminauit. Alij quam plurimi ſunt eloquentiæ fructus non tam iucundi, & ſuaues, quàm vtiliſsimi, atque neceſſarij, quos nullus, etſi facundus, integro die poſſet colligere, vel explicare. Quis igitur eloquentiã vituperet, aut reijciat? Quis contra maximas eloquentiæ laudes diſſeruerit? Immo quis erit, qui eam ſummo feruore, magnaq. lætitia non conetur amplecti? Quamobrem ita obſtupefacti fuerunt omnes, vt nihil, quod dicerent, haberent. Tum Ceua, Amo, inquit, & ſemper amaui induſtriam, ſtudia, mores tuos. Accendor porrò quotidie magis non deſiderio, quo ipſe confiteor, congreſſus noſtros, ſtudendi conſuetudinem, eruditos ſermones requirens tuos, ſed etiam incredibili fama virtutum maximarũ tuarum, quæ paſsim iam volitant. Tunc ſtatim Fabritius, Tu, inquit, onuſta mihi diſputationũ aures lapidibus demulcere inſtituiſti. Tu verò illa ſuperiora diligis: ego tamen amo, ſemperq. amaui veritatem, deinde me ipſum. Illam ante omnia æſtimare ſoleo, mihi autem libenter certè, quatenus tamen liceat, placere. Itaque nec accipere debeo, quas in me laudes contuliſti, nec, vt liberè fatear, reijcere apertè poſſum. Nam tibi quidem, omnibusq. doctiſsimis viris ſatisfacere velim, cum hoc tamen, vt nolim quemquam nimium eſſe in mea laude liberalẽ: cùm minimè ea dignus ſim laude. At ipſe mihi tradidiſti ea, quæ non modò ſi agnoſcam, ſed propemodum ſi cuperem, modeſtè parum agere mihi videar. Hæc, inquit, Ceua, vt omittamus obſecro: nam te eloquentia ſuperare non poſſum. Mutare etiam, vt video, ſententiam cogor & ſi hanc ipſe eloquentiæ pulchritudinem, & fertilitatem ſæpius requirens, & curioſius Rhetoricorum libros repetens, tantum poſſe eloquentiam ipſam, quantum à te ipſe audiui, cognoui, atque percepi, videre nunquam valui. Euolue, aiebas aliquando, diligenter non modò Rhetoricorum, ſed etiam Poetarum, Hiſtoricorum,

rum, atque Philoſophorum volumina: amplius quod deſideres nihil erit. Feci mehercule, & quidem ſapiùs: ſed neſcio quomodo, dum lego aſſentior: cùm poſui libros, & mecum ipſe cœpi cogitare, vel loqui, vel ſcribere, omnis illa aſſenſio elabitur. Cæterùm ita mihi vtilis videtur eloquentiæ, vt ipſius eloquētiæ vinculis adſtrictus ſim: & nihil certè aliud, quàm eloquentiam poſſidere maluerim. Quarè te rogo, atque obſecro, cùm hoc ſim fretus artificio, & hac callida artis ratione confiſus, atque coniuratus, vt me vnum tantùm doceas; hoc eſt, quibus rebus eloquentia comparetur. Et hinc certè non diſcedam, niſi efficientes eloquentiæ cauſas ex te audiuero. Tum Fabritius, Sat, inquit, meo iudicio eſt; nec hoc munus noſtrum eſt, nec, ſi ſcirem, modò hanc tibi explicare poſſem: quia neque Linus, neque Iulius Cæſar hæc curant: cùm ſatis iam ab adoleſcentia ſibi cognita ſint. Verùm cùm omnes ſe libenter audire dicerent, nihilq. ſibi charius poſſe contingere, quàm hæc ſtrictim recenſeret. Confeſtim hæc cùm, inquit, audire deſideretis, dicam, quid ipſe ſentiam. Quo enim tempore mihi eloquentiæ operam impendere contigit, multa quidem ab Rhetore, viro diſertiſsimo accepi; eorum tamen maior pars iam excidit: quæ verò in promptu ſunt, cum ita iubeatis, paucis oſtendam. Didicimus igitur veram eloquentiam ex duabus conſtare partibus, ex orationis copia, & ex ſcientia rerum: quòd ſi alterum detrahatur, iam non eſſe veram eloquentiam. Quare prudenter M. Tullius ſcripſit, nihil aliud eſſe eloquentiam, niſi copioſè loquentem ſapientiam: & in Bruto, neminem poſſe benè dicere confirmauit, niſi qui prudenter intelligat: & qui eloquentiæ dat operam, eundem dare prudentiæ. Scientia verò, vel cognitio rerum, quæ eſt quaſi fundamētum, & ſolum eloquentiæ, conficitur, & comparatur vſu, auoritate, lectione, & cogitatione, vt eſt apud Ciceronem libris de Oratore. Vſum rerū, quem alij vulgò experientiam vocant, ætas ipſa adfert. Quare neque magnam, neque celerem cognitionē rerum afferre poteſt, cùm multarum rerum vſum habere non poſſit, niſi qui multa viderit; multa autem videre nequeat, niſi qui vixerit diu. Hæc de vſu. Auditio autem, lectio, & cogitatio præcurrit ætatem; & quæ vix diuturna vita vnquam attuliſſet, ea partim audiendo, partim legendo, partim cogitando aſſequimur breui. Primùm audiendo à ſenſibus, quæ ipſi experti ſunt, cum vno ſermone ſine molеſtia cognoſcamus omnia, quæ illi non niſi multis annis vſu ipſo cognouerint. Deinde audiendis ſermonibus, & diſputationibus Philoſophorum, & vt verbo dicam, omnium hominum eruditiſsimorum, breui temporis ſpatio aſſequimur omnia, quæ illi multis annis, aſsidua cogitatione, & lectione inueſtigauerunt. Legendis autem Poetis, & augetur prudentia, vſusq. rerum; & cognoſcuntur animorum motus tam leuiores, quàm vehementiores; & locupletatur animus ſententijs, & exemplis; ac ea denique ad perſuadendum non mediocrem vim habent. Sed omnis vberras, quaſi maxima dicendi ſylua ex Philoſophia petitur. qua de cauſa legendi ſunt Philoſophi, & qui diſputant de vita, & moribus, & qui in abditarum rerum cognitione verſantur. Legendi Medici, legendi denique omnes, qui de præclaris artibus accurate ſcripſerunt. Vnde aliquando legimus lectionem eſſe quaſi orationis pabulum; neque ei, qui multa legerit, orationem vnquam defuturam. Cognitio porrò non tantùm in expectandis rebus, & in audiendis, & in legendis adhibenda eſt, ſine qua hæc inutilia eſſent: ſed multa etiā ipſa noua adfert, & inaudita. Animus enim (vt primo die dicebamus, licet alia ratione) non attenta cogitatione, quaſi gradibus parit multarum rerum, & variarum cognitionem. Altera eſt eloquentiæ pars, Copia ipſa dicendi, quæ in animis noſtris, iſdem rebus, quibus cæteræ facultates comparantur, gignitur. quæ etiam ipſa potiſsimum partibus continetur, natura, arte, exercitatione, de quibus multa ab ipſo Cicerone in libro tertio. His autem tribus adiungitur imitatio: ſed eam Quintilianus arti ſubiectam putat: quia ſine arte non poteſt eſſe perfecta. M. verò Tullius ſubiecit illam exercitationi: & quidem ſine exercitatione nulla poteſt eſſe imitatio. Atque, vt paucis comprehēdam, hæ quidem eloquentiæ cauſæ hoc ordine adhibentur adillam aſſequendam: Prima enim eſt natura, naturam perficit ars, naturam, & artem confirmat exercitatio. Imitatio verò quaſi viam quādam munit exercitationi. In hac amplius non inſiſtam. In illa autem ſit hoc tibi conſtitutum, cognitionem rerum partim vſu, partim audiendo, legendo, & cogitando comparari. Legendos autem eſſe Philoſophos, Poetas, Hiſtoricos, Oratores, Medicos, ſanctos Patres, & omnium optimarum artium ſcriptores, vt idem Cicero nobis tradidit. Nam ſe Demoſthenes tam illuſtre genus orationis, tantamq. verborum grandiſatem à Platone dicitur accepiſſe, quem lectitauiſſe ſtudioſè, & attentè fertur audiuiſſe. Vnde Curio apud ipſum Ciceronem reprehēditur, quòd nullum Poetam noſſet, nullum legiſſet Oratorem, nullam antiquitatis memoriam collegiſſet. Tibi verò qui magnopere deſideras eloquentiam, ne, vt Curio reprehendaris, opus eſt omnium artium, & diſciplinarum libros euoluere. At ego faciliorem quidem viam, & methodum ad facūdiam adæquandam breui commonſtra-

monſtrabo, quam ſi conſequeris, Iuriſconſultus diſertiſſimus, ac doctiſſimus euades. Vnum itaque opus dumtaxat, hoc eſt Pandectarum, te accuratius legere volo; tum doctor, & eloquentes Iuris profeſſores diligenter audire; quod ſi ita facies, nihil erit amplius, quod deſiderari poſſit. Quid enim Pandectarum codice elegantius? quid illuſtrius? quid præſtantius? Vnde interdum mirari ſolebat doctiſſimus Laurentius Valla: Perlegi, inquit, proxime quinquaginta Digeſtorum libros ex pleriſque Iuriſconſultorum voluminibus excerptos, & relegi cùm libenter, tum verò quadam cum admiratione. Primùm, quòd neſcias vtrum diligentia, anuè grauitas, prudentia, an æquitas, ſcientia rerum, an orationis dignitas præſtet, & maiori laudi dãda eſſe videatur. Deinde quòd hæc ipſa ita in vnoquoque illorum omnia ſunt egregia, & perfecta, vt vehementer dubites, quem cui præferendum putes. Et alius vir quoque doctiſſimus in oratione quadam: Pandectæ, inquit, omnem propè continent Philoſophiam, & quæ naturæ ſit, & quæ morum, quæ vè ratione conſtat: illic Dialecticis, Rhetoricisque, & locis, & argumentis referta omnia vides. Sed & Poetici modi, ſchemata, figuræ in eis quàm appoſitè vſurpantur: &, vt vno verbo dicam, qui Pandectarum libros exquiſite legerit, acuteq. penſitauerit, is ita variarum doctrinarum veſtigia, velut expreſſa illic reperiet: vt eam Vitruuij ſententiam, quam inter ſcientias rerum, quam coniunctionem, communicationemq. eſſe dicebat, facilè ſit cõprobaturus. Antonius quoque Goueanus, quem licet nondum in legũ ſtudia incumberemus, cognouimus & doctum, & eloquentem virum, dum in Gallia Philoſophiã publice profiteretur, caſu in Digeſtorum libros incidit; & eos ita legit, vt ſtatim Iuriſconſultorum ingenia & virtutem admiratus, omnia, ijs exceptis, pro nihilo habuerit: & relictis, ne dicam, neglectis Philoſophorum libris, totum ſe iuris prudentiæ dicauerit: & poſtea in multis celeberrimis Academijs, præſertim in hac florentiſſima Subalpina honorificentiſsimè Ius Ciuile eſt profeſſus: cuius commentaria eleganter, docte, breuiterq. conſcripta inter manus noſtras adhuc verſantur: ex quibus magnam Iuris ſtudioſi capiunt vtilitatem. Qui nec temere, nec aliquo opinionis errore, ſed magna ratione, diuinoq. conſilio excitatus fuit, vt hanc legalem ſcientiam amplecteretur. Quid enim ijs libris addi, quid adimi poteſt non tam ſapientiæ, quàm Latinitatis, & elegantiæ, ſine qua cæca omnis doctrina eſt, & illiberalis? vt iure merito Pandectarum nomen ſibi vindicarint. quandoquidem omnia, quæ ad ſapientiam, vel eloquentiã pertinent, contineant, ac complectantur. Sed ſi ita eſt; cur magiſtri noſtri, velut Dynus, Cynus, Bartolus, Baldus, & alij, qui Pandectarum opus ſemper præ manibus habebant, relictis eloquẽtiſsimis, & proprijs Iuris autorum verbis, ita barbare ſunt loquuti? Male equidem: hos tamen aliqua venia dignos exiſtimo: ampliores enim in ſuis commentarijs, maioresq. & lautiores diuitias, ſi eis fortuna fœlicitatem non inuidiſſet, conſpiceremus. namque ea ætate orti ſunt, qua bonarum litterarum ſplendor in obſcuriſsimis tenebris miſerrime iacebat. Quapropter ijs tantum verbis, quæ ab imperitis pædagogis ediſcebant, in ſuis legum commentarijs vtebantur, & ab eleganti textuum proprietate aberrabant: tum antiquitatum monumenta, quæ plurimum adiumenti, præſertim Iuris ſtudioſis afferunt, penitus ignorabant. Quod plus iacturæ, quàm commodi contulit poſteritati. Si verò illa diuina, atque eximia horum Iuriſperitorum ingenia hodie extarent, Pomponio, Paulo, Vlpiano, cæterisq. eſſent ferè comparandi. Reprehenſione verò illi merito digni ſunt, qui cùm hæc noſtra ætas aliquid redoleat antiquitatis, relictis Iurisprudentum verbis, à Cõmentarijs, veluti à fune pendent: qui etiam, quod magis pudendum eſt, ab alijs arbitrariæ opinionis ſenſa parum ſæpenumero firma inſuunt: quæ vel refragante textu in ſuorum magiſtrorum verba iurati, tueri pergunt. Vnde heri videmus, vt ſæpius non tam attendatur, quid legis veritas exigat, quàm quod communis prætendat opinio. quod certè Iuris noſtri claritatem craſsioribus nebulis offundit. Et hi mihi nonnunquam intuenti videntur equidem ſimiles eſſe illis, qui naſcentem ſolem ne intueantur, oculis quodammodo manus obijciũt, maluntq. tenebras noctis præteritæ ſubſequi, quam orientis diei lumine perfrui. Sunt ne igitur Accurſij, Bartoli, Baldi, & cæterorum legenda commentaria? legenda quidem: ſed non vt quidam faciunt, qui (vt ipſi arbitrãtur) docti, & maiorem Bartolo fidẽ præſtant, quàm textui: & id habent ratum, quod ab eo iudicatum, ac dictum viderint: nec ab illius teſtimonio, ne tantillum quidem diuelli poſſunt: ac illi tantam fidem habent, vt illius dicto, non maius videatur ijs Apollinis oraculum. De quibus idem dicere poſſumus, quod de Pitagoricis accepimus; quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex ijs quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe erat Pytagoras, cuius opinio tantùm præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret auctoritas. reprehenditur tamen à M. Tullio, & ab alijs viris doctiſsimis. Eſt autem omni laude efferendus Bartolus, & alij multi. ſed cùm ſine

ratione loquuntur, non maiorem prope fidem eis, quam infantibus præſtarem. Sed, vt vnde egreſſa eſt, profluat oratio, ad doctrinam aſſequendam diligenter euoluendus eſt Bartolus: quia, vt ingenue fateamur, qui Bartolum ſuperet, inuenio neminem. Nec mirum eſt, ſi ab Antonio Auguſtino, magno Hiſpaniarum ornamento, cuius animi præſtantia, & ſingulari virtute ætas noſtra plurimum poteſt, dictus eſt Bartolus omnium noſtrorum interpretum poſt Iuſtinianum optimus: licet in aliqua iuris parte videatur ſuperatus: quia non omnia poſſumus omnes. Ad eloquentiam verò nulli illorum ſunt legendi: ab omni enim antiquitatum iucunditate, ac lepore remoti fuerunt. Quibus nam ergo vti debemus, vt vtramque conſequi valeamus? Studioſè, vt dixi, Pandectarú opus eſt legendum, accurateq. perlegendum. quod forte vtilius eſſet, ſi nunquam Iuſtiniani illa Conſtitutio violata eſſet; qua cautũ eſt, vt nullis Iurisperitis in poſterũ audientibus commentarios illi, hoc eſt, Digeſtorum libris applicare, & loquacitate ſua Codicis compendium confundere liceret: ſed ſufficiat, inquit, per indices tantummodo, & titulorum ſubtilitates (quæ παράτιτλα nuncupãtur) quædam admonitiora eius facere, nullo ex interpretum eorum vitio oriundo. Verùm poſtea quàm Pandectis commentaria addiderunt, præ cæteris legendus Alciatus: elegantiſſime enim ſcripſit; & à quibuſdam etiam reprehenditur, quòd nimis accuratè, hoc eſt, fucato nimium ſermone ſcripta ſua condiderit. Recte prædictus Goueanus; quippe qui ab Iuris autorum proprietate ne vnguem quidem diſceſſit. In Duareno maxima eſt etiã gratia, & verborum proprietas, atque elegãtia. Idẽ in Budæo, Zaſio, Viglio, Connano, A. Auguſtino, Iacobo Cuiacio, & alijs, quorum vigilijs refertæ ſunt bibliothecæ. qui omnes Iuriſprudentum mores, & inſtitura, veluti expreſſas imagines oculis noſtris ſubijcere videntur. Et non ſolùm legendi ſunt, qui optimè ſcripſerunt; ſed audiẽdi etiam, vt paulo ante diximus, ij, qui optimè & elegantiſſimè legales ſcientias profitentur. Hæc ſanè Taurinenſis Academia, veluti veſper inter ſydera, ita inter cæteras Italiæ Academias non modo doctrina, verum etiã elegantia, & non tantum in legum facultate, quàm in omnium bonarum artium, & diſciplinarum genere emicat. Quis enim cum Guido Pancirolo eſt comparandus tum elegantia, tum eloquentia? qui dum Patauij publicè legũ theſauros aperiret, omnes Germani, Galli, & reliqui exteri, relictis aliorum ſcholis, ob admirabilem, & eximiam illius doctrinam, ac propter elegantiam, dicendiq. copiam, ad eum, tanquam ad Iuris aſylum aduolabant. quod & hodie faciunt. nam relictis cæteris Academijs huc proficiſcuntur. Quid Ioannem Manutium? quem vel ſcientia rerum, vel eloquendi ſuauitate, vel inuentionum acumine, & ſubtilitate clariorem putes? qui Iuriſconſultorum verba miro quodam modo ita exprimit, atque pronunciat, vt Vlpianus, aut Papinianus audientibus loqui videatur. His haud dubiè proximus eſt Ioannes Vaudus. vtar enim verbis iſdem, quæ à comite Symandio Chierigato, Vicentino, viro quidem in legum diſciplinis eruditiſſimo, & in antiquorum monumentis ſagaciſſimo accepi. qui mihi interroganti, quem Pancirolo, & Manutio crederet maximè accedere, Secundus, inquit, eſt Vaudus. Sunt & alij multi viri ſanè doctiſſimi, ſed magis Iuriſperitorum, vt ita dicam, quàm Iuris autorum verba ſequi videntur. Illis verò breui, ni fallor, ſuccedet Manfredus Goueanus A. Goueani illius eloquẽtiſſimi viri, & iuriſperitiſſimi filius: quippe qui paternam illam eloquentiam, & gloriam facilè conſequetur. Eloquentia quidẽ neſcio an habeat parem neminem: grandis eſt verbis tam Græcis, quàm Latinis, plenus ſententijs, genere toto mirabilis. tum in iure ciuili promptus, & acutus, atque ad omnia paratus. Quid amplius à me poſtulas, Ceua? Nihil? ego autem vlterius dicam, aliarum artium, in primisq. rei Latinæ cognitionem ita eſſe neceſſariam iura ciuilia profiteri volenti, vt qui ſecus ad legũ lucernas conuolauerint, nihil mirum facient, ſi incauti papilionum more amburantur. Quare te, & omnes, qui clariſſimam illam Iuris Cæſarei, & Pontificij ſcientiam, in qua Reipublicæ gubernacula, pacis præſidia, immò & ſalus viuentium; eſtq. omnium domina, & regina, volent amplecti, ex animo hortor, vt humaniores litteras non deſerant, & præcipuè illa Iuriſconſultorum verba obſeruẽt: ijs enim obſeruatis diſerti, & docti facillimè euadent. Nollem tamen quemquam ex numero eorum eſſe, qui diſcendi cupiditate tenẽtur. quorum duplex genus eſt, iuris maximè ciuilis, de quo nunc actum eſt: alij enim obeſſe arbitrantur linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem differendi, atque dicendi rationem, & cæteras diſciplinas, quibus veteres Iuriſconſultos fuiſſe præditos inficiari nequaquã poſſunt: alij his omnibus libenter operam dant, vt cæterorum ignauiam vehementer irrideant. vtrosq. admonendos magis, quàm reprehendendos ſemper exiſtimaui. Etenim peccare quoſdam ex vtroque genere hominum intueor, dum præter modum, aut hi pulchritudine, & dictionis ſuauitate, atque ornamentorum ductu, minus in ipſam iuris diſciplinam incumbunt; aut illi nec verbis, nec ſententijs ſibi ipſis conſtant, in

vtrilque

vtriſque inhærent artis docendi rudes, atque imperiti. Hæc dicere habui de eloquentia, & de eius effectibus; vt intelligeres Ceua, non ita difficiles habere explicatus, vt multi exiſtimant; ſed facilè quem Iuriſconſultum poſſe euadere. Et quemadmodum eloquentia (vt omnia vno verbo comprehendam) vtilis eſt, ita Latina lingua vtilis, & neceſſaria; adeò neceſſaria, vt abſque ea nulla ars, nullaque diſciplina ſatis rectè ediſci poſſit, ac doceri: detractoque eius præſidio nec cautius agere, nec per omnem terrarum orbem euagari, neque vllum ex quibuſuis auctoribus fructum, vllamue iucunditatem liceat haurire. Quamobrem non poſſum non mirari, viros alioqui doctiſsimos tanto labore, tantoque ſtudio conatos Vulgare Idioma cum Latino conferre: cùm nulla recta adferri poſſit ſimilitudo. Neque miramini, ſi nos aliquando in hiſce noſtris diſputationibus comparationem fecerimus: non enim eo animo fecimus, vt Vulgarem cum Latino conferremus; ſed vt Romanæ facundiæ vituperatoribus, & detractoribus reſponderemus. Namq. ſi vlla fieri debet linguarum comparatio, fiet quidem inter Græcam, & Latinam. Conferatur igitur Vulgaris hæc Italica cum Gallica, aut Hiſpana; non autem cum Latina, quæ antiquiſsima eſt, & à qua, tanquam à matre Vulgaris proficiſcitur. Rectè, Fabriti, inquit Linus, concludis: ſi eſt facienda comparatio, fieri debet inter æqualia: atqui Latina, vt vidi, multùm, longeq. ab Vulgari differt. fiat ergo inter Vulgare: quæ patiuntur ſimilitudinem. quod quidem ſæpius animaduerti. verùm quia ab omnibus Vulgaris linguæ auctoribus ſumma cura comparatam eſſe videram, & ab eorum ſententia minus mihi recedendum putabam: quod abſurdiſſimum eſſe ſponte, ac libere confiteor. Quæ cùm dixiſſet Linus finem fecit. Ceua autem, Vehementer inquit, his delectatus ſum; ideo non poſſum non vobis gratias agere; & ſi nequeam quas debeo, ſaltem, quas potero. Verùm quoniam iam adueſperaſcit ad vrbem redeundum eſt. & ita omnes in vrbem ſe receperunt.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

A

Blatium casus desideratur à Græcis. pag 234. colum. 1

Aborigines ab Aenea Latini dicti. 212.2

Academia Taurinensis. 266.1

Accius Tragicus. 235.2

Adamus qua lingua loqueretur. 207.1

Aeneas Laurentum venit. 212.1

Aemilius Ferretius. 231.2

Aldus Manutius. 245.1

Alaricus apud Polentiam Stilichonis profligatus exercitum. 217.2

Alaricus Romam, & alias civitates depopulatus est. ibidem

Alciatus reprehenditur. 201.2

Alexander Magnus viros doctos diligebat. 241.1

Alexander Zobolus academicus Papiniancus. 251.1

Albani Latinè loquebantur. 212.2

Amabobia syriacum vocabulum est. 222.1

Amafanius, & Rabirius quid apud Ciceronem. 242.2

Ambrosius Barbavarius Theologus. 211.1

Andreas Vesalius Anatomicorum Princeps. 206.1

Angelus Vifca anatomicus. ibid.

Anastasius Germonius academicus Papinianeus. 251.2 nova condidit carmina. 240.1

Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis. 233.2. Hispaniarum decus, & ornamentum. 266.1

Antonius Govearus. 204.2.265.1.266.2

Antonius Faber academicus Papinianeus. 251.1

An apud Romanos illud esset loquendi genus, quod hodie vsu receptum est. 285.2.

An vulius foret si sacra Iustræ vulgari idiomate passim legerentur. 258.2

An melius esset, si eo dicendi genere, quo vsus est Bartolus, veteremur. 261.1

Antiochus philosophus Ciceronem docuit. 235.2

Angelus Iustinianus Genuæ Episcopus. 211.1

Antonius Alpheus iuris studiosus. 199.1

Apelles omnibus pictoribus eximius. 258.2

Apuleius. 216.1

Apes rationem habere videntur. 204.2

Appius Cæcus orationem de Pirrho conscripsit. 223.1

Arcadius Imp. 18 203.1

Archytes Tarentinus patientia laudatur. 197.1

Aristoteles. 198.1. & 210.1. Est Philosophorum princeps. 256.1 257.1

Aristoxenus Philosophus reprehenditur. 244.2

D. Augustinus de Ciceronc. 238.2

Augustus Latinè scripsit. 226.2

Augustus sapientes amabat. 241.2

Augustus ab suibus salutatus. 205.2

Aves, quæ Gallicè, & Italicè loquitur. 204.1

Aves, quæ humanam vocem habuerunt. 204.1.

Aulus Gellius. 214.1

Autor non reperitur apud Græcos. 233.2

Attila Hunnorum rex. 217.2

B

Babiloniæ in ædificatione turris quot fuerunt artifices. 208.2

Bandum quando a Romanis vsurpari cœpit. 215.fin.

Bartolomæus Cæsalcans de Vulgari lingua. 243.1

Bartolomeus Ferrerius philosophus. 219.2

Bartolus reprehenditur. 201.1. Omnium interpretum optimus. 266.1 Omnes Iuris peritos superat. 258.1

Bartolus, & cæteri Iuris periti quare veterum Iurisconsp. elegantiam sequuti non sunt. 265.2

Belgæ Latino fermone periti, 200.2

Bembus. 210.2. De Vulgaris linguæ accentibus. 245.1. De scribendo Italicè iudicium. 237.1

Boccatium nemo sequitur. 258.1

Boetius vltimus, qui bene Latinè scripserit. 227.2

Bonifacius Carretus Iuris peritissimus. 199.1

Britanni Latino fermone periti. 200.2

Budeus reprehenditur. 233.1

C

Camœnæ vnde dictæ. 244.2

Camelus vocabulum hebraicum est. 221.2

Capsum in ciso vocabulum transpadanum est. 222.1

Castanea latissima. 198.2

Caeus occisus. 212.1

Carolus Sigonius. 218.2.213.1

Carolus Emanuel Subalpinorum princeps, quam tum in Latinis literis proficiat. 242.1

Carolus Magnus Longobardos exterminavit. 217.2

Cæsar Latinè optimè scripsit. 224.2

Cæsar Costaphortius academicus Papinianeus. 251.1

Cæcilius Tragicus. 235.2

C. Iulius Cæsar quàm esset virtute præditus. 241.1

Celtæ Latino fermone periti. 200.2

Celsus Iurisc. 216.1

Chrisippus Stoicorum somniorum interpres. 197.2

Cicero Demostheni nihil cedit, nisi quia prior fuit. 235.2. In philosophia Platonis æmulus. 236.1. De re Latina scripsit. 230.1 Orare quando cœperit. 225 2. Ab homine extraneo Grammaticum fuit edoctus. 256.2

Cicero inter Latinos primas obtinet. 210.2.212.2. Quare est Latinorum omnium eloquentiss. 256.1.257.2

Ciceronem audiuisse Virgilium falsum est. 239.1

Ciceronem ad orandum qui incitauerint. 225.1

Claudius Balandus. 202.2

Claudius Guichardus academicus Papinianeus. 251.1

Clemens Vuisdus. 255.2

Clusia oppidum. 198.fin.

Commentaria Iuris peritorum an sint legenda. 265.2

Conuiuium an apud Græcos sit. 233.2

Comparatio an fieri possit inter Latinum & Vulgare idioma. 267

Comparatio an fieri possit inter Latinos & Vulgares, quò ad grauitatem. 238.1

Concentus ex quibus existimatur. 245.fin.

Cornelia mater Gracchorum scripsit. 226.2.225.2

Crassus apud Ciceronem imitatur. 2.0.2

Culatius. 201.1.233.1.255.2

Cumanis Latinè loqui permissum est. 247.1

Cur multi ad Vulgarem potius, quam ad Latinè scribendum se conferant. 210.1

D

Dantes lucem linguæ Italicæ attulit. 206.2

Dantes an Virgilio potuit æquiparari. 238.2

Decem Tabulæ Romæ duæ additæ. 214.1

Demetrius Ciceronem docuit. 235.2

Demosthenes inter Oratores primas tenet. 210.1. Quare est omnium eloquentissimus. 253.1

Deum varietate delectari dixerunt antiqui. 246.2

Diodorus Ciceronis in dialectica doctor. 235.1

Duellum factum est bellum. 245.2

Duarenus. 266.1

Dulcedo quomodo quibuslibet linguis insit. 247.2

Dionysius Cisiagus inquisitor Taurinensis. 211.1

Dynus reprehenditur. 201.1

Dyonisius Halicarnassæus. 212.1.& 2

E

Legias Vulgares non habent. 239.2

Eloquentiæ vis. 251.1.2.262.2

Ecclesia Catholica est vna. 202.2

Eloquentes viri Græci. 262.1

Eloquentes Romani viri. 262.2

Eloquentiam quemadmodum quis consequatur. 264.1

Eloquentia quibus constet partibus. 264.1

Eloquentissimus, & doctissimus Iurisconsultus quo nam modo quis fieri possit. 265.1. & 2

Eloquentissimi antiquorum imitatores. 227. fin.

Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux quanto viros doctos amore prosequatur. 241.2

Ennius

Digitized by Google

INDEX.

Ennius quo tempore floruit. 214.1
Epigrammata Vulgares non habent. 279.2
Esdra Iudæorum sacerdos. 207.2
Eudoxia regina Genfericum accersiuit. 217.2
Eutropius reprehenditur. 211.fin.

F

Fabianus Maronus academicus Papinianeus. 251.1
Fabricius à Ceua academicus Papinianeus. 251.1
Fideicommissum non est apud Græcos. 234.1
Florentinus Iurisc. 205.1
Fons gelidus ex ripa Padi perfluens. 299.1
Formicæ resp. more viuunt. 294.1
Franciscus Bonobomius Vercellensis Episcopus. 240.2
Franciscus Gallorum rex lyricis carminibus delectabatur. 238.2. Scientiarum instaurator. 241.2
Franciscus Floridus Latinæ linguæ defensor. 236 2
Fracastorius. 210.2
Franciscus Petrarcha Latinum sermonem restituit. 237. 2. An pothe Horatio æquiparari. 238.2. Ipsum nemo vincit. 258.1.
Fœx quæ dicatur. 210.1
Furorem non exprimunt Græci. 234.1

G

Galenus. 253.2
Gallilatino sermone periti. 200.2
Genfericus Vandalorum dux. 217.2
Germani Latino sermone periti. 200 2
Gerundia, & supina penes Græcos non sunt. 234.1
Gigantes apud Virgilium, & Ouidium quid significent. 208.1.2
Gorgias Leontinus numerum oratorium inuenit. 246.2
Gothi quo tempore in Italiam conuolarunt. 217.2
Græci in Latinorum ditionem venerunt. 222.1. Latinis, & Vulgaribus accentibus locupletiores sunt. 245.1. Nunquam Græciæ fines egressi sunt. 232.2. An grammaticè ediscerent. 256.2
Græcus nullus est Ciceroni æquiparandus. 232.1
Grammatici Latini. 227.1
Grammatici Romæ etiam floruerunt. 256.2
Gregorius xiii. Pontifex Max. Romæ Græcorum Gymnasia erexit. 234.2
Gurdus, hispanum vocabulum est. 221 1
Guidus Pancirolus in academia Taurinensi primus legum professor. 198.1.250.1.266 1

H

Harmonia est Latinis. 245.2
Harmonia in omnibus rebus desideratur. 244.1
Hebræa lingua omnium antiquissima. 207.2
Helvetij Latino sermone periti. 200.2
Hercules in Italiam venit. 212.1
Hieronymus de Federicis Laude Pompeæ Episcopus. 210.2
Hieronymus à Ruuere Taurinensis Archiepiscopus. 240.2
Hippocrates, & Galenus medicorum principes. 257.2
Hispani Latino sermone periti. 200.2
Historici Latini. 227.1. Recentiores. 227. 2.
Homerus inter poetas obtinet principatum. 218.1. Articulis tantum vtitur, cùm aliquid demonstrat. 237.2. Cur cæteris poetis excellat. 256.1.257.1
Homo animal sociale est. 204.1
Homo quare solus sermonem habet. 265.2
Horatius cum Græcis dimicauit. 237.1
Hortensius eloquentissimus. 225.1.
Hostium potitus quid sibi velit: 233.1
Hypercatalectici versus qui sint. 246.2

I

Iacobus Cuiacius Galliæ decus. 253.1.253.2
Infans ex Gallia in Italiam translatus, Italicè non Gallicè loquitur. 266.2
Infantes à matris nutricibus educati non primâ linguâ loquerentur, sed nouam sibi fingerent. 207.1
In Principe quid inesse debeat. 240.2
Ingenius an sit apud Græcos. 233.2
Io. Baptista Pigna. 198.2
Io. Michael Brutus. 232.2
Io. Metuntius in academia Taurinensi eximius legum interpres. 197.1.204.2.250.1.266.1.
Iosephus Scaliger. 212.2
Iocatio numerum oratorium inuenit. 246.2
Itali Latini appellati. 213.2
Itala lingua magis Latinæ, quàm barbaræ assimilatur. 218.2
Italus sermo quo in loco originem habuerit. 218.2
Italus sermo fœcundus esse non potest. vide, Vulgaris. 200.2
Iudex cuius ætatis esse debet. 255.1.2
Iurisconsulti Latini. 227.2. Recentiores. 228.1.
Iurisconsulti qui legendi sint ad consequendam eloquentiã. 266.1
Ius naturale omnia animalia docuit. 204.2
Iustinianus minor Narsetem ab Italia reuocauit. 217.2
Iustitia quid sit. 255.1

L

Latini an à Cicerone, & à Virgilio recedere possint, & noua sibi fingere verba. 237.1
Latinum carmen ex quibus constare debet. 246.1
Latinorum, & Romanorum duo erant imperia. 212.2
Latini ab Anco superati, & cæsi. ibid.
Latium Romanis subiicitur. ibid.
Latini Romani dicti. ibid.
Latina facundia Græcæ quando se opponere potuit. 225.2
Latina lingua cæteris dulcior. 248.1
Latina Vocabula Græcis nondum confusa. 213.2
Latina hodie ab omnibus legantur. 236.2
Latina potius, quàm Vulgaria à doctis legantur. 200.1
Latina disciplina omnibus est communis. 248.1
Latina leguntur penes omnes. 200.1
Latina res per se satis ornata est. 239.1
Latinas literas quàm varie reprehendunt. 239.2
Latinæ literæ quàm sint iuri studenti necessariæ. 230.1
Latina lingua quandoq; vltimam syllabam acuit. 248.1
Latinæ linguæ interdum vltima syllaba circumflectitur. 248.1
Latina formula in stipulatione est seruanda. 201.1
Latina lingua num sit Græca melior, pulchrior, suauior, nobilior. 231.2.233.2.
Latini Græcis hodie nihil cedunt. ibid.
Latinorum opes quotidie augentur. ibid.
Latina lingua Græcis locupletatur. 213. 1. Ciceronis tempore florentissima. ibid. Quare ab initio paucos habebat autores. 222.2. Locupletiorem esse Græca ex multis Ciceronis locis probatur. 232.1. Vulgari nobilior. 240.2. An dignitatem habeat. 240.2. Eius dignitas in quibus consistat. ibid. Iustiniani tempore iam inclinauerat. 215.fin.
Latine Decreta à Prætoribus interponi debent. 200.2
Latinæ literæ quo tempore iacturam cæperunt facere. 217.1. A quibus auctæ, & illustratæ. 222.1. A Romulo in scripta redigi cæperunt. 216.fin.
Latinè loqui quid sit. 202.1. Est tanquam splendidissimum lumen. 210.2. Tanquam concionatoris vox. ibid. Proprium eiuis Romani erat. 213.1
Latinè etiam rudes, & imperiti loquebantur. 215.2
Latine, qui sint, qui optimè ante, & post Ciceronem scripserint. 223. & 224.
Latinè qui post Petrarcham scripserint. 227.fin.
Latinè Albani loquebantur. 212.2
Latinè qui optimè in vnaquaq; scientia scripserint. 249 2
Latini omnia inuenerunt per se sapientius, quam Græci, vel accepta ab illis fecerunt meliora. 232.2
Latini libri quanto tempore neque lecti, neque visi fuere. 226.1. Græcis quo ad sermonẽ nihil cedunt. 235.1. In re medica Græcos superant. 236.1. Iurisconsulti Græcos superant. 235.fin. Theologia Græcos vincunt. 236.1. Vt versus sit dulcior, quid agunt. 245.2. Dicendi genere Hebræis perquam familiari vsi sunt. 221.2. Itali dicti. 213.1. Recentiores parum veteribus cedunt. 233.2. Vna cum lingua auxerunt imperium. 222.1. Historia Græcis nihil cedunt. 237.2. Hebræis vocabula sint mutuati. 211.2. An noua possint fingere carmina. 240.1
Latini sermonis vsumfructum dentaxat Galli, & cæteri exteri habent. 200.2
Latinis disciplinis, magis quã Vulgaribus delectabant docti. 242.2
Latinum nomen vnde ductum. 211.2
Latium quæ sit Italiæ pars. 211.2
Latium antiquum. ibidem
Latinam linguam qui post Ciceronem auxerint. 233.1
Latinus, & Græcus sermo æquiparatur. 202.1
Latino sermone ex Impp. constitutionibus omnes vti debẽt. 200.2
Latinus sermo in quibus fuerit conseruatus. 227.1
Latinus sermo semper Latinus dictus est. 218.2
Latinos versus ante L. Andronicum alij scripsere. 223.1
Labor, & dolor inter se differunt. 233. fin.
Latinus Rex Herculis filius. 212.1. Rex Aborigenum factus. ibid.
Latinus Syluij Aeneæ filius. 212.2
Laurentius Valla de Pandectis. 265.1
Leonardus Aretinus. 215.2
L. Decreta. ff. de re iud. explicata. 201.2 215.fin.
L. Iudices. C. de sententijs. explicata. 201.2
L. ff. de iud. & iur. explicata. 204.2
Linguam quamlibet qua ratione dignosci, & diudicari possit esse meliorem altera, locupletiorem, pulchriorem, aut nobiliorem, aut dulciorem. 231.1
Lingua cuiuscunque finis qui sit. ibid. Bonitas in quo cõsistat ibid.

INDEX.

Lingua omnis quibus conficiatur. Quæ sit pulchrior, ac melior. ibid.
Linguæ cuiusq. dulcedo in quo consistat. 231.2
Linguarum confusio quare facta sit. 208.2
Lingua omnis profertur cum accentibus. 248.1
Linguæ omnes vsu domestico edisceuntur. 216.2
Lingua vocem fingit, & terminat. 205.2
Linguæ corrumpi non possunt. 220.2
Littera omnis proprium habet sonum. 231.1
Liuius Andronicus poeta. 221.2
Longobardos in Italiam accersiuit Narses. 217.fin.
Longobardi Latina lingua delectabantur. 218.1
Lucilius Satyram primus inuenit. 235.1
Lucretius Philosophus, & Poeta. 231.2
Ludouicus Ariostus Virgilium imitatus. 239.1. Comœdias composuit. ibid.
Ludouicus Dulcius de Vulgaribus accentibus. 238.2

M

Margarita Biturigum, & Allobrogum Dux quibus virtutibus esset prædita. 242.1
Marcellus Latinè optimè scripsit. 224.2
M. Antonius Iustinianus academicus Papinianeus. 251.1
M. Antonius Siuorius academicus Papinianeus. ibid.
M. Valerius Maximi nomen primus est consequutus. 214.2
Mappa pœnum vocabulum est. 222.1
M. Varro & Græcorum, & Latinorum omnium doctissimus. De re Latina scripsit. 250.1
Martialis. 213.1
Michael Angelus quantus esset in pictura. 258.2
Medicina quot difficultates contineat. 253.1
Menandrum nemo consequi potuit. 253.2
Medici Latini recentiores. 228.1
Milo Ciceronem docuit. 225.1
Mortuos olim cum cantu ad sepulturam consequebantur. 244.2

N

Narses Totilam occidit, & Gothos omnes fugauit. 217.fin.
Naturæ quanta sit vis, & potestas. 45
Nomina quare inuenta sint. 206.2
Nouissimus nunquam vsus est Cicero. 237.2
Numa Pompilius Latinè scripsit. 214.1. Eius libri inuenti. A Q. Petilio lecti, intellecti, & concremati. 214 fin.
Nugæ vocabulum hebraicum est. 221.2

O

Oratorius numerus quomodo fiat. 247.1
Odoacer Herulorum dominus. 217.2
Oldradus reprehenditur. 201.1
Ouidius Bistonum libros vidit. 208.1. Cum Græcis dimicauit, 217.1. Medeam conscripsit. 235.2

P

Pacuuius Tragicus. 235.2
Papinianus singulos Iurisconsultos vincebat. 258.2
Pandectarum laus. 265.2
Pecorium gallicum vocabulum est. 222.1
Phaethontis sorores in arbores commutatæ. 199.2
Philosophi mundum æternum dixerunt. 207.1. Quid de anima dixerint. 252.1
Philosophia iacuit vsque ad Ciceronē. 215.1. Quid cōtinet. 253.1
Picæ regem habent. 204.1
Pictura apud Romanos olim in pretio non fuit. 215.1
Pisces pulmones desiderant. 206.1. Plato quantus esset. 210.1. 256. & 257
Plautus Comicus. 233.2.235.2
Plinij duo, quo tempore floruerint. 97
Poetæ Latini. 227.1. Recentiores. ibid.
Poetæ Mosis libros viderunt. 207
Poetica quas habet difficultates. 182.183
Polentia apud Augustam Taurinorum. 217.2
Populus Germanorum familiæ symbolum. 199.2
Potibile nunquam vsus est Cicero. 237.2
Potius apud Græcos plerunque deest. 222.2.
Principes Latinis literis necessariò indigent. 242.1
Priuilegia artium professoribus, & studentibus ab Imperatoribus concessa. 241.2
Prometheus primus hominem ex humo finxit. 208.1
Puerorum propria. 255.2
Pulchritudo cuiusq; linguæ in quo consistat: 244.2
Pupillus prō nihilo habetur, vbi verba deliderantur. 206.2
Pythagoras Philosophus quo tempore claruit. 214.2. Quantus apud suos esset. 265.fin.

Q

Quintilianus Latinæ linguæ, & Græcæ peritissimus. 230.2
Quintilianus M. inuigilat. 247.2

R

Raphael Vrbinas. 210.1
Remus ab Aenea prouenit. 212.2
Rheda gallicum vocabulum est. 222.1
Rodomons Germanus. 252.1
Romani prima quo sermone vterentur. 221.2. Latini dicti. 212.2 Ad Latinè scribendum quando se contulerunt. 215.2. In omnes imperium tenuerunt 232.2. De iure ciuili, & legibus ferendis quantum præstiterint sapientia cæteras gentibus. 232.2
Romulus ab Aenea originem duxit. 212.2
Romæ ædificatæ statim Latine loqui cœptum est. 212.2

S

Saccus vocabulum hebraicum est. 221.2
Sacerdotes Impp. legibus non sunt adstricti. 202.2
Sanazarus. 210.2
Satyras scripserunt Ariostus, & Alamanus. 239.2
Satyra à Latinis inuenta. 235.1
Scipio Africanus Xenophonti studebat. 241.1
Seneca laudatur. 235.2
Sententiæ non modò Latinè, verùm etiam Græcè proferri possunt. 201.1
Sermonem suum quisq; laudat. 201.2
Sermo an sit solus hominis. 203.2. An sit naturalis. ibidem
Sex Papyrus scripsit. 215. fin.
Seneca quemadmodum ab Imp. Claudio vocaretur. 216.2
Socrates ambulando obsonat famem. 209.1. Philosophiam deuocauit è cælo. 258.2
De Somnijs interpretatio. 197. fin.
Stipulatio non tantùm Latinis verbis, sed & peregrinis celebrari potest. 200.fin.
Strata quid significet. 215.2. Epigramma. 231.2
Studendi legibus quod tempus concesserit Iustinianus. 255.2.
In Subalpinis iudicijs cur causæ Vulgari lingua agitantur. 243.2
Suetonius quo tempore fuit. 227.2
Supina nulla habent Vulgares, participia pauca, comparativa etiam nulla, superlativa pauca. 238.1
Syllabæ quid conueniat, & quid sit. 251.2.

T

Taurinū Phaethontia, & Eridana à veteribus est dictū. 199.2
Terentius cur est cæteris facetior. 257.1. In Comœdia cæteris artificiosior. 235.2
Testamentum olim nisi Latinè fieri non poterat. 201.1. Iuris ciuilis est. ibidem
Theatrum cur Sabaudiæ Dux Vulgariter scribi voluit. 243.2
Theodorus Rendius Græcis disciplinis eruditus. 234.2
Theodosius primus imperium diuisit. 227.1
Theodoricus Odoacrum occidit. 217.2
Theologia in quibus versetur. 254.1. An absque eloquentia possit esse secunda. 265.2
Thrasimachus numerum oratorium ex primis inuenit. 246.2.
Tragicorum Princeps Pomponius secundus. 235.2
Tribonianus Pandectarum, & Codicis compilator. 227.2
Tridentina Synodus quid de Vulgari lingua statuit. 260.1
Tryphonini regula, quæ est in l. decreta. est etiam hodie obseruanda. 202.1

V

Valore an sit penes Latinos. 238.1
Varietas in latinis versibus quæ sit. 246.2
Varronis fragmenta. 217.1
Varro Latinos omnes librorum copia vicit. 226.1
Verba ciuilia Vulgari idiomate interpretari non possunt. 243.2
Villa, quæ in ripa Padi Taurinæ sita est, quæ Belueder vulgo dicitur, describitur. 230.2
Vim vi repellere iuris naturalis est. 205.2.
Virgilius tribus poetis Græcis bellum gessit. 217.1. Poetarum princeps. 226.2. Inter Latinos solus est Homero æquiparandus. 235.2. Quid de Deo senserit. 239.1. Cui poetæ omnibus præferatur. 256.1. 257.2
Vox vode principium ducit. 205.2
Vulgaria exiguis finibus circumscribuntur. 204.1
Vulgaris linguæ nullam virtutem, nullamq. vtilitatē cōtinet. 200.1 Fuit barbara. 206.2. Non est perfecta 208.2 Est tanquam fœx vini. 209.1. Est Latinæ corruptio. ibid. Nunquam Latina locupletior fiet. 236.2. An Latina pulchrior. 244.1. An sit Latina dulcior. 247.2. An sit Latina copiosior. ibid. An sit Latina facilior percepta. 251.2. An sit tantùm necessaria. 256.1
Ob Vulgares literas quos incommoda Christianæ reip. occurrerunt. 259

Z

Zenon Stoicorum Princeps nouorū verborū inuentor. 237.2
Zeuxis, & Parrhasius quantus esset. 258.2

FINIS.

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO
ARCHIEPISCOPO, ET COMITE
TARANTASIENSE

In Diœceſana Synodo Muſterij habita iij. Nonas Maij
M. DC. IX. promulgata.

Cum rerum, ac materiarum copioſo Indice.

AD SERENISS. PRINCIPEM

D. FERDINANDVM
S. R. E. CARDINALEM
AVSTRIACVM
ARCHIEPISCOPVM TOLETANVM.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

D. FERDINANDO S. R. E. CARDINALI AVSTRIACO ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

ANASTASIVS GERMONIVS
ARCHIEPISCOPVS TARANTASIENSIS
S. P. D.

ECCLESIÆ meæ Tarantaſienſis Acta in lucem editurus nihil antiquius habui (Cardinalis Sereniſsime), quàm vt ea ampliſsimo nomini tuo nuncuparem: non ſolùm quia tu ſummo Principe genitus, cuius potentiam ipſe terrarum orbis admiratur: atque auguſtiſsimi collegij Eccleſiaſtici maximæ ſpei Senator, virtutum ſtudio, & originis maieſtate, & purpuræ decora ſupra ætatem æquas, & plaudentibus ordinibus egregiè ſuſtentas; ſed etiam, quia celeberrimæ Toletanæ Eccleſiæ clauum tenens, noſtras has paſtorales conſtitutiones, ni fallor, eò libentiùs accipies, quò non obſcuris germanæ pietatis, prudentiæ, ac vigilantiæ argumentis, talem te Dominici gregis paſtorem futurum exhibes, qualem laudatiſsimi mores tui, hominumque conſtans opinio, prænunciant, ac deſignant. Exiguum ſanè munus eſt, quod tibi offero, (magnanime Princeps) ſi cum liberalitate Auſtriacæ genti propria, man-

ſuetudine,

ſuetudine, ingenij præſtantia, cæteriſq. animi tui heroicis dotibus conferatur; at ſatis magnum, ſi ex mea in te eximia obſeruantia æſtimetur; quæ ſanè eiuſmodi eſt, vt chariſsimæ ſponſæ meæ pretioſiorem ſupellectilem, has nempe leges, hæc ſynodalia decreta in publicum prodeuntia, præclaræ indolis tuæ fama præeunte, tibi vni duxerim commendanda; ac iure quidem, cùm non modò Prouinciæ meæ populis, quam mihi propoſui, allatura ſint vtilitatem; ſed &, abundante materia, teq. auſpice ac patrono, eam apud maiorum Eccleſiarum rectores, eorumq. adminiſtros ac iuſdicentes, ſibi ſint auctoritatem comparatura. Accipe læta fronte (optime Cardinalis) hoc beneuolentiæ meæ non contemnendum pignus, ſimulq. tuæ ad colendas virtutes miræ propenſionis non leue teſtimonium, ac pro tua ſingulari humanitate munuſculi tenuitatem voluntatis meæ amplitudine compenſari permitte. Quod te, tanti Regis filium, regiosq. gerentem ſpiritus, cum fœnore præſtiturum, planè confido. Interim bonorum omnium auctor Deus progreſſus tuos ita foueat ac fortunet, vt quem in ſpiritali ſtadio curſum inſtituiſti, feliciter perficias; quoſque tibi creditus grex ex temperantia, ac diligentia tua fructus expectat, cumulatiſsimè aſſequatur. Vale, & diu viue. Matriti, pridie idus Decembris M. DC. XX.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
TITVLORVM
HVIVS OPERIS.

A

Lib. Tit. pag.

Accuſationibus, inquiſitionibus, & renunciationibus. 5 1 378
Adulterijs, & ſtupro. 5 14 390
Alienatione mutandi iudicij cauſa facta. 1 23 298
Apoſtatis, & iterantibus baptiſma. 5 8 387
Appellationibus, recuſationibus, & relationibus. 2 27 315
Arbitris. 1 24 299

B

Baptiſmo, & eius effectu. 3 42 355

C

Alumniatoribus. 5 2 379
Capellis monachorum, & aliorum Religioſorum. 3 37 346
Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis. 2 11 305
Celebratione Miſſarũ, & Sacramento Euchariſtiæ, & diuinis officijs. 3 41 350
Cenſibus, exactionibus, & procurationibus. 3 39 348
Clandeſtina deſponſatione. 4 3 367
Clericis coniugatis. 3 3 320
Clericis non reſidentibus in eccleſia, vel prębenda. 3 4 320
Clerico agrotante. 3 6 323
Clerico venatore. 5 22 399
Clerico percuſſore. 5 23 400
Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante. 5 25 402
Clerico non ordinato miniſtrante. 5 26 402
Clerico per ſaltum promoto. 5 27 403
Cognatione ſpirituali. 4 8 369
Cognatione legali. 4 9 370
Cohabitatione clericorũ, & mulierũ. 3 2 320
Colluſione detegenda. 5 20 399
Commodato. 3 15 328
Conceſſione prębendæ, & eccleſiæ non vacantis. 3 8 324
Conditionibus appoſitis in deſponſatione, & alijs contractibus. 4 5 368
Confeſſis. 2 17 308
Confirmatione vtili, vel inutili. 2 28 316
Conſanguinitate, & affinitate. 4 11 371
Conſecratione eccleſiæ, vel altaris. 3 40 349
Conſtitutionibus. 1 2 284
Conſuetudine. 1 4 285

Lib. Tit. pag.

Conuerſione coniugatorum. 3 32 343
Conuerſione infidelium. 3 33 344
Crimine falſi. 5 18 396
Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum. 3 44 357

D

Decimis, primitijs, & oblationibus. 3 30 341
Delictis puerorum. 5 21 399
Depoſito. 3 16 329
Deſponſatione impuberum. 4 2 366
Dilationibus. 2 8 303
Diuortijs. 4 16 374
Dolo, & contumacia. 2 13 306
Donationibus. 3 24 335
Donationibus inter virũ, & vxorẽ, & de dote poſt diuortiũ reſtituenda. 4 17 374

E

Eccleſijs adificãd. vel reparãdis. 3 48 360
Electione. 1 5 286
Emptione, & venditione. 3 17 329
Eo, qui mittitur in poſſeſſionem rei ſeruandæ cauſa. 2 15 306
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. 4 7 369
Eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vel ſponſæ. 4 10 370
Eo, qui ordinem furtiuè ſuſcepit. 5 28 404
Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum. 1 8 291
Exceptionibus. 2 24 312
Exceſſibus Prælatorũ, & ſubditorũ. 5 29 404

F

Erijs. 2 9 304
Feudis. 3 20 333
Fide inſtrumentorum. 2 21 310
Fideiuſſoribus. 3 22 334
Foro competenti. 2 1 301
Frigidis, & maleficiatis, & impotentia cœundi. 4 12 371
Furtis. 5 16 393

H

Hæreticis. 5 6 385
His, quæ vi, metuſue cauſa fiũt. 1 21 298
His, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli. 3 10 325
His, quæ fiãt à maiore parte capituli. 3 11 325
His, qui filios occiderunt. 5 9 387
Homicidio voluntario, vel caſuali. 5 11 388

Immu-

INDEX TITVL.

	Lib.	Tit.	pag.
I			
Immunitate ecclesiarũ, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.	3	49	361
Infamibus, & infamiis expulsis.	5	10	388
In integrum restitutionibus.	1	22	298
Iniurijs, & damno dato.	5	34	409
Institutionibus.	3	7	323
Iudæis, & Saracenis, & eorũ seruis.	5	5	384
Iudicijs.	2	1	300
Iuramento calumniæ.	2	7	303
Iureiurando.	2	23	311
Iure patronatus.	3	38	347
L			
Libelli oblatione.	2	3	302
Litis contestatione.	2	5	303
Locato, & conducto.	3	18	331
M			
Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.	5	4	382
Maioritate, & obedientia.	1	17	296
Maledicis.	5	24	401
Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.	4	13	372
Mutuis petitionibus.	2	4	302
N			
Ne clerici, vel monachi secularibus negotijs se immisceãt.	3	50	363
Ne, sede vacante, aliquid innouetur.	3	9	325
Noui operis nunciatione.	5	30	405
O			
Obseruatione feriarum.	3	46	359
Officio Archidiaconi.	1	11	292
Officio sacristæ.	1	12	293
Officio cantoris.	1	13	293
Officio Vicarij.	1	14	293
Officio, & potestate iudicis delegati.	1	15	294
Officio iudicis ordinarij.	1	16	294
Ordine cognitionum.	2	10	305
P			
Actis.	1	18	297
Parochis, & parochianis.	3	29	340
Peculio clericorum.	3	25	337
Pignoribus, & alijs cautionibus.	3	21	334
Panis.	5	35	410
Panitentijs, & remissionibus.	5	36	412
Postulando.	1	19	297
Præbendis, & dignitatibus.	3	5	322
Precarijs.	3	14	328
Presbytero non baptizato.	3	43	357
Præscriptionibus.	2	25	312
Præsumptionibus.	2	22	310
Priuilegijs, et excessib. priuilegiatorũ.	5	31	406
Probationibus.	2	18	308
Procuratoribus.	1	20	297
Pugnantibus in duello.	5	13	390
Purgatione canonica.	5	32	407
Purgatione vulgari.	5	33	408
Purgatione post partum.	3	47	360
Q			
Qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint.	4	6	369
Qui filij sint legitimi.	4	14	372
Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.	4	15	373
R			
Raptoribus, incendiarijs, & violatoribus ecclesiarum.	5	15	392
Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.	3	13	326
Regularibus, & transeuntibus ad religionem.	3	31	343
Regulis iuris.	5	39	416
Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ.	3	36	345
Reliquijs, & veneratione Sanctorũ.	3	45	357
Renunciatione.	1	6	287
Rerum permutatione.	3	19	333
Rescriptis.	1	3	284
Restitutione spoliatorum.	2	12	305
S			
Sacramentis non iterandis.	1	10	292
Sacra unctione.	1	9	291
Schismaticis.	5	7	386
Secundis nuptijs.	4	18	376
Sententia, & re iudicata.	2	26	313
Sententia excommunicationis.	5	37	416
Sepulturis.	3	28	339
Sequestratione possessionũ, & fructuũ.	2	16	307
Simonia, & ne quid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.	5	3	380
Solutionibus.	3	23	335
Sortilegijs.	5	19	397
Sponsalibus, & matrimonijs.	4	1	364
Sponsa duorum.	4	4	368
Statu monachorum, & canonicorum regularium.	3	35	345
Successionibus ab intestato.	3	27	338
Summa Trinitate, & Fide catholica.	1	1	281
T			
Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.	1	7	288
Testamentis, & vltimis voluntatibus.	3	26	337
Testibus, & attestationibus.	2	19	309
Testibus cogendis.	2	20	309
Torneamentis.	5	12	389
V			
Verborum significatione.	5	38	418
Vita, & honestate clericorum.	3	1	317
Voto, & voti redemptione.	3	34	344
Vsuris.	5	17	394
Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.	3	12	326
Vt, lite nõ contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam.	2	6	303
Vt, lite pendente, nihil innouetur.	2	15	306

Digitized by Google

AD CLERVM TARANTASIENSEM PROOEMIVM.

EA eſt rerum inconſtantia, ea mortalium conditio (fili) chariſſimi) vt, cùm infirma, fluxaq. ſint terrena omnia, niſi humana prudentia reparentur, peſſumeunte, ac diffluente legum auctoritate, non ſolùm vitia reprimi, morumq. corruptores coerceri nequeant, ſed ipſam humanæ ſocietatis compagem ſolui, atque omnino interire, neceſſe ſit: ſiquidem corrumpitur, atque ſeneſcit, quodcumque ſub cælo eſt, neque perpetuò ſtare, diuue conſiſtere poſſunt, quæ hominum fragilitati, temporumq. viciſſitudini obnoxia ſunt adeo, vt leges ipſas, atque inſtituta, licet optima, quibus populorum pax, ſaluſq. nititur, niſi ſapientiorum ope in dies reformentur, ac quodammodo ab interitu vindicentur, oboleſcere, atque obliuioni tradi, experientia ipſa doceamur. Quod ſanè, cùm in vniuſcuiuſque Reipublicæ gubernatione quàm maxime exploratum ſit, in eccleſiaſtica præſertim eo magis eluceſcit, quo mortalium cœtui maiorem iacturam affert ſacrarum, quam profanarum legum violatio, vt, quæ, non tantùm ſeculi honores, labiles opes, pereuntium familiarum momentaneam gloriam, inanes mundi titulos, ac breuem denique corporum felicitatem, ſed perpetua bona, ſolidam lætitiam, nunquam intermorituras diuitias, æternamq. ſalutem, reſpiciat. Quapropter non minus pie, quàm ſapienter, iam vſque ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, conſtitutum legimus, vt, conuente ex totius Orbis regionibus Epiſcoporum ſenatu, de catholicis dogmatibus, de morum diſciplina, de Principum ſtatu, atque concordia, ageretur: vnde Græca, ac Latina generalia quatuordecim, Prouincialia plurima, Diœceſana pene infinita Concilia prodiere, ex quibus, donec ſanctarum viguit legum reuerentia, Chriſtianorum vniuerſitas ingentia commoda, immenſaſq. vtilitates percepit. Vbi verò, neſcio, verum temporum iniuria, an hominum incuria, deſijt, ſenſimq. dilapſa eſt priſca illa legum obſeruantia; ignara, ſuiq. oblita multitudo (vt eſt humana natura ad malum procliuis) viuendi licentiam præceps arripuit, ac nequitia primùm, diuinorumq. præceptorum contemptu, deinde ſtupris, rapinis, cædibus, hæreſi etiam; rebellantium animis varie diſtractis; inter infenſiſſimos hoſtes Chriſtiano nomini inſultantes in propriam perniciem conſpiraſſe, iugulumq. diabolico mucroni quodammodo obtuliſſe, videtur. Quibus incommodis, vt, quoad eius fieri poſſet, opportuna tandem aliquando adhiberentur remedia, plurimùm inſudaſſe Romanos Pontifices, teſtantur publica monumenta: inter quos Paulus Tertius, Iulius item Tertius, ac noſtra memoria, Pius Quartus, indicta in ciuitate Tridentina generali ſynodo, Eccleſiæ neceſſitatibus egregiam, ſtrenuamq. operam nauarunt. Siquidem in eo Concilio antiqua, nouaq. errorum obducta ſunt vulnera, emendati mores, repreſſa potentiorum effrænata cupiditas, legibus honor, clero decor, Patribus auctoritas, paxque, ac quies

a cap. 2 ſeſſ. 24. de reform. populis reſtituta. Quin & prudentiſſimè ſancitum, vt a tertio quoque anno Prouinciales Concilia conuocarentur, dieceſana verò quotannis: enimuero perſuaſum habuerunt ſapientiſſimi illi proceres, nihil militanti Eccleſiæ magis ſalutare futurum, quàm ſi nos ipſos conuentus frequentes haberemus, non ſolùm, vt caſuum varietates, ac vicifſitudines, explicari poſſent, ſed etiam, ne, dum de vero legum ſenſu, legislatorumq. intentione, dubitaretur, quilibet Prouincia pro libidine ſibi leges effingere, imitare, ac violare, auderet. Ideò, ne malum latius ſerperet, vtque omnes abuſus, omnes item peccandi occaſiones tollerentur, etiam Epiſcopis eorumdem Patrum conſenſu alias leges condendi, quæ generalis ſynodi decretis non b d. c. 2. & can. annis ci ſeqq. dub. 18 aduerſarentur) pro tempore, ac locorum qualitate, tributa b eſt auctoritas. Quæ, cùm ante oculos noſtros diu obuerſarentur, quamque gerimus perſonam, nobis repræſentarent, ad diuini cultus, morumq. eccleſiaſticorum reparationem animum, ac mentem conuertimus. Itaque, Prouincia noſtra pro virili parte diligenter luſtrata, edictiſq. ſaluberrimis, quantùm ſacrorum miniſtrorum, ædiumq. neceſſitati, & conſeruationi expedire viſum eſt, in priſtinum decorem reſtituta; leges vetuſtate obſoletas, longaq. deſuetudine iam antiquatas, reformare, nouaſq. concipere, ac, priuſquam in publicum prodeant, vobis proponi decreuimus, vt; quod forſitan prætermiſſum fuerit; veſtro etiam calculo opportune ſuppleri, quodque ſupernacaneum, tolli, ac deleri poſſit. In quo quidem negotio, ſicut omnem curam adhibuimus, quò ſuſceptum onus pro officij noſtri dignitate ſuſtineremus, ita & abundante materia, prolixiores fuiſſe non dubitamus, quàm huiuſmodi ſcriptionis genus exigere videatur: quod tamen, & intra modum, & iuſtis de cauſis factum eſſe, publicæ vtilitatis ſtudioſi haudquaquam negabunt. Etenim, cùm ad dilapſæ antiquæ diſciplinæ reſtitutionem nihil magis expedire arbitraremur, quàm, vt eiuſdem Tridentini Concilij (cuius beneficio errores refutati ſunt) ſalutaria præcepta obſeruarentur, acta eius, prout occaſio tulit, noſtris conſtitutionibus inſeri operæpretium duximus, vt, quantùm in nobis eſſet, ex hoc cæleſti theſauro æternas vobis diuitias compararemus, ſimul perſuaſum habentes, veneratione, ſummaq. obedientia digna in ipſis conſtitutionibus à vobis exiſtimanda, quæcumque in ipſo Concilio, ſi ad aures veſtras peruenilſent, veneraremini. Quin, vt eccleſiarum rectores bene regendi, populi verò bene viuendi propoſitum; ſummorum etiam Pontificum vrgentibus præceptis; tenaciùs, ac faciliùs retineant, Pontificias ſanctiones, quæ ad veſtram propagandam pietatem maxime faciunt, in hoc volumen conijcimus; quibus, occaſione titulorum materias diſtinguentium, quæ in Concilio Florentino de Sacramentis definita ſunt, attexere viſum eſt, ad neotericorum, nempe nſanam compeſcendam, vt, qui Sacramentorum efficaciam impugnare non deſiſtunt, ex vniuerſo orthodoxorum armamentario (conciljs ſcilicet) aduerſus eorum calumnias, tum arma, tum propugnatores ſemper ſuppeditatos fuiſſe, facilè intelligant. Poſtremò (quod huic operi magnum additamentum fuit) cùm apud nos perpauci ſint, qui de iure Pontificio, curiæque Romanæ ſtylo apte reſpondere norint, vixq. iusdicentes noſtri, quomodo Canonum ratio poſtulat, cauſas definire poſſint, vt publicum hoc probrum (quantùm per vires liceret) radicitus euelleremus, forenſem eccleſiaſticorũ tribunalium praxim, quàm viginti duorũ annorum experientia Rom. Curiæ germanam, ac genuinã eſſe cognouimus, vt magiſtratus noſtri ad rectiorẽ iudicandi viam traducerentur, tum generalibus, tũ ſpecialibus ſtatutis confirmauimus, controuerſijs etiã pluribus, quæ inter iuris interpretes magnas turbas excitare ſolent, ex occaſione ſublatis: quorum ſtatutorum filo, & à iudicibus

cibus legalis laberinthi ambages eludi, & à litigãtibus difficiles litiũ nodos expediri poſſe, non dubitamus. Huic verò ſtudio induſtriam, affectumq. paſtoralem, tantò libentius accommodauimus, quantò id ijſdem magiſtratibus vtilius futurum ſperauimus, non ſolum, quia doctius, ac ſubtilius de quacumque re controuerſa diſputaturi, rectiora iudicia laturi ſint, ſed etiam, quia, ſi de fori competentia diſcordia oriatur, & profani, quæ ſunt c Cæſaris, & ſacri, quæ ſunt Dei, è veſtigio diſcernere, ac definire facilè queant. Simul autem vobis (egregij commilitones parochi) noſtris laboribus ad faciliorem officij veſtri adminiſtrationem viam aperuiſſe gratulamur, indicatis, ſcilicet, curæ, quam geritis, non minimis periculis, præſcripta bene gubernandi forma, excuſſo negligentiæ veterno, cohibita contumacium licentia, traditaque tandem recte paſcendi animas certiſſima regula, qua muneris veſtri pondus aurificis potius ſtatera, quàm vulgari trutina, examinantes, paſtoralem ſarcinam feliciter feratis, veſtræq. vigilantiæ ſperata præmia reportetis. Quod quidem modico negotio perfici poſſe confidimus, quandoquidem materias omnes opportunis locis, prout rerum tractationi reſpondere viſæ ſunt, appoſite collocauimus eo ipſo ordine, quo Canones Pontificij digeſti ſunt, titulis, & nomine, & re ab ipſis decretalibus epiſtolis ad verbum petitis, vocibus obſcurioribus ſub eo, qui de verborum ſignificatione, inſcribitur, explicatis, regulisq. cum Prouinciæ noſtræ moribus conuenientibus, quantùm ex vtroque iure, atque interpretum, aliorumq. ſapientum ſententijs colligere potuimus, ei, qui de regulis iuris eſt, ſerie alphabetica adſcriptis. Hæc ſunt, quæ nos veſtri amantiſsimos, ac publicæ cauſæ ſtudioſiſſimos, ad hanc ſuſcipiendam prouinciam impulerunt, non enim (vt d præclare ille) nobis ſolis nati ſumus, nec e omnia poſſumus omnes: indiget homo homine, & diuiſa eſſe cæleſtia dona teſtatur ipſa rerum reciprocatio, atque inæqualitas, nempe, vt diſcat homo, cum abundat, egenti ſubuenire: teſtatur & f Apoſtolus, ad Corinthios ſcribens, diuidi aſſerens diuina chariſmata, alijsq. operationem virtutum, alijs diſcretionem ſpirituum, alijs genera linguarum, alijs interpretationem ſermonum concedi, diſtribuente Deo omnia ſingulis, prout vult. Vos oblatam rei bene gerendæ occaſionem aui de amplectimini, perſeuerantia confirmate, vtque errantes exemplo veſtro ab obliqua via pedem referant, enixè perficite. Vos veterem hominem exuite, nouum induite, galeam fidei ſumite, iugumq. charitati, patientiæ, & continentiæ ſubire ne graueminì. Vos morum harmoniam ad Pſalmographi cytharam componite g dicentis: Seruite Domino in lætitia, debitumq. honorem legibus obedientia, atque humilitate reſtituite, quodque ſcripſimus, ac veſtra cauſa in lucem prodire permittimus, æqui, boniq. conſulite.

c Locæ 20. l. iuſtitia. ff. & inſt. & iure.

d M. Tullius lib. offic. 1. vbi & Platonẽ refert. e Vir. Geor. 1.

f 1. ad Corin.

g Pſal. 99.

CASVS, SEV CAVSAE; SEV PECCATA, quorum abſolutionem Anaſtaſius Germonius Archiepiſcopus, & Comes Tarantaſienſis in foro interiore ſibi reſeruat.

I.

CONFESSARIIS quibuſcumque, quamuis auctoritate eiuſdem Archiepiſcopi examinatis, atque approbatis, interdicitur, ne abſoluant eos, qui menſæ Archiepiſcopali debitas non ſoluunt decimas, aut eas iniuſtè retinent. *De quo videas Paragraphum vltimum capitis primi ſub titulo de decimis.*

II.

NEque ſponſos, qui, matrimonio in facie Eccleſiæ adhuc non celebrato, ſeſe carnali copula coniunxerint: *quorum incontinentia cap. 3. titulo de clandeſtina deſponſatione ſatis notatur.*

III.

NEque eos, qui maleficijs, ac diabolicis incantationibus, ne contracta matrimonia corporum commixtione conſummentur, impediunt: *quorum impietas cap. 2. titulo de Frigidis, & maleficiatis damnatur.*

IV.

NEque publicos concubinarios, *de quibus tractatum eſt cap. 1 titulo de adulterijs, & ſtupro.*

V.

NEque eos, vel mares, vel fœminas, qui occaſione illius abuſus, quem noſtrates patrio vocabulo, ALBERGER, appellant, ſiue EN TOVT BIEN, EN TOVT HONNEVR, in eodem lecto ſimul decumbunt, *quæ turpis conſuetudo eodem titulo de adulterijs cap. 4 infamis eſſe definitur.*

VI.

NEque eos, qui ſe torneamentis immiſcuerint; *de quibus titulo de torneamentis actum eſt.*

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO

Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe in Diœceſana Synodo Muſterij habita,

iij. Nonas Maij anno Sal. MDCIX. promulgata.

LIBER PRIMVS.

De ſumma Trinitate, & Fide Catholica. Tit. I.

CAP. I.

Summa Trinitate, ac Fide Catholica ſunt dicẽdi nobis capiẽda primordia, vt, quod ad gloriã æterni numinis ſcribendum ſuſcepimus, eius afflatu, atque auxilio, ad optatum finem perducatur. Trinitas autem eſt vnus Deus in tribus perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto conſiſtens, ideo rectè dicitur, vnitas eſſe in Trinitate, & Deus ipſe [a] trinus, & vnus, & in ijſdem tribus perſonis eſſe vna eſſentia [b], vnaque ſubſtantia, vel ſimplex natura. Eſt tamen diſcreta hæc Trinitas ſecundum diuerſas perſonarum proprietates, licet ſecundum eſſentiam, indiuidua [c] ſit: perſonæ vero hoc pacto diſtinguuntur. Pater à nemine factus, nec creatus, nec genitus, intelligitur: Filius à ſolo patre non factus, nec creatus, ſed genitus eſt: Spiritus ſanctus, nec factus, nec creatus, nec genitus, à patre, filioq. procedit. Quare, cùm impius Caluinus [d], Dei filium à patre eſſentiam habere negauerit, quamuis ipſe Dei filius, ſe eſſe patris filiũ, & à patre per generationem procedere affirmet (vnde ſacræ [e] litteræ, Concilia, Patres, atque vniuerſa Eccleſia docet, ipſum eſſe Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero) meritò explodendi ſunt. atque ex Chriſtiana ſchola omnino exibilandi, talis magiſtri ſectatores, qui diuinarum perſonarum æqualitatem, contra certiſſimam, torq. ſeculis teſtatiſſimam veritatem in dubium reuocare impudẽtiſsime audent. Fides Catholica eiuſdẽ ſummæ Trinitatis donum eſt, humano generi ad æternam conſequendam ſalutem adeo neceſſarium, vt ſine ipſo teſtetur Apoſtolus [f], impoſſibile eſſe placere Deo. Hanc Fidem propheticis oraculis prænũciatam, ex ipſiusq. Chriſti doctrina ab Apoſtolis prædicatione, & traditionibus promulgatam, plurima Concilia vniuerſalia in ſummo honore habuerunt, ſed & Scripturarũ difficultatibus (ſancto afflante Spiritu) ſublatis, ab hoſtium calumnijs ſartam rectã conſeruarunt ita, vt ſincera, cõſtans, & vniformis in Orthodoxa ſemper Eccleſia fuerit, futuraq. ſit vſq; ad finem ſeculi. Huius puriſsimæ Fidei Chriſtus [g] ipſe fundamentum eſt, cui verus cultus ſuperædificatus dæmones fugat, errorum caliginem diſpellit, mortem profligat, ſuiſq. tandem amatoribus (eodem viã monſtrante Spiritu) cœlum aperit. Sanctiſſimæ igitur Trinitatis patrocinio, inuictæq. Fidei Catholicæ clypeo aduerſus ſatanicos impetus protecti, toto mẽtis affectu tenemus, & cõſtanter profitemur, quodcumque Sacroſancta Romana tenet, & profitetur Eccleſia, cuius ſenſum quiſquis ex noſtris ſubditis ad hæreticorum fabulas detorquere, aut traducere, aut deprauare auſus fuerit, is ſacrarum conſtitutionum pœnis plectatur.

[a] Prudẽtius.

[b] c. 1. extra eod. tit.

[c] Sym. Ath.

[d] lib. 1. Inſtit. cap. 13. ſect. 22.

[e] Ioan. 1. in Symbolum, quod in Miſſa recitat Eccleſ. Hilar. lib. de Trin. Athanaſ. in ep. ad Epict. Conc. Arimin. & S. Baſil. lib. 2 contra Eunomium.

[f] ad Heb. 11

[g] c. cũ Paulus, 24. q. 1. c. non licet, 26. q. 5. cum nomine Domini, & c. 1. Ne ſcin. Tract. Hilar. & alij ad rubric. de conſ. op. nunc Taſſ. & alij ad rubric. de reſt. & iure.

CAP. II.

VErùm, quia fides noſtra, ex ſacris libris, Spiritu ſancto ſuggerente, confectis, atque traditionibus à Chriſto ipſo oretenus, vel

ab eodem Spiritu dictatis, semperq. in Eccl. Catholica conseruatis, pendet, atque robur suũ accipit, consequens est, vt, quinam sint ij libri inuestigemus. Itaque, eos esse dicimus, ex quibus cõstat vetus, nouumq. testamentũ, quosque recenser, ac pro Canonicis recognoscit sacra Tridentina Synodus [a]. Qui verò eos omnes eodem modo, atque integrè nõ susceperit, anathemate notetur. Quare temerariã, & hæreticam esse dicimus opinionem eorum, qui existimant, libros Iudith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorũ, Tobiæ, & epistolam B. Iacobi Apostoli canonicam nõ habere auctoritatem; necnon eorum, qui, nullã esse traditionem, quæ per solum sermonem fiat, impudenter affirmant, etsi Ioannes dixerit [b]: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ, si scriberentur, per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros: per traditiones enim ipsorum Apostolorum nõnulla accepimus, & multa ijdẽ Apostoli postea sanxerunt, quæ pro lege Euangelica ritè obseruantur. Quod idem Paulus [c] testatur, dicẽs: Cætera, cum venero, disponam: & ad Thessalonicenses scribens [d]: Tenete, inquit, traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Traditiones igitur illas, quas Catholica Ecclesia suscepit, eodem pietatis affectu, & reuerentia suscipi debere sub eadem excommunicationis pœna declaramus.

a sess. 4.

b c. vlt. in fi.

c 1. ad Cor. 11.

d 2. 3. prope finem.

CAP. III.

PRouidendum est, ne, dum veritas quæritur, veritas amittatur: quod in sacrorum præsertim voluminum sensu inuestigãdo, præ cæteris experti sũt illi, qui (vt ait Apostolus [a]) sanam doctrinã minimè sustinentes, sed Catholicæ veritatis argumenta per summã pertinaciam ex falsis magistris potius, quàm ex diuinorum oraculorũ schola sibi coaceruãtes, ipsum aquæ viuæ fontem Deum (vt est apud Hieremiã [b]) dereliquerunt, & cisternas dissipatas ad sua desideria foderunt, vnde ex paruis scintillis magna schismatum, hæresum, errorumq. omniũ excitata sunt incendia. Quapropter, vt diœcesim nostrã ab huiusmodi periculo vindicemus, eamq. sartam tectam ab insidijs sectariorum conseruemus, iudiciũ de vero [c] sacræ paginæ sensu, Ecclesiarum omnium matri, ac magistræ, Sedi Apostolicæ relinquamus. Qui secus fecerit, si publico fungatur munere, pœnis à iure statutis puniatur.

r.

a 2. ad Tim. 4. 3.

b cap. 2.

c Cõc. Trid. sess. 4. de edit. & vsu sacr. libror.

CAP. IV.

SIcut ex arrogãtium hominũ, seu ambitione, seu ignorantia, sacram Scripturã, sanctorumq. Patrum sententias ad proprios sensus temerè detorquentiũ contra eum sensum, quem tenet Ecclesia Catholica, hæreses plurimas prodijsse, atque in orbem Christianum irrepsisse exploratũ est, ira &, cum verba, aut sententiæ sacræ paginæ ad scurrilia, aut fabulosa, aut vana applicantur, seu conuertuntur, nec nõ ad detractiones, adulationes, superstitiones, diabolicas incãtationes, diuinationes, sortes, libellosq. famosos detorquentur, non paruam in fide facit Ecclesia iacturã: quapropter sancrotancti Concil. Trid. decreto [a] inhærentes, vt eiusmodi temeritati, quæ religionis contemptum, atque irrisionẽ parit, quantùm possumus, occurramus, præcipimus, ne deinceps quisquam audeat verba ipsarũ sanctarũ Scripturarum, aut Patrũ ad inanes, seu turpes, seu ridiculos sensus, detorquere: qui aliter fecerit, tanquã temerarius, & diuini verbi contẽptor, pœnis à iure statutis puniatur.

a sess. 4. de edit. & vsu sacr. lib.

S. vnic.

Porrò, & Christianæ Reipublicæ nõ minori nocumento sunt, qui irreuerẽter, contumeliosè, & turpiter loquũtur de personis Ecclesiasticis Deo consecratis, de quibus fabulas cõfingunt, cantilenas pangũt, satyras diuulgãt, comœdias repræsentant, etiam religiosorum vestibus personati, dicteria, ac cõuicia in eos temere, & impudenter iactantes, vnde ordini Ecclesiastico aliquando cũ Reipublicæ Christianæ probro, atque incommodo, non parua est nota inusta. Quocirca, si ex hoc pessimo hominum genere quis reperiatur nobis subditus, qui ecclesiasticas, sacrasque personas verbis, aut scriptis, fuerit infectatus, grauissimè arbitrio nostro pro rei qualitate puniatur.

CAP. V.

IIs, quæ diximus, consequẽs est, vt in sacramentorũ reuerentia subditos nostros confirmemus: itaque, cùm apud Catholicos nulla vnquam fuerit hæsitatio, quin septem sint Ecclesiæ sacramẽta à Christo vnigenito Dei filio instituta; quod repetitis sacræ Scripturæ auctoritatibus, haud obscurè probatur [a]; cũq. per ipsa sacramenta omnis vera iustitia (vt docet sacra Tridentina Synodus [b]) vel incipiat, vel incepta augeatur, vel amissa reparetur, ideo ijdẽ subditi nostri constãter teneant, quod sacrosancta Romana tenet Ecclesia.

a Act. 8. & 10. Paul. 1. ad Tim. 5. ad Ephes. 4. 5. Tit. 3. Iacob. 5. Ioan. 20. ad abolendam de hæret.

b sess. 7. in proœmio.

CAP. VI.

QVoniam, nisi fide emineat Christianus homo, quem sibi proponit æternæ beatitudinis finem, assequi nunquam potest, testante Apostolo [a], sine Fide impossibile esse placere Deo, oportet, religione imprimis cõspicuos esse eos, qui in Ecclesia Dei publico munere, aut gradu, aut dignitate, cæteris antecellunt, quandoquidem publicè interest, rerum sacrarum administrationes, gregisque dominici

a ad Heb. 11.

dominici paſtores, ab omni infidelitatis ſuſpicione vacuos eſſe, ſimulq. eiuſdem Eccleſiæ præceptis conſtantiſſimè obtemperare, ne, qui in honore collocantur, vt per ſanam doctrinam fidelium animos in Eccleſiæ obſequio confirment, dum ſibi commiſſum populum viam ſalutis docere, errantemq. ab errore reuocare debent, infirmi ipſi, aut doctore indigere reperiantur, vnde cæcos [b] à cæcis duci, vel diſcipulos [c] ſuper magiſtros eſſe, contingat. Quod, cùm valde abſurdum ſit, animalque in magnum diſcrimen conijciat, Parochos noſtræ diœceſis, alioſque omnes, qui in eccleſia noſtra matrice dignitates, aut canonicatus, obtinent, nullamq. Fidei profeſſionem adhuc emiſerint, eam in proxima futura Synodo ex ſacri Tridentini Concilij [d] præſcripto, vt omnino emittant, mandamus. Cæterùm verò, qui ex quauis collatione, etiam ſummi Pontificis, beneficia eccleſiaſtica in eadem noſtra diœceſi exiſtentia; etiam ſi iuris patronatus fuerint; deinceps obtinuerint, ad eorum poſſeſſionem capiendam nequaquam admittantur, niſi ad ſummum intra duos menſes in noſtris, vel nobis abſentibus, aut impeditis, Vicarij, ſeu officialis noſtri, manibus eandem Fidem profeſſi fuerint, quã etiam in Capitulo, qui dignitates, vel canonicatus in eadem noſtra eccleſia impetrauerint, profiteri teneantur.

b Luc. c. 6.

c Matth. 15. & Luc. 6.

d Seſſ. 25. de reform. c. 2. §. cæterùm verò.

§. vnic.

Eandem quoque orthodoxæ Fidei profeſſionem ludi magiſtros, qui, ſiue publicè, ſiue priuatim, pueros gratis, vel mercede, eruditos ſuſceperint, atque etiam alios cuiuſcumque artis, & facultatis liberalis profeſſores, intra duos menſes à die ſuſcepti officij computandos profiteri volumus; alias ab officio, artiſque, & facultatis exercitio (ad quod deinceps non amplius admitti debeãt) eos amoueri præcipimus. Forma autem præfatæ profeſſionis Fidei illa eſſe debet, quam nobis præſcripſit Pius Papa Quartus [a], cuius exemplum hic ſubijcitur, videlicet.

a Bull. 214.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris: & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre, filioque procedit, qui cum patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas: & vnam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum. & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq. eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe vere, & proprie ſacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq. gratiam conferre: & ex his, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Trid. Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriq. conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fatcor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſq. ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: Similiter, & ſanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſq. orationes

Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac veneration em impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulq. contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atq. à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me, in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De Constitutionibus. Tit. II.

CAP. I.

QVONIAM ex materiarum continuatione ordo, ex ordine autem perfecta rerum notitia proficiscitur, postquam de summa Trinitate, & Fide Catholica actum est, nihil huius nostri voluminis intentioni magis opportunum videtur, quàm, vt ad constitutiones transeamus, quò seruanda, ac vitanda adamussim dignoscantur. Constitutiones igitur Ecclesiasticæ, quoniam leges sunt, quæ bene, beatèq. viuendi formam, ac regulam præscribunt, diuinis legibus ritè subnectuntur. Concilium igitur Tridentinum, cum & œcumenicum fuerit, hoc est, ex omnibus Christiani orbis nationibus in Spiritu sancto legitimè congregatum, omniumq. Conciliorum summa, ac compendium, tum circa Fidei dogmata, tum circa iudiciorum, morumq. reformationem, eius decreta, ac constitutiones, ab omnibus in magna veneratione haberi, atque obseruari, præcipimus, quod, & de summorum omnium Pontificum constitutionibus faciendum esse mandamus.

CAP. II.

PRædecessorum nostrorum leges, tam præceptiuas, quàm prohibitiuas, obseruari volumus, dummodo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Summorumque Pontificum Constitutionibus, ac sacri Concilij Tridentini decretis non aduersentur: etenim, quantùm laudanda est pastorum pietas, atque industria condendis legibus populo necessarijs inuigilantium, tantum, ne leges ob mutationem temporum minimè conuenientes cum populi detrimento obseruentur, cauendum est.

§. vnic.

Quoniam verò, vt diximus, pro temporum ratione legum etiam ratio habenda est, quádocumq. dispensatione opus esse appareat, ne in sacrarum constitutionum periculo conniuere, aut earum conuellere auctoritatem legislator temere velle videatur, simulque, ne ex incerto euentu, certum forsitan Reipublicæ damnum inferri contingat, vtrum pro Ecclesiæ dignitate dispensari expediat, accurate perpendatur, vt si, vel necessitas vrgeat, vel id fieri publica postulet vtilitas, dispensatio minimè differatur, gratis vtique, ac procul ab omni pecuniariæ largitionis labe, aut vmbra mercedis, vel præmij.

De Rescriptis. Tit. III.

CAP. I.

SAPIENTER quidem, atq. opportunè sacra Tridentina Synodus [a] ad declinandam malitiosam petentium suggestionem, decreuit, in prouincialibus, ac diœcesanis Concilijs certas designari personas, dignitate Ecclesiastica, vel cathedralis ecclesiæ canonicatu insignitas, iuxta summi Pontificis Bonifacij Octaui [b] constitutionem, quibus, præter locorum Ordinarios Ecclesiasticæ, ac spirituales causæ à Romana Curia in christianis prouincijs delegandæ, committantur, cum Signatura Iustitiæ, vel Gratiæ, vel summi Pontificis Datarius personarum, quibus causæ committendæ sint, plerumque notitiam non habeant. Ideò, sicut in præsenti Synodo elegimus RR. DD. vitæ integritate, legumq. scientia nobis probatos, huiusq. Metropolitanæ ecclesiæ canonicos, vsque ad futuram diœcesanam nostram Synodum; ita ex ijs, qui in dignitate ecclesiastica

[a] sess. 25. c. 10. de refor mat.

[b] c. Statuti. codic. 10 6.

Eccleſiaſtica conſtituti, aut canonici noſtræ fuerint eccleſiæ, morum exemplo, litterarumq. eruditione conſpicuos viros, in Synodis diœceſanis pro tempore congregandis, eligi mandamus, quibus Romanæ Curiæ cauſæ tutò committantur: quòd ſi aliquem eorum diem obire, aut longè abeſſe contigerit, demortuo, vel abſente, noſtro, vel Vicarij noſtri generalis arbitrio, qui magis ad id muneris obeundum idoneus videbitur, alius abſque mora ſubrogetur. Quam quidem electionem, ac ſubrogationem, Romam ad ſummi Pontificis Datarium, necnon ad Nuncium Apoſtolicum apud Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem reſidentem, diligenter tranſmitti volumus, vt, quibus cauſæ delegandæ ſint, non ignoretur.

De conſuetudine. Tit. IV.

CAP. I.

QVAMVIS, ob Dominicæ natiuitatis inſignem ſolemnitatem ſacerdotibus liceat illo die tres [a] Miſſas celebrare, eam tamen conſuetudinem, qua noſtræ eccleſiæ canonici, aliiq. ſacerdotes, poſteaquàm media nocte fuerit ab Archiepiſcopo Miſſa cantata, licere ſibi putant tres Miſſas celebrare ante lucem, tamquam prauam, ſacriſque canonibus diſcordem [b], damnamus, atque extirpandam eſſe, cenſemus. Neque enim ille Miſſarum numerus ab Eccleſia in obſcurum mediæ noctis tempus, ſub lucidum aurorę, lucidumq. tertiæ diei horæ tripartitus, otioſus eſt, aut myſterio caret: prima ſiquidem Miſſa naturæ ſtatum deſignat, quo aduentus Chriſti perobſcurus fuit: ſecunda legis, quo humani generis redemptio prænunciata fuit: tertia gratiæ, quo diu ſperata filij Dei incarnatio, atque natiuitas mundo affulſit. Quare, cum circa eaſdem Miſſas obſeruandum ſit, quodcumque ab antiquiſſimo tempore eadem obſeruat Eccleſia, nemo, vel in dignitate conſtitutus, vel canonicus, vel alius quiuis ſacerdos, tres Miſſas die Natalitio Domini celebrare audeat, niſi hoc ordine: primam nempe, poſtquàm pontificalis fuerit media nocte abſoluta: ſecundam in aurora: tertiam hora diei item tertia. Non tamen prohibemus, quin tres Miſſæ ſummo mane incipiantur, & ſine intermiſſione, vt moris eſt, celebrentur: Sed ante lucem [c] non plures, quàm vna. Qui ſecus fecerit, à diuinis, quantùm nobis viſum fuerit, ſuſpendatur.

[a] c. noſtr. ſancta, de conſecr. diſt. 2. c. 3. 4. et de celebr. Miſſ.

[b] Ang. ver. Miſſa, §. 40. Silueſt. verb. Miſſa. 1. q. 6. & 7. Nauarr. in Manu. c. 23. num. 67.

[c] Conc. Trident. ſeſſ. 22. decreto de obſeruat. & euitand. in celebratione Miſſ. verſ. poſtremò.

CAP. II.

SAcroſanctum Miſſæ ſacrificium, ſeu pro fidelium viuorum peccatis, ſatisfactionibus, atque neceſsitatibus, ſeu pro defunctorum nondum plenè purgatis culpis, iuxta Apoſtolorum [b] traditionem, fiat quamquam verè propitiatorium eſt, diuinorumque omnium myſteriorum ſummum, pro defunctis tamen fieri Dominicis diebus; vt in quibuſdam noſtræ diœceſis locis paſsim conſueuit; non probamus, cùm diem hunc præ cæteris lucis prærogatiua illuſtratum, rerumq. creatarum initium, ſolemnem, atq. percelebrem, in ſacris litteris eſſe animaduertimus, cuius tanta dignitas eſt, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, redemptionis opere conſummato, reſurrectioni ſuæ à mortuis illum ſepoſuerit, ſed & ſanctus paraclytus Spiritus eodem die ſuper Apoſtolos deſcendens, quo in honore ille dies apud nos eſſe deberet, ſatis oſtendit, quem & ab omni opere ſeruili exemptum diuino præcepto Chriſtianorum colit eccleſia, magnaq. cum veneratione ſanctificat. Quare, cùm antea dies [c] Solis appellaretur, ab iiſdem Apoſtolis Dominici titulo inſignitus, primuſq. ex ſeptem hebdomadæ diuino cultui fuit ritè aſsignatus; cuius Beatus Ioannes [d] in Apocalypſi mentionem facit: & Apoſtolas [e], cùm per vnam Sabbati, hoc eſt, die Dominico (vt ſanctus Ioannes Chryſoſtomus interpretatur) collectas fieri mandat, vt intelligamus, iam tum in Eccleſia diem Dominicum omnis triſtitiæ expertem ſoli lætitiæ fuiſſe in Domino conſecratum. Idcirco, vt eccleſiæ noſtræ mores cum vniuerſalis Eccleſiæ inſtituto conueniant, parochis ſub pœna ſuſpenſionis prohibemus, ne diebus Dominicis Miſſam pro defunctis deinceps celebrent.

[a] Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. in fin.

[b] Io. Chryſoſt. in hom. pro defunct. Cyrill. Alex. in ſerm. de iudic.

[c] l. 1. & 7. C. de feriis.

[d] cap. 5.

[e] 1. ad Corinth. 16.

CAP. III.

ALias item conſuetudines omnes, quæ ſcandali ſuſpicione laborent, optimoſque legum ſenſus quoquomodo peruertant, auerſamur, antiquamus, atque ita abrogamus, vt ab eccleſia, noſtraque vniuerſa diœceſi eas perpetuò exulare velimus: inter quas ridiculam illam circa pueros cantores quotannis renouari ſolitam, intra ipſius diuinæ domus penetralia tolerari plane ſtomachoſum eſt, qua tempore veſperarum ſanctorum Ioannis Euangeliſtæ, atque Innocentium, poſtquam canonici, detractis ſibi canonicalibus veſtibus, eas pueris cantoribus (quos innocentes vulgò appellant) induendas permiſerint, puerorum eorumdem vnus cum pluuiali, rocheto, mitra, chirothecis, baculo paſtorali, aliiſque ornamentis pontificalibus, præcun-

præeuntibus, qui epiſcopalibus functionibus aſſiſtere ſolent, cum pueris hiſce, quodammodo perſonatis, necnon canonicis ſine cappis, capellanis, cæteriſq. inferiorum ordinum miniſtris in publicum prodire conſueuit, toto populo eum per vrbem deducente, ad eccleſiamq. reducente, vbi die ſanctis Innocentibus ſacra, aſſiſtentibus ijſdem pſeudocanonicis cum eodem vmbratili Epiſcopo, non ſolùm recitantur veſperæ, ſed & Miſſa (pontificalibus omnibus cæremonijs adhibitis) ſolemniter cantatur. Quæ, quoniam ſine riſu ſpectantium, atque audientium fieri non poſſunt, cùm ſancta [a] ſanctè tractari conueniat, ac præſertim omnium ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, vbi laudes, debitæque gratiarum actiones Deo perſoluuntur, ſitque ſacrificij cruenti, quo Ieſus Chriſtus ſeipſum in ara crucis æterno patri obtulit, pia commemoratio, humanoq. generi Deus redditur propitius, abuſum hunc potiùs, quàm conſuetudinem, abolemus, & damnamus, atque, ne ſcænicum hoc prodigium, religionis ſpecie noſtrorum clericorum oculos vlterius perſtringat, ciuiumque pietas (vnde haſce pueriles ineptias, quamuis in honorem ſanctorum Innocentium, à principio ortum habuiſſe putamus) vicinis noſtris nouatoribus ludibrio ſit, canonicis, alijsq. in ſacris ordinibus conſtitutis præcipimus, ne hoſce puerulos veſtibus canonicalibus, huiuſmodi hiſtrionicæ, ac ridiculæ repræſentationis cauſa, ampliùs abuti patiantur ſub pœna ſuſpenſionis, qua ſe multandos iri ſciant illicò, ac ſecus fecerunt.

a Conc. Trident. ſeſſ. 22. c. 6. de ſacr. miſſæ, & c. hoc ſeſſ. 24. de matrim.

CAP. V.

QVo verò ad eccleſiaſticos ritus, & cæremonias, cùm canonici noſtræ metropolitanæ eccleſiæ regulares veſtes; quas ante quadriennium geſtare ſolebant; cum ſeculares cleri habitu, ſummo indulgente Pontifice, commutauerint, nec tamen antiquum pſallendi ritum, ſeu officium in eadem eccleſia recitari ſolitum, adhuc reliquerint, ne cum boue, & aſino (vt eſt in parabola [a]) arare vldeantur, monaſticos omnes ritus, ac cæremonias abrogamus, vtque clerus noſter, præſertim canonici, in matutinis, alijsq. horis canonicis, necnon in ipſo Miſſæ ſacrificio, cæremoniali, quod Epiſcoporum vocatur, ſummi Pontificis Clementis Octaui iuſſu nuper reformato vtantur, mandamus: vbi, quæcumq. ad diuinas laudes pertinent, ita collocata, ita diſpoſita, ac diſtincta ſunt, vt nihil eiuſmodi deſiderari poſſe perſpicuum ſit. Quæ tamen cæremoniæ, etſi de tam celebri libro non ſumerentur, quoniam à Romana Eccleſia omnium eccleſiarum matre, & magiſtra, auctoritatem habent, admittendæ omninò, ac ſeruandæ [b] ſunt.

a Deuter. c. 22.

b arg. l. de quibus, ff. de legib.

De Electione. Tit. V.

CAP. I.

QVAMVIS eccleſiæ noſtræ matricis capitulum, non ſolùm ex longo vſu, & immemorabili conſuetudine, ſed & priuilegio Apoſtolico, canonicis menſe Iunio, aut Decembri morientibus, ſucceſſores creare poſſit, attamen, ſi eo tempore canonicum vita fungi, nec in eius locum à capitulo alium intra tres menſes proximos ſubrogari contingat, iure eligendi ad nos deuoluto, diuini cultus dignitas poſtulat, vt quod ad eccleſiæ noſtræ honorem à majoribus noſtris inſtitutum eſt, à nobis confirmetur, ac quantùm fieri poteſt, augeatur.

CAP. II.

AT, quia, quod ad omnes pertinet, omnium calculo terminari æquum eſt, nequaquam electio fiat, niſi, qui ius eligendi habent, ſi [a] poſſint, aut velint, electioni intereſſe, per campanæ ſignum, vel per nuncium, vel, ſi longè à loco electionis abſint, per epiſtolam, accerſantur: deinde fiat electio, in qua, ſi eligentium voluntates diſcordent, ille ritè electus intelligatur; niſi indignus [b] ſit; in cuius perſonam [c] maioris partis collegij ſuffragia conueniant: quo quidem caſu, cum poteſtas eligendi ex Concilij Lateranenſis [d] præſcripto à maiore parte; quoniam indignum eligendo, in officio deliquerit; ad minorem translata ſit, electus à paucioribus, ſi nullam patiatur exceptionem, nihilominus electionis beneficium citra omnem controuerſiam accipiat.

a c. 30. 35. & 42. ext. eod.

b c. 7. 17. 20. 25. 26. 27. 37. 38. 44. 51. ext. eod. cap. cum te, ext. de grat. & qualit. ord. c. c. 6. 23. 34. 48. 50. & 55. ext. eod.

d cum in eâ dist. ext. eod. tit.

CAP. III.

ORtam aliàs controuerſiam circa canonicatuum electionem; an, ſcilicet, omnes canonici, alijq. dignitatem habentes poſſint electioni intereſſe, & ſuffragia ferre; definimus, quando id ad capitulum ſpectat, omnes poſſe eligere, niſi ſint canonicè impediti: Intelligitur autem impeditus, qui excommunicatione [a] irretitus, qui ſuſpenſus [b] eſt, cui fuerit legitimè [c] interdictum, qui ſcienter [d] indignum elegerit, quiq. in forma [e] peccauerit. Qui verò ſcienter [f] indignum elegerint, non electionis ſolùm commodo priuentur, verùm hac etiam pœna multentur, vt ſcilicet, ab eccleſiaſticis beneficijs ad triennium ſuſpenſi ſint. Et, ſi omnes deliquerint [g], ad nos eligendi poteſtas translata eſſe intelligatur; ſi non omnes, ad eos, qui iure

a c. 39. ext. eod. c. conſtitutus. ext. de appellat. b cap. dilectus, de conſuetud. cap. Apoſtolicæ, de excep. c. 26. hoc tit. c c. vlt. ext. eod. d cap. 7. 26. 33. 35. 40. 46. e c. 40. ext. eod. f d. cap 7. 8. vlt. ext. eod. g cap. 21. 5. nos igitur. ext. eod.

iure culpari non poterunt, etſi pauciores, electio tranſferatur.

De Renunciatione. Tit. VI.

CAP. I.

QVAMVIS [a] vnuſquiſq. rei, iuriq. ſuo renunciare poſſit, quandocumq. tamen cum priuata vtilitate coniunctum ſit publicum commodum, libera non eſt renunciatio, ne priuatorum pactis [b] publico iuri iniuriam fieri contingat, cuius præcipua prærogatiua eſt, vt, quod eius intereſt, à ſolo Principe [c] remitti poſſit. Itaq. illi, qui beneficium eccleſiaſticum, ſiue ab Ordinarijs, ſiue à ſummo Pontifice, obtinuerunt, auctoritate propria illud dimittere, aut renunciare non poſſunt. Neque enim confertur beneficium ob ſolius collatarij vtilitatem, aut commodum, ſed etiam propter commodum eccleſiæ, cui ille inſeruire debet, vt ſcilicet, non præſit tantùm [d], ſed & proſit. Abſq. ſuperioris igitur licentia [e] renunciare beneficium nemini permittitur. Nec omnis renunciatio admitti debet, ſed illa dumtaxat, quæ cauſam habeat legitimam. Cauſas reperies in Conſtitutione Innocentij III. incipiente: [f] Niſi cum pridem, & Pij V. incipiente: Epiſcopi: cuius exemplum, ad tollendam ignorantiæ excuſationem, infra ſubijciemus.

a l. ſi quis in ſcribendo, C. de pactis, c. quam periculoſis, 7 q. 1. cap. ſi diligenti, ext. de ſponſ. cōp.

b l. ius publicum, ff. de pactis. l. Neratius. § ſi vero, ff. de relig. & ſumpt. fun. l. Paulus, § patroni ff. de bonis libert.

d cap. ſi qui Epiſc. in fin. 1. q. 1. Auguſtin. li. 20. de Ciuit. Dei cap. 20. e c. 1. & 10. ext. eod.

f d. cap. 10.

Pius Papa Quintus.

CAP. II.

EPiſcopi, & alij facultatem habentes, eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui, aut ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, cenſurisq. eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent, eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, ſeu, qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel, quos ad aliud contigerit promoueri: religionem quoq. ingreſſuri, vel matrimonium contracturi, ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur, deniq. cum quis ex alijs caſibus acciderit, qui conſtitutione fel. record. Innocentij [a] Papæ III. de dimittendis cathedralibus eccleſijs edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij reſidere ſecuri, ſed nec horum vllus ſacro ordini manciparus, niſi religionem ingreſſurus, valeat vllo modo beneficium, vel officium eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commode ſuſtentari.

a cap. 20.

CAP. III.

INhærentes inſuper conſtitutioni Gregorij Papæ XIII. incipienti: Ad prohibendas ſimultates, mandamus, vt in poſterum omnes, & quæcumque beneficiorum reſignationes; etiam ex cauſa permutationis factæ, etiam poſſeſſione non habita, immo, litteris etiam Apoſtolicis non confectis; item litis, & iurium quorumcumq. ceſſiones, ac retroceſſiones, quæ poſthac de dignitatibus, canonicatibus, Prioratibus, ſiue curam animarum habentibus, ſine ſimplicibus capellanijs, capellis, oratorijs, hoſpitalibus, & alijs quibuscumque beneficijs eccleſiaſticis in noſtris, vel in ſummi Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, manibus, etiam coram notario, & teſtibus fient, & à nobis, vel ab ipſo Romano Pontifice, vel ipſius mandato, admittentur, necnon prouiſiones, & quæcumq. aliæ diſpoſitiones ad ipſa beneficia pertinentes, publicari debeant, cum noſtris, vel Apoſtolicis litteris deſuper confectis intra nouem menſes, non à die præſtiti conſenſus, ſed à data, (vt aiunt) conceſſionis gratiæ numerandos, ſi prouiſiones à Sede Apoſtolica emanauerint, iuxta eandem conſtitutionem, quo verò ad noſtram prouiſionem, intra quattuor mẽſes à die eiuſdem prouiſionis computandos

§. vnic.

Publicatio autem in Metropolitana noſtra, & in cuiuſcumq. beneficij eccleſia, fiat, dum frequens populus ad Miſſarum ſolemnia conuenerit, vbi ijſdem litteris, aut earum tranſumptis authenticis, exhibitis, clara, & intelligibili voce reſignatio, ſeu ceſſio huiuſmodi, ac beneficij qualitas, & inuocatio, nominaque, & cognomina reſignantis, vel cedentis, necnon illius, in cuius fauorem reſignatum fuerit beneficium, ita publicentur, vt omnia ad notitiam omnium ibidem exiſtentium veriſimiliter poſſint peruenire: deinde ipſarum litterarum exemplum valuis eccleſiarum, vbi facta fuerit publicatio, affixum relinquatur. Si verò eccleſia beneficij ruralis ſit, aut populo, conuentuq. careat, publicatio fiat in eccleſia parochiali, intra cuius limites beneficium exiterit.

CAP. IV.

QVamquam non deſunt in noſtra diœceſi, quibus collata ſunt beneficia curata ob liberam reſignationem in manibus noſtr orum prædeceſſorum factam, vacantia, nullo prætio concurſu, nihilominus, quoniam id oneris abſque examine committi fidelium ſaluti minimè expedit, nullam poſt hac fieri poſſe collationem beneficij, curam animarum habentis in noſtris, ſeu Vicarij noſtri generalis,

neralis, manibus, etiam liberè reſignati, decernimus, niſi propoſito edicto, quo concurrere ad vacans beneficium volentes, ſiſtant ſe intra decem dierum ſpatium coram examinatoribus ſynodalibus, vt præeunte examine, iuxta ſacri Tridentini ✠ Concilij præſcriptum, beneficium à nobis, vel noſtro Vicario, conferatur ei, qui magis idoneus viſus fuerit, perinde, ac ſi vacaſſet per obitum. Conſequenter alio modo facta collatio irrita, ac nulla ſit. Si verò beneficium reſignatum iuris patronatus ſit, eiuſdem Concilij decreta ſeruentur.

✠ ſeſſ.24.de reform.c.18.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum. Tit. VII.

Eugenius IV. in generali Concilio Florentino.

CAP. I.

INTER Sacramenta ſextum locum obtinet Ordo, cuius materia eſt illud, cuius traditione confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem; Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem, & ſimiliter de alijs per rerum, aut miniſteria ſua pertinentium, aſſignationem. Forma ſacerdotij eſt talis. Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ordinarius miniſter huius ſacramenti eſt Epiſcopus: effectus, augmentum gratiæ.

CAP. II.

ORdinem eſſe vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis à Chriſto Ieſu inſtitutis ſacri Concilij Florentini auctoritate eadem docet Eccleſia, atque per ipſum gratiam conferri, vt ex Apoſtolo docuit ſacroſancta etiam Tridentina Synodus ✠, affirmamus, conſtanterque profitemur, hæreſisq. reum eſſe, qui aliter ſentiat, pluries declaratum eſſe admonemus.

✠ ſeſſ.23.c.1.&4.

CAP. III.

ET, ne diœceſani noſtri, qui ſacris ordinibus initiari cupiunt, id à nobis quandoque fruſtra contendant, declaramus, nos (exceptis caſibus vrgentis neceſſitatis, ac publicæ vtilitatis) nullam ordinationem facturos, niſi in quatuor ✠ anni temporibus à Calixto primo inſtitutis, aut Sabbato ſancto, aut Sabbato ante Dominicam Paſſionis nuncupatam, quibus diebus etiam maiores Ordines conferri poſſunt. Verum, ſi aliquando contingat, nos eſſe adeò impeditos, vt id muneris perſoluere nequeamus, curabimus, vt quotieſcumq. ordinatio fieri debebit, ante menſem emittatur edictum, affigaturq. ad valuas eccleſiæ metropolitanæ, quo vocentur omnes, qui ordinari voluerint, eiuſq. exemplum à cancellario noſtro ad omnes parochos mittatur, vt parochianis inter Miſſarum ſolemnia opportune publicetur.

✠ c.3. in cod.

CAP. IV.

ABbates benedictos conferendi primam tonſuram, minoresq. Ordines ius olim habuiſſe liquidò conſtat [a]. Hodie, vt ſacri Concilij Tridentini [b] ſtatutis obtemperemus, diœceſanis noſtris, ne ab Abbatibus deinceps vllo modo tondeantur, aut ordinentur, omnino interdicimus, declarantes, nec ritè ordinatos, nec in eccleſiaſticæ militiæ albo ritè deſcriptos eſſe eos, qui Abbatum auctoritate, aut prima tonſura, aut minoribus Ordinibus ſe initiari permiſerint, quin & arbitrio noſtro pro perſonarum ætate, & qualitate, tamquam inobedientes, mulctandos iri.

[a] c. quoniã, diſt. 69. c. cũ contingit, ext. de ætat. & qual. ordin.
[b] ſeſſ. 23. c. 10. de reform.

CAP. V.

MAiorum ſanè, minorumq. Ordinum culmen [a], atq. apex eſt Sacerdotium, cuius amplitudo tanta in orbe Chriſtiano pollet maieſtate, vt non ſolùm terrenis poteſtatibus honore quamlógiſsime antecellat, verùm, & angelicis titulis eminentior, ipſorum immundorum ſpirituum potentiam coerceat, euertat, peſſundet. Proinde ſacerdotes hoc nomine decorati, quia [b] ſacra dant, quamquam, nec baptizatorum frontibus ſacrum Confirmationis characterem imprimere, nec ordinandis paracletum Spiritum dare, neque alia facere poſſunt, quæ ſolis [c] Epiſcopis conuenire ex actibus Apoſtolicis docet Eccleſia, eius tamen ſunt exiſtimationis vbique gentium, tamquam Chriſti [d] legati, præſides, iudices, ſacramentorum [e] miniſtri, clauium [f] miniſterium habentes, diuiniquè [g] verbi miniſterium exercentes, vt, & moribus, & ſcientia, cæteris hominibus præſtare, tantiſq. titulis ſe indignos non eſſe oſtendere debeant. Quod vix fieri poteſt, niſi in conferendis etiam inferioribus Ordinibus, ſine quibus ad ſummum ſacerdotij gradum peruenirí non poteſt, ea adhibeatur diligẽtia, quam, & bene inſtitutæ adhibere ſolent Eccleſiæ, & ſacri Canones ordinantibus, atque ordinandis, præſcribunt. Quare, ſi, vel ægritudine [h], vel alio legitimo impedimento detenti

[a] l.1. C. de epiſc. & cler.
[b] c. quamuis, diſt. 68.
[c] cap. vn. §. per frontis, ext. de ſacr. vnct.
[d] Ioann. 20. Matth. 16. c. verbum, de pœnit. diſt. 1. cap. ſacer hæc. 1. de pœnit. diſt. 1 c. cap. 10. & 11. ſeſſ. 7. de ſacr. Concil. Trid.
[e] 1 ſeſſ. 14. Conc. Trid.
[f] cap. 4 ſeſſ. 23. Concil. Tridẽt.
[g] cap. 1. de ſeſſ. 21. cap. 1. de reform.
[h] Conc. Trid.

detenti fuerimus ita, vt ordinationem debitis temporibus facere non valeamus, nullis ex ſubditis noſtris litteras dimiſſorias dari volumus, quibus ab alio Antiſtite promoueri poſſint ad Ordines, niſi ille, cui dari debebunt, diligenter examinatus, atque approbatus fuerit, ne, ſi abſque vlla ætatis diſtinctione, morumque, ac doctrinæ approbatione, Ordines promiſcuè conferantur, munia eccleſiaſtica, ipſarumque noſtræ diœceſis parochiarum regimen cum animarum detrimento, noſtriq. tribunalis dedecore, indoctis, indigniſque miniſtris committi contingat.

CAP. VI.

ET, vt parochianos ſuos, qui relicto ſeculo, in militia eccleſiaſtica in poſterum adſcribendi erunt, faciliùs admonere, ac in propoſito confirmare poſſint, vtque examinatores ſynodales, quæ in ijſdem parochianis admittendis ad primam tonſuram, atq. ordinandis, abſque conſcientiæ ſcrupulo, Ordiniſque eccleſiaſtici dedecore, requiruntur, in promptu habeant, decreta ipſa ſacri Concilij Tridentini huic materiæ opportuna ad verbum infra duximus ſubnectenda.

ſeſſ. 23. c. 4. de reform.

Ex Concilio Tridentino.

CAP. VII.

PRima tonſura non initientur, qui ſacramentum confirmationis [a] non ſuſcepe-
a c. fin. eod. lib. 6. c. cum contingat, ext. de æt. & qualit. ord.
rint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed, vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

end. ſeſſ. 23. cap. 5.

Ex eodem:

CAP. VIII.

AD minores ordines promouendi bonum à parocho, & magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt, nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoueri, publicè in eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat: & litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimùm tranſmittat.

end. ſeſſ. 23. cap. 11.

Ex eodem:

CAP. IX.

MInores ordines ijs, qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur, vt eo accuratiùs, quantùm ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in vnoquoque munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceant, idque in ea, cui adſcripti erunt, eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint, atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate, vitæ meritum, & doctrina maior accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in eccleſia miniſterium, atque maior erga presbyteros, & ſuperiores ordines reuerentia, & crebrior, quàm antea, corporis Chriſti communio maximè comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo ijs initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus ordinibus dignum oſtendat. Hi verò non, niſi poſt annum, à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi, aliud expoſcat.

end. ſeſſ. 23. cap. 12.

Ex eodem.

CAP. X.

NVllus in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad diaconatus ante vigeſimum tertium, ad presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit: Regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur; priuilegijs quibuſcumque, quo ad hoc, penitus excluſis.

end. ſeſſ. 23. cap. 13.

Ex eodem.

CAP. XI.

SVbdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent, inſtructi. Qui ſperent, Deo auctore, ſe continere poſſe, eccleſijs, quibus adſcribentur, inſeruiant, ſciantq. maximè decere, ſi ſaltem diebus dominicis, & ſolemnibus, cum altari miniſtrauerint, ſacrā cōmunionem perceperint. Promoti ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem,

si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri ordines nō eodem die, etiam Regularibus, conferantur, priuilegijs, ac indultis quibuslibet concessis non obstantibus quibuscunque.

Ex eodem.

sess. 23. cap. 14.

CAP. XII.

QVi piè, & fideliter in ministerijs ante actis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; & hi sint, qui non modò in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint; sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Curetq. Episcopus, vt ij saltem diebus dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

CAP. XIII.

QVoniam clerici in subdiaconatus ordine constituti matrimonium contrahere, arteſque seculares exercere omnino prohibentur, ne cum ordinis ecclesiastici ignominia mendicare, aut sordidos quæstus facere cogantur, nos inhærendo sacri Concilij [a] Tridentini decreto, quod fel. recordat. Pius [b] Papa Quintus ad regulares non professos extendit, statuimus, vt perpetuis futuris temporibus nemo secularis clericus, aut Regularis non professus; licet omnes alias habeat qualitates à iure requisitas, morum, scilicet, honestatem, litterarum scientiam, rerum peritiam, legitimamq. ætatem; ad subdiaconatus ordinem promoueatur, nisi tale possideat beneficium, aut pensionem, aut patrimonium, vnde ali decenter possit.

a sess. 22. de reform. cap. 3.

b constitut. 74.

§. 1.

Verùm, quoniam beneficiorum in nostra diœcesi existentium reditus non ignoramus, quicumque ex nostris diœcesanis ad titulum beneficij in eadem diœcesi positi ordinandus fuerit, quo ad ipsos reditus, nihil probare teneatur: sed, si beneficium in aliena diœcesi existens impetrauerit, nisi ex illius reditu ali se decenter probauerit, ad ordines nequaquam admittatur. Vt verò mendacia, fraudes & periuria euitentur, qui ad titulum patrimonij ordinari voluerit, aut legitimis documentis, aut proborum virorum, etiam iuratorum, testimonio coram notario, parocho, ac syndicis loci, in quo illud examen fieri contigerit, eam de proprio patrimonio fidem exhibeat, vt certum sit, ex illius prouentu ad victum, ac vestitum necessaria, pro clericalis status conditione sibi nunquam defuturam. Quod, nisi certum sit, ad ordines non assumatur.

§. 2.

Facultates autem sufficientes eas esse intelligimus, quarum reditus ad centum florenos monetæ huius nostræ Prouinciæ ascendat: quapropter non promoueatur, qui de ea summa authentica, fideq. digna documenta non exhibuerit. Quem quidem reditum, siue ex pensione, siue ex patrimonio, siue à parentibus, siue à fratribus, siue aliunde, proueniat, nunquam alienari posse declaramus, nisi promotus sufficiens [c] beneficium ecclesiasticum obtinuerit, vel aliunde habeat, quantum ad vitam decenter tolerandam ei necessarium sit: quam etiam alienationem absque licentia manu nostra subscripta fieri prohibitam esse declaramus.

c c. nemine, c. Sanctorum, no. dist. cap. cum secundum, & cap. tuis, ext. de præbend. cum Episc. eod. in 6. & d. c. 2. sess. 21.

CAP. XIV.

PRomoti verò ad ordinem presbyteratus, etsi in eorum ordinatione acceperint Missæ celebrandæ potestatem, attamen, quia nullum opus, quamuis maximè sanctum, ac venerandum, potest in ecclesia tractari, quod cum præstantissimo, tremendoq. Missæ sacrificio comparari possit, (dum viuifica hostia, qua Deo patri reconciliati sumus, per sacerdotes quotidie immolatur) sciant, quicumq. ad hoc culmen dignitatum peruenerint, omnem sibi operam, ac studium in eo ponendum esse, vt non solum cum interiore cordis munditia, exterioreq. pietatis significatione, sed & cum illarum cæremoniarum obseruatione, quæ in Missali, & Cæremoniali Episcoporum altaris ministris præscribuntur, id peragatur ita, vt audientes ad ædificationem, ac pietatem, non autem ad risum, aut contemptum, aut nauseam moueantur. Ideò decernimus, promotos non debere ad Missæ celebrationem accedere, nisi bene edoctos, & instructos eorum, quæ ad tantum mysterium, dignè tractandum necessaria sunt, vt, scilicet, in vestibus, gressu, voce, totiusque corporis motione, atque gestu, dignitas, ac excellentia sacerdotalis exprimatur. Nemo igitur ordinem presbyteratus exercere audeat, nisi de ea re à nobis, vel Vicario nostro generali, petierit licentiam, quam ijs tantummodo, quos in huiuscemodi cæremonijs, ac functio-

functione, plurimum profeciſſe conſtiterit daturos nos eſſe ſcripto profitemur. Qui verò ſine huiuſmodi licentia celebrare auſus fuerit, noſtro, vel eiuſdem Vicarij arbitrio puniatur.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum. Tit. VIII.

CAP. I.

a c. 3. extr. eod.

INDIGNVM ſanè eſt [a], ac penè temerarium, vt, qui ſeipſum, ſuaq. gubernare, neq. adminiſtrare nouit, grauiſſimum eccleſiarum pondus portare præſumat. Quapropter, ex ſacroſancti Concilij [b] Tridentini decreto prohibitum eſſe declaramus, ne quis poſthac, cuiuſvis ſtatus, aut conditionis ſit, prima tonſura initiatus, aut etiam ad minores ordines promotus, ante quartumdecimum annum beneficium quodlibet, etiam de iure patronatus ſuæ familiæ, aut gentis aſſequi poſſit; niſi id ei fuerit à Sede Apoſtolica ſpecialiter indultum.

b c. 6. Sef. 25. de refor.

CAP. II.

CVm in eccleſia noſtra metropolitana dignitates, ac canonicatus obtinentes omnes, & beneficiati, qui capellani aſsiſtentes, vocantur, habeant ex inueterata, & laudabili conſuetudine annexum ordinem presbyteratus, mandamus, ne deinceps ad dignitates, aut canonicatus, aut beneficia quis admittatur, quamuis ex legitimo matrimonio procreatus, moribusq. & ſcientia, omnibusq. alijs canonicis qualitatibus emineat, qui vigintiquinque annis minor ſit, vel non poſsit, ſaltem intra [a] annum à die electionis ſuæ computandum, ad presbyteratus ordinem canonicè promoueri.

a c. 3. extr. eod.

CAP. III.

NOn immeritò à maioribus noſtris ars artium regimen animarum dictum eſt [a]: Quare, cùm præter vitæ innocentiam, doctrina etiam in parochialium eccleſiarum rectoribus perneceſſaria ſit, prouidendum eſt, ne, qui amicorum, potentiorumve hominum teſtimonio, aut ſermonis, oriſue grauitate, ad curam animarum magis idonei videntur, ineptiores, quàm par eſt, re ipſa euadant: nos igitur, vt imperitos à finibus eccleſiæ noſtræ, quantùm poſſumus, arceamus, ſtatutum eſſe declaramus, ne in poſterum parochialibus eccleſijs rector vllus decernatur, niſi ex ſacri Concilij [b] Tridentini præſcripto, vt, ſcilicet, ſtatim atque vacauerint, idoneus eis conſtituatur vicarius cum fructuum vacantis eccleſiæ congrua portione, qua ipſe, donec nouus rector creatus ſit, onera ipſius eccleſiæ ſuſtinere poſsit. Vocentur deinde per edictum publicum, qui ad vacans beneficium examinari, & concurrere volent, vt ij, quorum nomina apud cancellarium deſcripta exiterint, coram nobis, vel Vicario noſtro generali, nobis abſentibus, ab examinatoribus ſynodalibus, non paucioribus, quàm tribus, elapſis decem diebus examinentur, vt magis idoneo beneficium conferatur. Quod, ſi non obſeruetur, irritam, ac nullam collationem fore declaramus.

a c. penult. extr. eod.

b Sef. 24. c. 18. de refor. mat.

De ſacra Vnctione. Tit. IX.

Eugenius IV. in Concilio Florentino.

CAP. I.

SECVNDVM ſacramentum eſt Confirmatio, cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus, & cùm cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc, non, niſi Epiſcopus, debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionē Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat: Cùm enim audiſſent, inquit, Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Loco autem illius manus impoſitionis datur in eccleſia confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & vrgente admodum cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum. Effectus autem huius ſacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt, videlicet, Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis eſt ſcan-

ſcandalum, gentibus autem ſtultitia ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.

Ex eodem.

CAP. II.

QVintum ſacramentum eſt Extremæ vnctio, cuius materia eſt oleum oliuæ per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum, niſi infirmo dari non debet: qui vngendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma autem huius ſacramenti eſt hæc. Per iſtam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti per viſum, &c., & ſimiliter in alijs membris. Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos: effectus vero, eſt mentis ſanatio, &, quantùm expedit, ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento inquit beatus Iacobus Apoſtolus. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, vt orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.

CAP. III.

HOc autem Extremæ vnctionis ſacramentum, licet omnibus Chriſtianis commune ſit, non eſt tamen omnibus miniſtrandum, vtpotè pueris, qui nulla adhuc commiſerunt peccata, aut amentibus, & furioſis, niſi dilucida habeant mentis interualla, eoq. tempore petant, aut ſignificent, ſe velle ſacro oleo vngi. Et quamuis potè hanc pij animi ſignificationem in mania, (quod pluries vi morbi contingit) & furorem incidant, non eſt ipſis ſacra vnctio deneganda. Vngi autem non debent, qui ſano, & firmo ſunt corpore, etiam vitæ periculis expoſiti, vt nauigantes, ad prælium ituri, & ad vltimum ſupplicium damnati. Parochi verò ſacramentum hoc exhibere curent ijs, qui integræ mentis, ac rationis eſſe, ipſumq. ſe deuotè ſuſcepturos apertè oſtendant, nec expectent, vt vitali virtute proſtrata, ſenſuum officio deſtituti videantur. Curent inſuper, vt ad vngendos ægrotantes accerſiti, abſque mora, & quam diligentiſſimè pium hoc munus impleant, ne morientes parochorum culpa diuino hoc animarum ſubſidio defraudentur. Quod qui neglexerint, grauiſſimam ſe mulctam arbitrio noſtro ſubituros intelligant.

De Sacramentis non iterandis. Tit. X.

CAP. Vnicum.

SEPTEM eſſe Catholicæ Eccleſiæ ſacramẽta à Ieſu Chriſto inſtituta aliàs diximus[a], atque eorum alia iterari poſſe, nempe Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, ac Matrimonium, alia minimè, Baptiſmum, ſcilicet, Confirmationem, & Ordinem, quorum poſtrema ab Epiſcopis tantùm, primum verò, etiam à parochis, miniſtratur. Verùm, quia, vrgente neceſſitate, cuiq. de populo, etiam fœminini ſexus, (dummodo intentionem habeant faciendi, quod intendit facere Eccleſia) baptizare[b] conceſſum eſt, etiam in priuatis domibus, parochis præcipimus, ne vllum infantem baptizare audeant, niſi certò ſciant, illum in paterna domo, aut alibi extra eccleſiam non fuiſſe baptizatum, ne, ſcilicet, ſacramentum hoc iterari contingat. Quod, ſi dubium ſit, infans non baptizetur, niſi ſub hac conditione: Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. Itaq. ad tollendos abuſus, atq. vt ex ordine perſonarum huius ſacramenti dignitas magis eluceat, prohibemus, ne coram viro baptizet mulier, nec laicus coram clerico, nec clericus, præſente ſacerdote, nec ſimplex ſacerdos, parocho præſente, niſi ipſe conſentiat.

[a] ſup. d. d. de ſumma Trinit. & Fide Cathol.

[b] Conc. Trident. can 4. de baptiſm. ſeſſ 7.

De officio Archidiaconi. Tit. XI.

CAP. Vnicum.

CAPITVLVM Archidiaconus, aut Decanus, quoties opus fuerit, conuocare poteſt, vbi curare debet, vt canonici modeſtè, ſuoque tempore loquantur, atque ſententias, ſeu vota, proferant, ſecuſq. facientes, illico è capitulo eijcere. Si verò aliquis; quod Deus auertat; iniurioſa, aut ſcandaloſa verba effuderit, præter ſeruitij illius diei amiſſionem, noſtro, aut Vicarij noſtri arbitrio coerceatur. Sigillum Collegij cuſtodiat Decanus, quo, niſi eo abſente, nemo vtatur.

§. 1.

Idem prætereà in clauſtris habitet, omnemque curam, ac ſtudium adhibeat, ne quidquam contra bonos mores, aut publicam honeſtatem committatur, vel populo ſcandalum præbeat.

§. 2.

§. 2.

Nobis celebrantibus, aut ordines conferentibus, pluuiali amictus aſſiſtat, neminiq. loco cedat. Et quia Archidiaconus à maioribus [a] noſtris oculus Epiſcopi non immeritò dictus eſt, omnia circumluſtrare, & perſcrutari diligenter eum oportet; vt, quid agendum, quidve prohibendum ſit, quo eccleſiaſtica diſciplina, diuinuſq. cultus omni ex parte ſartus tectus conſeruetur, nobis ſua prudentia, & vigilantia indicare poſſit.

a c. diaconi, 21. diſt. 93.

De officio Sacriſtæ. Tit. XII.

CAP. Vnic.

SACRISTA in eccleſia noſtra ſecundam obtinet dignitatem, cuius officium ex perſonæ, tituliq. prærogatiua, eſt indicere, ſeu conuocare capitulum, eique, Decano abſente, præſidere. Curam præterea gerere omnium eccleſiæ ſupellectilium, necnon ſacrorum quorumcumq. vaſorum, ac veſtium, item lampadum, ac deniq. totius eccleſiaſtici theſauri.

§. vnic.

Diſponit inſuper de toto officio in choro recitando, eligitq. matricularios, quos etiam primam dignitatem obtinenti, & capitulo, præſentandi ius habet.

De officio Cantoris. Tit. XIII.

CAP. Vnic.

CANTORIS dignitas tertia eſt in eccleſia noſtra, & patronatus iure ad nos pertinet, ſicut & Sacriſtæ, cum à prædeceſſoribus noſtris vtraque ad diuini cultus augmentum fuerit inſtituta. Huius munus eſt officij ſolemnium dierum feſtorum tabellam in choro conficere, in qua deſcribantur nomina eorum, qui in eodem choro, vel nobis, vel alteri in dignitate conſtituto in diuinorũ functione aſſiſtere debent.

§. 1.

Eos, qui malè legunt, aut negligenter cantant, aut confabulantur, aut rident, aut huiuſmodi aliquod irreuerenter agunt in choro, nobis, vel Vicario noſtro generali, vel Decano, deferat Cantor, vt poſt ſalutarem pœnitentiam reſipiſcant.

§. 2.

Diligentiam quoque adhibeat Cantor circa ritus, ac cerimonias, vt, ſcilicet, à canonicis, beneficiatis, & capellanis, & quos vocant, habituatis, exactè obſeruentur. Si item ſupplicationes, vel (vt vulgo appellantur) proceſſiones aliqua ex cauſa extra ordinem indicantur, officium celebrandum ordinare teneatur.

§. 3.

Ad Cantorem etiam pertinet curare, vt ex alumnis Seminarij, qui innocentes vocantur, ij ſeligantur, qui, & choro, & capellæ idoneis vocibus, &, quo decet decore, poſſint deſeruire: Item, vt in Grammatica, ac Muſica, pro ætate, atque ingenio cuiuſque, proficiant, & in eccleſia debitis horis adſint, neque per vrbem ſoli incedere, aut vagari, permittantur.

§. 4.

Denique, quod ex antiqua conſuetudine ius habet Cantor, mittendi in realem poſſeſſionem canonicos, & capellanos à capitulo inſtitutos, confirmamus. Eiuſdem, nobis celebrantibus officium eſt vnà cum Sacriſta ſemper aſſiſtere, & abſentibus, Decano, & eodem Sacriſta, capitulo præeſſe.

De officio Vicarij. Tit. XIV.

CAP. I.

QVONIAM iure communi [a] definitum eſt, Epiſcoporum Vicarios, ſeu officiales generales, non habere poteſtatem inquirendi, corrigendi, delinquentium exceſſus puniendi, vel quemquam à ſuis beneficijs, aut officijs, aut adminiſtrationibus amouendi, nec vacans beneficium conferendi, niſi id ſpecialiter eis conceſſum ſit, nos, ne difficultates, aut controuerſiæ inde oriantur, omnes, & ſingulas has facultates Vicario noſtro generali abſque vlla diminutione damus, & in ampliſsima forma concedimus: quin, etſi generali permiſsione conferendi omnia beneficia non videntur comprehendi, quæ ad renunciationes, aut permutationes pertinent, niſi earum ſpecifica mentio fiat, ad eas quoq. conceſsionem noſtram extendi declaramus ita, vt circa eas Vicarius noſter electus, ſiue eligendus, eam facultatem, atque auctoritatem habeat, quam ipſi haberemus, ſi coràm nobis fierent, exceptis ijs, quæ nobis expreſſe, & ſpecialiter reſeruauerimus.

a cap. 2. & 3. eod. lib. 6. c. ſtatutum. 2. de præbend. eod. lib. 6.

CAP. II.

SI autem ex delegatione Apoſtolica, vel alia occaſione coràm Vicario noſtro cauſam agi cõtingat, ne de iudicis integritate ſuſpicio vlla concipi poſsit, eidem Vicario ſub pœna priuationis officij, ac perpetuæ inhabilitatis ad ipſum exercendũ, præcipimus, ne

quidquam, vel minimum, exigat, aut oblatum ea de cauſa à partibus accipiat: idem obſeruari volumus, quoad cancellarios, vulgò grepherios, vt, ſcilicet, non toleret, eos vltra taxam quidquam accipere, propoſita pœna amiſſionis officij, & reſtitutionis in duplum eius, quod vltra taxam exegiſſe deprehenſi fuerint. Iterum verò delinquentibus infligatur etiam pœna quinquaginta aureorum fiſco noſtro applicandorum.

CAP. III.

a c. 1 & tot. tit. ext. eod. c. poſtulaſti de reſcrip. c. Cperpetuus ext. de fide inſtrum.

VIcarios autem [a] rectorum eccleſiarum, tam perpetuos, hoc eſt eos, qui nec amoueri, nec portione ſua à rectoribus priuari poſſunt, quàm amouibiles, ac temporarios, ad animarum regimen deinceps admitti nolumus, niſi examinati fuerint, & approbati, ac ſi ad beneficia, ad quæ vicarij proponantur, promoueri deberent adeò, vt & parochialia onera portare poſſint, & vitæ exemplo ſpectatiſſimi ſint. Nemo tamen, quamuis approbatus, ad duas vicarias admittatur. Qui verò iam admiſſus fuerit, altera, quam maluerit, retenta, alteram dimittat. Qui autem beneficium parochiale impetrauerit, atque eodem tempore vicariam adminiſtret, niſi eam ſtatim relinquat, beneficio priuatus eſſe intelligatur.

De officio, & poteſtate iudicis delegati. Tit. XV.

CAP. I.

a l. 1. §. vlt. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.

b l. ſolet. ff. de iuriſdict. omn. iud.

c cap. ſane, quia nos 2 ext. eod. tit.

d c. 1. ext. de offic. legati.

IVDEX delegatus eſt, cui, vel à ſummo Pontifice, vel à Prælato, vel à Principe, aliove ſpirituali, ſeu temporali domino, iuriſdictio demandata ſit. Hic, cùm propriam non [a] habeat, ſibi [b] mandata iuriſdictione vtitur. Plurimùm verò differt, qui à Romano Pontifice ab eo, qui ab Ordinario, delegatur: etenim delegatus Apoſtolicus reſpectu mandantis dignior, inq. [c] ſibi commiſſa cauſa maior eſt quocumq. Ordinario adeò, vt Legatus [d] à latere, cùm iure magiſtratus faciat, quodcumque facit, quamuis Proconſuli, & Præſidi æquiparetur, quorum [e] ſupremum fuit imperium in Prouincijs, iudicem tamen delegatum neque impedire, quin ſibi commiſſum negotium expediat, neque eius ſententiam abſque Apoſtolico mandato irritam reddere poſſit: [f] delegatus namq. in ea cauſa eandem cum Principe mandante habet poteſtatem, neque [g] ab eius ſententia appellari poteſt, niſi ad eundem Principem, ſicut ab Ordinario [h] ad proximum ſuperiorem tantum appellatur.

e l. & ideo, ff. de offic. Proconſ. l. 4. C. de offic. Præf.

d. c. ſane.

f l. 2 ff. quis à quo, l. præcipimus, C. de appellation

h l. imperatores ff. de appellat.

CAP. II.

LAtiſſimum eſt officium iudicis à Principe delegati, cùm partes in ius vocare poſſit, contumaces, aut ex lege, aut, ſi lex deſit, ex arbitrio punire, aliaq. [a] omnia ad cauſam ſpectantia facere, executioni quoque ſuam mandare ſententiam, interdicere, ſuſpendere, excommunicare, item omnes, qui ſibi demandatam iuriſdictionem impediunt, coercere, excommunicatos abſoluere, in poſſeſſionem mittere. Quare à nobis dandi iudices, ſi fieri poterit, ex partium conſenſu dabuntur, ſin minus, ex officio: ſi verò aliquis eorum, vt ſuſpectus, reijciatur, ſuſpicionis cauſis coràm [b] nobis probatis, alius in ſuſpecti locum ſubrogetur. Suſpicionis autem cauſæ initio allegandæ ſunt, cùm poſt [c] litem conteſtatam iudex recuſari non poſſit, niſi noua [d] aliqua ſuſpicionis cauſa ſuperueniat: Delegatus autem iudex fines mandati ſui diligenter cuſtodiat, eiusq. forma ſeruata, exceptiones [e] admittat, aliaque omnia, quibus negotium, & mandatum perficitur, integra fide geratyne illuſorium, nullumq. reddatur eius iudicium, factasque à litigatoribus expenſas in duplum reſtituere teneatur.

a c. primo, ext. eod.

b c. ſuper. §. porrò, & §. cùm verò. ext. eod. l. cum ſpecialis. C. de iudicijs. c l. apertiſſimi, C. eod. d l. ex Cornelia initio, ff. de mun.

e c. ſuper c. cùm dilectus, ext. de reſcript. l. ordinarij. C. de rei vendic. l. ſi procurator, & l. ſi diligenti. ff. de procurator. f c. ex part. ext. eod.

De officio Iudicis ordinarij. Tit. XVI.

CAP. I.

a Conc. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2 de reform ſeſſ. 24 c. 4. de reform.

QVANDOQVIDEM in idiomate, quo Prouincia, & ciuitas noſtra vtitur, non ſatis verſati, prædicationis munus Epiſcoporum [a] proprium, quem admodum cupimus, explere non poſſumus, ne commiſſi nobis gregis ſolatium, atq. vtilitatem, quæ ex ſacræ paginæ, legisq. diuinæ interpretatione percipitur, negligere videamur, vtque aliqua ex parte officio noſtro ſatisfaciamus, volumus, non ſolùm præcipuis, ac ſolemnibus feſtis diebus, ſed, & per totam Quadrageſimam, atque Aduentum Domini impenſa noſtra à pijs, doctisq. ex diuerſis Ordinibus ſelectis viris in eadem ciuitate, etiam nobis abſentibus, conciones haberi.

CAP. II.

SEd, quia Epiſcopus omnium parochiarum habitu rector, eas actu gubernare non poteſt, parochos quoque, tamquam in partem ſolicitudinis vocatos, prædicationis oneri humeros ſupponere oportet: proinde meminerint omnes animarum curam habentes, dominicis ſaltem, & feſtis ſolemnibus diebus, populis ſacras ſcripturas interpretari, præceptaque euangelica, etiam exemplis, eorum

eorum mentibus ſenſim inſtillare, abuſus, vitia, ſuperſtitiones, peccataq. omnia deteſtari, virtutem, bonorumq. operum fructum efficaciter promouere, vt, calcatis diabolicis artibus, terrenorumq. obliti, ad cæleſtia toto cordis affectu erigantur. Hæc, ſacro Tridentino [a] ſuggerente Concilio, ante parochorum oculos ponimus, vtque animarum neceſſitatibus adhibeantur, vrgemus, atque præcipimus. a d.c.2 & 4.

§. 1.

Vbi verò concionator impenſa publica commode ſuſtentari poſſit, tempore præſertim quadrageſimali (vtpotè in oppidis ſancti Mauritij, Aimæ, Cõfleti, Bellifortis, alijſq. ſimilibus) præter id, quod parochi facere tenentur, proprium concionatorem, vel ſecularem, vel regularem ſacerdotem quotannis conduci volumus, qui quotidie, vno ex qualibet hebdomada excepto, verbo Dei populum paſcat.

§. 2.

Et, quia ſuperuacanea, ac inutilis eſſet verbi diuini prædicatio, fruſtraq. Chriſtiana doctrina diſſeminaretur, niſi adeſſent, qui eam excíperent, & conciones audirent, populum omnem, vt in ſuis parochialibus Eccleſijs, ſaltem diebus dominicis, conueniat, hortamur, non ſolùm, vt ſpiritalem cibum ex inſtructiſſima Euangeliorum cella penaria ſibi ſumat, verùm etiam, vt, quæ ad diuinum cultum, morumq. Eccleſiaſticorum dignitatem, ac conſtantiam, pertinent, à parochis pro tempore intelligat, feſtorum, ſcilicet, dierum, ex præſcripto Eccleſiæ obſeruandorum, recurrentes annuas ſolemnitates, matrimoniorum denunciationes, Apoſtolicarum litterarum, noſtrarumq. conſtitutionũ, aut edictorum, etiam Vicarij noſtri generalis, incidentes publicationes, aliaq. huiuſmodi, ad quæ, patresfamilias præcipuè teneri, pronunciamus.

CAP. III.

QVamuis verbi Dei prædicatio admodũ vtilis, & neceſſaria ſit, &, qui ſacræ Theologiæ operam nauarunt, in eaq. laureã conſecuti ſunt, legendi, interpretandi, & prædicandi facultatem acceperint, nihilominus, quia interdum ſub ouilis pellibus rapaces latent lupi, quorum rabiem, cùm Prouinciæ noſtræ immineant, magnopere pertimeſcimus; neminem [a] poſthac, ſiue is ſecularis, ſiue Regularis ſacerdos fuerit, ſine noſtra, ſeu Vicarij noſtri generalis, expreſſa licentia, ad populum concionari poſſe concedimus. Parochi, qui id permiſerint, vt hactenus factum eſt, aureis duodecim mulctentur. a d.c.2. & 4

CAP. IV.

NIhil profectò ad Chriſtianæ reipublicæ tranquillitatem, diuiniq. cultus conſeruationem, ac propagationem magis expedit, quàm vtriuſque ſexus pueros ſanctè inſtitui, & in fide, quam profeſſuri ſunt, diligenter erudiri: altas namque radices agunt, quæ in teneris animis ſeruntur adeò, vt nulla ferè ratione inde euelli poſſint. Quamobrem, etſi de Chriſtiana doctrina pueris explicanda, quod parochorum officio conuenire viſum eſt, dum diœceſim noſtram viſitaremus, ſatis declarauimus, idipſum nihilominus, & in hoc conſtitutionum noſtrarum volumine repeti non ab re alienum duximus, vt non ſolùm paſtores in tam graui negotio partes ſuas deſiderari non patiantur, ſed etiã grex, cui paſcendo à Deo præpoſiti ſumus, propenſionem noſtram ad eius ſalutem agnoſcat. Parochi igitur pueros vtriuſque ſexus intra ſuæ curæ fines poſitos, dominicis omnibus, alijſq. feſtis diebus in fidei rudimentis inſtituant, Deoq. præſertim, ac parentibus obedire doceant, ſimulq. curent, vt hoc noſtrum, immo ſacri [a] Tridentini Concilij præceptũ ſibi ſubditis populis eum fructum afferat, quem ab altaris miniſtris expectare debemus. Quod, ſi facere neglexerint, toties duorum florenorum pœnam ſubeant, quoties in officio deliquerint, eaque pecunia libri ad doctrinam Chriſtianam pertinentes comparentur, atque inter pueros diſtribuantur. a Seſſ. 24. c. 4. de refor.

§. vnic.

De Muſterienſium puerorum inſtitutione ad æternam ſalutem neceſſaria pro eo, ac debemus, ſolliciti, duas erigi ſcholas in hac ciuitate ſtatuimus: alteram in Eccleſia noſtra matrice; alteram in Eccleſia Beatæ Mariæ, vt in illa pueri ab Eccleſiaſticis, alijſq. pijs hominibus; in hac puellæ à matronis, alijſq. religioſis mulieribus in præceptis Euangelicis inſtituantur. Propterea, ſicut Eccleſiæ noſtræ miniſtros in re tam graui officio ſuo non defuturos confidimus, ita, ne piæ mulieres à ſancto hoc miniſterio diuellantur, aut quoquomodo, quoad eius fieri poterit, exturbentur, dum puellis in Chriſtiana doctrina dirigendis operam dabunt, neminem, vno excepto parocho, ad eamdem Beatæ Mariæ Eccleſiam accedere poſſe permittimus. Qui ſecus fecerit, duobus aureis nummis mulctetur, quos emendis Sanctorum imaginibus inter ipſas puellas diſtribuendis, applicamus. Qui iterum deliquerit, in carcere triduo pane, & aqua temeritatis ſuæ pœnam luat.

CAP. V.

NOn ſolùm autem rudimenta fidei pueros docere, ſed etiam adultos ita inſtruere debent parochi, moribuſq. Chriſtianis ita formare, vt, quomodo, quam reuerenter, quamque munda conſcientia ſacramenta ſuſcipienda, ac tractanda ſint, non ignorent. Quod proculdubio ex ſententia ſuccedere non poterit, niſi virtus, vſuſque ſacramentorum priùs populis explicetur. Id verò factu haud difficile fuerit, ſi parochi Catechiſmum catholicorum dogmatũ promptuarium, totiuſq. Theologiæ compẽdium ſacri a Tridentini Concilij auctoritate cõcinnatum, ſibi familiarem faciant, vbi ad curam paſtoralem pertinentia pereleganter, ac luculẽter tractantur, cuius ductu, vt, quæ ad ſalutarem diſciplinam capeſſendam, ac retinendam, neceſſaria ſunt, populis opportunè ſuggerantur, parochi inter Miſſarum ſolemnia, & quandocumque ſacramenta miniſtrãda fuerint, vim, vſum, eorumq. neceſſitatem, illis exponant, quo, & maiore pietate, atque humilitate ea ſuſcipiant, & ad charitatis opera feruentiores facti, peccata vehementius deteſtentur, vnumque corpus cum Chriſto effici ſummo ſtudio contendant.

a de Indice lib. & cathechiſmo.

CAP. VI.

VErumtamen nihil vtique profuerit, ſanam doctrinam ab induſtrijs agricolis in populorum animis ſeminari, ſi ab inimico homine ſuperſeminata zizania iactum ſemen ſuffocauerint: quod, ne peſtilentium librorũ lectione in iuriſdictione noſtra vnquam eueniat, libros impreſſos à bibliopolis venales proponi, aut à noſtris ſubditis legi, aut haberi, prohibemus, niſi nobis, vel generali Vicario noſtro, prius exhibeantur, noſtraq. auctoritate approbati, in lucem prodierint, præſertim, ſi Geneuæ, etiam mentito prælo, (quod ad decipiendos catholicos emptores neoterici iam pridem impudenter factitant) editi fuerint, vt, qui erroneam doctrinam non contineant, nec bonis moribus aduerſentur, vendi, legi, haberi, ac tractari abſque vllo periculo, aut conſcientiæ ſcrupulo, poſſint. Qui verò hæreticorum veneno infecti, atque à catholicæ veritatis ſenſu alieni in animarum pernitiem proſeminari videantur, omnino reijciantur.

CAP. VII.

EX antiquis a iuris Pontificij conſtitutionibus, & nouiſſime ſacri Tridentini b Concilij decreto diœceſanæ Synodi ſingulo quoque anno celebrandæ ſunt: quod nos, vt omnino in noſtra iuriſdictione obſeruetur, diligentiſſime curabimus, indicta Synodo ad diem dominicum poſt octauã Paſchæ ſolemnem, qui inſcribitur: Paſtor bonus, &c. cui, non tãtum ipſos parochos intereſſe volumus, ſed etiam omnes vicarios, qui eccleſijs menſæ noſtræ, ſiue capitulis, ſiue matricibus alijs eccleſijs vnitis, deſeruiunt, nenon alios omnes vicarios perpetuos curam animarum habentes, non ſolum, vt villicationis ſuæ rationem reddant, ſed etiam, vt, quæ in Synodis conſtituta fuerint, in populorum ſibi ſubditorum mentibus vtilius imprimere, ac faciliùs exequi poſſint.

a c. nuper ſin. gulis vſq. ad fin. diſt. 63. c. ſacerdotum. de accuſ. b ſeſſ. 24. c. 2. in fin. de reform.

§. vnic.

Quòd, ſi ijdem vicarij, & rectores parochialium Eccleſiarum legitimo fuerint impedimento detenti, ita, vt Synodo intereſſe nequeant, officij ſui partes per procuratorem ſacerdotem authentico mandato ſupplere teneantur, alioquin iuxta canonicas ſanctiones puniantur.

CAP. VIII.

SEd, ne ipſæ vniuerſitates frequentibus onerentur ſumptibus; qui hactenus ſatis magni fuere; non equidem (vt conijcere licet) ob comitatum noſtrorum prædeceſſorũ, aut noſtrum, qui modũ minimè exceſſit, tam, quoad numerum famulantium, quàm, quoad tempus abſolutis, quanta potuimus, celeritate, quæ ad viſitationem pertinuerunt; ſed, quia adiacentium oppidorũ, parochiarumq. primoribus, & incolis, & presbyteris huius Prouinciæ mos eſt nequaquam laudabilis. cũ de viſitatione fama eſt, conuenire turmatim, quò Archiepiſcopus eſt diuerſurus, ibique, tamquam in nuptijs magnorum virorum, large comedere, ac bibere ſumptibus locorum, qui viſitantur: ne poſthac huiuſmodi inutiles ſumptus fiant, ſyndicis locorum ſub pœna arbitrio noſtro imponenda præcipimus, ne viſitationis tempore ad comedendum, & bibendum extra noſtrum comitatum quemquam ſumptibus publicis admittant.

De maioritate, & obedientia. Tit. XVII.

CAP. I.

NOLVMVS, quemquam ad quæuis beneficia, aut dignitates, aut artes liberales exercendas vnquam admitti, niſi prius Beatiſsimo, Summoque Romano Pontifici Paulo Quinto, Ieſu Chriſti in terris Vicario, Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Reipublicæ Chriſtianæ vniuerſæ ſupremo capiti, eiuſq. legitimis ſucceſſoribus, veram obedientiam, debitamq. reuerentiam in ma-

in manibus noſtris, aut noſtri generalis Vicarij, ſponderit, ac iuraverit iuxta formulã a à Pio Papa Quarto propoſitam.

a de qua c. vlt. ſup. de iuram. Trin. & Fide Catho.

CAP. II.

LIcet omnibus perſuaſum ſit, ſicut iuramento a, ita in omnibus conſtitutionibus ab inferioribus latis ſemper exemptam intelligi ſuperioris auctoritatem: attamen, ne de hoc alicui dubitare contingat, declaramus, omnia noſtra decreta, ſeu conſtitutiones ita eſſe concinnatas, atque directas, vt in ijs ſalua ſemper auctoritas ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur.

a c. veniens, §. quinto vero ext. de iureiur. l. vlt. ff. ad munic.

CAP. III.

CVm gradus, ac functiones variæ in Eccleſia ſint, atque ita diſtributæ, & collocatæ, vt alia ad aliam referatur, ſi is ordo non ſeruetur, vtique confuſionem, ac deſtructionem, non autem ædificationem, inde oriri neceſſe eſt. Quare, ne id eueniat, mandamus, vt minor maiori, & inferior ſuperiori cedat, laicus, ſcilicet, clerico, clericus ſubdiacono, ſubdiaconus diacono, diaconus presbytero, inter presbyteros præcedat, qui maior eſt dignitate, auctoritate, vel ſuperioris conceſsione: minor maiori aſſurgat, promotionis etiam antiquitate, ex qua graduum, perſonarumq. diſtinctione, cùm Eccleſia vtilitatem, mores, ac ritus ſalubrem reformationem, diſciplina Eccleſiaſtica neruum, ac tandem ipſe diuinus cultus maximum augmentum ſit percepturus, confidimus, ſubditos noſtros, præſertim clericos, nullam nobis querelæ occaſionem vnquam daturos.

CAP. IV.

VT debitus honor noſtræ metropolitanæ Eccleſiæ reddatur, ſacri Concilij Lateranenſis ſub Leone Decimo celebrati decreto inhærentes, ſtatuimus, vt Regulares, & ſeculares clerici die Sabbati maioris hebdomadæ, antequam campanæ ipſius noſtræ Eccleſiæ pulſentur, ſuarum Eccleſiarum campanas minime pulſari permittant.

De pactis. Tit. XVIII.

CAP. Vnic.

IN Concilio Aphricano primo a legitur: Pax ſeruetur, & pacta cuſtodiãtur. Nihil enim tam cõgruum eſt fidei humanæ, quam ſeruari ea, quæ ſemel placuerunt. Vnde propheta b: Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Pacta ſeruanda eſſe omnino dicimus, niſi bonis moribus, aut diuinis aduerſentur mandatis, aut inita ſint de re ſpiritali, aut turpi, aut impoſsibili, aut de ſucceſſione poſt mortem, aut de augenda penſione beneficij conſequendi gratia, aut eiuſmodi ſint, quæ non modo ſeruari non debeant, ſed ea ſeruantes canonicis pœnis exponant, quas de tranſgreſſoribus omnino ſumi mandamus.

a cap. 12.

b Pſal. 88.

De poſtulando. Tit. XIX.

CAP. Vnic.

QVONIAM iure vetitum eſt a ne clerici in ſeculari foro, niſi pro ſe, vel pro Eccleſia, aut miſerabilibus perſonis poſtulent: Ideo quod in partibus noſtris vſu probari obſeruauimus, vt, ſcilicet, clerici, etiam mercede accepta, non ſolum in quouis tribunali, ſed etiam coram ſupremo ſenatu, cauſas quaſcumque agant, ac ſi laici eſſent, tãquam ſacro ordini iniurioſum, ſcandaloſum, atque intolerabile, deteſtamur, & omnino prohibemus. Sed, ne publicam vtilitatem, quæ ex alicuius clerici doctrina percipi poſſit, omnino impedire velle videamur, permittimus, eos intra domeſticos parietes pro reo gratis ex charitate ſcribere poſſe.

a cap. 1. eod.

De Procuratoribus. Tit. XX.

CAP. Vnic.

SI diuino miniſterio addicti in profano foro patrocinari prohibẽtur, multo magis ad procurationis officium, aduocatione illiberalius, admittendi non ſunt: abſurdum eſt enim, reique publicæ Chriſtianæ maximè incommodum, arcana Dei tractantes, cæleſtium myſteriorum contemplatione relicta, ad forenſium negotiorum ſtrepitum traduci, atque aliud, quàm eccleſiæ honorem, curare, præſertim, cùm laicis a poteſtas facta ſit ſpiritales cauſas agẽdi ob hanc vnam ſanè cauſam, vt clerici ſecularibus occupationibus liberi, diuinis rebus abſque impedimento operam omnem impendant. Propterea cauſarum, litiumque procurationem omnem ſacerdotibus, ſacriſq. ordinibus initiatis noſtræ diœceſis omnino interdicimus, Eccleſiarum, piorum locorum, & miſerabilium perſonarum cauſis exceptis, eadem pœna tranſgreſſoribus conſtituta, qua & clerici aduocationem exercentes ſuperius puniri b mandamus.

a c. 1. eod. in lib. 6.

b ſupr. cap. prox.

De ijs, quæ vi, metusvè cauſa fiunt. Tit. XXI.

CAP. Vnic.

MVLTA fiunt, quæ, licet legibus prohibeãtur, nihilominus ſubſiſtunt, vnde vulgatum illud: multa facta tenent, quæ alioquin fieri vetarentur, reſcindi tamen, atque elidi poſſe actione, quodcumque per vim, & metum factum fuiſſe probetur, exploratiſſimi iuris eſt, ait enim Prætor [a] in ſuo edicto: Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo: & legislator [b] eccleſiaſticus: quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari: idq. ſanè, & naturali, & ciuili ratione: quandoquidem valere non debet, quod coacta, minimèq. libera voluntate ſit, neque vllo pacto libera cenſetur illa voluntas, quæ per vim, & metum in conſtantem virum cadentem ad faciendũ inducatur, quod alioqui nullo modo factura præſumeretur. Quæ quidem iuſtiſſima exceptio, cùm ad omnes humanos, ciuileſq. contractus magnum afferat momentũ, in ijs præcipuè locum habet, quæ ad clauſtralis obſeruantiæ neceſſitatem pertinent. Quicumque igitur, non ſponte ſua, ſed coactus, atque inuitus, monaſticum habitum ſumpſerit, ſi ante quinquennium, à die profeſſionis computandum, reclamauerit, & coràm nobis, ac iuperiore ſuo, te per vim, & metum religionẽ ingreſſum, aut ante legitimam ætatem profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile probauerit, ſiue fœmina, ſit, habitum deponère, monaſterio exire, ac matrimoniũ contrahere, ſacro Concilio [c] Tridentino ſuffragante, licitè poſſit. Qui verò ciuſdem exceptionis prætextu, ante quinquennium auctoritate propria habitum dimiſerit, ad quamcumque cauſam allegandam nequaquam admittatur, ſed ad monaſterium redire coactus, tanquam apoſtata puniatur. Huiuſmodi tamen probationes coràm Vicario noſtro generali, niſi ex ſedis Apoſtolicæ commiſsione, fieri non permittimus.

[a] l. 1. ff. quod met. cauſ.

[b] cap. 2. eod.

[c] ſeſſ. 25. c. 19. de reg.

De in integrum reſtitutionibus. Tit. XXII.

CAP. I.

QVAMQVAM iure definitum eſt, à quibus petenda ſit in integrum reſtitutio, attamen, vt id in poſterũ extra omnem controuerſiam ſit, dicimus, ab Ordinarijs iuriſdictionem habentibus, aut à iudicibus ab eis delegatis reſtitutionem peti debere: quare, ſi de re profana quæſtio fuerit, coram noſtris ſecularibus iudicibus, ſi de ſacra, coràm noſtro generali Vicario, agendum erit.

CAP. II.

QVandoquidẽ Eccleſia iure minoris cenſetur; & de minore conſtat, non tantũ, ſi circumuentus ſit, ſiue in eo, quod rem vendiderit, ſiue, quòd minoris vendiderit, verùm etiam ſi læſio nulla, dolusvè nullus in eius venditione interuenerit, nullam eſſe ipſo iure, & omnino inutilem alienationem rei immobilis, quam ipſe ſine iudicis decreto fecerit, lege nempe prohibente alienationem: quocirca, cùm nulla, atque inanis ſit alienatio, inutilis quoque eſt, aut non neceſſaria hoc caſu in integrum reſtitutio. Idem plane de clerico dicendum eſt. Si enim vendidit rẽ Eccleſiæ, nulla, atque inutilis fuit alienatio, immo inutilior alienatione facta à minore: namque minor, etſi lege prohibetur alienare, habet tamen rei dominium; Clericus verò vſufructuarius, vel vſuarius rei Eccleſiaſticæ tantùm eſt: Eccleſia nihilominus, cuius res fuerit alienata, eſt in integrum reſtituenda, niſi rei alienatæ pretium in eius vtilitatem verſum ſit; quo caſu, reſtituto emptori pretio, Eccleſia, ſi id maluerit, reſtituenda eſt.

De alienatione mutandi iudicij cauſa facta. Tit. XXIII.

CAP. Vnic.

ET Cæſareo, & Pontificio iure cautum eſt, ne res in iudicium deducta, aut deducenda, in aliam præſertim potentiorem transferatur perſonam: quod etiam in clericis locũ habere certiſſimi à iuris eſt, quorum multi parum conſcientiæ propriæ conſulentes, à laicis iure, quod habent, ſibi cedi curant, quo aduerſarios à ſeculari ad Eccleſiaſticum auditorium inuitos trahant. Quare, cùm fuerit in noſtro tribunali dubitatum, an huiuſmodi ceſſio in vltima voluntate iuſte fieri poſſit, ita, vt cauſa cognoſci, & terminari in foro noſtro Eccleſiaſtico valeret; Nos ad tollenda dubia pronunciamus, fieri poſſe, dummodo res in iudicium adhuc deducta non ſit. Si verò deducta ſit, litem proſequi clericus teneatur, vbi cœpta eſt, ex iuris regula, quæ eſt [b], actorem ſequi debere forum rei: nam litem à cedente inchoatam proſequi, non nouam inſtituere debet [c], cùm non plus iuris à iure, quod ceſſum ſit, habere poſſit ceſſionarius, quàm ipſe cedens habuerit, cuius factum præſtare cogitur, quoniam

[a] c. vlt. eod.

[b] l. 2. C. de iuriſd. omn. iud. l. in clericum. de foro compet. l. hæres absens. l. ſi petenti. 2. l. ſi, & Romæ. ff. de iud. l. fr. cum hominem. ff. de fideiuſſ.

niam ex eius perſona, & iure agit, quamuis [d] proprio nomine agat.

[d] l. ex qua. perſona, ff. d regul. iur.

De arbitris. Tit. XXIV.

CAP. I.

IN Laicos, tamquam rerum ſpiritualium incapaces [a], compromitti de re Eccleſiaſtica vetant ſacri Canones, niſi laicus cum clerico Epiſcopali auctoritate fuerit [b] receptus. Nihilominus, quoniam plura inuenimus de rebus Eccleſiaſticis compromiſſa facta in laicos, ab hiſque laudata cum clericis, nec tamen ſuperiorum auctoritate approbata, ea nulla eſſe declaramus: clericus verò, qui ſibi laicos in arbitros dari, nobis inconſultis, paſſus fuerit, ab ordine in quo conſtitutus reperiatur, arbitrio noſtro ſuſpendatur.

[a] c. cõtingit ext. eod. c. 2. ext. de iud.

[b] c. pertuas, ext. eod.

CAP. II.

CVm Vicarius vnum, & idem cum Ordinario tribunal habeat [a], vnumque & idem auditorium, dicitur ordinariam habere iuriſdictionem, & conſequenter iudicãdi auctoritatem [b]: ideo, ne iuriſdictioni noſtræ vllum inferatur præiudicium, prohibemus, ne de cætero in Vicarium, tanquam in arbitrũ, iuris compromiſſum fiat [c], ſed, vti in arbitratorem, ſiquidem arbiter iuris eodem plane modo iudicare tenetur, quo verus iudex iudicat; quo caſu præciperet ſibi auctoritatem iudicandi, aut votum in eadem cauſa emittendi, non autem, vbi fuerit electus arbitrator, qui ex bono, & æquo, nullo iudiciorum ordine [d] ſeruato, iudicat. Quo ſane fit, vt, licet nemo [e] in cauſa propria ſibi ius dicere poſsit, arbitrator [f] tamen eſſe non prohibeatur.

[a] c. Romana in princ. de appel. lib. 6.

[b] l. de quare, ff. de iud. l. penult. & vl. ff. de vac. & excuſ. muner.

[c] l. ſed & ſi in ſeruum, §. qs iudex fit, ff. de arbit.

[d] l. ſocietatem, § arbitratorem, ff. pro ſocio.

[e] l. 1. & tot. tit. C. nequis in cauſa ſua iud.

[f] l. ſi in lege ff. locata.

Finis Libri Primi.

ACTA

Digitized

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO

Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe in Diœceſana Synodo Muſterij habita,

iij. Nonas Maij anno Sal. MDCIX. promulgata.

LIBER SECVNDVS.

De Iudicijs. Tit. I.

CAP. I.

IVDICIVM conſtituit litigantium coràm iudice, vel Eccleſiaſtico vel ſeculari, diſceptatio. Verùm abſque [a] litis conteſtatione iudicij nomen conſiſtere nequaquã poteſt. Lis autem conteſtari dicitur, cum de re controuerſa à litigantibus cauſæ ſeries coram iudice narratur: perfecta verò, ac plene facta eſſe intelligitur narratio, quandocunque iudex actorem petentem, reumq. negantem, audiuerit, tuncque lis conteſtata [b], in iudicium deducta dicitur, nec quidem alio [c] modo. Cùm autem per litis conteſtationem partes in iudicium conſenſiſſe præſumantur, ne ex litibus lites repullulent, neutri [d] litigantium ſuſpectum eum aliegare, vel recuſare liceat, niſi (vt alibi diximus [e]) legitima ſuſpicionis cauſa, vel eius notitia ſuperueniat: quo caſu pars grauata iudicis [f] iniuriæ occurrere appellationis remedio non prohibetur.

a l. fin. qui obtulit. ff. ad ter. vendicl. amplius non petam. ff. rem ratam. habel. l. 1. C. ff lit. conteſt.

b c. dudum. 2. §. licet autem. ext. de rect. c. d. l. amplius. & d. l. 2.

d l. per diuersas. C. de iudic. nemo. ff. de iurisd. omn. iudic.

e l. 3. ff. de off. iud. de.

f l. aut Prætor. §. quæ autem. ff. de iurisd. omn. iud. l. per imprudentiã. 1. Heremus. §. 1. ff. de eui dion. l. 2. ff. appellation.

CAP. II.

INter ea, quæ de fori competentia inter Eccleſiaſticos, & ſeculares iudices non rarò in diſputationem veniunt, placet, extra omnem difficultatem eſſe, quod nonnũquam controuertitur, an, ſcilicet, clericus laici hæres coram ſeculari, vel coram ſpiritali iudice conueniri debeat: &, quamquam iure ciuili haud obſcure apparet, hæredem ſequi debere forum defuncti, tribus caſibus [a] exceptis: nempe, ſi hæres abſens defendatur ab alio, ſi ibidem hæres ipſe inueniatur, ſi cum defuncto iam inſtitutum fuerit iudicium: nos, hoc vnico caſu excepto, quòd cum defuncto iam cœpta fuerit lis, nolumus, clericum, niſi coram iudice Eccleſiaſtico, conueniri poſſe; tum, quia domicilium defuncti non tranſit ad hæredem; tum, quia, actorem ſequi forum rei, iuris [b] exploratiſſimi eſt.

a de quibus in l. hæres abſens. ff. l. ſi quis hæres. ff. cod.

b l. 2. C. de iurisd. om. iudic. l. vlt. C. vbi in rem. actũ exer. debeat. c. fi clericus. ext. de foro comp. a l. fin. non ſolum. ff. de iuriſd. omn. iudic. l. 2. ff. apud Labeonẽ. §. ſi quis virginem. ff. de iniur.

CAP. III.

QVamuis talis quiſque præſumatur, qualis [a] extrinſecus apparet, & qualis eſt habitus, in quo reperitur, clericus tamen, qui in ſeculari habitu, vel armatus, à laici magiſtratus apparitoribus deprehenſus, & captus fuerit, vbi de eius ſtatu conſtiterit, ad Eccleſiaſticũ iudicem remittatur, vt, quaſi ſpiritalis militiæ deſertor, temeritatis ſuæ pœnas luat: nam, cùm ſacri ordinis character [b] indelebilis ſit, dedecet, clericum, in cuius anima imprimitur, profani tribunalis iudicio ſubijci. Clericum tamen capitalis criminis reum, atque adeo incorrigibilem, vt de eius emendatione deſperandum ſit, poſtquam de more fuerit, vt aiunt, degradatus, ſeculari potestati tradi non prohibemus.

a c. vnico. 2. ſup. de ſacr. non iterand.

CAP. IV.

QVoniam cauſarum ad forum Eccleſiaſticorum pertinentium, etiam beneficialium, iudicium in prima inſtantia locorum Ordinarijs dumtaxat reſeruatum eſt adeo, vt ſuperiores iudices eas auocare, aut ab eiſdẽ interpoſitas appellationes recipere prohibeantur, niſi à definitiua ſententia, vel à definitiuæ ſententiæ vim habente, appellatum ſit, cuius grauamen per appellationem à de-

finitiua

finitiua reparari non possit, debeanteq. causæ intra biennium terminari, ac, nisi terminatæ fuerint, liceat a litigantibus superiorum iudicum auxilium implorare, qui ea, quomodo reperiantur, assumere, atque expedire possunt; nolumus, Vicarium nostrum generalem huiusmodi causas assumere, aut à nostris Suffraganeis auocare, nisi legitimè constet, per eos stetitisse, quin intra biennium terminarentur, cum litigantes ipsi nonnunquam litiũ expeditionem retardent, vel, quia parum gratos se iudicibus existiment, vel, quia ex mutatione iudicij fauorabiliorem sententiam se reportaturos confidant. Quòd, si Suffraganeorum, vel eorum vicariorum culpa causarum expeditionem vltra biennium dilatam fuisse constiterit, Vicarius, aut alius iudex noster, eas in statu, in quo fuerint, suscipiat, & quãta b maximè poterit celeritate, expediat, attibusq. partium, seu in litis contestatione, seu in alia iudicij parte differenda, vel terminorum præfixione, vel alia legibus c consentanea ratione, omni studio, atque industria occurrat.

a Con. Trid. sess. 24. c. 20. de reform.

b c. fin. de dol. & contum. 2. de re iudic. c constitutis, de procurator.

c Con. Trid. sess. 25. c. 10 in fin. de reform.

CAP. V.

SI quis in casibus à iure permissis à Suffraganeis nostris ad nos appellauerit, aut de grauamine, quod per appellationem à definitiua sententia reparari non possit, coram nobis conquestus fuerit, vel ob lapsum biennij, (vt superius diximus) tribunalis nostri iudicium imploret, postquam tolitas inhibitiones obtinuerit, non audiatur, nisi acta omnia coram Suffraganeo gesta, ad nos, aut Vicarium nostrum, aut alium appellationis iudicem suis expensis transtulerit, eodem Suffraganeo de tota re prius admonito, vt, si quid ei pro causæ instructione conuenire videbitur, possit illud nobis, aut iudici appellationis indicare. Quòd, si intra debitum tempus acta non transtulerit, vtique inhibitiones concessæ reuocentur. Si autem pars, contra quam fuerit appellatum, comparuerit, & actis iam translatis vti voluerit, expensas in translatione factas pro sua portione subire cogatur.

CAP. VI.

COntra, si à sententia nostra, vel Vicarij nostri generalis, fuerit appellatum in casibus, quibus iure admittenda est appellatio, vel ad summum Pontificem, vel ad Apostolicum Nuncium apud Serenissimum nostrum Ducem existentem; volumus cancellarium nostrum spiritalem, seu (vt vulgò vocatur) grepherium, ad ipsorum actorem exemplum, seu copiam, taxata mercede accepta, quantò citius, nec longiore termino, quàm vnius mensis, appellanti exhibendam teneri. Quod, si cancellarius rem distulerit, aut in actorum exhibitione fraudem fecerit; præter suspensionem ab officij administratione arbitrio nostro duraturã, ad dupli pœnam, quanti lis fuerit, inter appellantem pro dimidia parte, ac pauperes ciuitatis pro alia dimidia distribuendam, compellatur. Si verò Vicarius, (quod vix euenire posse credimus) huius moræ, aut impedimenti conscius, particepsve fuerit, aliaue ratione obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus tradantur, ad eandem dupli pœnam teneatur.

CAP. VII.

VErùm, ne, vel malitia, vel negligentia cancellariorum, acta causarum in damnum fisci nostri, &, quorum ea conseruari interfuerit, perire contingat, quilibet cancellarius, expeditis causis, acta originalia omnia, tam ciuilium, quàm criminalium causarum in Archiuium Archiepiscopale nostrum trãsferre teneatur, vnde absque nostra, vel successorum nostrorum licentia, amoueri non possint. Cancellarius, qui secus fecerit, officio priuetur, nummoq. aureos vigintiquinque pijs locis applicandos, soluat.

§. Vnic.

Vt verò litigantes (quod studiosissime semper vrgemus) forensibus molestijs, atque impensis, facilius, citiusq. liberentur, cancellarius singulo quoque mense causarum, tum ciuilium, tum criminalium, summarium indicem nobis sub eadem pœna exhibeat, vt cum procuratore fiscali, ac Vicario nostro generali pro earum qualitate, quod opportunum fuerit statuere valeamus, scientes iudicem, præsertim Ecclesiasticum, curare debere, vt quantocitius lites a finiantur. Nobis verò absentibus cancellarius apud Vicarium generalem idem facere teneatur.

a l. 3. §. 1. ff. de recept. arbit. l. quòd, ff. ff. reb. cre.

De foro competenti. Tit. II.

CAP. I.

QVANDOQVIDEM spiritalis a potestas à seculari distincta esse intelligitur, altera alteri impedimentum, aut damnum afferre non debet. Itaque si Vicarius, eum, quem laicum esse sciat, ob rem ad forum Ecclesiasticum minime pertinentẽ, in ius vocari mandauerit, vel contra, si laicus ad temporale tribunal in causa minime temporali clericũ trahere tẽtauerit, neuter b vocatorum vocãti obtemperare teneatur, eũ, & spiritales, & seculares indices sua iurisdictione cõtenti, quandocũq; opus fuerit, sibi vicis-

a c. etsi clericis. 11. de iudic.

b l. vn. ff. ne quis iurisdic. non ob. c. 1. vn. C. qui pro sua iurisd. ind.

sim auxiliũ ferre [c], non molestiam vllã inferre debeant. Quare clerico, quamuis triplici iudicis secularis edicto vocato, nihil nocebit ad eius tribunal non veniſſe, dum quomodocumque eidem iudici conſtet, aut aliàs notorium ſit, clericum eſſe eum, qui non venerit. Quin, & ſi clericus ſua ſe ſponte ſiſtat coram iudice laico, non tamen laico magiſtratui iuriſdictionem in clericum tribui exiſtimãdum eſt: quia, licet vnuſquiſque priuilegio ſuo renunciare poſſit, non propterea clericus, quod vniuerſo clericali ordini indultum eſt, ſua renunciatione auferre, aut abrogare [d] poteſt.

c el. Epiſcopale C. de Epiſc. audie

d c. ſignificaſti de cleric. coniugat.

§. vnic.

Si verò clericus, ſuppreſſo fori priuilegio, ſe à iudice laico condemnari patiatur, quamuis ad eludendum iudicium malitioſe, doloq. malo fori exceptionem ab eo omiſſam fuiſſe probabile ſit, ac valida conſequenter laici iudicis ſententia eſſe videatur, iuris ratione ſuadente [e], malitiam hominum tolerandam non eſſe; priuilegij tamen ſuppreſsionem, quoquomodo factam, tacenti clerico (quandocũque eius ſtatus incertus non ſit) minime nocere, nullumq. huiuſmodi iudicium eſſe pronunciamus, cum, nec loquẽs [f], nec volens, ſecularis tribunalis iuriſdictioni ſubijci poſſit.

e l. 32. ff. de rei vendic.

f dd. cap. ſignificaſti, & in diligenti.

CAP. II.

CLericus, qui priuilegij ſui immemor, in interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis iudicis laici iuriſdictioni conſenſerit, præterquam, quòd iudicium, tanquam ab incompetenti iudice [a] factum, nullum erit, ab ordine etiam, in quo fuerit conſtitutus, arbitrio noſtro ſuſpendatur.

a c. ut fi clericis, ext. de iudic.

CAP. III.

QVod, ſi, eum clericum eſſe liquido conſtiterit, & per apparitores iudicis ſeculares ducatur in carcerem, impune ab eorũ manibus abſtrahi poſſe, declaramus, quia, ſcilicet, præſumendum ſit, factam ab ipſis clerico iniuriam, vimq. illatam propria auctoritate, non autem iubente iudice talem facultatẽ non habente, cùm etiam iure Cæſareo [a] executoribus omnibus vetitũ ſit clericos vexare, aut vlla afficere moleſtia. Ideo, quoniam clericum ad carceres temere rapiens, delinquit, pœnaſq. delicti ſacris conſtitutionibus dare cogitur, nõ intelligitur [b] deliquiſſe, qui clericũ, etiam per vim, in libertatẽ vindicauit.

a l. omnes, §. præterea nullus, C. de Epiſc. & cler.

b l. 2. in fin. ff. ne quis eis, qui in ius vocatus eſt, vi eximat.

CAP. IV.

ET, ne clerici hoc priuilegio abutantur, iuxta ſacri Tridentini [a] Concilij decretum, nolumus, prima tonſura initiatos, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutos, eodem fori priuilegio gaudere, niſi beneficium Eccleſiaſticum obtineant, aut clericalem habitum deferentes, alicui Eccleſiæ mãdato noſtro inſeruiant, vel in ſeminario, aut in aliqua ſchola, aut vniuerſitate, de licentia noſtra, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos, verſentur.

a ſeſſ. 23. c. 6. §. in etiã ſi ſtatu, de reform.

CAP. V.

SI de debito, quod mortuarium vulgò dicitur, inter parochum, & defuncti hæredẽ laicum oriatur quæſtio, tametſi appareat, parocho eo nomine actionem tantum perſonalem competere, quam planè conſtat ex quaſi contractu oriri, qui cum defuncto potiùs, quàm cum hærede initus [a] intelligatur: attamen, quia dubium non eſt, quin mortuarium ſit quid ſpirituale, cuius debitum, non ſolum pro ſepeliendo cadauere cõtrahi videtur, ſed & referri debet ad pias preces, quæ ad ſalutare animæ defuncti remedium Deo à parochis porrigi conſueuerunt, iudicium hoc ad eccleſiaſticum iudicem ſpectare pronunciamus, non autem ad ſecularem.

a l. 1. & ſeq. tit. ff. de relig. & ſumpt. fun. l. qui in vxorem. C. de negot. geſtis.

De libelli oblatione. Tit. III.

CAP. Vnic.

QVANQVAM in libello perſonali requiratur cauſa, vt reus reſpõdere poſſit, qui alioquin reſpondere [a] non tenetur, attamen, ſi in rem actio intẽdatur, cauſæ expreſsione opus non eſt, ex quo enim rem meam eſſe dico, omnes cauſæ vnica petitione comprehenduntur: nam, licet vna res pluries mihi [b] deberi poſſit, nihilominus non amplius, quàm ſemel res illa mea eſſe poteſt.

a c. vlt. ext. eod.

b l. ab eadem. 6. actione. ff. de except. rei iud.

§. Vnic.

Etſi in libello nomen actionis exprimere [c] non oporteat, volumus tamen, in eo factum adeò clarè proponi, vt ex eo facile ius cognoſci poſſit: ſi ſecus conceptus fuerit, libellus reijciatur, vt iterum, & clarior fiat.

c c. dilecti, ext. de iud.

De mutuis petitionibus. Tit. IV.

CAP. Vnic.

SI Laicus ex tranſactione coram Vicario noſtro generali contra clericum perſonalem actionem intentet, ſeque exhibeat clericus, quod pactus eſt, integrè præſtiturum, dummodo laicus quoque ad implendum, quod ex mutua conuentione debet, viciſſim compellatur, eaque de re a Vicario contra laicum ſententia feratur, quamuis ille fori [a] incompetentiã excipiat, ad ſatisfaciẽdum tamen, quantùm ex trãſactione tenetur, iure cogatur, quia reciprocus [b], mutuuſq. contractus reciprocum, mutuumq. requirit

a l. 2. C. de iuriſdict. omnium iud. b l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt. & vendit. l. 1. & diuerſa. C. de tranſact. l. quero. in fin. locatori, ff. locati.

requirit iudicium, nec poteſt laicus tranſactorum quidquam à clerico conſequi, niſi, & ipſe, quæ clerico promiſerit, ſe integre ſimul ſeruaturum exhibeat.

De litis conteſtatione. Tit. V.

CAP. I.

IVDICIVM eſſe non intelligitur, vt dictũ eſt [a], niſi, poſtquam lis cõteſtata fuerit, ideo facta conteſtatione, ne iudiciũ illuſorium euadat, etiam, qui exceptionem peremptoriam opponit, litem conteſtari debet [b], niſi exceptio ſit litis finitæ [c], videlicet, tranſactionis, aut rei iudicatæ, quibus addimus iuramentum, cùm tranſactionis [d] ſpecies ſit, maioremque habeat auctoritatem, quàm res iudicata: proinde finem litibus iuramento imponi mandamus, quem imponunt tranſactio, & res iudicata.

a ſup. d iud. c. 1.

b c 2. eod. lib. 6.

c c. 1. eod. lib. 6.

d l. 2. & 3. ff. de iureiur.

CAP. II.

SI iubeat Vicarius noſter, litis cõteſtationem coram ſe factam, quaſi non ſufficiẽtem, iterum fieri, imminet periculum ei ex litigatoribus, qui Vicario morem gerere voluerit; vt ex mora nouæ conteſtationi interponenda in pœnam [a] contumaciæ aduerſarij petitioni ſuccumbat; non vtique, quòd duplici culpa ad condemnandum contumacem opus ſit; ſed, quia prior contumacia eius condemnationi ſufficere non videatur. Ideo Vicarij partes erunt omnem adhibere diligentiam, ne actum agatur, nec ſine cauſa repetatur; quod magnum litigantibus incommodum afferre poſſit. Immo ita ſe habeat, vt quàmciti ſſimè [b] forenſes controuerſiæ ad finem perducantur.

a l. perluſorio, §. quoties. ff. de appell. l. d ea re, §. qui taceut. ff. d interrog. in iure fac.

b l. 3. §. 1. ff. de recep. arbit.

Vt, lite non conteſtata, non procedatur ad teſtium receptionẽ, vel ad ſententiam definitiuam. Tit. VI.

CAP. Vnic.

ETSI iudex ante litis conteſtationem, nec teſtes recipere, nec ſententiam ferre poteſt, attamen, quia ex noſtris diœceſanis complures autumnali tempore, aut in Galliam, aut in Belgium, aut in Italiam, in aliaſq. orbis partes abire ſolẽt, ſi propter eorum [a] abſentiam dũbium ſit, an rei in iudicium deducendæ probatio haberi poſſit, licet lis conteſtata nõ fuerit, examinari teſtes iuxta iuris diſpoſitionẽ, vel, vt aũt, formiter, citato eo, cuius intereſt, permittimus: ſententiam tamen ante litis conteſtationem ferri prohibemus, niſi verè cõtumax reus ſit: contumacem autem eum eſſe dicimus, in quem, cum directa ſit actio, malitiosè latet, vel impedit, ne in ius vocetur, aut ad eum citatio perueniat, vel peremptoria citatione accepta, venire in ius negligit, contra quem omnia iura clamant.

a c. significasti, ext. de teſt.

De iuramento calumniæ. Tit. VII.

CAP. Vnic.

REQVENS vitium in forẽſi negotio eſt, vt nõ ſolũ ij, quorum valde intereſt, & domini ſunt rerum, de quibus in iudicio controuerſia vertitur, ſed & eorum procuratores in cauſarũ patrocinio adeo pertinaces ſint, vt eas etiam iniuſte defendere, ac ſuſtentare, non erubeſcant: cui temerario conſilio, ſacro [a] præſũte legislatore, obuiam ire cupientes, non ſolum dominos litium, qui principales vulgò appellãtur, ſed & eorum procuratores de calumnia iurare mãdamus, vt, [b] contemptã iuriſiurandi religionẽ, acerrimum vltorem Deum habere ſciẽtes, ipſamq. [c] calumniã, qualiſcũq; ea ſit, impunitã non relinqui, periurij periculo [d], ac pœna deterriti, ab illicitis patrocinijs abſtineãt, iuſtaſq. tantummodo cauſas ſibi defendendas ſuſcipiant. Procuratorem tamen in quauis cauſa, ſiue ſpiritali, ſiue temporali, ad iurandum neminẽ admitti volumus, etiamſi mandato ampliſſimo fulciatur, niſi [e] præcipuam iurandi in animam ſui principalis habuerit facultatem, cum, ſcilicet, bona fide, non autem animo calumniandi, rem in iudicium deduxiſſe.

a c. 2. §. procuratores, eod. tit. lib. 6

b l. 2. C. de reb. credit. & iureiur.

c l. 2. §. 2. ff. Si mulier. vitiosum.

d l. nam ſufficit. ff. de dolo malo.

e l. Iuſiurandum, §. vlt. ff. de iureiur.

De dilationibus. Tit. VIII.

CAP. Vnic.

CERTVM eſt, præcipitem ſententiam (qua ferè nihil in iudicio pernicioſius eſt) iuſtæ appellationi locũ facere, ac iudicentium exiſtimationi non parum nocere. Propterea, quamuis in ius vocatus, ac reſpondere negligens, in pœnam [a] contumaciæ, ex qua inducitur tacita cõfeſſio, condemnatus ſit, vt ſuperius [b] diximus: attamen, ne nimis feſtina, atque præceps ſententia videatur, iudex, antequam in ea cauſa aliquid pronuncier, cõcedat reo dilationẽ, temporiſq. ſpatiũ abſentiæ ſuæ cauſam offerendi, atq; imminentis [c] cõdemnationis, ſi legitime poterit, periculũ auertendi. Imò, ſi intra tẽpus ſibi præfixũ adeat iudicẽ, eumq. abeſſe repe-

a l. d. Antonianus. ff. d re iudic. in integ.

b ſup. c vn. vt. lite non conteſt.

c l. & poſt eam. ff. de iudic. l. cum ſecundum. C. quando & quand. ad.

riat, aliam habeat dilationem, qua se eidem redeunti sistere possit, ex cuius absentia damnum sentire non debet, præsertim, cùm ab eo contumaciæ suæ remedium expectare præsumatur.

De Ferijs. Tit IX.

CAP. I.

QVANDOQVIDEM ex feriatorum dierum distinctione acta quoque iudiciaria distingui solent, vtrũ, scilicet, valida sint, nec ne, ad ferias transeamus, quarum aliæ ad humanam quietẽ pertinent, aliæ diuinæ maiestati, & Sanctorum veneration dicatæ sunt, aliæ verò extraordinariæ, quasi extra ordinem [a] indictæ, à Macrobio [b] imperatiuæ, à nostris verò interpretibus [c] repentinæ dicuntur, quod repentè per magistratus indicantur: quæ ad hominum quietẽ sunt inuentæ, rusticæ, ac publicæ, ac nundinæ vocantur, ac propter rem rusticam ob publicam vtilitatem conceduntur, scilicet, pro colligendis frugibus. Ad Dei, & Sanctorum honorem constitutæ solemnes [d] appellantur; vt, quæ cum omni reuerentia, ac pietate celebrari debeant [e]: Quare, & iudicijs, & mercaturæ, & seruilibus operibus omnino eximuntur, vt homines eo tempore à terrenis negotijs ad rerum cælestium contemplationẽ traducantur. Solemnibus ferijs renunciare non possunt litigantes in quouis actu, siue is iudicialis sit, siue extraiudicialis, quia sunt iuris publici, quod à solo [f] Principe remitti potest, neque ad solam requiem corporum, aut animorum relaxationem, decretæ sunt, sed, vt [g] liberius meditationi, diuinis officijs, & orationibus vacare liceat.

CAP. II.

DVbitatur, an in causis beneficialibus, vtpotè, si agatur de electionibus, postulationibus, prouisionibus, dignitatibus, personatibus, officijs, canonicatibus, præbendis, alijsq. Ecclesiasticis beneficijs, aut de decimis, matrimonijs, viuris, & id genus causis, quarum iudicia ex constitutione [a] Clementis Quinti procedere debent simpliciter, de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, feriarum sit habenda ratio. Dicimus nos, eã constitutionem minime obstare, quin diebus ad honorem Dei, & Sanctorum institutis, atque ijs, qui in nostra diœcesi solemnes sunt, ab omni forensi negotio, etiam beneficiali, abstinendum sit, nullumque pronunciamus quodcumque, aut per processum, aut per sententiam, diebus feriatis actum fuerit, quãuis in causis practicis simpliciter, ac sine strepitu, & figura iudicij, procedere iudicem oporteat [b]; sunt nihilominus necessariæ probationes, & legitimæ defensiones admittendæ, sicut etiam citatio, præstatioq. iuramenti calumniæ, vel de veritate dicenda. Quod, cùm sine iudiciali strepitu esse non possit, id feriali tempore fieri omnino [c] prohibemus. Liceat tamen iudici, non pro tribunali, hoc est in actu iudicandi, sed priuatim, vt de causæ titulo, ac qualitate doceatur (quod informare vulgò dicitur) partes audire.

CAP. III.

IDem plane dicimus, locum habere in alijs omnibus actibus extraiudicialibus, in quibus iudicialem strepitum quiescere oportet, præsertim, vbi iuramento opus sit. Quamuis enim ea, quæ voluntariæ iurisdictionis sunt, videantur etiam feriarum tempore agi posse, vt adoptare, emancipare, manumittere, excommunicare, absoluere; vbi causæ cognitio non requiritur; contractus inire, instrumenta scribere, testamenta facere, tutores, & curatores dare, datos amouere, alimenta constituere, ventris nomine, vel legatorum, & causa damni infecti, possessionem dare: attamen, quia [a] peccant hæc tempore feriato facientes, huiusmodi actus omnino interdicimus, sed & iam consummatos, nisi vrgeat necessitas [b]; aut, aliud fieri Christiana postulet pietas, irritos eos, ac nullos esse declaramus.

CAP. IV.

VErùm, quoniam, præter ferias à sacris [a] canonibus imperatas, etiam solemnes sunt in vnaquaque diœcesi, quæ ab Episcopis indictæ fuerunt, si quæratur, cuius loci feriæ celebrandæ sint, an, scilicet, vbi iudices ius dicunt, aut vbi litigantes domicilium habent, dicendum est, feriatorum dierum vsum ad locum iudicij omnino referendum esse, cùm in sententijs ferendis, ac iudicialibus negocijs tractandis, in primis spectari debeat stylus [b], ac consuetudo locorum, vbi iudicia exercentur, non autem, vbi litigantes habitent, ne actorem, ac reum duplicibus ferijs, nempe suæ regionis, & loci iudicij, quandoque vti contingat, quod plane absurdum esset.

CAP. V.

VTque manifesti sint dies, quibus in nostra diœcesi ab omni strepitu iudiciali, ac seruilibus operibus, & mercatura, abstinendũ sit, præter ea, quæ in Gregoriana [a] sanctione continentur; a quibus, ne vnguem quidem discedendum; hos esse dicimus (præter illos, qui sanctissimo nomini Iesu, eiusq. corpori glorioso dicati sunt) Sanctorum, scilicet,

Iacobi

Iacobi Archiepiſcopi Tarantaſienſis, Chriſtophori, Ioannis Baptiſtæ decollati, Petri Archiepiſcopi Tarantaſienſis, Mauritij, Martini, Catarinæ, Nicolai, Thomæ martyris, ac denique dedicationis Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, qui in diem vigeſimum quintum menſis Octobris quotannis recurrit.

§. vnic.

Alij autem, quibus iudicia poſſunt licite exerceri, ſolemnizantur tamen in eadem noſtra Eccleſia ex veteri, pioq. inſtituto, ſunt Sanctorum, Blaſij, Georgij, Margaritæ, Marthæ, Auguſtini, Coronæ Domini.

De ordine cognitionum. Tit. X.

CAP. I.

a l. per minorē, ff. d iud.

QVIA ex minore cauſa nullū [a] maiori cognitioni inferri debet prejudicium, ſi criminalis, quæ ciuili maior eſt, & eò grauior, quò grauius exiſtimatur [b] crimen, in ciuilem inciderit, de criminali prius [c] diſceptandum fuerit, de ciuili poſterius. Si verò vtraque ſimul finiri poterit, vtrāque eodem iudicio terminari debere, dicimus: ſufficit enim, nullū fieri criminali actioni præiudicium, quod nequaquam fiet, quandocumque vtraque eiuſdem ſententiæ finibus concludi poſſit, immo, & æquius, & commodius id exiſtimandum fuerit, cùm boni iudicis partes ſint, litibus, & iurgijs, quantò citius fieri poteſt, finem [d] imponere.

b l. 1. C. de his q. accuſ. non poſſ. c l. fi de vi ff. de iud. l. 9 certus ff. ad l. Iul. de vi pub.

d l. 3. §. 1 ff. de recept. arbit. c. vlt. in fi. ſup de litis conteſt.

CAP. II.

SI coram iudice laico de contractus iurati executione, vel reſciſſione agatur, nempe, quia talis videatur, vt ſublato, vel non adiecto iuramento, reſcindi poſſit, quoniam iuſiurandum intelligitur ſequi [a] naturā actus, cui apponitur, nec augere obligationem, aut mutare conditionem conſenſus, ſed ei inter ſuos limites manenti addere tantummodo religionis vinculum, Vicarius noſter inhibeat iudici laico, ne vlterius progrediatur, ſed ſuperſedeat, donec iurans, vt agere, & excipere poſſit, abſolutionem ab Eccleſiaſtico iudice obtineat: qua impetrata, quoniam eccleſiaſticus iudex ſuo functus eſt officio, laicus de viribus contractus cognoſcere poterit.

a Abb. poſt Bar. Bald. & alios ad c. cum contingat de iureiur. nu. 14.

CAP. III.

QVamuis de ſtatu matrimonij cognoſcere ad ſolum [a] iudicem Eccleſiaſticum pertineat, attamen, ſi oriatur quæſtio de ſtatu perſonæ, an, ſcilicet, quis ex iuſtis nuptijs procreatus, aut illegitimus ſit, ea lite pendēte, poteſt iudex laicus ventrem, vel iam editum partum, in poſſeſſionem bonorum præſumpti patris mittere, vel ad famis [b] periculum declinandum, ventri, vel partui alimenta decernere, dummodo ſibi aliquo modo cōſtet, eum, qui talis [c] proponitur, illius patris filium eſſe: quod quidem, etiam ab eodem iudice [d] laico ſummatim cognoſci poſſe non eſt dubitandum.

a c. tuā, ext. eod. c Iator, ext qui fil. ſint legit.

b l. 1. §. ſi generaliter ff. de ventre in poſſ. mitten.

c d l. 1. §. fi ex, quæ in poſſeſſ.

d d. l. 1. §. cauſæ cognitio, verſ. ſimatim, ff. de Carb. edict.

De cauſa poſſeſsionis, & proprietatis. Tit. XI.

CAP. I.

BENEFICIO ſpoliatus ante omnia reſtituendus eſt [a]. Verùm, ſi de petitorio ſimul agi patiatur, nec proteſtetur, velle ſe prius decidi poſſeſſionis quæſtionem, eodem ſanè iudicio (ſi cætera concurrant) poterit vtraque controuerſia finiri. Quod tamen intelligimus, vt ſuper ſpolio prius iudicetur, & iudicati executio [b] fiat, deinde agenti petitorio, ſi vincat, eadem res, & poſſeſſio reddatur. Fieri ſiquidem poteſt, vt ſpoliatus vincat in cauſa poſſeſſorij, vincatur [c] verò in iudicio petitorij: namque in poſſeſſorio ſufficit agenti probare iam adeptam poſſeſſionem [d], in petitorio autem dominij probatio requiritur.

a c. 1. c. fi. nec. in Ittersit, ext. de reſtit. ſpol. c. ſi per ſpoliat. ext. de ord. cogn. l. fi dvi ff. de iudic.

b l. 3. C. de interd. l. ordinarij, C. de rei vendi c. vic. ext. eod.

c c. cum Eccleſia Suſrina, ext. eod.

d §. commodum Inſt. de interdict.

CAP. II.

SI verò ad retinendam beneficij poſſeſsionem agatur, & partes petitorij cauſam attigerint, nec etiā proteſtatæ fuerint, quòd, vt aiunt, confortandi potius, quàm abſoluendi poſſeſſorij cauſa id egerint (poſsūt [a] namque litigatores in iudicio quoque poſſeſsionis retinendæ allegare titulum, & attingere petitorium confortādi poſſeſſorij cauſa) poſſeſsionis cognitio extincta intelligitur, nec reſtat niſi, vt de proprietate à iudice pronuncietur, niſi actor huiuſmodi iudicium omittere, aut in aliud tempus differre velit, quod quidem abſque dubio [b] facere poteſt.

a Guid. Pap. q. 72.

b l. naturaliter. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.

De reſtitutione ſpoliatorum. Tit. XII.

CAP. I.

CLERICVS, qui beneficij poſſeſſione ſpolietur eo prętextu, quòd canonice inſtitutus non ſit, antequam de viribus inſtitutionis in iudicio agatur [a], in priſtinum poſſeſsionis ſtatum reſtituatur, non ſolùm, quoad proprietatē, ſed & quoad fructus [b] à proprietate dependentes à ſpoliato tempore ſpolij non perceptos. Quorum liquidatio, ſi diutius protrahatur, & ſpoliatus vrgeat, petatque reſtitui, ſpolians, poſt-

a c. 1. ext eod.

b c. grauis & paſſim alibi, ext eod. c. Epiſc. reintegr. 3. q. 1

quam absque mora soluerit quod liquidatum appareat, pro residuo debiti, si quid fuerit, idonee caueat [c], se congruo loco, & tempore, quod debet, integre soluturum: rationem [d] etenim loci, & temporis debitorem habere oportet, vt, quod soluit, rite, ac rectè solutum esse, sustinere possit.

c l. statu lib. 1. seruus lib. 2 fed. ff. d. sta. lib. 1 fi. mãdata Titij ff. mandati. d l. mora ff. de vsur. l. 39 ff. de solut.

CAP. II.

QVi alieni beneficij fructus, vt suos, locauerit, sui, scilicet, beneficij, quod tamen suum non sit, possessorem beneficij fructibus spoliare intelligitur, ac quidem violẽter, quamuis nulli aperte vim intulerit: neque enim [a] ius tantùm fieri dicitur, cum persona læditur, sed &, cum quis rem, etiam propriam, aut quomodolibet sibi debitam, priuata, non publica auctoritate, occupat. Vis autem [b] infertur ab eo, qui, inuito domino, beneficij eius possessionem inuadit: quod, si domino ignorante fiat, spoliatio est, non tamen violenta, sed clandestina, clam, scilicet [c], domino facta, nec ei denunciata metu controuersiæ. Vtroque casu spoliatus restituendus est.

a l. erat ff. de eo, quod met. cau.

b l. 1. § quid si vi aut cli factum ff. qd vi aut clam.

c l. 1 § clam factum ff. qd vi aut clam.

De dolo, & cõtumacia. Tit. XIII.

CAP. I.

QVANDOQVIDEM [a] competentis iudicis imperiũ detrectans dolo carere non dicitur, licet clericus personali actione ad seculare tribunal vocatus, neque contumax sit, neque præsumptæ contumaciæ expensas farcire teneatur, si incompetenti se magistratui sistere negligat (cuius factum infectum [b] censetur) attamen, quia eousque porrigitur ecclesiastica potestas, vt seculari etiam iurisdictioni subiectos, ex matrimonialibus, vel vsurarijs, vel alijs, nec paucis, nec leuibus causis, in ius vocare, iudicare, & coërcere possit, quicumque ex laicis ad Ecclesiasticum tribunal, etiam sine causæ expressione, vocatus, respondere nolit (quamuis fori præscriptione [c] iuuari, ac vocantis iudicium forsitan declinare possit) vt contumax, nihilominus, facriq. fori contemptor, condemnandus est.

a l. non põt. l. qui vetãte ff. d reg. iur. l. inuitatis, § 1 quis ff. de iniur.

b l 1. C si a non competẽte iud. primi Cire. tenta. defunct. c

c l. fin. ex alienæ ff. de iud. l. 2. ff in ius voc. vt cant.

CAP. II.

CONtumax autem dici non potest, siue fuerit personaliter vocatus, aut citatus, siue per edictum [a], etiam peremptorium [b], si eius aduersarius itidem contumax fuerit. Siquidem aduersario sufficere debet, vt, neque contumacia impunita remaneat, neque grauius etiam, quàm æquum sit, puniatur. Quid enim aliud exigimus, nisi, vt contumacia, nec prosit contumaci, nec noceat aduersario? cùmque nemo ex alieno delicto lucrum sentire debeat, satis est [c], si nec sentiat damnũ.

a c. vlt. eod.
b l. de vno quoque. l. cõtumacia ff. de re iud.

c Item, si, § aliquando ff. quod met. cau. l. dominus, in fi. ff. locati. l. homine ff. mandati.

CAP. III.

DVbitatum non immeritò fuit, an verè contumax appellare possit, cùm nulla adsit lex, quæ verè contumacem audiri permittat. Nos tamen dicimus, ipsum appellare posse, non tamen, nisi refectis expensis, quarum refectio purgare contumaciam videtur, ideoq. huiusmodi expensæ præiudiciales non improprie nuncupantur: sed, si non appellauerit intra tempus legitimum à die notitiæ computandum, sententia in rem iudicatam transiuisse intelligatur.

De eo, qui mittitur in possessionem rei seruandæ causa. Tit. XIV.

CAP. Vnic.

IN odium dolosi, & contumacis litigatoris aliquando mittitur quis in possessionem, rei seruandæ, seu custodiẽdæ gratia. Verum, quoniam per eam missionem constituitur ius aliquod in beneficialibus, vt rei profanæ in pignore [a], Vicarius ante omnia diligenter animaduertat, quod oportet de eo, qui mittendus sit in possessionem beneficij controuersi, etiã si eius seruandi causa tantùm mittatur: namque in beneficialibus, sicut in profanis, non potest aliquid obtinere [b] in possessorio, qui re ipsa non possidet; quod fieri nequit, nisi per corporalem possessionem. Ideo dici solet, meliorem esse conditionem possidentis. Vnde, quamuis tutius forsitan fuerit tertio non litiganti huiusmodi possessionem commendari; attamen, ne diuinus cultus aliquid detrimẽti patiatur, dicimus, cognosci debere de possessorio, dariq. possessionem, cui id oneris magis conuenire videatur sine petitorio vllo præiudicio.

a l. non est mirum §. 1. ff. de pignorat. actione.

b l. cum hæredes ff. de acquir. poss.

Vt, lite pendente nihil innouetur. Tit. XV.

CAP. I.

QVAMVIS verè, ac propriè lis pendere non dicatur, nisi cõtestata sit, quemadmodum alibi [a] indicauimus, attamen, vt circa hoc nullus dubitandi locus relinquatur, inhærendo constitutioni Clementis Quinti [b], dicimus, litem pendere statim, atque citatio legitime facta peruenerit ad partem aduersam, vel per eam partem steterit, quo minus perueniret.

a sup. cap. 1. de iud.

b Clem. 2. eod. ut quæ incipit Cum lite peruenerit.

CAP.

CAP. II.

CItatione verò facta, & lite conteſtata, nihil valere dicimus, quod factum fuerit altero ex litigantibus inſtante, inſcio iudice, (cuius [a] arbitrium poſt litis conteſtationem neceſſarium eſt) ac non conſentiente aduerſario, etiam, ſi vocatus fuerit, ne iudicis auctoritas neglecta impunè eſſe videatur. Sed, ſi aduerſarius vocatus non fuerit, alia ratione inualidum cenſeatur, quodcumq. eo abſente geſtum ſit, cùm ad [b] omnem actum vocari debeat, qui inde damnum ſentire poteſt. Si verò inter litigantes aliquid tranſactum ſit, etiam inconſulto iudice, vtique illud valere certum eſt: nihil [c] enim vrgere magis debet iudex, quàm, vt controuerſiæ finem habeant.

a l. quod, ſi adhic. §. ſed hoc ſic cenſet ff. de edilit. edic.

b l. nã ita. ff. de adopt. l. etiã §. vlt. ff. de minoribus.

c l. 1. §. inde quæritur. ff. de oper. nouiciat.

De ſequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum. Tit. XVI.

CAP. I.

SEQVESTRATIO, licet ſemper fuerit odioſa, & regulariter [a] prohibita, ſi quis tamen habens titulum, etiam coloratum, petierit ſequeſtrationem, cæteris concurrentibus, audiri poterit, non item, ſi nullum habeat titulum, ne vitioſus ad beneficiũ detur ingreſſus, quod [b] quidem permittendum non eſt. Namq. in beneficialibus poſſeſſio nulla eſſe intelligitur, quam nullus [c] præcedat titulus adeo, vt, qui beneficium ſine inſtitutione, ſaltem colorata, poſſidet [d], grauiter peccare dicatur. Caueat tamen Vicarius noſter, quantùm liceat, ne beneficiorum fructus, ſeu poſſeſſio, ſequeſtrentur: publice ſiquidem intereſt, certos eſſe beneficiorum poſſeſſores, quo diuino cultui plenius ſatisfiat, reſque ad beneficia ſpectantes meliùs, ac faciliùs conſeruentur. Quapropter, cùm rerum omnium (vt diximus) ſequeſtratio odioſa ſit, bonorum beneficialium eſt procul dubio odioſiſſima.

a tot. tit. C. de prohib. ſequ. pecul.

b c. 1. de reg. iur. in 6. cum litteris, vbi Abbas ext. de reſtit. ſpol. ac. c dd. capp. 1. & in litteris. d c. dudum. 2. de elect. lib. 6. can. nemo, & ca. nullus 2 q. 3.

CAP. II.

SEqueſtrationem, ſiue poſſeſſionis, ſiue fructuum, quamuis nulla iuris auctoritate fulcitam, reuocari prohibemus, niſi citato, & audito eo, ad cuius fauorem facta fuerit: quod multò magis dicendum eſt, vbi de fauorabili executione iudicati agatur, præſertim, cum petitur, vt in ea ſummariè [a] procedatur: nullum enim eſt iudicium tam ſummarium, in quo non ſit pars citanda, cùm ſine reo [b] conſiſtere non poſſit, immò, ſi victor ſatisdationem offerat (potiſſimum, ſcilicet, remedium ad impediendam ſequeſtrationem, quæ conceditur tantummodo, vt res contentioſa intuto ſit, quod [c] præſtat, & ſatisdatio) non eſt propterea reuocanda ſequeſtratio, ignorante aduerſario, quamuis victo, cuius intereſt, vt vocetur, atque audiatur.

a l. à Diuo Pio §. ſi rerũ. verſ. ſed ſciendũ eſt. ff. de re iud. b cap. forus ext. de verb. ſignific.

c l. 1. §. 2. ff. vt legat. ſeu fideicommiſſ. nomine caueat.

CAP. III.

SI verò is, qui liberaliter fideiuſſit pro penſione; quam ex fructibus alicuius beneficij ſoluere debet reſignatarius nulla, aut modicâ alia bona poſſidens, & in ſolutione eiuſdem penſionis ceſſans; fructus beneficij ſequeſtrari pẽterit, audiendus eſt, præſertim, ſi debitori obtulerit ſatisdationem de præſtando, quodcumque debitoris ipſius intereſt, ſi male ſequeſtratio, vel ſine cauſa facta probetur, cùm ſatisdatio pleniſſimam [a] tribuat indemnitatem, & ſecuritatem. Contra, ſi debitor fideiuſſori idonee cauerit de ſoluendo penſionem, ſequeſtratio non erit concedenda, cùm eam petenti ſatis cauetur ſit remedio [b] ſatisdationis, & multò minus, ſi reſignatarius in eo ſtatu fuerit, vt, interdictis ſibi fructibus beneficij per ſequeſtrationem, non ſine dedecore ſacri [c] ordinis mendicare cogatur.

a l. 1. ff. qui ſatisd. cogãt. l. ſi quis libertatem. ff. de pecul. leg. l. 1. & ſoc. ff. qui ſatisd. cogã.

b d. l. 1. & ſoc. ff. qui ſatisd. cog. c. 1. ext. eod.

c ſup. c. 13. de temper. ordinat.

CAP. IV.

QVandocumque [a] fructus litigioſi fundi dilapidentur ab illo, qui, vt illos cuſtodiret, in poſſeſſionem eiuſdem fundi miſſus fuerit, erunt fructus non conſumpti ſequeſtrandi, aliuſq. idoneus ſequeſtratarius eligendus. Quod & dicendum eſt, ſi reus poſſeſſor litigioſi fundi, nulla data cautione, à ſententia, qua ſe grauatum ſentiat, appellauerit, reique poſſeſſæ fructus diſſipauerit: poſſunt enim licitè ſequeſtrari, ac multò magis, ſi conſtet, illum, poſt motam litem fructibus vſum fuiſſe aliter, quàm conſueuiſſet in prima inſtantia, vel antequàm lis moueretur. Sed, quamuis nullus etiam appareat fructuum abuſus, dubium verò ſit, eos à poſſeſſore, ſi in iudicio ſuccumbat, facilè recuperari non poſſe, nihilominus ſequeſtrari [b] poterunt, niſi ipſe de eorum conſeruatione idonee cauerit, quod quidem recuſare non debebit, eo prætextu, quòd, cum ab initio non ſatisfecerit, obligatio ſatisdationis [c] ſibi remiſſa videatur: etenim ex noua cauſa ad ſatisdandum iure compelli poteſt, cum cuilibet actui ineſſe virtualiter intelligatur clauſula [d]: rebus ſic ſtantibus: hocq. ne [e] detur materia delinquendi.

a c. vlt. eod.

b Rota dec. 12. p. recent.

c l. vlt. in princ. vt legat. nom. caueat.

d l. ſi mater §. eandem cauſam ff. de excep. rei iud.

e arg. l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetrauer. l. meminerint. C. vnde vi.

De confeſsis. Tit. XVII.

CAP. Vnicum.

EX legali trito axiomate, vbi de confeſſione agitur, nullæ ſunt iudicum partes, niſi ad condemnandos confitentes: nihilominus, ſi quis in publicis actis, Priorem, aut Decanum quemuis nominauerit, licet confeſſio [a] alias induci ſoleat in damnum confitentis, hoc tamen, cùm limitandum ſit in beneficialibus, vbi neceſſarius eſt titulus (cuius collatio à confitente non pendet) eam nominationem, ſeu confeſſionem, nullum tribuere ius ita nominato declaramus.

[a] c. cum. de confeſſ.

De probationibus. Tit. XVIII.

CAP. I.

ONVS probandi [a] affirmanti, non autem neganti, incumbit: attamen, ſi quis ſolemniter factum aliquid negauerit, id probare tenetur [b]. Ideo, qui in ſupplicatione contineri, quantum in litteris Apoſtolicis exprimitur, negauerit, ſupplicationis exemplum ex Romanæ curiæ regiſtro deſumptum exhibeat, vt cum litteris collatum oſtendat, an earum narratio, atque expeditio amplior ſit, quàm eſſe debuerit.

[a] l. affi. cod.

[b] l. ab ea parte. ff. eodem.

CAP. II.

ITem, ſi de filiatione oriatur quæſtio, an, ſcilicet, is, qui filius dicitur, in quaſi poſſeſsione filiationis fuiſſe probetur, & aduerſarius negauerit, eum filium eſſe eius, de quo contenditur, nulli dubium eſt, quin, ſaltem hoc caſu, transferatur onus [a] probandi in aduerſarium, ſi ille habitus ſit, & tractatus [b] vt filius, ab ijs, quos ipſe viciſsim, vt parentes, obſeruaſſe, & coluiſſe, dicatur, cùm generalis regula ſit, vt, qui in quaſi poſſeſsione cuiuſuis rei conſtitutus reperitur, in ea conſeruari, &, vt aiunt, manuteneri [c] debeat, donec contrarijs aduerſarij probationibus inde deijciatur, præſertim fauore matrimonij, quod in libera muliere [d] iure ciuili conſtare præſumitur, cùm concubinatus, & Pontificio, & Cæſareo iure vetitus ſit, quamuis Cæſareo non puniatur.

[a] vt not. ad l. non nudis & ad l. non epiſtolis C. eod.

[b] l. 1. §. 1. vbi Bart. ff. de quæſt. & ad. l. non nudis Alciat. 1. præſumpt. c. 19.

[c] l. moueor C. ſi ſeruus vendic. vtin.

[d] l. in libera ff. de ritu nupt. l. ſi vicinus, C. de nupt. Author Anonymus ff. lib. 1. c. 12.

CAP. III.

CVm probatio tituli clericalis ſit quid [a] ſpiritale, per ſolam ſcripturam vtique probari debet, non autem per teſtes, niſi, ſcripturam periiſſe conſtet, nec eius exemplum haberi poſſe à cancellario eius Epiſcopi, à quo probare intendens, ſe characterem clericalem ſuſcepiſſe, affirmet, quo caſu probatio per teſtes [b] admitti poteſt. Nec litteris de clericatu fidem facientibus credi volumus, niſi ab Epiſcopo, qui dixeretur clericatum contuliſſe, fuerint ſubſcriptæ, eiuſque ſigillo munitæ, vel, niſi clericus probet, aliter obſeruari in illa regione, in qua clericatum habuit: conſuetudo [c] enim hac in re, vt in alijs pleriſque, conſideranda eſt. Quo verò ad eos, qui à nobis ordinati dicuntur, niſi litteras manu noſtra ſubſcriptas exhibuerint, ſe in iudicio nihil probaturos, ſciant.

[a] c. ſi iudex laicus de excommun. in 6.

[b] l. teſtium facultatem. 5 vlt. C. de teſtibus.

[c] l. 2. ibi ſecundum leges, moreſq; locorum. C. teſtam. quæ adm. ap. c. l. 5. 6. vlt. ff. de teſtibus.

CAP. IV.

IDem quoque ſancimus in omnibus alijs litteris, quas ſubſcribere ſolemus: nam, licet ſigillo noſtro munitæ apparuerint, attamen, ſi manu noſtra non fuerint ſubſignatæ, in iudicio nullam fidem eas facere volumus eò, quòd ſigillum etiam per fraudem [a] apponi illis potuerit.

[a] l. 2. C. de rebus alien. non alien. l. vlt. C. plus val. quod agit.

CAP. V.

NEque beneficij poſſeſsio ex eo probari dicitur, quòd pater eius, qui beneficium poſſediſſe aſſeritur, fructus eiuſdem beneficij aliquot ante annis collegerit; licet collegiſſe probetur, vti legitimus adminiſtrator: nam [a], quamuis fructuum perceptio probare ſoleat poſſeſsionem, in beneficialibus tamen pater [b], nec eſt legitimus filij adminiſtrator, nec beneficij vſufructuarius, nec in huiuſmodi cauſis filiusfamilias ſequitur [c] ius patriæ poteſtatis magis, quàm in ijs, quæ ad ius publicum [d] ſpectant, quod conſiſtit in magiſtratibus, in ſacris [e], & ſacerdotijs.

[a] l. 48. ff. de ſolution.

[b] c. vlt. in fi. de rud. in 6.

[c] d. c. vlt. d. l. ni. quod in priori. ff. ad Trebell. l. quippe ff. de iudic.

[d] l. 1. §. publicum iur. ff. de iuſt. & iur. Ariſtot. lib. 3. Polit. c. 15 & li. 6. c. vlt. & lib. 7. cap. 10. & 12.

CAP. VI.

HOmicidium, aut aliud quoduis delictum, ex caſu fortuito excuſare qui intendit, caſum ſemper probare tenetur: nam in criminalibus reus, etiam excipiendo, actor fit, & intentionem ſuam [a] probare debet, poſteaquam actor ſuam probauerit. Siquidem in delictis fieri non poteſt, quin dolus præſumatur, donec, vel fortuitus caſus, vel alia allegatæ innocentiæ ratio [b] probetur; immò dolus magis, quàm caſus, præſumitur.

[a] l. 2. l. in exceptionibus. ff. eod. l. 1. C. ad l. Corn. de ſicar.

[b] d. l. 2.

§. vnic.

Sic, qui fundat actionem ſuam in tempore ſiue actor, ſiue reus is ſit, tempus vtique, & præciſe probare debet, tanquam fundamentum ſuæ intentionis, quam vnuſquiſque ſemper [c] probare compellitur.

[c] d. l. 2. & l. veritas eod. l. 4. C. de eden. l. actor. C. hoc tit.

De

De teſtibus, & atteſtationibus. Tit. XIX.

CAP. I.

QVANDOQVIDEM ſcriptum eſt[a], labia ſacerdotis cuſtodire ſcientiam, hoc eſt iuſtitiam[b], & veritatem, ſacerdos, neque in iudicio, neque extra, ſacramentalem confeſſionem ſibi factam propalare poteſt, aut quauis de cauſa reuelare, etiam ſuperiore ſuo iubente, qui id iubere nequit. Si verò aliquid dixerit confeſſarius, tanquam non dictum cenſeatur, tum, quia eiuſmodi teſtimonium illicitum, ac temerarium, ſacrisq. canonibus[c] iniurioſum eſt, à quibus ſingulari vocabulo, ſecretum, confeſſio appellatur, hacq. conditione fidei, ac conſcientiæ confeſſarij creditum intelligitur, ne diuulgetur[d]; tum, quia non ſit credendum, ſacerdotem ſcire, tanquam hominem, quæ illi, tanquam ſpeciali Chriſti redemptoris Vicario, pareſacta[e] ſunt. Neque expedit reipublicæ, tale admitti teſtimonium, ne fideles deterreantur à ſuorum peccatorum confeſſione, ac iuſto quidem timore, ne, ſcilicet, eorum dicta, facta, & cogitata publicentur.

a Malachiæ cap 2.

b 13. can. ſacerdotibus 11. quæſt. 1.

c cap. cum dilectus extra de exceſſib. prælator.

d l. 1. §. qui tabulas ff. depoſ.

e d. c dilectus, vbi Abbas.

CAP. II.

VNicus teſtis, quamuis non ſufficiat, etiamſi præclaro curiæ honore[a] præfulgeat, vel præſidiali reſplendeat dignitate[b]; poteſt tamen, licet vnus ſit; ad teſtimonium admitti, ſi de proprio facto deponat[c], vel in cauſa[d], cuius exitus, qualiſcumq. futurus ſit, nihil ſua interſit.

a l. hæriſiſcandi in fin. C. eod.

b c. 49 ext. eod. can. admonere. 33. q. 1.

c Salicet. ad l. ſi quis Decurio, C. ad l. Corn. de falſ. Alexand. conſ. 197. n. 3. lib. 7.

d Cravetta conſ. 220. n. 8. lib. 1.

CAP. III.

NOn admittitur item, quoad eius fieri poteſt, teſtimonium de auditu, quia teſtis deponere debet, quod certò ſcit, quodq. oculis, vel alio corporeo ſenſu percepit, ita, vt conſtet, ei compertum[a] eſſe id, de quo teſtimonium dicit. Admittitur tamen aliquando in cauſis matrimonialibus, dum, ſcilicet, de[b] conſanguinitate, aut affinitate agitur, quārum gradus, cùm ob humanæ vitæ breuitatem viſu probari omnes quandoq. non poſſint, teſtis de fama deponens non reijcitur. Dantur & alij caſus, quibus, ſi perdifficile, vel impoſſibile ſit, haberi poſſe teſtimonium de viſu, teſtis de auditu admittatur, vt, cum de probanda poſſeſſione, aliaue re immemorabilis temporis agitur: tunc enim admittendum eſt teſtimonium eorum, qui à maioribus, vel ſenioribus, quod quæritur, ſe accepiſſe aſſerant, eo præſertim tempore, quo ſuſpecta eſſe non poterat eorum teſtificatio, nulla, ſcilicet, mora, vel mouenda lite, tametſi hodie, ſi[c] viuerent, fortaſſe ſuſpecta eſſet: ideo, cùm alioquin vix reperirentur, qui immemorabilem poſſeſſionem probare poſſent, eius probatio tantò fauorabilior eſt, quantò difficilior, & quantò potentior eſt hæc præſcriptio, quæ[d] vituli vim habet: nam & ob hanc vnam potiſsimùm cauſam iudices domeſtica teſtimonia contra iuris[e] regulam admittere ſolent, quādo aliter, quàm per domeſticos teſtes, veritas haberi non[f] poſſit.

a cap. teſtes. 3. q. 9. & cap. 17. eod. arg. l. 1. teſtis verſ. præterea ff. eod.

b d. c. 47.

c arg. l. 6 arbitrer. ff. de probation. l. 1. §. ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æſt. l. 1. §. vlt. ff. de aqua pluu. arcen.

d l. 3. in fin. ff. de aſtim. & repelluntur, ext. de accuſat. cum accuſatores 5. q. 5. cap. 24. ext. eod.

e l. 3. vbi not. C. eod. l. 1. & tot. tit. ff. ad S. C. Syllan.

f c. 7 ext. eod.

CAP. IV.

INfamis quoque[a] infamia iuris notatus à dicendo teſtimonio repellatur, dummodo[b] ex cauſa legum auctoritate infamiam irrogante condemnatus, vel infamis expreſſe declaratus ſit: ſin autem nulla extet ſententia, ſicque non iuris[c], ſed ei facti tantùm infamia obijciatur, nempe, quòd furtum, vel quid ſimile commiſerit, tametſi ita diffamatus exiſtimationis, ac famæ iacturam faciat, non tamen à dando teſtimonio repellatur. Iam verò exhibenda omnino fuerit ſententia, quæ contra accuſatum lata eſſe dicatur, vt, quæ non teſtibus, ſed ſcriptura probari debeat, niſi ſcripturam perijſſe legitimè conſtiterit.

a c. 7 ext. eod.

b l. infamé. ff. de publ. & tot. tit. in princ. & §. 1. ac poſt. l. 1. ff. de his qui not. infam.

c l. 1. §. leg. Iulia ff. eod. l. 31. cum leg. ff. qui teſtam. fac. poſſunt.

De teſtibus cogendis, vel non. Tit. XX.

CAP. Vnicum.

EXPEDIT reipublicæ, vt in quauis cauſa, ſiue ſacra, ſiue profana, ſiue ciuili, ſiue criminali, ne res in incerto ſint, veritas eluceſcat. Quamobrem, ſi quis in ius vocatus, vt de alicuius negotij, vel rei ſtatu teſtificetur, vocanti obtemperare neglexerit[a], excommunicationis gladio feriendus eſt, ſicut & impediens[b]; aut quouis modo prohibens, teſtimonium dici. Nec excuſatur negligens, quòd ea de re teſtimonium[c], ſe non dicturum iurauerit, cùm iuramentum, quamuis aliàs validum, non intelligatur[d], valere, niſi ſalua ſuperioris auctoritate. Ideo, quoniam[e] iure cauetur, iuramentum contra bonos mores præſtitum ſeruandum non eſſe, quodcumq. actui ob publicum commodum vetito[f] adiectum fuerit, inane, odioſum, prorſusque inualidum eſſe certum eſt, vtique non ſine cauſa, ne, ſcilicet, religionis fides iuramenti abuſu periclitetur, &, ne parentiore via ad humana negotia fraudes irrepant, quarum frequentiſsimis periculis, quanta maxime induſtria, & ſtudio fieri poteſt, occurrendum[g] eſt.

a cap. 2. ext. eod.

b cap. cum cauſam ext. de teſt. huic. c. cū inſinuante cōſtitutio ext. de teſtibus. d c. 23. ext. de iureiur. l. vlt. ff. ad mun. cap. e c. non eſt obſtaculo 12. q. 2. de reg. iur. in 6.

f cap. ſi diligenti ext. de foro cōpet. cap. ad Apoſtolicam ext. de reg. iur. l. 1. in publicum ff. de pact.

g l. ſi cui abiit per medias vias, ff. de ſeruitut. l. in tendo, ff. de rei vend. c. 1. in fin. ext. de poſtul.

De

De fide instrumentorum. Tit. XXI.

CAP. I.

ESTSI ducali lege omnis publica scriptura in Allobrogum regione, hodie Sabaudia nuncupata, idiomate Gallicano, in Pedemontana verò Italico confici debeat: nos tamen, nihil in auditorio nostro, nisi latino sermone, confici volumus, cùm sit communis omnibus fere gentibus, & Romæ, quæ omnium nationum domicilium, communisq. patria dicitur [a], publica omnia negotia non, nisi latino sermone, expediantur: nempe, quia plura Concilia, constitutiones pontificiæ, legesque, tum ciuiles, tum canonicæ, latinè conscriptæ sunt, sed, & ne pereat lingua, qua potentissimus populus orbis terrarum dominus, & loqui, & suas leges condi voluit, quæq. adeo pretiosa visa est, vt Ecclesia sacris Biblijs latinitate donatis in primis vtatur.

[a] l. Roma ff. ad municip.

CAP. II.

QVoniam in visitatione nostræ diœcesis complures reperimus à prædecessoribus nostris institutos esse, tam ad beneficia simplicia, quàm ad animarum curam habentia, in eorumq. existere possessione, nullis suarum prouisionum litteris exhibitis; quia, scilicet, vt ipsi asserunt, penes cancellarium curiæ nostræ Archiepiscopalis existant, mandamus, vt nemo in posterum ad actualem, aut realem beneficij possessionem, admittatur, nisi litteras manu, sigilloq. nostro, aut nobis absentibus, Vicarij generalis nostri, subscriptas, & munitas, exhibeat. Si verò intra mensem à die datæ incipiendum confectæ non fuerint, & penitus expeditæ, declaramus, beneficium, tamquam iure vacans, alteri conferri posse. At, si per cancellarium steterit, quominus prouiso litteræ exhibeantur, nihil pro mercede tibi debita in alia, quæ subsequetur, prouisione accipiat, quin, & viginti quinque nummis aureis, locis pijs applicandis, mulctetur.

CAP. III.

AT, si litteræ fuerint expeditæ, & substantiali aliquo vitio laborent, vt pluries obseruauimus, inspiciatur registrum, vt, si in eo nihil desideretur, inde litteræ corrigantur: verum, si registrum fuerit pariter defectiuum, cùm grauior error sit, qui fit circa substantialia, & consequenter periculosior, substantiales errores esse declaramus, si in prouisionis litteris non dicatur, prouisum fuisse examinatum, idoneum repertum, professionem fidei emisisse, &, si prouisio sit de ecclesijs parochialibus, siue vacauerint per obitum, siue per renunciationem in manibus nostris liberè factam, non exprimatur post propositum edictum fuisse factum concursum. Si autem & in registro, & in litteris fuerint ista omissa, dicimus, beneficia vacare, nisi prouisus grauissimorum virorum, & præcipue examinatorum synodalium testimonio, illa omnia facta fuisse probauerit, sed, vel cancellarij culpa, vel quomodocumque, fuisse prætermissa: quo casu nouæ litteræ, facta probatione, expediantur.

CAP. IV.

DIgnitatum, ac beneficiorum in nostra diœcesi existentium, diplomata, seu prouisiones, vt vulgò appellantur; summi Pontificis collatione expeditas, ijs, qui eas impetrauerint, ad capiendam beneficiorum possessionem nihil profuturas declaramus, nisi à nobis, aut generali Vicario nostro, aut alia legitima persona, fuerint examinatæ, atque admissæ, vt, si obreptitiæ, aut subreptitiæ reperiantur, executione careant, nullæq. remaneant [a], ac, si impetratæ non fuissent, donec nullitatum impedimenta sedis Apostolicæ nouis prouisionibus auferantur.

[a] l. quoties ff. qui sa. sd. cog. l. a ff. de auctor. tut.

CAP. V.

MAgistratus nostri, siue ecclesiastici, siue laici, vt Vicarius, seu officialis generalis, iudex appellationum, iudex ordinarius, bailiuus, vicebailiuus, procurator fiscalis, curiales, mestrales, hoc est apparitores, seu executores, &, si qui fuerint, maiores, aut minores officiales, vel ministri, à quocumque (etiam à nobis ad hoc sufficiens mandatum habente) constituti, nec nobis viuentibus, nec vita functis, aliquid salarij ab hæredibus nostris accipere possint, nisi litteras, quas vocant patentes, exhibuerint manu nostra, & secretarij nostri subscriptas, & sigillo maiori, quo in eiusmodi expeditionibus vti solemus; munitas.

De præsumptionibus. Tit. XXII.

CAP. I.

IVDEX, actor, & reus testium, instrumentorum, aliarumve scripturarum adminiculis destituti, ad præsumptiones, vt opportuna remedia, confugere solent, quamquam præsumptio, vere, & proprie loquendo, probationis nomine minime comprehenditur, quemadmodum, & iusiurandum, cùm neutrum horum necessario probet,

probet, licet [a] probationis vim vtrumque obtinere aliquando videamus. Quocirca dicimus, ſolas præſumptiones non ſufficere, vbi [b] probatio formalis, & præciſa requiritur. Si vero hinc inde adſit præſumptio, dubium nō eſt, quin maior [c] vincat minorem: effectus verò maioris, aut fortioris præſumptionis eſt [d], probandi onus transferri in aduerſarium.

a l. ſi duo, in princ. & l. cum qui ff. de iureiur.
b l. Lucius ff. de condit. & demonſt. Alciatus in tract. de præſumpt.
c l. cum de indebito ff. de probat. l. Neratius ff. de negot. geſtis.
d l. al. menta C. de negot. geſt. l. in chirographis ff. de probat.

CAP. II.

SI Laura ex Aſcanio, ſe prægnantem dixerit, nec vlla ea de re adſit probatio, niſi, quantùm de Aſcanij erga Lauram beneuolo animo præſumi poſſit, quia, ſcilicet, eius domum frequentaret, eique præ cæteris fœminis blandiretur, magiſq. placere ſtuderet, dubitatur, an ſit Lauræ credendum. Nos aſſerenti mulieri hoc eſſe credendum dicimus, ſi Aſcanius ſit ſolutus, non item, ſi vxorem habeat, ne ex vnius fœminæ ſimplici dicto ſuſcitetur calumnia matrimonio, & de adulterio ſuſpicio generetur. Sed, ſi Laura præſumptioni iuramentum adiecerit, niſi aliud Aſcanius probauerit, quamuis vxorem habeat, credendum erit, verùm eſſe, quod Laura aſſeruerit, neque enim deſunt coniugati, qui ſolutis incontinentiores, non vna contenti vxore, licet forma præſtantiſſima, alias mulieres indiſtincte, atque impudenter, ſolicitent.

CAP. III.

QVamuis iuris vtriuſque interpretum [a] vniuerſalis opinio ſit, ex his, quæ ſigna ſunt imminentis adulterij, ac præparatoria vocantur, argui adulterium, & ob oſculum luxurioſum, aliaſque illecebras, mulierem perinde priuari dote, ac, ſi adulterium commiſiſſet: nos tamen illam in noſtra diœceſi minime locum habere volumus, niſi in ipſo congreſſu venereo, vel vt ait lex Solonis, & Draconis, quam Pomponius [b] iuriſconſultus refert, ἐν ἔργῳ, ideſt in ipſo opere, quaſi non otioſus vir cum muliere deprehenſus eſſe poſſit. Nam, cùm magna ſit inter mares, & fœminas de more gentis apud nos familiaritas, & conſuetudo ita, vt vxores ſuas oſculari, & tangi etiam mariti præſentes minimum ducant, nec, vt plurimùm, aliud inde ſequatur ſcandalum, præſumptio de laſciuo oſculo omnino leuis videtur, ita, vt propoſitio, aut regula, qua aiunt, ex præparatorijs adulterij præſumi adulterium, nullius ſit momenti, claris etenim, & certis probationibus opus eſt in criminalibus, & odioſis, nec aliter irrogantur [c] pœnæ, præſertim in ijs, quæ ad [d] adulterium pertinent; & cùm leges de adulterio expreſſe loquantur, non debent ad oſculum, quantumuis luxurioſum, extendi, ne ex duriore extenſione infligatur priuationis [e] pœna, quæ habere locum non debet, niſi in caſibus à iure expreſsis.

a d. l. ſi duo in princ. & l. ſi quis ff. de rel. & ſumpt. fun. Dec. ad reg. de iudic. lect. 2. ext.
a ad Heb 6.
b l. 1 ff. eod.
c d. l. 1. & 2. eod.
d l. non erit §. data l. nā poſteaquam in princip. l. alias, & alibi ff. eod. l. iuſiurand. in fin. C. eod.
e l. 1. in princ. ff. quarum rerum act. non det. f d. l. iuſiurandum circa princ.

De iureiurando. Tit. XXIII.

CAP. I.

QVONIAM iuramentum (vt ait Apoſtolus [a]) omnis controuerſiæ finis eſt, magnumque [b] ad expediendas lites remedium, habet vim [c] rei iudicatæ ita, vt, poſtquam delatū, præſtitumq. fuerit, quæri non poſsit, niſi, quòd iuratum ſit [d], ne, repetita lite, finis negotij alterius cauſæ fiat exordium. Qui igitur aduerſarium iurare patitur, omnibus allegationibus renunciare creditur, quæ ante iuramentum opponi, iuriſque iurandi præſtationem impedire, aut remorari potuiſſent. Facit enim aduerſarium [e] iudicem in cauſa propria, qui iuramentum defert, aut refert, idcirco parum tutus [f] dicitur, qui iuſiurandum refert.

CAP. II.

IVramentum verò oblatum ab eo, qui intentionem ſuam teſtibus, aut inſtrumentis, aut alijs ſcripturis, probare intendit, reuocari poſſe non ſolùm, poſteaquam oblatam iurandi conditionem aduerſarius ſuſcepit, ſed in ipſo etiam iurandi procinctu [a], manifeſtiſſimi iuris eſt. Ob id nimirum, quia nihil actum fuiſſe videtur, quandiu aliquid [b] ſupereſt agendum, licet dici ſoleat: id, quod in procinctu eſt, vt fiat, pro facto [c] haberi debere, vnde de periurio, aut ſaltem de peierandi voluntate videtur argui poſſe iurare paratus, ac ſi iuraſſet; ſed verum eſt, iuratum non eſſe, potuiſſeq. illum, qui, ſe ad iurandum paratum ſimulabat, voluntatem mutare, & noluiſſe amplius iurare: neque enim ſola ſuſcepti iuriſiurandi voluntas ſufficit.

a ſi quis iuſ. iuradum C. eod.
b l. ſi quis, & l. penult. in fin. C. de his, quibus ve indign.
c l. prouid. ff. de teſtam. milit.

CAP. III.

SI probata vita, ac fama requiritur in eo, qui in aliena cauſa [a] teſtimonium dicturus eſt, probus item, atque integer multo magis eſſe debet, qui in [b] propria iudex conſtituitur. Quare, infamem, cùm iurare non poſſit, nec iuramentum deferre permittimus, alioquin referendi facultas adimeretur ei, cui fuiſſet delatum, nec ad iurandum cogi poſſet, dum [c] iuramentum referre non poſſet. Equidem periurij pœna, præterquam quòd Deum [d] vltorem habet acerrimum, eius etiā criminis reum infamem [e] facit. Curigitur iuramenti deferendi facultatem dabimus ei, qui ex iam contracta infamia periurij pœnam paruipendere didicit?

a l. 13. in princ. § leg. Iul. & l. quæſtum ff. de teſtib. l. teſtium C. eod.
b d. l. 1. a ff. quarū rerū act. nō datur.
c l. in fi. ſup. hoc tit.
d l. manifeſtiſſimi ff. eod.
e l. 2. C. eodem.
f l. ſi quis maior C. de tranſact.

CAP.

CAP. IV.

a Guid. Pap. q. 140. Feuer. de Sent. excom. 190. Ancharanus consil. 272. Alex. consil. 223. lib. 2.

SVnt [a], qui putent, absolutionem à nexu iuramenti, quamuis ad solum effectum agendi danda sit, dari non posse, nisi citato aduersario eius, qui absoluendus fuerit. Nos tamen dicimus, huiusmodi absolutionem, etiam non citato aduersario, dari legitimè posse. Hæredi verò non esse necessariam absolutionem, nec quidem, vt agere possit, manifestum est: quamuis enim hæres eadem persona [b] cum defuncto esse intelligatur, ad inducendam tamen periurij exceptionem, iusiurandum est adeo proprium, & personale, vt nullatenus [c] ad hæredes transeat. Verùm, si beneficium absolutionis petatur, non modò, vt aiunt, ad effectum agendi, sed etiam, vt simul tollatur obligatio ex iuramento contracta, & omnino ipsius contractus vis euanescat, cùm agendum sit de iustitia, & veritate, & absoluta rescissione contractus; absolutionem, nisi parte in ius vocata [d], concedi prohibemus.

b l. hæredē l. nihil ff. de regul. iur. l. vlt. C. de inst. & instit.

c c. veritatis, vbi Innoc. Hostie. Abbas, & alij ex eod. deducitur. & est communis opinio teste Dec. in cap. qua fronte de appellat. Sylu. in verb. de iureiur. quæst. vltim. Guid Pap. d. q. 140. & 223.

CAP. V.

MAior hæsitatio est, an ebrium, qui iurauit, à præstito iuramento absolui oporteat. Et quidem, cùm videatur æquiparari furioso, mentisq. compos non esse, dum ebrius est, magis quam furiosus (qui licet adsit, per omnia, & in [a] omnibus abesse [b] censetur) dicendum esset, nequaquam eum absolutione indigere. Quomodo enim consentiet, qui [c] sentire non potest? aut cùm [d] iudicium sit vnum ex tribus comitibus iuramenti, quo iudicio homo ebrius iuramentum non suscipere, aut præstare potest? Tutius tamen dicimus esse, dari ebrio absolutionem, tùm, quia, plerosq. ebrietatis gradus reperiri compertum est, atque ideo non facile conijci posse, an vsque adeo ebrius fuerit, qui ebrius allegatur, vt iudicio prorsus caruisse credatur, tùm, quia agitur [e] de animæ periculo, quare dubitare nequimus, ne nimis magna diligentia videri possit, quæ adhibetur, vt res in [f] tuto sit.

a l. 2. §. penult. ff. de iur. codicill. l. si vnius §. filiofamilias ff. de iniur.

b l. vbi non voce & tacito fuit ff. de reg. iur.

c l. si cribro §. vnius ff. de opt. leg.

d Hier. 4. & can. 22. quæst. 2. can. vir 32. q. 4. S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 3.

e arg. c. 2. de pacif.

f arg. l. quo circa ff. de verb. oblig.

CAP. VI.

CVm iuramentum sit assumptio diuini nominis ad confirmandam iurantis fidem (vt [a] sanctus ait Augustinus, cui consonum est, quod dicit Apostolus [b], Testis est mihi Deus) & ad asserendam religionem, ac venerationem, quæ cœletti maiestati, in cuius verba iuratur, maxime conuenit, qui super sacrosancto Missæ canone, aut sanctis Dei Euãgelijs, iurare debebit, curet Vicarius noster, vt cuiuscumque ille dignitatis, & conditionis sit, flexis genibus iuret, priùs admonitus de grauitate, ac periculo iuramenti, quamque impium, & turpe sit in periurij alea connivere. Nam, præter summam infamiam, qua periurum aspergi certum est, sciat, quicumque tanti [c] criminis reus fuerit, se temeritatis suæ acerrimum vltorem ipsum Deum habiturum. Nec tamen, si ea solemnitas seruata non fuerit, nec pars aduersa conquesta, inualidum fuerit iuramentum, ita, vt ex eo non possit sequi sententia, præsumendum etenim erit, ab aduersario, solemnitatem illam fuisse remissã. At, si iam delatum iuramentum à parte, omnino remitti [d] posse receptum est, quid obstat, quòd solẽnitas etiam remitti non possit?

a epist. 119. de nup. fil. cap. quod libet cap. 49. b ad Rom. c 1. de [illegible] & hæc ea ipsa cod.

c l. a C. eodem l. non sufficit ff. de dolo malo.

d vt cap. 2. sup. hoc tit.

De exceptionibus. Tit. XXIV.

CAP. I.

EXCEPTIONEM fori, cùm sit declinatoria, & consequenter dilatoria [a], opponi ab initio mandamus, hoc est, antequam lis contestata [b] sit. Si verò vocatus, etiam laicus, iudici se competenti sistere negligat, contra eum, tanquam contumacem, procedi permittimus. Ex quo enim non respondet, prorogat [c] iurisdictionem, quam postea declinare non potest.

a l. exceptionem C. de probat.

b l. a. 4. vlt. & l. 3. ff. de exception.

c vt cap. 1. sup. de dolo, & contum.

CAP. II.

PRocuratoria verò exceptio, quæ ex mandati defectu peremptoria [a] appellatur, quandocumque opus fuerit, & in quacumque [b] instantia, opponi potest: Secus dilatoria, quæ personam [c] procuratoris, non autem mandati qualitatem respiciens, neque in prima instantia post litis contestationem, neque in causa appellationis, opponi permittitur, cum appellatio, licet sententia executionem suspendat, contestationem tamen non extinguit, immo rem totam ad iam contestatæ litis terminos reuocat.

a l. licet C. de procur.

b l. ei non dum l. præscriptionum C. de excep. c. 4. ext. de procur.

c l. ita demum C. de procur.

De præscriptionibus. Tit. XXV.

CAP. I.

SOLA Romana [a] Ecclesia centum annorum præscriptione gaudet: aliæ verò, etiam, quæ immediatè à Romana dependent, quadraginta tantummodo, non autem minore [b] spatio: tantæ verò vtutur esse potestatis quadragenaria præscriptio, vt neque ex capite ignorantiæ, neq. ex qualibet alia causa in integrum restitutionem admittat, dummodo sit completa, quia plenissimam [c] tribuit securitatem. Nos tamen volumus, ignoranti dari restitutionem, siue de [d] re ecclesiastica, siue de profana, agatur,

a Nouel. 9. vt Eccl. Roman centũ ann. gaud. præscript. c. 13. & 14. extra eod.

b Canonist. ad c. quanto c. ad aures & cap. illud ext. eod.

c l. omnes d. eod.

d Abb. d. c. 13.

agatur, immo dicimus, lapſum poſt quadraginta annos quadriennium, quod ad petendã reſtitutionẽ datur; dum contra ignorantẽ cucurriſſe conſtet [e]; non nocere hæredi, neq. legatario, quia tẽpus illud fuerit ab initio vtile, neq. ignoranti currere debuerit, qui etiã poſt centum annos petere poteſt reſtitutionem in integrum. Si verò pro poſſeſſore lata fuerit ſententia, etiam minus iuſta (cùm [f] res iudicata pro veritate habeatur, ſi g ritè fuerit iudicatum) ſufficit tricenaria præſcriptio à die latę ſententię, dũmodo continuata fuerit poſſeſſio, nunquã impedita, nunquã interrupta, ita vt ille, etiã aduerſus Eccleſiam, tutus ſit.

e Rota diuerſ. 42. par. 3. lib. 1. & dec. 19. par. 3. lib. 2.

f Lex iudicem ff. de reg. iur. § 1. 4. 6. cõdemnati ff. de re iudicata.

CAP. II.

Priuilegia eccleſijs, vel quibuſcumque priuatis perſonis à prædeceſſoribus noſtris conceſſa, ſi conſtiterit in vſu non [a] fuiſſe per triginta annos ab eo tempore computandos, quo aliquis eorum vſus eſſe potuerit, nec tamen vllus fuerit, amiſſa, reuocata, ac nulla eſſe hac noſtra conſtitutione declaramus. Sed, quia vſum probare debet, qui intentionem ſuam fundat in vſu, procurator quoque noſter patrimonialis, quotieſcumq. non vſum allegauerit, non vſum probare tenetur, nam & negatiua; quandocumq. fundamentum [b] intentionis eſſe conſtet; probanda eſt.

a l. 2. ff. de mundiis.

b l. pen. §. docere vbi Bart. & alij quis eſt, qui in ius vocatus eſt, vt summar. c. 1. ſup. de probation a l. verum §. vlt. ff. de rebus dub. l. alumnæ §. ab hærede. ff. de odum. legat. b Tiraquel poſt alios priuil. 30. de priuileg. pia cauſa.

CAP. III.

Ex proportione oneris ſumenda eſt qualitas, ac quantitas [a] diſpoſitionis. Quare, licet verum ſit, obligationem penſionis annuæ legatæ terminari ſpatio [b] centum annorum, dicimus tamen, ad ea legata id non pertinere, quæ conſtiterit cauſam habere perpetuam: videlicet, ſi quid legatum ſit noſtræ, aut alteri eccleſiæ, aut monaſterio, ea conditione, vt quotannis fiat anniuerſarium, aut ſingulo quoque menſe, aut hebdomada, aut die pro legantis, vel eius parentum animabus, Miſſæ ſacrificium celebretur, aut aliud pro eius animæ ſalute in eccleſia fiat, quandiu [c] ſatisfactum fuerit ab eccleſia legantis voluntati, & legi impoſitæ, ei legatum deberi nemini dubitandum eſt.

c l. 2. C. de legat. l. 3. C. de condit. infer.

CAP. IV.

Laicos non poſſe decimas [a] detinere, neque vlla ratione præſcribere certum eſt, obſtante, ſcilicet, [b] iuris præſumptione: ſed dubium eſt de quota, decima nempe, iceſima, trigeſima, aliaue parte, an, inquam, conſuetudine tolli poſſit, & receptum eſt, tolli non poſſe in totum, reduci [c] tamen poſſe. Verùm maior hæſitatio eſt, quodnam tempus requiratur ad inducendam reductionem: putant nonnulli, ſufficere annos quadraginta: nos tamen dicimus, neceſſariam eſſe præſcriptionem immemorabilem, niſi conſuetudo, aut conuentio per Sedem [d] Apoſtolicam approbata intercedat: nam longitudo temporis, cuius non extat memoria, quoad quotam, videtur habere vim confirmationis.

a cap. 1. ext. de præſcript. prohib. b vt not. ad c. 2. ext. de ver. ſignif.

c Dia. Thomas 2. 2. q. 87. art 1. & Quolibeto 2 art. 8. & noſtri communiter ad c. in aliquibus ext. de decim.

d d. c. in aliquibus.

CAP. V.

Poſſeſſori triennali, ſi poſſeſſionis titulum habeat vitioſum, non ſuffragatur regula pro triennali poſſeſſore promulgata: ſiquidem in beneficialibus hoc vnum præcipue ſpectandum eſt, quòd vitioſus in ipſis non reperiatur [a] ingreſſus. Si verò titulum habeat inualidum, non propterea eius poſſeſſione priuandus eſt, ſed de tituli qualitate quærendum, &, ſi inualidus iudicetur, poterit ex noua gratia in poſſeſſionem conſeruari. Aliud eſt enim titulum habere inualidum, aliud vitioſum, hocque non magis in eccleſiaſticis, quàm in profanis rebus, alioquin nullum eſſet diſcrimen inter bonæ, & malæ fidei poſſeſſorem. Cum bonæ fidei poſſeſſor ſit, qui titulum [b] habet, licet inualidum, coloratum tamen: malæ verò fidei, qui vitioſum, aut nullum habet.

a cap. 1. de reg. iur. in 6.

b l. quemadmodi C. de agric. & cenſit. l. 1. 2.

CAP. VI.

Licet regula de annali poſſeſſore conſeruet poſſidentem, etiam nullum proferentem titulum, ac ne quidem coloratum ab impetrante, aliud tamen obſeruatur in regula de triennali, vt dictum eſt, quia hæc tribuit ius in beneficio, non autem illa, quæ excludit duntaxat impetrantem ob non expreſſas poſſeſſoris qualitates, neque tam in fauorem poſſeſſoris inducta eſt, quàm in odium malè impetrantis: attamen, ne locum habeat vitioſus [a] ingreſſus, poſſeſſor annalis, ſi poſtea titulum non exhibuerit, & quidem validum, poſſeſſione deijci poteſt.

a ſup. cap. prox.

De ſententia, & re iudicata. Tit. XXVI.

CAP. I.

Si Vicarius, aut alius cuiuſcumque noſtri Suffraganei iudex, competentem ſe iudicem, aut deſertam appellationem eſſe pronunciauerit, interlocutoria tantùm de vtraque re eius ſententia erit, ſed talis, vt vim habeat definitiuæ. Quocirca, ſi appellatum fuerit, debet iudex ille [a] appellationi deferre, ne quid in appellationis præiudicium contra auctoritatem tribunalis noſtri attentare videatur.

a vt in c. 4. ſup. de iud.

b l. vn. ff. nil nouari appellat. interpoſ.

CAP. II.

Pendente lite, cùm prouiſionalis fit adiudicatio, caueat Vicarius, aliuſque iudex noſter,

noſter, ne quid pro præterito tempore decernat, quod enim iam elapſum eſt, remedio, non prouiſione, opus habet, & ſententiæ definitiuæ propriũ eſt, vt de fructuum perceptorum reſtitutione iudicetur eo tempore, quo controuerſia principalis terminatur.

§. vnic.

Idem plane eſt, ſi de vſuris, ſeu de eo, quod intereſt, pendeat lis, vt condemnatio, ſi qua eo nomine facienda, in finem vſque litis, & iudicij differatur, præſertim, ſi id, quod intereſt, & vſuræ debeantur propter moram [a] duntaxat, & officio iudicis. Aliud enim eſt, ſi in obligatione ſint, & petantur [b] iure actionis. Si verò de monetæ augmento, ac qualitate agatur, cùm ſit pars debiti, tutius eſt in finem litis condemnationem reijci.

a l. 1. ſi per collationem §. 1. ff. de l. act. empt. & vend. l. quæſtio ff locat.
b l. 22. ff. de verb. ſignific.

CAP. III.

SI in prima inſtantia non fuerit petitum [a], quod actoris intereſt, ac pendente appellatione emerſerit, in cauſa appellationis peti poterit, quod antea non poterat: prius enim eſt, vt [b] quid debeatur, quàm, vt peti poſſit. Id tamen intelligimus, ſi appellatio ſubſiſtat, ac cauſæ cognitio ad nos, aut ad Vicarium noſtrum, deuoluta ſit: nam, ſi appellatio deſerta dicatur, ad inferiorem vicarium, à quo fuerit ad nos interpoſita appellatio, cauſa remittenda fuerit, cùm appellatio deſerta habeatur ac, ſi nunquam interpoſita fuiſſet: qui quidem inferior vicarius de eo, quod intereſt, in executione iudicati cognoſcere poterit, licet de eo nihil pronunciatum ſit, nam, quæ [c] de nouo emergunt, nouo indigent auxilio.

a l. vlt. ff. de re iudic. l. ſuæ gationem ff. de appell. l. pupilli ff. de tutor. & vſur.
b l. cedere diem ff. de verb. ſignif. l. ſi pupilli ff. de verb. obligat.
c l. de ſtatu ex cauſa ff. de interrog. act.

CAP. IV.

IVris Pontificij regula eſt, expenſas litis deberi victori, non quidem ratione victoriæ, ſed ob vicii temeritatem: ſed, ſi debitor debitoris à creditore creditoris conuentus, diu ſecum litigari paſſus ſit, priuſquam ederet inſtrumentum ſolutionis, cùm alleganti [a] ſolutionem, quæ facti [b] eſt, incumbat onus probandi, ſibi imputandum eſt, quòd debito tempore illud non ediderit, maximè, ſi ſtatim poſt editionem inſtrumenti creditor à lite diſceſſerit. Eo enim caſu; etſi pro reò ferenda eſt ſententia; actor tamen ad ſarciendas victori expenſas condemnari non debet, immo, ſi liquidò conſtiterit de dolo debitoris, ille ad omnes expenſas reficiendas condemnandus erit, hoc eſt, ſi dolo malo inſtrumenti ſolutionis editionem diſtulerit. Nam, qui ſemel fuit debitor, ſemper præſumitur debitor, donec probet ſolutionem, cùm obligatio legitimè contracta non, niſi [c] legitimis, & certis modis, diſſoluatur.

a l. 1. C. de probat.
b l. conſilio §. vlt. ff. de curat. furioſ.
c l. 46. §. placet ff. de ſolut. & l. fin. C. eod.

CAP. V.

EX delicto condemnatum expenſarum cauſa in carceribus detineri nolumus, ſed liberari iubemus, ſi omnino ſoluendo non ſit, quamuis expenſæ ſint taxatæ, ſalua tamen carcerum cuſtodis, hoc eſt vicebailiui, contra accuſatorem pro ſua mercede, actione. Verùm, ſi poſt taxatas expenſas ad pinguiorem deuenerit fortunam (ſiue clericus, ſiue laicus ille ſit) non prohibemus, quin iterum ex ea cauſa in carcerem trudatur.

CAP. VI.

CVm litis conteſtationis effectus ſit perpetuus [a], etiã ad perpetuandam actionẽ is, qui iniuſte litem conteſtatus eſt, minimè excuſatur à fructuum reſtitutione ob id ſolũ, quòd per actoris negligentiam, aut abſentiã, aliamve cauſam diu intermiſſa fuerit litis proſecutio, quoniam poſſeſſori, qui ſemel ex conteſtatione litis malam fidem contraxit, imputari exinde poteſt, cur eamdem moram, & malam fidem vltrò non purgauerit.

a l. vnica C. ex delict. defunct. l. omnes pariter l. conſtitutionibus C. de obligat. & actionibus.

CAP. VII.

SIcuti factum pro infecto haberi non poteſt, ita nec actum agere oportet, &, cùm executio ſemel facta ampliùs fieri nequeat, lata excõmunicationis ſententia alia executione non eget, quoniã ſententia excõmunicationis ſecum trahit ſuam executionẽ: quod adeò verũ eſt, vt, ſi ab ea fuerit appellatum [a], alia executio neceſſaria non ſit. Hinc vulgatũ illud, ſententiæ excommunicationis, ſiue illa ſit iuſta, ſiue iniuſta, eſſe obtemperandum.

a c. paſtoralis §. vlt. extr. de appellat.

CAP. VIII.

SI clericus pro debito condemnatus, aut in forma cameræ Apoſtolicæ obligatus, aut vigore inſtrumenti, vt aiunt, vulgò guarentigiati, quod idẽ prope eſt, nulla habuerit bona, præter beneficium eccleſiaſticum, eiuſdẽ beneficij fructus pignori capi poſſe dicimus, dũ ex illis ea pars clerico remaneat, quæ pro perſonæ qualitate ad ipſum ſuſtentandũ neceſſaria ſit, ne cum ſacri ordinis [b] dedecore mendicare cogatur. Quòd, ſi aliunde habeat, quantùm ad ſoluendũ ſufficiat, & nolit ſoluere, trudi poteſt in carcerem. Bonis autem omnibus [c] cedere, etiè, ſi velit, nõ permittatur [d].

a not. ad c. fin. de offic. ord. lib. 6.
b ſup. c. penul. in princ. de temp. ordin.
c c. ſi diligenti ext. de iure comp.
d c. Odoardus extra de ſolut.

CAP. IX.

FActa dominico, aliove die [a] in honorem Dei, aut Sanctorum feriato, executio vſque adeo nulla eſt, vt, ſi debitor, non tamen tanquam de fuga ſuſpectus, capiatur die feſto, tanquam male captus, carcere liberari debeat. ſed, ſi priuſquam in domum ſuam ſe receperit, vel commode recipere potuerit, rurſus capiatur, poſterior executio nulla ſit, quamuis facta die non feriato, cùm facta videa-

a c. vlt. in princ. ſup. de feriis.

videatur in fraudem legis, quæ, priorem executionem nullam eſſe declarat. Non enim videtur liberatus à carceribus, qui ſtatim ad carceres iterum compellitur: effectum ſiquidem habere debet executionis reuocatio, vt vitium omnino purgetur. Quia non tam, quid factum ſit inſpici oportet, quam, quid fieri debuerit.

b arg. l. qui ſe ſoluit ff. de ſolution.

c l. ſed licet ff. de offic. Præf.

De appellationibus, recuſationibus, & relationibus. Tit. XXVII.

CAP. I.

QVACVMQVE, etiam immemorabili conſuetudine, huiuſq. Prouinciæ ſtylo minime obſtante, quoad appellationes impoſterum ad tribunal noſtrum interponendas in quauis cauſa, ſiue illa ſacra ſit, ſiue profana, ſiue ciuilis, ſiue criminalis, ſiue mixta, ſiue ſpiritalibus annexa, inhærendo ſacræ Tridentinæ [a] Synodi decreto, volumus, non ſolùm in admittendis appellationibus, ſed etiam in concedendis inhibitionibus à Vicario noſtro, omnibuſq. à nobis dandis appellationum iudicibus, ſacrorum canonum, atq. Innocentianæ [b] conſtitutionis formam ad vnguem ſeruari, alioquin inhibitiones, proceſſus, omniaque alia, inde ſecuta nihil prorſus valere, quin & expenſas, tam ab eo, contra quem fuerit appellatum, quàm ab appellante, in ea cauſa factas, à Vicario, vel alio à nobis dato iudice, ſarciri legitime debere.

a Seſſ. 25. c. 3. de reform.

b cap. fin. eod. lib. 6.

CAP. II.

IDem Vicarius noſter, aut alius à nobis conſtituendus iudex, reum, qui ab aliquo ex noſtris Suffraganeis, aut eorum vicario, ad nos in cauſa criminali prouocauerit, poſt conceſſas legitimas inhibitiones, non priùs audiat [a], quàm ille acta primæ inſtantiæ produxerit, neque eum abſoluat, aut condemnet, niſi lectis ipſis actis, ac diligenter conſideratis. Quare vicarius, à quo fuerit prouocatum, (poſtquam notarius, ſeu cancellarius, eiuſdem tribunalis congruam ſuorum laborum mercedem perceperit) acta omnia eidē reo petenti intra dierū triginta ſpatium omnino exhibeant: alioquin Vicarius noſter, aut alius appellationis iudex à nobis conſtituendus, cancellarium, ſeu notarium, vt (accepta ſibi debita mercede) ad nos abſq. mora ea tranſmittat, opportunis iuris remedijs cōpellere non differat. Interim rei appellantis indemnitati, quantùm legibus permittitur, tribunalis noſtri auctoritate maturè conſulatur.

a Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3 de reform.

CAP. III.

QVoniam ſacroſancti Concilij Tridentini decreta ab omnibus ſeruari vehementer cupimus, curare in primis debemus, vt, ſicut a nobis in ſummo honore habentur, ita & à noſtris magiſtratibus obſeruentur, ne ſimus in eorum numero, qui, vt ait Dominus apud Matthæum [a], dicunt, & non faciunt, alijſq. onera grauia imponunt, nec ipſi digito volunt ea mouere. Ideo, cùm appellationes [b] ad tribunal noſtrum ab interlocutorijs ſententijs, vel alijs grauaminibus in cauſis noſtræ viſitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminalibus interpoſitas ante definitiuam ſententiam, etiam ſi à Suffraganeis noſtris, aut eorum vicarijs in ſimilibus cauſis fuerit ad nos appellatum, admittere non teneamur, niſi ea grauamina per definitiuas ſententias reparari nequeant; appellationes huiuſmodi, tamquam friuolas, admittendas non eſſe declaramus.

a cap. 23.

b Conc. Trident ſeſſ. 25. c. 1. fin. cum ſeq. de reform.

CAP. IV.

INſententia Suffraganei, vel eius vicarij, à quo clericus debitor condemnatus ad nos appellauerit, tametſi nihil dictum eſt de acceſſionibus, nempe de vſuris, aut de eo, quod creditoris intereſt, nihil tamen vetat, quin Vicarius noſter, qui ex appellatione ſententiam ferre debet, de ijs quoq. iudicare valeat, ſi ex natura propoſitæ actionis [a] venire in condemnationem debeant, præſertim, ſi tempore primæ inſtantiæ parua interceſſerit mora, adeo, vt nihil, aut parum, creditoris intereſſe videatur, magnum enim damnum eſſe non poteſt, vbi [b] modica intercedat temporis mora. In cauſa verò appellationis, ſi ob contractam longam moram appellantis culpa, & dilatam ſententiæ executionem damnum [c] euidens ſit, poterit, vel iure actionis, vel officio iudicis, clericus debitor condemnari ad omne, quod licitè creditoris intereſſe apparuerit: Nec enim purgari poteſt mora, poſteaquàm cœpit [d] actoris intereſſe, immo huc ſpectat, quod dici ſolet, iudici cuilibet ſtatim, atque iudex factus eſt, officium incumbere rerum omnium, quæ in iudicio verſantur.

a l. curor. ff. de viur. l. vlt. ff. de re iudicata l. negotiorum ff. de appell.

b l. ſi debitori ff. de iudic. l. & ſi poſt tres ff. ſi quis caut.

c l. ſi longis C. de exec. rei iudic. l. intra vnic. ff. de minor.

d l. & ſi poſt tres, & l. vtique ff. de recept. arbitr. l. ſi tria quis §. Seia ff. de verb. obligat. l. habiles & item ſcriendum ff. de adil. edict.

CAP. V.

SI clericus alicui ex noſtris Suffraganeis ſubditus ab executionis exceſſu ad nos appellauerit, inquirat Vicarius noſter, num executor fines mandati exceſſerit: &, ſi nihil probetur, executionem retardari nequaquam patiatur. Sed, ſi executorem in officio manifeſtè deliquiſſe deprehendat; correcto exceſſu, executionem vbicumque, ac quomodocumque opus fuerit, intra legitimos terminos continuari omnino iubeat. Si verò

appellans clericus appellationem intra tempus legibus definitum non proſequatur, Vicarij partes erunt, ne executio vlterius protrahatur, appellationem deſertam pronũciare. Quandocumq. autem, vel propter executionis exceſſum, vel deſertæ appellationis occaſione, huiuſmodi causã ad nos deuolui contingat, Vicarius de bono iure partium cognoſcat, quantũ neceſſe fuerit ad concedendã, vel corrigendam executionem, aut pronunciandum, vtrum appellatio deſerta fuerit, nec ne.

CAP. VI.

a c. 2. ſup. de iureiur. b l. penult. C. de paſt l. ſi iudex circumuẽto ff. de minor.

SIcut iuramentum aduerſario delatum remitti à deferente non prohibetur, quamuis ille in procinctu a iurandi fuerit (quia iuri ſuo quilibet b renunciare poteſt) ita, qui a ſententia appellat, appellationem remittendi quandocumq. facultatem habeat: ſed, ſi infra decem dies à die appellationis id egerit, & victor ob hanc cauſam aliquos interim ſumptus fecerit, victus eas expenſas reficere nequaquam teneatur, quia nullam dedit cauſam, vt fierent: cùmque illud decem dierum tempus liberum eſſet ad appellandum, & poſtquam eſſet appellatum, ad appellationem deferendam, parcendum fuerat ſumptibus, donec terminus ille tranſiret. Expedit enim reipublicæ, vt, quicumque appellationis ſuffragio renunciare voluerit, non reijciatur, dummodo id legitimo tempore faciat, hocque, vt tantò citiùs ſententiæ debitam ſortiantur executionem.

CAP. VII.

VIcarius, ad quem appellatum ſit dumtaxat ratione expenſarum, caueat, ne quidquam decernat in negotio principali: namq. appellatio non deuoluit cognitionem cauſæ ad iudicem appellationis, niſi, quantũ appellatum ſit, alioquin latius pateret effectus, quàm cauſa, quod eſſe non debet: immo, non tantùm, vt dici ſolet per modũ cognitionis, quidquam ſtatuere iudex appellationis non poteſt, verùm, nec per modũ executionis, niſi ex vtriuſq. partis conſenſu: ſi enim cõueniat inter litigantes, quid pronunciandũ ſit, id ipſum ſequi iudex a cogitur. Si autẽ ab exceſſiua expenſarũ taxatione fuerit appellatũ, ſemel b tantummodo appellatio admittatur.

a l. ſi conuenerit ff. de reiud. b Felin. c. quoad conſultationem num. 2. verſ. ſciat etiã de reiudic. Rot. dec. diuerſ. 100. par. 1.

CAP. VIII.

EAdem ferè ratione, ſi quis à ſententia plura capita continente generaliter, & indiſtinctè prouocauerit, aduerſario permittitur, vt ex eadem appellatione ſibi auxilium comparet, ſi forte ex aliquo ſententiæ articulo ſibi iniuriam illatam exiſtimauerit, (poteſt enim ſententia, quæ plura continet capita, dummodo a non ſint connexa, pro parte valere, & pro parte non valere) nec appellationem ſuã ſeparatim introducere, & proſequi b cogitur. Verùm, ſi appellans, in ipſo appellationis actu declarauerit, à quo ſententiæ capite appellet, non poteſt aduerſarius pro aliis eiuſdem ſententiæ capitibus non connexis eadem iuuari appellatione, ſed expreſsè c appellare tenetur.

a l. etiamſi. ff. de fide minor. b l. per hãc C. de repud. & reparat. appell. c gl. ad d. l. per hanc.

De confirmatione vtili, & inutili.

Tit. XXVIII.

CAP. I.

CVM ſuperioris auctoritate quod a ſolemne non eſt, ſolẽne fiat, quod à ſummo Pontifice conceſsũ eſt, à nemine in cõtrouerſiam, aut iudicium trahi poſſe exploratiſſimi iuris eſt, præſertim in ijs, quæ ad beneficia pertinent b, quorũ ipſe eſt dominus. Verumtamen, quoniam non ſolùm ob locorum diſtantiã, malitiamq. ac petentiũ importunitatem, ſed & ob publicas, ac graues occupationes poſſibile eſt, aliquid concedi ab ipſo Pontifice, quod nonnunquam à legibus diſcrepet, ac præter eius intentionem, nec credendum ſit, eum conceſſione ſua velle alicui iniuriam facere; Breuia, litteraſq. Apoſtolicas, ſeu Bullas, quæ deinceps exhibeantur, priuſquam admittantur, à Vicario noſtro generali diligenter examinari iubemus, vt, ſi falſi ſuggeſtione, aut veri ſuppreſsione impetratæ appareant, ſuſpendantur, & contra, ſi legitimæ, ac ſyncerè reperiantur, abſq. mora executioni mãdentur, contradicentibus, etiã, ſi opus fuerit, excommunicatione coercitis.

a l. omnium C. de teſtament cap. ſi mens cap. 2. ex. de tranſact.

CAP. II.

VIcario Epiſcopi ex generali facultate nulla competit eccleſiaſtici beneficij collatio, niſi, quæ ei ſpecialiter data a fuerit. Si autem Vicarius noſtri prædeceſſoris abſq. eius ſpeciali mandato beneficium contulerit; licet ea collatio ex defectu poteſtatis collatiuæ nulla fuerit, ex ipſius tamen prædeceſſoris confirmatione, eam conualeſcere potuiſſe, dicendum eſt: qui, ſcilicet, cùm collationem infirmare potuerit, eam ſubſiſtere, effectumq. habere, permiſerit. Et, quamuis ea confirmatio nuda fuerit, minimeq. dici debeat noua collatio, attamen, cùm actus ille conferendi ex ſolo mandati defectu nullus fuerit, ex ea confirmatione, & ratihabitione, quæ mandato b cõparatur, conualeſcit: valet enim actus, qui ex poteſtatis defectu nullus eſt, quandocumq. de eo ſuperueniat conſenſus c eius, qui illum à principio validum facere potuiſſet.

a cap. 2. de prob. lib. 6. c. 2. de offic. Vicarii. in 6. c. 1. de prob. lib. 6. b l. vlt. ff. ad S. C. Macced. c. ratihabitio de regul. iur. lib. 6. c ad c. non firmatur de reg. iur. li 6.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ACTA

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO

Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe in Diœceſana Synodo Muſterij habita,

iij. Nonas Maij anno Sal. M DC IX. promulgata.

LIBER TERTIVS.

De vita, & honeſtate clericorum. Tit. I.

CAP. I.

a lib 8. epiſt. 24.

M clericorum profeſſio, vt eſt apud Caſſiodorum[a], vita cœleſtis ſit, eos in omni actu, habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, conuerſatione, virtutumque æmulatione, ita ſe gerere oportet, vt angeli potiùs in terra degentes, quàm homines eſſe videantur. Quod non difficile fuerit, ſi memi-

b 2. Petr. 1. nerint, quæ ex ore Dei, tam in nouo[b], quàm

c Leuit. c. 11. 19. & 20. exam. propoſuiſti 12. de Sanct. in veteri[c] teſtamento, memoriæ mandata reperiuntur, dum dicitur in Leuitico: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum: & quidem ſancti eſſe poterunt clerici, ſi verba hæc Apoſtoli

d 2. ad Corinth. cap. 6. [d] ſecum ipſi recoluerint: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vitupereetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, ne de illis dici poſſit, quod

e cap. 3. [e] Sophonias de ſacerdotibus Hieruſalem ſcribit his verbis: Sacerdotes polluerunt ſanctum: iniuſtè egerunt contra

f cap. 22. legem. & Ezechiel [f] de ijſdem: Sacerdotes contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea.

CAP. II.

g l. 1. ff. ignorant. ff. locari. & item apud Labeonem §. 8 quis virginem ff. de mineris.

QValis quiſque apparet extrinſecus, & qualis eſt habitus, in quo quis reperiatur, talis ille eſſe [a] præſumitur. Ideo, cùm ordo ſacer eius ſit dignitatis, atque præſtantiæ, vt clericos à laicis diſtinctos eſſe oporteat, cùm eos appellet princeps Apoſtolorum

b 1. Petri cap. 2. [b] genus electum, & regale ſacerdotium,

c Apocal. cap. 1. & Ioannes, [c] ſeipſum illis annumerans, dicat: Fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo, & patri ſuo. Quod multò ante vaticinatus fuerat Iſaias,

d cap. vlt. [d] dicens: Et aſſumam ex eis in ſacerdotes, & leuitas; quapropter eo habitu vti debent, vt, cum prodeunt, ac videntur, in ſorte

e can. 1. diſtinct. 21. c. vt ex de præbend. [e] Domini vocati dicantur, veſtibus, ſcilicet, clericalibus induti, abiq. vlla ſeculari vanitate, aut pompa. Itaque omnes eccleſiaſticas perſonas, vel in ſacris conſtitutas, vel, quæ dignitates, perſonatus, officia, aut qualiacumq. eccleſiaſtica beneficia, ſiue curata, ſiue ſimplicia, ſiue libera, ſiue de iure patronatus etiam, ſi laicorum ſint, ſiue ea in commẽdam obtinuerint, ac poſsideant, talarem, ſimplicem, modeſtumque habitum clericalem illorum ordini, ac dignitati congruentem, ac iuxta edictum noſtrum propediem promulgandum, non deferentes, inhærendo ſacri Tridentini Concilij decreto

f ſeſſ. 14. c. 6. de reform. g Clement. Quoniã hoc ſæcul. [f], & ſummi Pontificis g Clementis Quinti conſtitutioni, à ſuſceptis ordinibus, officijs, ac beneficijs ſuſpendi, item fructibus, reditibus, beneficiorumq. prouentibus, quantum nobis placuerit, priuari volumus, immo (ſi, à nobis, aut à noſtro Vicario generali ſemel correpti, iterum deliquerint) officijs etiam, ac beneficijs ipſis, ita, vt ea alijs liberè conferri poſsint.

CAP. III.

IN primis, oportet omnes clericos, & beneficia qualiacumq. obtinentes, clericalem coronam, eamque conſpicuam, deferre, ad eam, videlicet formam, quam vnius cuiuſq. ordinis ratio poſtulare videatur.

§. 1.

Qui autem ad presbyteratus ordinem iam aſſumpti ſunt, & ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium offerunt, ſuperioris labri barbam ita ſuccidam geſtent, vt Chriſti corpus, atque ſanguinem ſumentibus abundantes pili nullum omnino afferant impedimentum, aut ſcandalum: nec ſacerdotes tantùm, ſed & omnes clerici nullo modo cincinnos, ſeu pilos intortos circa tempora, aut barbam in mento in acutum deſinentem, criſparamve gerant, aut capillos prolixos more militari nutriant, ſiue procomium.

§. 2.

Veſtibus non, niſi nigri coloris, iiſdemque ſimplicibus, vtantur, quæ, ſiue exteriores, ſiue interiores ſint, ad talos vſq. pertineant: ſi verò itineris occaſione eas breuiores eſſe oporteat, non tamen ſupra, ſed multò infra genua ſint. Caligis[a] autem (vt aiunt) virgatis, ſcaccatis, & folliculatis, aut diſſectis calceis, aut ſaccis minutatim inciſis, eos vti omnino vetamus, ſicut & ſubuculis ad collũ, ſiue ad manus criſpatis, aut elaboratis: biretum verò in crucis modum conſutum ſemper geſtent, non item pileum, niſi, aut valetudinis cauſa, aut hyeme, eoq. tẽpore, ſi ad eccleſiã, aut ad nos ſe cõtulerint, illud priùs deponant.

a c.13. eiusd. clement. vlt. eod.

§. 3.

Præterea, quemadmodum, nec ornamentis, nec vnguentis, nec odorum lenocinio, nec cuiuſuis rei nimia elegantia, clericos affluere permittimus, ita non laudamus eos, qui veſtibus, ſubuculis barba, capillis, omnique alia corporis parte adeo ſordidi, atque incompoſiti, potius cauponum, ſtabulariorumque famuli, quàm miniſterio diuino dicati, apparent, immo ipſos æque, ac illos reprehenſione, ac pœna dignos cenſemus: Nec enim affectata ſordes (ait ſanctus Hieronymus) nec exquiſitæ deliciæ laudes pariunt.

§. 4.

Qui in diuinæ militiæ albo adſcriptus eſt, terrenis armis prorſus non indiget: arma igitur omnia clericis interdicimus, niſi itineris longioris cauſa: non tamen, quas vocant alabardas, aut ſclopettos, ſeu longiores, ſeu breuiores ſint, volumus eos deferre poſſe, neque alia arma, quocũq. nomine cenſeantur, quam ea, quibus canes, ſimiliaue animalia, arcere, aut hominum iniuriam propulſare poſſint.

§. 5.

a Matth. 5. Apoſt. ad Titum c. 2. qualiter ex. de accuſat. Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de reformat.

Cum verò in eos à ſecularibus rebus ad altiora ſublatos, tanquam in ſpeculum, omnes omnium oculi[a] conijciantur, vt ex illis ſumatur, quod imitatione dignum ſit, caueant, ne quid faciant, quod graue, quod moderatum, quod religionis plenum, pleniſſimumque pietatis, non ſit, quin, & leuia delicta, quæ in ipſis magna videri poterunt, declinent, vt ex perfecta operum continuatione Deo gloriam, ſibi bonam famam, Chriſti verò fidelibus ſalutem, atque ædificationem, concilient. Quocirca, præterea, quæ diximus, ne perſonati, aut incedant, aut quoquomodo conſpiciantur, neve comœdijs, aut choreis, aut alijs profanis id genus ſpectaculis, operam dent, eis omnino interdicimus. Præterea aleæ luſum, venationes, comeſſationes, conuiuia clericis non conuenientia, cauponas, niſi itineris cauſa, bibacitates, detractiones, mordaceſq. ſales, quibus offendi quis poſſit, item ſacrarum Scripturarum ſenſus ad res profanas contortos, atque ea denique omnia, quæ ſcandalum pariant, quanta poſſumus auctoritate prohibemus.

§. 6.

Tutelam, & curam ſuſcipere clericos non poſſe, niſi intuitu pietatis ſuſcipiatur, aut inexcuſabilis ſit, & iure ciuili[a], & Chalcedonenſis[b] Synodi decreto cauetur, ideſt, ſi deſint conſanguinei, & coniunctiores, qui poſſint eam tutelam, & curam ſuſcipere. Vnde Caſſiodorus vniuerſis Epiſcopis ſcribẽs, ait[c]: Orphanis, viduiſque contra ſæuos impetus debent placida poſtulare ſolatia: nobis tamen inconſultis, eam nequaquam ſuſcipiant.

a Nouella. 123. de Epiſc. & monachis. b c. 3. eius. eod.

c epiſt. 3. lib. 12.

§. 7.

Denique, vt clerici attentiùs, maioreque mentis feruore, quæ Dei ſunt, peragere valeant ab omni genere mercaturæ, à gladiatoria[a], ioculatoriaque, à lanionum, ſeu macellariorum arte, atque ab omnibus laicorum negotijs tractandis abſtineant, neque ſe in eis mediatores, vel interpretes, adhibeant, neve prædia, etiam eccleſiaſtica, aut decimas ipſi, vel per interpoſitas perſonas, conducant, aut cum ipſis conductoribus aliquo modo participent, ſed, nec ab illis eo nomine quidquam accipiant.

a c. vn. eod. lib. 6.

§. 8.

Quicumque verò contra hæc noſtra decreta deliquerit, poſt quindecim dies à publicatione præſentium computandos, noſtro, ſeu Vicarij generalis noſtri arbitrio pro delicti ratione puniatur.

CAP. IV.

VEtus quidem mos[a] fuit, clericos à laicis in eccleſia cancellis ſeparari, ne ijs obijci poſſit, quod Dominus dicit per Ezechielem[b]: Fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum; vbi ſanctus Hieronymus addit[c], vt nihil intereſſet inter ſacrum, & profanum; & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, vt vnus laico-

a can. facer dotũ dist. 2. Bar. bar. lib. 3. Decr. cap. 102. Ariel. lib. 1. cap. 78 Ino par. 2. c. 137. 5. Germanus de ſacra Miſſa. b cap. 43. c ad dict. 43 lib. 13.

laicorum, & clericorum eſſet introitus. Qui ſanè mos, licet in aliquibus Eccleſijs piè obſeruetur, ferè tamen exoleuit. Quare perantiquum hoc, diuinorumq. myſteriorũ dignitati conueniens inſtitutum, ad priſtinũ vſum reuocare, in noſtra præſertim Metropolitana Eccleſia, cupientes, vbi reformatione iam abſoluta, id hodie commodè fieri poteſt, nolumus, laicos, cuiuſcumque conditionis, & ordinis ſint, dum ſacra celebrantur myſteria, cum clericis ſtare, aut ſedere, aut intra cancellos chori conſiſtere, cùm in ipſa Eccleſia locum habeant ſatis amplum, ad ſacrorumq. omnium communicationem accommodatũ.

CAP. V.

SEd & ipſi canonici, non modò à laicis in locali Eccleſiæ ſtatione ſeiungendi ſunt, ſed etiam, ac multò magis vitæ integritate, morumq. grauitate. Quod quidem aſſequi non erit difficile, ſi diligẽter ſeruauerint, quæ ad ipſorum vitæ inſtitutum ſpectant, potiuſq. re, quàm nomine, ſe canonicos eſſe profitentes, meminerint, ſe præcipuos ad Dei honorem, & animarum ſalutem, noſtros eſſe coadiutores, ideoq. nobis præſto eſſe, ac parere alacri animo ſemper debere.

CAP. VI.

PRæter ea, quæ de clericis, & beneficiarijs ſancita [a] ſunt, canonici, ac dignitatibus inſigniti (quorum munia ſuperius diſtinximus) nec non reliqui omnes, quos in choro diuinis officijs intereſſe oportet, Eccleſiam nequaquam ingrediantur, niſi canonicali habitu induti, rocheto, ſcilicet, & cappa à feſto die Sanctorum omnium vſque ad Sabbatum ſanctum, atque rocheto, & ſuperpelliceo à Sabbato ſancto vſque ad ſequentem feſtum diem omnium Sanctorum. Poſtea verò, quàm ingreſſi fuerint Eccleſiã, flexiſq. genibus ante altare, vbi ſanctiſſimum Chriſti corpus aſſeruatur, Deum deuotè adorauerint, recta ad ſacrarium contendant, vnde, pro munerũ obeundorum qualitate, ſacris ſumptis veſtibus, bini exeant, chorumq. compoſitè adeãt, vbi vnuſquiſque in ſuo loco toto officij tempore permaneat, neque huc, illuc circumcurſare, ſeu vagari, vllo modo audeat; & pſallant ipſimet diſtincte, tractim, ſedate, decentiq. geſtu, & compoſita voce, diuina verba pronuncient, &, vt præſtò ſint in peragendis, quæ oportebit, cauant, ne manus chirothecis inuolutas in choro teneant. Manuum tamen opertimentis, quæ manicæ vocantur, vrgente frigore, quin vtantur, prohibemus.

a ſup. cap 3. cond.
b ſup. c. 12. 15. & ad l. 1

§. 1.

Et, quia ad chorum nemo ire debet, niſi, vt Deo, atque Eccleſiæ famuletur, litteras, ſeu libros, qui ad ea, quæ in choro aguntur, non pertineant, inibi legi prohibemus, ſed & priuatim officium recitari nolumus, vbi publicum, & commune recitetur.

§. 2.

Et, cùm diuina diligenter, attentè, ac religioſe peragẽda ſint, nemo in choro dormiat, nugeturque, aut per aliorum ſubſellia curſitet, vel diuagetur, neque ex eodem choro, quouis quæſito colore, abeat, niſi neceſſitatis cauſa, tuncque verbo facto cum Decano, vel eo abſente, cum Sacriſta, aut cum alio, qui dignitate, aut præeminentia, ijs proximus fuerit, ſed ſuo quiſque loco omni cura, & ſedulitate muneris ſui penſum ſtudeat perſoluere: alter item ab altero, vel tantillum ne diſcrepet in actu diuinæ functionis, ſed exteriore attentione, venetatione, atque voce concordi, præſtet vnuſquiſque omnium bonorum auctori debitum obſequium.

§. 3.

Si quis autem aliquid in his deliquerit, non ſolùm horarum, aut veſperarum, aut Miſſæ diſtributionem amittat, verùm etiam grauius, pro modo culpæ, præſertim, ſi monitus parere, vel neglexerit, vel recuſauerit, noſtro arbitrio mulctetur.

CAP. VII.

BOni clericorum mores, ac fama ad Dei cultum, animarumq. ſalutem plurimum conferunt, præſertim in ijs, quæ in conſpectu omnium fiunt; bonos namque cõfirmant, malos verò, qui, tanquam mortui ſunt, ad æternæ vitæ, qui Chriſtus eſt, viã reuocant. Quare, cùm frequens Miſſæ ſacrificium bonam de ſacrificantibus opinionem pariat, proſit viuis, atque defunctis, tantoq. magis excitet fideles ad charitatis opera, quanto inſigniores ſunt, qui tanto miniſterio, qua decet, pietate operam nauant; hortamur, enixeq. rogamus canonicos noſtros, dignitatibusq. decoratos ſacerdotes, vt ad gloriam triumphãtis, ac pro neceſſitatibus militantis Eccleſiæ, ſi non quotidie (quod tamen maximè laudabile foret) ſaltem dominicis, alijſque feſtis diebus, Miſſam celebrent, niſi fuerint legitimè impediti, vnde illis magnus accedat cumulus meritorum, populo verò exhibeatur opratum religionis exemplum. Eos, qui id fecerint, dum ſacroſancto Miſſæ myſterio in ſua propria Eccleſia vacabunt tempore diuinorũ officiorum, volumus perinde cenſeri, ac ſi choro intereſſent, ita, vt tanquam abſentes notari à Punctatore non poſſint.

CAP. VIII.

QVandoquidem Epiſcopi, ac Prælati omnes ex paſtorali munere ſubditos

æque, ac filios diligere debent, & curare, vt non magis præeſſe, quàm prodeſſe velle videantur, ſubditi itidem mutuo charitatis affectu Prælatos ſuos, tanquam patres, venerari, in ſummoque honore habere, teneantur. Quod, cùm omni tempore, ac ſedulo ab omnibus faciendum ſit, à canonicis, ac dignitatibus in Eccleſia noſtra Metropolitana inſignitis, id præſertim fieri cupimus, cum, vel ſolemniter Miſſam celebrabimus, vel diuinis officijs, aut cõcionibus, intereſſe voluerimus, nos eunteſ ad Eccleſiam deducendo, ac redeuntes, reducendo: vt, ſcilicet, paſtor ſuam dignitatem apud populum retineat, & populus, quantò magis ſuum Prælatum honorari videt, tanto conſtantius in eius obedientia perſiſtat. Eadem de cauſa, dum Miſſam priuatam in eadem noſtra Eccleſia celebrabimus, duos canonicos cum canonicali habitu nobis aſſiſtere, præcipimus.

De cohabitatione clericorum, & mulierum. Tit. II.

CAP. Vnic.

MISERABILE planè eſt, ac Chriſtianorum oculis omnino intolerabile, eos, qui Eccleſiã moribus, vitæq. integritate illuſtrare debẽt, ipſam Dei domum carnis immunditijs cum totius clericalis ordinis dedecore impudenter contaminare, ac quaſi proſtibulum facere. Qua labe, ne nobis ſubditi altaris miniſtri inficiantur, vtque de eorum carnali commercio ſuſpicio omnis tollatur, clericis omnibus, cuiuſcumque ſtatus, ac conditionis ſint, ne concubinas, aliaſvè fœminas in domo propria, ſiue extra domum, alere, aut retinere, aut cum illis conſuetudinem familiaritatemve aliquã habere audeant, quanta valemus auctoritate, prohibemus: matres tantùm, ſorores, amitas, fratrumq. vxores excipimus, cum quibus eos cohabitare poſſe concedimus, ſed non ſine licentia noſtra ſcripto expreſſa. Ancillas, niſi quinquagenarijs maiores, ac probatiſſimæ famæ, non admittunus.

§. vnic.

Si quis autem, poſt menſem à die publicationis præſentium actorum computandum, mulierem aliquam ſuſpectam penes ſe retinere, aut cum ea habitare aulus fuerit, etiam prætextu cuiuſuis famulitij, ſiue domeſtici miniſterij, primum aureis nummis quinquaginta, in pios vſus erogandis, irremiſſibiliter mulctetur: deinde, ſi, quod ſuperius ſtatutum eſt, iterum exequi prætermiſerit, ſuſpendatur ab ordinibus, beneficiorumq. adminiſtratione. Si verò tertiò monitus, parere neglexerit, priuetur omnino omnibus officijs, & beneficijs iuxta ſacrorum [a] canonum, & Cõcilij [b] Trid. diſpoſitionem, ſed & inhabilis ad obtinenda quęcumque beneficia, & officia Eccleſiaſtica eſſe intelligatur: poſtremò, ſi in eodẽ cœno volutari perſeuerauerit, per cenſuras Eccleſiaſticas ad ſanitatem reuocetur, ac carceri, ſi opus fuerit, mancipetur, vnde nullo modo exire permittatur, niſi veræ emendationis manifeſta ſigna oſtenderit.

a cap. inter-dixit 32. d. canon volumus can. ſeruanda d. 82. c. 1. cũ ſeqq. extr. eod.

b c quãtumpe ſeſſ. 25. de reformat.

De clericis coniugatis. Tit. III.

CAP. Vnic.

CLERICVS coniugatus, ſi in habitu, & tonſura incedat, duplici fruitur priuilegio: altero ab Innocentio II. conceſſo, vt [a] qui violentas in eum manus iniecerit, excommunicetur, ac ſi in ſacerdotẽ inieciſſet: altero à Bonifacio VIII. [b] vt pro cõmiſſis ab eo exceſſibus, vel delictis, tam in criminali, quàm in ciuili negotio, ad ſeculare tribunal trahi non poſſit; ſi vnius [c] videlicet, mulieris, ac virginis fuerit maritus, alioquin ijs priuilegijs non gaudeat, prout gaudere nolumus eos, qui à nobis alicuius Eccleſiæ miniſterio (vt Synodus conſtituit [d] Tridentina) non fuerint deputati, & q. nõ inſeruierint: nã vere clericus nõ dicitur, niſi, vt ait B. Hieronymus [e], qui Chriſti inſeruit Eccleſiæ. Vbicumque verò miniſterijs quattuor minorum Ordinum exercendis clerici cœlibes nõ reperiantur, aut ſi affuerint, commode haberi non poſſint, mandamus, in eorũ locum ſubſtitui [f] coniugatos, minime tamen bigamos, dum viræ exemplaris ſint, ad eaq. munia obeunda idonei exiſtimentur.

a can. ſi qs ſuadente 27. q. 1.

b c. vn. hoc tit. lib. 6.

c cap. 1. cũ. rod. c. 3 & 7 extr. de biga.

d ſeſſ. 23. c. 6. 5. in clericis verò de reform.

e in epiſt. ad Nepotianũ.

f eod ſeſſ. c. 17. in fine.

De clericis non reſidẽtibus in eccleſia, vel præbẽda. Tit. IV.

CAP. I.

LABORIOSVM vtique, ac perdifficile eſt, animarũ curam rectè adminiſtrare, impium verò, à Chriſtianaq. pietate omnino abhorrẽs, eos, qui tanto oneri humeros ſupponunt, ita in officio delinquere, ita in animarum neceſſitatibus, ac periculis conniuere, vt, quaſi iptius Chriſti oblitꝰ, æterna ſibi creditarum ouium ſalute neglecta, propria commoda potius, quàm honorem Dei, quærere videantur. Quare, vt miniſtri Prouinciæ noſtræ, præſertim Eccleſiaſtici, qui ad huiuſmodi regimen vocantur, ſe in ſũmo ſalutis propriæ diſcrimine verſari facilius agnoſcant, quæ ſparſim adnotauimus,

in vnum

in vnum ceu faſciculum collecta, pijs paſtoribus conſideranda inferius proponimus.

S. 1.

Debet igitur, qui curam ſuſtinet animarũ, ſacramenta diligenter, religioſe, atque opportune pro ſibi commiſſi gregis neceſſitatibus miniſtrare, diuino verbo populum paſcere, ignorantes erudire, ac tolerare, Miſſæ ſacrificium pro viuis, ac defunctis palam facere, honeſtis moribus, totiuſque vitæ exemplo dignum ſe tanto miniſterio exhibere, pupillos, orphanos, viduas, virgines in periculo pudicitiæ conſtitutas, egenos, omneſq. miſerabiles perſonas defendere, conſolari, nutrire, cuſtodire, omniq. fauore proſequi, pro peccatoribus, vt reſipiſcant, pro iuſtis verò, vt confirmentur, & priuatim, & publice preces continuas fundere, curare, vt bona Eccleſiaſtica conſeruentur, & augeantur, non autem minuantur, aut alienentur, vtque donaria à fidelibus oblata, in Eccleſiæ honorem, ac decorem conuertantur, ſcandala, atque auaritiam, tanquam peſtes, vitare, eleemoſynis, patientia, humilitate, continentia, ſpiritalibuſq. virtutibus populum in ſpem vitæ æternæ erigere, ad perfectumq. Dei cultum inuitare, iniurias remittere, vtque remittantur, ſtudioſe laborare, de benefactoribus benemereri, ac denique officiũ veri paſtoris, patriſq. agiamuſſim perſoluere. Quæ, cùm magni momenti ſint, nec perfici queant, niſi ab ijs, qui aſſiſtunt, ac ſuper gregem dominicum vigilant, iam vident omnes, quàm neceſſarium ſit, clericos reſidere in ſuis Eccleſijs: quod

a to tit. ext. de in 6. & in Clem. eod. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 2. de reform. ſeſſ. 21 c. 4. de reform. ſeſſ. 24. & 23. de reform. ſeſſ. 21 c. 3. de reform.

facri a canones tanti faciunt, vt magnam partem ſalutis animarum à reſidentia pendere haud obſcure præ ſe ferant.

S. 2.

Ex eorumdem igitur canonum præſcripto mandamus, vt, qui beneficium Eccleſiaſticũ animarum curam habens poſſidet, quamuis in commendam, aut de iure patronatus laicorum ſit, quocumque illud dignitatis nomine nuncupetur, apud Eccleſiam ſuam reſidere debeat in proprijs, ſcilicet, Eccleſiæ ædibus, aut, ſi fortè domum ibi non habeat, alibi, dum intra parochiæ limites, & quoad eius fieri poterit, prope Eccleſiam habitet, vt, occaſione vrgente, commode poſſit animarum neceſſitatibus præſto eſſe; neque vllo modo, niſi ex cauſis à Concilio Tridentino præſcriptis, à nobiſq. ſcripto probandis, inde diſcedere poſſit. Qui autem huius noſtræ conſtitutionis diſpoſitionem violauerit, non ſolùm

b cap. 2. §. ſi quis. & §. eadem omnino 21. ſeſſ. de reform. Concil. Trid.

intelligatur lethale peccatum b commiſiſſe, ſed & pro rata tẽporis abſentiæ fructus ſuos non faciat, immo ſtatim amittat, quos, vel fabricæ Eccleſiæ, vel loci pauperibus, erogari præcipimus.

S. 3.

Qui verò vocatus ad reſidentiam, parere neglexerit, ſi per cẽſuras c Eccleſiaſticas, fructuumq. omnium ſequeſtrationem, ac ſubtractionem ter monitus, eriam per edictum, ad reſidendum compelli non poterit, beneficio priuatus ipſo iure intelligatur.

c c. 1. §. eadem omnino veri 9. ii.

CAP. II.

ET, vt parochis tollatur occaſio vagandi, à ſuiſque Eccleſijs diſcedendi, ab illis abeſſe vltra duas noctes nequaquam permittimus, ne Muſterium quidem venire, aut pernoctare, niſi ex cauſa admodum neceſſaria; quam, ne illi ſibi affingant, quandocumque illuc venire contigerit, vt ſe nobis ſiſtant, iubemus, quo ſciſcitari ab illis poſſimus, quid rerum agant, quave de cauſa id itineris ſuſceperint; vt, ſi quid eis, aut eorum parochijs opus fuerit, pro noſtro paſtorali munere auctoritate noſtra citò conſequantur. Qui aliter facere deprehenſus fuerit, ſtatim carceribus mancipetur, vt temeritatis pœnas arbitrio noſtro luat.

CAP. III.

VErùm, ſi, aut valetudo, aut vtilitas, aut rationabilis neceſsitas ita vrgeat, vt omnino ad ciuitatem veniendum ſit, tam ipſis animarum curatoribus, quàm alijs ſacerdotibus, ac clericis, (ne, ſcilicet, religioſæ perſonæ cum profanis hominibus in tabernis, vbi nullus pudor, ſed omnia turpitudinis, ac ſcurrilitatis plena ſunt, comedere, aut conſuetudinem habere conſpiciantur) hoſpitium libentiſſime exhibemus, quòd, ſi vti noluerint, placeret, apud Vicarium noſtrum, aut quempiam, ſiue canonicum, ſiue alium Eccleſiaſticum virum, eos diuertere: quòd, ſi ex aliqua cauſa fieri nequeat, ex omnibus ciuitatis cauponis modeſtiorem arbitrio noſtro eligi volumus, vbi clerici omnes Muſterium venientes hoſpitio excipiantur. Qui alibi diuertere deprehenſi fuerint, in carcerem trudantur, vnde, niſi poſt vigintiquattuor horas, liberari nequeant.

CAP. IV.

SI autem eiuſmodi ſit neceſſitas, vt inhumanum videatur diſcedendi facultatem petenti parocho negare, (quæ tamen ex ſacri Concilij a Tridentini decreto, niſi ipſe idoneum, ab Ordinario approbandum vicarium cum debita mercedis aſſignatione ſubſtituat, non eſt concedenda) vbi vnus, vel plures ſoleant reſidere Vicarij, nullo pacto parochum diſcedere poſſe, permittimus, niſi alium, præter ordinariũ, aut alios ordinarios Vicarios,

a c. 1. §. eadem omnino ſeſſ. 23. de reform.

à nobis

à nobis approbandos, conſtituat, ne eius abſentia diuinus cultus diminuatur, conſuetoq. miniſterio Eccleſia defraudetur.

§. Vnic.

b can. concesso 31. q. 2. can. ad hoc 16. q. 1. c. c. beneficia 7. de reform. sess. 7. Conc. Trid.

De mercede verò eiuſmodi Vicarij, nihil hactenus definitum habemus [b], licet, illam pro rata [c] tertiæ, ſeu quartæ partis fructuum beneficiorum æſtimandam, atque deducendam eſſe, teneat communis opinio: cui tamẽ, cùm, neque conciliorum, neque canonum, neque conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritas vlla ſuffragetur, nos aſſignationem hanc noſtro, aut Vicarij generalis noſtri arbitrio reſeruamus, vt, ſcilicet, beneficiorum, ac perſonarum qualitate inſpecta, ea illis portio aſſignetur fructuum, quæ, & oneri, & tempori opportuna videatur.

CAP. V.

a c. 12. §. præterea sess. 24. de reform.

EOs, qui in eccleſijs cathedralibus, dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones habent, vltra tres menſes, ſiue continuos, ſiue diſcretos, ex ſacri Tridentini Concilij [a] præſcripto quolibet anno à reſidentia abeſſe non liceat. quod, cùm multò magis in Eccleſijs Metropolitanis militet, nos, ne plurium miniſtrorum abſentia diuinus cultus minuatur, volumus, diſcedendi facultatem omnino à nobis pendere, quæ quidem, cum petens peculiare miniſterium præſtare debebit Eccleſiæ, concedenda non erit, ne publicum commodum priuato poſthaberi contingat, quo nil perniciosius.

§. 1.

b d. c. 22. §. distributiones c. 1. hoc tit. lib. 6. & 23. ext. de præben.

Diſtributiones autem ipſæ, ne cuiquam vnquam concedantur, niſi eis [b], qui præſentes ſtatis horis in choro inſeruiuerint, omni colluſione, & gratia penitus excluſa, quantum poſſumus, inhibemus.

§. 2.

c c. 12. §. præterea, verſ. plurium, sess. 24. de refor.

Licet ex [c] eiuſdem ſacri Concilij præſcripto, omnes per ſe, non per ſubſtitutas perſonas, teneantur diuina obire officia, attamen, ſi nobis celebrantibus, aut alia Pontificialia munia exercentibus, qui debebunt aſſiſtere, & inſeruire, ad id obeundum munus idonei minime fuerint, alios in eo munere peritiores, & elegantiores ſubrogari debere mandamus.

CAP. VI.

a c. cum ea. de elect. lib. 6.
b c. 1. sess. 23. de reformat. Conc. Trid.
c cap. vnico hoc tit. lib. 6. & c. 1. ext. de præben.
d d. c. vn. & c. cùm non deceat de elect. lib. 6. & d. c. cùm ea. ea.
e d. cap. cum ea.

CAnonici abſentes, ſiue ſtudiorum [a], ſiue Eccleſiæ [b], ſiue capituli [c] cauſa, pro præſentibus habeantur, ideo canonicatuum, & præbendarum ſuarum fructus integrè percipere poſſint, non ſecus, ac ſi infirmitate legitima detineantur. Abeſſe [d] tamen ſtudiorum cauſa non poſſint, niſi, vel à nobis, vel à ſummo Pontifice [e], abeundi licentiam obtinuerint. Ad diſtributiones verò quotidianas, quæ inter eos tantùm, qui horis canonicis interſunt, diuidendæ ſunt, nullum abſentibus, niſi infirmis [f], quamuis pro ipſius Eccleſiæ vtilitate [g] eos abeſſe contingat, ius reſeruari, aut competere declaramus.

f cap. 1. hoc tit. lib. 6.
g d. c. cùm non deceat.

De præbendis, & dignitatibus. Tit. V.

CAP. I.

a c. quia nõnulli ext. de cler. nõ resid. c. de multa ext. hoc tit.

DVo curata [a] beneficia habere nemini liceat, neque vnicum tantùm cum canonicatu, aut dignitate reſidentiam requirente, niſi ſpeciatim à Sede Apoſtolica cum eo appareat eſſe de hoc diſpenſatum: quo ſane caſu, cùm prima, & præcipua [b] ſit animarum cura, habens beneficiũ curatum in parochiali Eccleſia reſidere, ibiq. in diuinis deſeruire iuxta Pij Papæ V. conſtitutionem teneatur. Si verò nulla Apoſtolicæ Sedis indulgentia, aut diſpenſatione, prouiſus iuuari poterit, ab eo tempore, quo poſterioris beneficij poſſeſſionem adeptus fuerit, beneficium, quod prius obtinebat, ipſo facto vacaſſe intelligatur, eumque ſtatim ad illud dimittendum, fructuſq. omnes interim mala fide perceptos, ſi qui fuerint, Eccleſiæ ipſi, ac loci pauperibus reſtituendos, teneri, prout reſtitui, nulla mora interpoſita, mandamus.

b c. vlt. ext. de ætate, & qualit. ord.

CAP. II.

CAnonicatum autem cũ dignitate, vtputa Prioratu, qui hodie Decanatus eſt, aut ſacriſtia, aut cantoria, obtineri poſſe permittimus, tum, quia id vſu inueterato receptum eſt: tum, quia fructus dignitatum ſunt adeo tenues, vt ex eis nemo (etſi valde parcus) ſuſtentari queat: denique, quod præcipuum exiſtimamus; quia vnam, eademque perſonam vtrique muneri ſatisfacere poſſe, obſeruatum eſt.

CAP. III.

a c. ecclesiæ, vbi gloſſ. in ver. pacifice de elect. li. 6. c. licet Ejus de præb. li. 6 l. denique ff. ex quibus cau. minor. l. 2. §. 6 vir vxori ff. de acq. poſſeſſ. l. 1. §. 2. Scæuola ff. pro quis teſtam. l. 1. eſſe iuſt. fuer. c Auth. litigioſa C. de litigioſis. d l. naturaliter §. nihil cõe ff. de acquir. poſſeſſ.

INcompatibilitatem, quam vocant, in beneficijs ceſſare etiam dicimus, quamdiu alterutrum non poſſidetur [a] pacifice, & abſque controuerſia, alioquin vtriuſque fructibus careret, qui, altero litigioſo exiſtente, pacificum dimittere cogeretur. Et, licet lis aliàs mota ſuper poſſeſſione, quæ magis facti [b], quàm iuris eſt, non faciat [c] beneficium litigioſum, quia quæſtio poſſeſſionis in beneficialibus cauſis, ſicut in profanis, nihil habet commune [d] cum quæſtione proprietatis; quod tamen ad rem hanc ſpectat; pacificus poſſeſſor dici minime poteſt, qui poſſeſſionis controuerſiam patitur. Non enim poſſideri videtur,

c l. quamuis ff. de reb. auct. iud. poſſid.

videtur, quod ſine controuerſia c poſſideri non poteſt.

CAP. IV.

a ſeſſ. 25. c. 3. de refor.

SIcut rectè conſtitutis, (vt eſt apud ſacrã a Synodum Tridẽtinam) nihil detrahi ratio poſtulat, ita in ijs, quæ moderatione indigent, ne dilabantur, aut pereant, ſumma adhibenda eſt diligentia. Quocirca, cùm Miſſarum numerus teſtatorum diſpoſitione celebrandarum, in nonnullis Eccleſijs in immenſum excreuerit adeo, vt præfixis diebus impoſſibile ſit, teſtantium votis ſatisfieri, neque inueniantur aliquando, ob tenuitatem eleemoſynarum, qui eiuſmodi onus ſubire velint, vnde pias fidelium voluntates effectu carere neceſſe eſt, conſcientiasq. eorum, qui Miſſas celebrare tenentur, miſere onerari; placuit

b c. 4. eadſeſſ. 25.

eidem Synodo b facultatem tribuere Epiſcopis de his ſtatuẽdi, quidquid diuinæ viderint maieſtatis cultui conuenire. Quod nos animaduertentes etiam ad Prouinciam noſtram pertinere, diligenter examinatis fundationibus, erectionibus, ac fructibus beneficiorum, conſideratisq. oneribus à fundatoribus pijs locis impoſitis, quid deinceps faciendum ſit circa Miſſarum numerum, dum diœceſim noſtram viſitaremus, pro temporum qualitate maturè decreuimus, vtq. etiam ſub pœna priuationis beneficiorum, ac reſtitutionis fructuum à die viſitationis perceptorum (quos ijſdem beneficijs applicamus) ab omnibus ad vnguem obſeruetur, diſtrictè præcipimus, ſimul monentes, atque in Domino hortantes Reuerendiſſimos Suffraganeos noſtros, vt in ſuis diœceſibus de eodem miſſarum onere, quodcumque ſacri eiuſdem Concilij menti viderint conuenire, & ſtatuere, & exequi non differant.

De clerico ægrotante, & debilitato. Tit. VI.

CAP. I.

INFIRMITAS, ſiue ad purgationem animæ, ſiue ad vindictam peccatorum, à diuina ira infligatur, vbicumque vrgeat, viſcera fidelium ad miſericordiam ægrotantium commouet. Quicumque igitur ex canonicis infirmitate impeditus diuinis officijs intereſſe non potuerit, quotidianas diſtributiones inter præſentes di

a vt ſup. tit. prox. c. 5. de diſtributionibus.

uidi a ſolitas ita lucretur, ſuaſque faciat, ac ſi præſens fuerit, dum tamen iurauerit, ſe aduerſa valetudine exagitari, vel id ita manifeſtum ſit, vt maior pars capituli de ea nihil ambigat.

§. Vnic.

Qui verò conualeſcere cœperint, & ad cõfirmandam valetudinem, vireſq. recuperandis, domo exire eos medicus iuſſerit, vel ob cæli mutationem, vel ob corporis exercitationem, venia à nobis, aut Vicario noſtro generali impetrata, exire impunè poterunt, licet chori functiones obire non teneantur, cum idem prope ſit, atque ſi in lecto iacerẽt. Sed, ſi minime petita licentia, exierint, quamuis Miſſæ audiendæ cauſa, ex proprijs ædibus ad Eccleſiam tantùm tranſierint, ne vlla fraus committatur, negandas ſibi eſſe diſtributiones, non dubitent.

CAP. II.

QVemadmodum nuptias contrahere nõ poteſt leproſus; cùm potius, lepra ſuperueniente, ſponſalia a de futuro matrimonio cum leproſo inita ſaluantur; ſic ad beneficij impetrationem nequaquam b admittitur, non tamen, ſuperueniente morbo, impetrato beneficio priuari poteſt: ei nihilominus ſacrorum adminiſtratione interdicimus, & coadiutorem cum fructuum beneficij congrua portione dari, mandamus.

a c. 1. ext. de coniug. leprosarum.

b arg. c. inter corporalia, vbi notãt omnes ext. & tranſla. Epiſc.

De inſtitutionibus. Tit. VII.

CAP. I.

QVONIAM cuiuſuis beneficij Eccleſiaſtici inſtitutio in hac noſtra diœceſi a, aut ad ſummum Pontificem, aut ad nos b ſpectat, quicumque beneficij poſſeſſionem ante factam ſibi collationem obtinuerit, vel poſt collationem quidem, ſed ab eo factam, qui, neque conferendi ius habeat, neque in conferendi poſſeſſione exiſtat, ab eo, ſcilicet, qui non ſit beneficij c Ordinarius; intruſus appellatur, cùm huiuſmodi collatio, nec canonica, nec colorata d, dici poſſit. Beneficium verò carens canonica, aut ſaltem colorata inſtitutione adeo poſſideri nequit; vt, ſi intruſo poſtea conferatur, vel à ſummo Pontifice tanquam reſeruatum, vel à nobis iure ordinarij, non valeat ſubſequens e collatio, niſi facta expreſſa mentione prioris vitioſæ poſſeſſionis, ne, ſcilicet, intruſionis vitium non purgatum impetranti ſuffragetur.

a ex c. 2. de præb. lib. 6. aut ex Extrauagãti, aut ex regulis Cancellariæ.

b c. 3. & 5. ex eod.

c fi. ext. eod. Clem. 1. de ſuppl. negl. Prælat.

d decif. 1. de intruſ. in antiqu.

e cap. 1. de reg. iur. li. 6.

CAP. II.

BEneficij autem poſſeſſorem, ſi de his, quę ad beneficium ab ipſo poſſeſſum, eiuſq. fructus coram nobis, aut Vicario noſtro generali vertatur controuerſia, ad docendum de inſtitutione, & iure poſſeſſionis minime teneri dicimus, dum, ſe beneficij legitimum poſſeſſorem oſtendat, quamuis, nec triennalẽ,

nec

nec annalem. Eſt enim hoc vnum ex commodis poſſeſſionis, vt poſſidens ad rei poſſeſſæ titulum, aut ius exhibendũ, cogi nequeat, præſertim, ſi aduerſarius, nec dominium, nec poſſeſſionem vllam in re controuerſa allegare poſsit.

CAP. III.

ET ſi realis collati beneficij poſſeſsio, neque ab ipſo collatario, neque eius [a] nomine per procuratorem capta ſit, nihilominus, ſi ea de re [b] litteræ Apoſtolicæ expeditæ fuerint, ex ſimplici collatione, id iuris acquiri collatario certum eſt, vt beneficium reſignare poſsit, ac ſi in eius actuali [c] poſſeſsione reperiretur: ſine litteris, (quoniam gratia, licet [d] ſupplicatione ſignata, perfecta ſit, informis [e] dicitur) ex ſimplici collatione facultas reſignandi collatario non tribuitur.

a cap. ſi tibi abſenti de præb. lib. 6.
b Aegid. de caſ. 109. & 144.
c decis. de rerum. in 80 uic.
d decis. 17. diuerſ. p. 1. lib. 1. Caſſad. decis. 8. n. 5. de reſt. ipoſ.
e dd. decis. 806. & 644.

De conceſsione præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis.

Tit. VIII.

CAP. I.

IT IQVE beneficij non vacantis impetratio odioſa ſemper Eccleſiaſticis legumlatoribus viſa eſt adeo, vt nullam [a] eſſe eam cenſuerint, ne impetrantibus defiderandi mortem viuentium beneficiariorum detur occaſio, ipſis verò beneficiarijs perpetuum [b] immineat vitæ periculum; vnde putant [c] nonnulli, delinquere eum, qui beneficium viuentis impetrauerit, atque, vt delinquentem, puniendum eſſe [d], quamuis in dubio præſumptio delicti excluſiua ſit, videlicet, præſumi debere pro impetrante, nempe, quòd impetratio ſit valida, & legitimo tempore facta [e].

a c. 2. & 3. eod. hoc tit.
b c. 2. eod. lib. 6.
c Caſſ. dec. 21. de præb. Barnenſ. ad reg. de verisim. q. 6. Cretſen. decis. 116. lib. 1.
d in l. metito ff. profec. & præſumpt.
e Parent. de cif. 427. lib. 3. decis. 9. n. 4. diuerſ. par. 2.

CAP. II.

SI Quis autem beneficium iam rite collatum ſibi conferri obtinuerit, nec de priore collatione, vel ſcienter, vel ignoranter, mẽtionem fecerit, vitioſam, atque impetranti prorſus inutilem huiuſmodi impetrationem, declaramus, cùm vnum, idemq. beneficium plures collationes diuerſis perſonis factas nõ admittat. Quod vtique adeo verum, ac perſpicuum eſt, vt, ſi vitium hoc ab aduocato, vel procuratore prioris collatarij aduerſus poſteriorem impetrationem, quauis de cauſa, non obijciatur [a], Vicarius noſter, aliusq. à nobis datus iudex (cum ea obiectio iuris ſit) ex officio id ſupplere omnino teneatur.

a l. 2. & to. tit. C. vt quæ deſunt aduo. par. iud. ſupplean.

CAP. III.

QVi impetrauit beneficium certo expreſſo vacationis modo, exẽpli gratia, quòd morte Alexij vacaret, cùm tamen in eo nihil vnquam iuris Alexius habuiſſet, ita male impetrauiſſe exiſtimandus eſt; vt, nec ei ſuffragetur generalis clauſula hæc apponi ſolita: Ex quacumque perſona, & quouis modo [a] vacet. Idque in pœnam mendacij [b], &, ne videatur viuentis beneficium impetratum [c].

a vt not. ad c. ſuſceptum de reſcripc. lib. 6.
b c. ſuper literis ext. de reſcr. l. vlt. C. de diuerſ. reſcripti.
c cap. 1. & 2 eod. hoc tit.

CAP. IV.

SI impetrans beneficium curam animarũ habens, ad presbyteratus ordinem intra annum non promoueatur, quamuis ipſo iure [a] vacet beneficium: collationem tamen eiuſdẽ beneficij eo modo vacantis impetranti ſuffragari nolumus, niſi, eo citato, nos, aut Vicarius noſter, illud vacare declarauerimus; [b] vt, ſcilicet, appareat, vtrum ordo ex legitima cauſa ſuſceptus non ſit. Quòd, ſi monitus, vt intra certum tempus ordinem ſuſcipiat, non obtemperauerit, beneficium nulla alia præuia declaratione impetrari poſſe, non prohibemus: etenim doli reus eſſe ritè dicitur, qui ſuperiori [c] ſuo rem iuſtam impetranti non obſequitur.

a c. licet ea non de elect. lib. 6.
b c. licet Epiſcopus de præb. lib. 6.
c l. non pôt dolo carere 199. ff. de reg. iur.

CAP. V.

QVamquam per miſsionem in poſſeſsionem conſtituitur ius in re beneficiali, ſicut, & rei profanæ in pignore iudiciali [a], ſi quis tamen realem beneficij poſſeſsionem ex inutili collatione adeptus fuerit, licet ea Apoſtolica ſit, in qua appoſita ſit clauſula: Et adhuc hodie dictum beneficium vacare noſcatur: à priore tamen non ſolùm titulo, ſed etiam poſſeſsione intelligatur collatarius ille decidiſſe: bona ſiquidem vacantia eſſe proprie dicuntur, quæ, nec [b] dominum, nec poſſeſſorem habent. Sic vacare beneficium dici non debet, niſi quod [c], & de iure, & de facto vacat. Verba quoque Pontificis accipienda ſunt regulariter in omni ſignificatione, in qua poſſunt accipi, vt aliquid omnino [d] operentur, & eo magis, quo poſſeſsio ſolo animo amittitur.

a l. non eſt mirum. §. ult. ff. de pignorib. act.
b l. vlt. ff. de ſucceſſ. edict.
c cap. cùm ſtruxerit. hoc tit.
d Abb. ad d. c. cum in noſtris.
e l. 3. §. in. antecẽd. ff. de acq. poſſ.

CAP. VI.

IS autem, qui beneficium, ſiue à ſummo Pontifice, ſiue à noſtro prædeceſſore obtinuit, exempli gratia, per obitum Antonij, de iure, quod Antonius habuit in eo beneficio, docere minime tenetur, quia non habuit titulum ab Antonio, nec ſucceſsit in ius Antonij, ſed omne ius habuit à collatore ita, vt ei ſufficiat probare, ſe communiter habitum pro iuſto [a] poſſeſſore. Si verò, viuente Antonio, inter eum, &, exempli cauſa, Ioannem de beneficio ab Antonio poſſeſſo controuerſia fuerit, Antonio vita functo, eius ſucceſſor litem cum Ioanne proſequi tenetur, & de eius titulo, ac iure docere; & ſi

a arg l. 3. §. 1. ff. ad S. C. Maced. l. 28. ff. de ſolut.

moriatur Ioannes, inter vtriuſque ſucceſſores erit de prædeceſſorum titulis diſceptandum.

CAP. VII.

a cap.1. de 2 ext. hoc tit.

ELectio quoque illa præcipue nulla dicitur, quæ ſit ad Eccleſiam non vacantē, & in locum viuentis [a]. Nec ſufficit, quòd fuerit à ſuperiore confirmata, ſiquidem inutilis

b c.ſi. ext. de renunciat.

electio inutilem [b] quoque reddit confirmationem, ac, ſi de electionis viribus oriatur

c c.auditis. de c. dudum 2. c. 12. ext. de elect.

controuerſia, qualis [c] illa fuerit ab initio inſpiciendum eſt: aliud eſt enim, electionem

d c. quod 6. ext. eod.

ab initio inualidam fuiſſe, aliud, ex [d] ſuperueniente cauſa nullam cenſeri.

Ne, ſede vacante, aliquid innouetur. Tit. IX.

CAP. I.

a c. 16. ſeſſ. 24. de reform.

SI ſedem hanc noſtram vacare contingat, à capitulo iuxta ſacri Concilij [a] Tridentini conſtitutionē eligendus erit œconomus, vel ex eius corpore, vel alius magis idoneus. Is verò eligendus erit, qui præter fidei, ac diligentiæ laudem, etiam, ſi quid opus fuerit, ſit ſoluendo, aut de adminiſtratione, quantum ſucceſſuri Archiepiſcopi interfuerit, idoneè caueat, ne, cùm dati, & accepti ratio ineunda ſit, de fructibus, aliiſq. rebus, quorum curam geſſerit œconomus; controuerſia, aut lis oriatur, vel menſæ Archiepiſcopali damnum quoquomodo ſubſequatur.

CAP. II.

ITem Vicarium, aut officialem ſtatim mortuo Archiepiſcopo, vel ſaltem intra octo dies, poſtquam mortem obierit, conſtituere, aut in officio exiſtentem confirmare capitulū omnino teneatur, qui non ſolùm in iure, ſaltē

a d.c.16.

Pontificio, lauream [a] ſit conſecutus, vel, vt aiunt, licentiatus, verū, & vita, morumq. grauitate præſtans, religioſus, pietate eminens ſit adeo, vt ex eo alij ſumant, quod imitētur.

§. Vnic.

Non liceat capitulo Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, ſede vacante, ordinandi licentiā, ſeu litteras dimiſſorias intra annum, à die vacationis computandum, alicui concedere. Quod etiam multò minus licere volumus Vicario, ſeu officiali, eadem ſede vacante, à capitulo creato. Si ſecus factum fuerit, capitulū Eccleſiaſtico ſubijciatur interdicto, aliiſq. pœnis à ſacro Tridentino Concilio definitis, mulctetur. Vicarius ſucceſſoris noſtri iudicio

a c.ro. 6. de reſor.

relinquatur. Sic autem ordinatus, nullo [a], præſertim in criminalibus cauſis, gaudeat clericali priuilegio; ſi in minoribus fuerit ordinibus conſtitutus: ſi verò in maioribus [b], ab ordinum executione ad eiuſdem ſucceſſoris noſtri beneplacitum ipſo iure ſuſpēſus intelligatur, niſi recepti, ſiue recipiendi beneficij Eccleſiaſtici occaſione pro animarum ſalute, aut Eccleſiæ commodo, ad ordines exercendos arctari eum conſtiterit.

b c.10. 6. de reſor.

De his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli. Tit. X.

CAP. I.

a cap.7.ext. hoc tit. c.3. ext. de prab.

LATERANENSIS [a] Concilij cōſtitutione, qua cautum eſt, ne perſonæ religioſæ Eccleſias, vel Eccleſiaſticas decimas ſine Epiſcoporū conſenſu à laicis accipiant, non intelligatur prohibiti, quin decimæ ante idem Concilium in perpetuum feudum auctoritate Apoſtolica laicis cōceſſę, etiam titulo donationis, accipiātur, ac multò magis, cum eas [b] Eccleſiaſtici iuris fuiſſe, atque à laicis, tanquam illicitè occupatas, reſtituti conſtiterit. Quod tamen, quomodocumque fieri contingat, etiam abſque noſtro, noſtrorumq. ſucceſſorum conſenſu, ſeu metropolitanæ, ſeu diœceſanæ cuiuſcumque Eccleſiæ noſtræ commodum reſpiciat, plenum ſortiri effectum non poſſe, declaramus.

b Rebuff. de decim q.13. n.79. & ſeq.

CAP. II.

DOnationes, venditiones, commutationes, alienationes, conceſſiones emphiteuticas, confirmationes à prædeceſſoribus noſtris ſine collaudatione, & ſubſcriptione capituli factas, nec non eas, quæ in poſterum fient, tanquam noſtræ Archiepiſcopalis menſæ damnum afferentes, irritas, & nullas, nulliuſq. prorſus momenti eſſe, & futuras, declaramus, exceptis caſibus, ſacris conſtitutionibus reſeruatis.

De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli. Tit. XI.

CAP. Vnic.

a c.odoerti ext. de reſcr.

NON eſt dubium, eſſe nonnulla negotia inter Epiſcopos, & Capitula, atq; inter Abbates, & conuentus ita diſtincta, vt abſque Epiſcoporum [a] Abbatumvè conſenſu à capitulis, & conuentibus tractari, ac peragi poſſint, ac ſi à maiore capitulorū, vel conuentuum parte fuerint definita, ſuum ſortiri effectum, niſi à paucioribus aliter [b] definiri debuiſſe oſtendatur. In quacumque enim conſultatione, vel ſacra, vel profana, illa maior pars eſſe exiſtimatur, quæ talis numero ſit: ſed dicitur etiam maior pars quandoque illa, quæ, licet ſit

b l. 1. ext. hoc tit. c 22. 51 & 57. ext. de elect. c. 1 ſup. eod. tit. de quæſt.

minor numero, meliore tamen, ac fortiore [c] ratione nititur. Quare, ſi inter canonicos (vt interdum euenit) controuerſiæ, aut difficiles cauſarum nodi emergant, qui à nobis ſolui nequeant; ad Sedem Apoſtolicam confugiẽdum eſſe cenſemus, quæ, cùm veritatis, ac ſcientiæ ſedes ſit, id ſtatuere poſſit, quod ſublatis difficultatibus, diſſenſiones litigantium conciliet. Summus enim Pontifex iuſtiſſimò ſupremæ poteſtatis gladio, ceu alter Salomon, inæquales partes [d] æquales facit, vnicuique reddens, quod ſuum eſt.

[c] can. ſecundo. 9. c. nobis 40. dist. dd. capp. 22. 53. & 57.

[d] Reg. 3. c. 3 & c. 5 ext. de præſumpt.

Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. Tit. XII.

CAP. I.

IMINVVNTVR beneficia, cum penſione grauantur, quod, cũ veteri [a], nouoque [b] iure vetitum ſit, rationi conſonum eſt, id non, niſi à Romano Pontifice, fieri poſſe: ea tamen facultas etiam in inferioribus collatoribus non negatur, cum orta de beneficio, aut de eius poſſeſsione cõtrouerſia, litigantes reconciliari poſſunt, alteri eorum conceſſo titulo, alteri penſione, Quod tamen tutius fuerit à ſancta Sede Apoſtolica confirmari.

[a] can. Si quis præbendas 1. q. 1. c. manifeſtum. vacante. c. cũ cauſam ext. de præb. c. 1. & tot. tit. ext. hoc. tit.

[b] Conc. Later 3.

CAP. II.

SOlus quoque Romanus Pontifex [a] beneficium commendare poteſt in perpetuũ: ſiquidem commendatio, & proprietatem beneficij afficit, & poſſeſsionem: nam, licet commendare nihil aliud ſit, quàm [b] deponere, nec rei depoſitæ dominium, nec poſſeſsio in depoſitarium [c] transferatur, commẽdatio tamen perpetua pro titulo habetur. Quod quidem ſine Ordinarij collatoris incõmodo fieri nequit, quia, manente commendatione, quæ vulgò commenda vocatur, non poteſt de cõmendato beneficio diſponere, niſi ille, qui illud commendauit. Idco abſurdum eſſet, priuari ſuo iure poſſe Ordinarios collatores ab alio, quàm ab ipſo vniuerſalis Eccleſiæ capite, qui eſt omnium Ordinariorum Ordinarius, & in beneficijs [d] ſupremam habet auctoritatem. Ad tempus verò breue, nempe ſex, vel octo mẽſium, vel ad ſummum vnius anni, cõmendare beneficiũ poteſt, & alius quivis collator, [e] ſi qua ſit cauſa, quæ impediat, ne tam citò conferri beneficium in titulum debeat.

[a] c. vni Abbatem 21. q. 2. c. diuſa 1. ext. de elect. c. 1. cui eod. lib. 6. c. 8. de ſuppl. neg. Prælat. lib. 6 l. 1. Cod. ff. depoſit.

[b] l. 1. ſect. 3. ff. eod.

[c] l. 1. ſect. 5. ff. eod.

[d] c. 1. ff. de prebend. lib. 6. Clem. 1. in fi. vt lite pend. nihil inn.

[e] Rebuff. in tract. de deuolut. nu. 97. & in tract. de Commend. q. 4.

CAP. III.

TAnta eſt vis vnionis beneficiorũ, vt beneficiũ nomen amittat, ideo, nec ipſum vacare dici poteſt, niſi vacet & illud, cui [a] vnitum eſt. Quapropter vniones adeo ſemper odioſæ viſæ ſunt, & à communi Eccleſiarum vtilitate alienæ, vt non ſolùm omnes ordinarij collatores, (niſi in quibuſdam caſibus) ſed etiam ſummus ipſe Pontifex [b] omniũ beneficiorum dominus, vix vnquã, aut ſine magna cauſa, beneficiorum vnionem concedat, niſi vocatis omnibus illis, quorum intereſt: nam ex vnione minuitur numerus beneficiorum, & conſequenter presbyterorum: & contra longe facilius eſt, vt pluribus beneficijs plures rectores bene præſint [c], quàm vnus. Quãobrem, ſi ab ipſo Papa facta fuerit vnionis reuocatio, noua vnione opus eſt ad hoc, vt beneficium quãdocumq; vacãs ex integro vnitũ videri poſsit. Semel enim diſſolutũ vnionis vinculũ, niſi legitimis modis, nequit reſtitui.

[a] gl. ad c. 1. de excell. Prælat.

[b] can. cũcta per mundũ 9. q. 3. c. 2 & de præb. lib. 6. Clem. 1 inſ. vt, lite non conteſt.

[c] Rebuff. in tract. d. nu.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. Tit. XIII.

CAP. I.

TAciuli, & naturali ratione ei, qui in Eccleſiam nihil contulit, Eccleſiæ nihil detrahere permittitur. Quod enim pro communi commodo, & vtilitate datum eſſe perſpicitur, particularis perſonæ vſui [a] applicari nõ debet. Ideo, cùm Eccleſiarum rectores bonorum Eccleſiaſticorũ domini non ſint, ſed adminiſtratores tantùm, atque earumdẽ Eccleſiarũ procuratores [b], vt, quæ eo nomine poſsidẽt, pro virili parte meliora faciant; ea alienare non poſſunt, cùm in illis nullum ius habeant, ſicut habere neceſſe eſt eũ, qui aliquid alienare vult: ſi verò ſecus fecerint, contractum illum nihil valere, atque à ſucceſſore reuocari poſſe dicimus, niſi alienatio à ſummo Pontifice confirmata fuerit.

[a] l. Labeo ff. pro ſocio. c. ratio ext. de præben.

[b] c. 2. ext. de donation.

CAP. II.

ETſi iure [a] videtur eſſe permiſſum, vt terrulæ, & vineolæ, aliaq. id genus, quæ nullius fermè reditus ſunt, etiã nulla præuia ſolemnitate, alienari poſsint, vt, quæ plus incõmodi, & dilpẽdij, quàm vtilitatis, Eccleſijs, afferant, in quibus hoc plus eſt, quòd ad earum alienationẽ nulla alienãdi [b] neceſsitas cõcurrit, nos tamẽ alienationes cuiuſuis rei, etiam nullius momenti, & nullius prorſus vtilitatis, alienari in laicos non poſſe declaramus, niſi, toto negotio in capitulo propoſito, atq; examinato, maior pars canonicorũ, faciendã eſſe alienationẽ ſtatuerit, debitæq. ſolẽnitates in eo cõtractu adhibitæ fuerint. Quod, ſi ex neceſsitate, vel alia iuſta cauſa, alienatio cum ſolemnitatibus facta fuerit, vtique valeat, quãuis, vel in pretio, vel in alia conuentionis

[a] can. Terrulas 12. q. 2.

[b] can. ſine exceptione in fi. eod. q. 2.

parte,

parte, Eccleſiam læſam fuiſſe conſtet, quæ tamen [c] in integrum reſtituenda fuerit. Sed, ſi deſit legitima cauſa alienandi, ſolemnitates verò minime defuerint, ſeu contra, ſi facta fuerit abſque ſolemnitatibus, licet adſit legitima cauſa [d], nulla, atque inutilis ſit alienatio, etiam [e] ſi communi omnium opinione in Eccleſiæ vtilitatem facta exiſtimaretur, cùm re vera damnoſa eſſet, vel minimè vtilis.

[c] cap. 1. extr. de in integr. reſtitut.

[d] Couar. c. 17. n. 1. lib. 2. variar. reſol. e contrario tenet Anton. Corſe. in Singular. ver. ſe. tenacio.

§. Vnic.

Cætera præterea bona Eccleſiaſtica, quãuis, nec ad menſam noſtram, nec ad capituli proprietatem pertineant, ſiue terrulæ ſint, ſiue vineolæ, ſiue aliæ huiuſmodi res minimi pretij, ac momenti, nullo pacto alienari poſſint, niſi Rector alienare cupiens, à nobis, vel à Vicario noſtro generali, eas alienandi in ſcriptis licentiam obtinuerit. Si ſecus factum ſit, nulla ſit alienatio, & alienans arbitrio noſtro mulctetur.

CAP. III.

CVm contractus emphyteuticus ſit alienationis ſpecies, & res Eccleſiaſtica, ſiue ad particularem locum, ſiue ad Epiſcopalem menſam pertineat, ſine ſolemnitate, & cauſa neceſſitatis alienari prohibeatur, in emphyteuſim dari non poteſt: nec refert, vtrũ fundus ille ſterilis, aut inutilis ſit, an fœcundus, quoniam neque [a] ſterilis, (quamuis in euidẽtem vtilitatem Eccleſiæ [b]) abſque ſolẽnitate alienari permittitur adeo, vt longi, & longiſſimi tẽporis præſcriptio poſſeſſori nihil profit, niſi cõtractum ſolemniter celebratum fuiſſe ſcriptura conſtet, aut ſaltẽ fama, ex qua, concurrente longa poſſeſſione, præſumatur, ſolemnitatem legitimam ipſi contractui minime defuiſſe. Quam quidem præſumptionẽ alia ſtatim ſubſequatur præſumptio, videri emphyteuſim factam in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, niſi contrariũ probetur [c]. Verùm, ſi ob omiſſionem ſolemnitatum conſolidandum fuerit vtile cum directo dominio, & ab emphyteuta facta fuerint meliorameuta, ad rem emphyteuticam dimittendam minime compellatur, nec poſſeſſione deijciatur, donec à directo domino fundi integram expenſarum in meliorationibus factarum ſatisfactionem acceperit.

[a] ſup. c. proximum prin. & cont. Bal. ad Auth. ad quæ C. cõm. de lega.

[c] Alex. cõſ. 79 verſ. fortificamur lib. 2.

CAP. IV.

AD caducitatem verò, ſeu deuolutionẽ agenti [a] incumbere volumus onus probandi dominium, & rem, qua de agitur, eſſe emphyteuticam. Quæ ſanè probatio fieri debeat ſcriptura. Nec ſufficiat, ſolutum fuiſſe laudemium directo domino, namque, licet ea ſolutio præbeat iudicium ad probationem præſumpti dominij, non tamen ſufficit ad probandum dominium, niſi documentis, ſeu inſtrumentis emphyteuticis fulciatur.

[a] And. in l. qui inſcribitur Aſſertio libertatis c. de ſ. 2. verſ. & eo magis deregitur.

§. 1.

Nec ſufficit ad declarandam caducitatem, etiam ſolutum fuiſſe canonem, quoties rem ipſam, de qua orta eſt quæſtio, emphyteuticam eſſe ſpeciatim certum non ſit.

§. 2.

Quamuis enim ad conſequendam ſolutionem canonis leuiores ſufficiant probationes, ad inducendam tamen caducitatem, cùm ſit quid odioſum, plena, & concludens eſſe debet dominij probatio. Porrò tunc caducitatem procedere declaramus, cum alter, ſiue ruſtici, ſiue vrbani prædij, dominium directũ; alter vtile habet, non item, ſi quid tantum ſoluatur ab eo, qui fundum non poſſidet, quem ab alio in emphyteuſim non recognoſcat.

§. 3.

Immo, vt pœna caducitatis euitetur, ſolutio in dubio ſemper facta præſumitur ex re cenſuali potius, quàm emphyteutica. Plena igitur dominij probatio requiritur, quandocumque de rei vendicatione agatur adeo, vt ad ſupplementum probationis admittendum non ſit iuramentum.

§. 4.

Si autem ad rei naturam explorandam vehementes conueniant coniecturæ, vtpotè inueſtituræ longi temporis, ſolutiones, poſſidentium confeſſiones, conuentiones, denũciationes, libri antiqui, vnde certum ſit, bona controuerſa eſſe emphyteutica, hiſq. ſimilia; tunc etiam, maiore parte coniecturarum huc concurrente, pronunciari poterit, eam rem cenſualem minimè eſſe, ſed emphyteuticam.

CAP. V.

SEd, quoniam bona Eccleſiaſtica, etiam valde pretioſa, abſque ſolemnitatibus, ſolaq. ſanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatione, quæ: Si in euidentem, &c. appellatur, in emphyteuſim dari conſueuerunt, ne de Vicario noſtro, eiuſque ſucceſſoribus, oriatur ſuſpicio, quæ oriri ſolet de iudicum, atque Apoſtolicarum commiſſariorum fide, qui ab eadem Sede delegati, vt, quæ ad vtilitatem Eccleſiarum à petentibus alienationes proponuntur, diligenter perquirant, nonnunquam muneris, ac propriæ conſcientiæ obliti, alienationes re ipſa Eccleſijs damnoſas, quandoque vtiliſſimas eſſe, affirmare non erubeſcũt. Si cauſam huiuſmodi alienationis faciendæ, vel in noſtra, vel in aliena diœceſi Vicario noſtro committi contingat, ſummi Pontificis Pauli Secundi conſtitutionem, qua

commiſſarij Apoſtolici officij ſui admonentur, diligenſque alienationum examen præſcribitur, & ad vnguem ſeruari mandamus: vtque in omnium oculis ſit, eam infra deſcribi curauimus.

Paulus Papa Secundus.

CAP. VI.

IN examinandis alienationum cauſis, quæ à Sede Apoſtolica in forma: Si in euidentem vtilitatem cedant, oneratis Eccleſiaſticorum iudicum conſciētijs, delegantur, nihil fauor vſurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmij iuſtitiam, conſcientiamq. ſubuertat. Monemus igitur, & ſub interminatione diuini iudicij omnibus commiſſarijs, & delegatis huiuſmodi diſtrictè præcipimus, vt cautè, & diligenter attendant cauſas in litteris Apoſtolicis per ſupplicationes expreſſas, illasque ſollicitè examinent, atque diſcutiant: teſtes, & probationes ſuper narratorum veritate recipiant, & ſolum Deum præ oculis habentes, omni timore, aut fauore depoſito, Eccleſiarum indemnitatibus cōſulant, nec in læſionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant.

§. 1.

Si quis autem commiſſarius, vel delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus in grauamen, & detrimentum Eccleſiæ per gratiam, aut timorem, vel ſordes, alienationi conſenſerit, aut decretum, vel auctoritatem interpoſuerit; inferior quidem Epiſcopo ſententiam excommunicationis incurrat: Epiſcopus verò, ac ſuperior, ab executione officij per annum nouerit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem detrimenti Eccleſiæ illati nihilominus condemnandus: ſciturus, quòd, ſi ſuſpenſione durante, damnabiliter ingeſſerit ſe in diuinis, irregularitatis laqueo ſe inuoluet, à quo non, niſi per ſummum Pontificem, poterit liberari.

§. 2.

Is verò, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter, in detrimentum Eccleſiæ alienationem fieri procurauerit, aut per ſordes, vel impreſſionem, alienationis decretum extorſerit, ſimilem ſententiam excommunicationis incurrat, à qua, niſi per Romanum Pontificem, poſſit abſolui, ad reſtitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de præmiſſis conſtiterit, condemnandus.

De Precarijs. Tit. XIV.

CAP. I.

PRECARIA conceſſio, licet à precario differat, ſitq. ſpecies contractus colonarij, voluti, cum ruſticum, aut vrbanum prædium ad quinquennium conceditur, nihilominus, quoniam, & ipſa alienationis ſpecies eſt, prohibita quoque eſſe intelligitur[a], quemadmodum eam deinceps fieri in bonis Eccleſiaſticis prohibemus. Quamuis enim detur; vt diximus; ad quinquennium duntaxat, eoque temporis ſpatio, non tantum à concedentis ſucceſſore, ſed & ab ipſomet concedente reuocari poſſit conceſſio, transfertur tamen per eam dominium vtile; quod negligentia forſan concedentis, & ſucceſſoris, aliquo poſt tempore conſolidari poteſt cum directo: vnde Eccleſia ſuo iure priuetur.

a cap. 1. cum ſeq. ext. hoc tit.

CAP. II.

PRecario etiam bona Eccleſiaſtica concedi vetamus: nam, etſi, qui precario concedit, ciuiliter poſſidet; quia non deſinit animo poſsidere, vt ait Iuriſconſultus[a], attamē, qui rogauit precario, vtique naturaliter, & ipſo corpore[b] poſsidet: vnde apparet, longè minorem eſſe poteſtatem precarij, quàm conſtituti, nam per clauſulam, conſtituti, in creditorem non minus naturalis poſſeſsio transfertur, quàm[c] ciuilis, ita, vt apud debitorem, nec ciuilis, nec naturalis poſſeſsio prorſus remaneat.

a Papinian in l. & habet §. rum, qui ff. eod. de precario.
b d. §. eum, qui, & l. certe §. 1. qui rogauit eod.
c l. qui nec ff. de acquir. poſſeſſ.

De commodato. Tit. XV.

CAP. Vnic.

CVM res Eccleſiæ precario dari minime poſsint, multò minus dari poſſunt commodato. Precarium enim, cùm abſque certi vſus præfinitione concedatur, quandocumque concedenti placeat, reuocari[a] poteſt. Commodatum verò ad certum vſum conceſſum, niſi finito vſu, ob quem datum eſt, reuocari non[b] poteſt: item, qui rem precario habet, de dolo tantum tenetur, qui commodato, de dolo, & culpa etiam leuiſsima, non autem de caſu fortuito, niſi fortè cum poſſet, res commodatas ſaluas facere, ſtudioſe ſuas prætulerit, vel pacto conuenerit, vel in reſtituendo moram[c] interpoſuerit.

a l. cum precario ff. de precar. c. vlt. ext. eod. de precar.
b l. 2. ff. ſi cert. pet. c. ex. verſ. contra ext. hoc tit.
c d. c. vnic.

De

De depoſito. Tit. XVI.

CAP. I.

SI clericus depoſitarius res depoſitas amiſiſſe dicat; quæſtionis eſt, an teneatur illas reſtituere, vel earum pretium dare, ſi inuentæ non fuerint, vel ſoluere, quod deponentis intereſſit, ſi omnino perditæ fuerint. Et certum eſt, depoſitarium, qui, neque culpam promiſit [a], neque depoſito ſe vltrò [b] obtulit, de culpa non teneri, multoque minus de caſu fortuito [c], niſi etiam pro caſibus fortuitis [d] fidem ſuam obſtrinxerit, ſed de dolo [e] tantùm, quem tamen præſumptum eſſe ſatis eſt, vt conueniri poſſit. Si verò res depoſitæ amiſſæ, aut furto ſubtractæ dicantur in eo loco, cuius claues ſemper penes depoſitarium fuerint, iſque locus intactus appareat, atque nihil ex alijs rebus, quæ ad depoſitarium pertinebant, inde amotum, negari vtique non poteſt, quin doli præſumptio vrgeat contra depoſitarium adeo, vt non modò teneatur actione depoſiti [f], & condemnari poſſit, quantùm actor in litem [g] iurauerit, (ſi non appareat, quale depoſitum fuerit) ſed etiam in quæſtionem [h] depoſci clericum depoſitarium poſſe dicimus.

a cap. 2. ext. eod. l. 1. §. ſi conuenit. ff. eod.
b d. l. 1. §. ſi conuenit.
c l. contractus. 23 in fi. ff. d. reg. iur. l. quæ fortuitis ff. de pign. act.
d d. cap. 2. e l. 1. §. vsque que ff. depoſit. & alli.

CAP. II.

SI contingat, à vita diſcedere depoſitarium, antequam rem apud ſe depoſitam reſtituat, hærede cum beneficio legis, & inuentarij relicto; poterit abſque dubio deponens cõtra hæredem inſurgere actione depoſiti, ac, ſicut cæteri creditores, bonorum defuncti diſcuſſionem petere, &, ſi hæreditas ſoluendo ſit, hæres, quamuis depoſitarius dici non poſſit, nec pro re deponenda [a] fides eius electa fuerit, ex actione tamen depoſiti, rem penes defunctum depoſitam, deponẽti, vel eius hæredibus, reſtituere tenetur, quia [b] omnes actiones ex contractibus originem trahẽtes, perpaucis [c] exceptis, in hæredes tranſeũt. Et, licet priuilegium depoſiti vltra perſonam depoſitarij extendi non videatur; attamen, ſi res depoſita extet, ipſe deponenti rem reſtituere debet, nec [d] quærendum fuerit quidquam de priuilegio, aut de bonorum diſcuſſione: ſi verò petierit, vel quouiſmodo eſſe deſierit; ex æſtimatione faciẽda erit reſtitutio; nam, cùm depoſitum, nec [e] dominium, nec poſſeſſionem rei, quæ deponitur, in depoſitariũ transferat, conſtat, eam, quoniam in bonis defuncti nũquam fuerit, eſſe extra [f] cauſam hæreditatis: idcirco eius actionis perſecutionẽ cum alijs aliorum creditorum g actionibus nihil commune habere, manifeſtum eſt.

a l. ſi in Aſia §. cũ ſequeſ. l. die tyronis 1. bonorum in. pene l. h. in. quo cit. leq. C. eod.
b §. Aliquãdo inſtit. de perp. & tem. act. l. ex depoſiti 1. ex contractu ff. de obligg. & action.
c de quib. vide Ant. Fabrum lib. 1. conſectur. c 22.
d l. ſi venerij §. in bonis ff. de reb. auct. iud. poſſid.
e l. licet §. rei depoſitæ ff. hoc tit. l. 47. ff. de legat. 1. l. procuratoris §. pen. ff. de tribut. act. l. 2. domino ff. de petit. hæredit. l. depoſiti in princ. ff. de depoſit.

Acta Eccleſ. Tarantaſ.

§. vnic.

At, ſi Eccleſia fuerit hæres inſtituta, & hæreditas ærè alieno adeo grauata, vt non ſit ſoluendo; reſq. depoſita extiterit, nulli dubiũ eſt, quin domino reſtituenda ſit: ſed, ſi res non reperiatur, conuerſaq. ſit in Eccleſiæ vtilitatẽ, rei æſtimatio deponenti reſtituẽda eſt.

De emptione, & venditione. Tit. XVII.

CAP. I.

CENSVS omnes nõ niſi ſeruata forma à sũmo Põtif. Pio V. tradita, creari, vel conſtitui poſſe decernimus; ſi ſecus factum ſit, contractum nullum eſſe, nullamq. ex eo dari actionem, ſed, & penitus vſurarium ipſum declaramus: mandantes propterea, ne contrahentes, etiam in articulo mortis poſiti, ſi ſoluẽdo ſint, abſoluantur, niſi fructus inde perceptos reſtituerint, vel de illis reſtituẽdis intra tempus à loci parocho præfigendum, idonee cauerint, aut ab hæredibus reſtitui iuſſerint: quin etiam, ſi minime facta, aut imperata reſtitutione, diem obierint, eccleſiaſtica priuentur ſepultura. Notarij verò, qui huic illicitæ conuentioni fidei publicæ robur adiecerint, non ſolùm pœnis, & ciuili, & canonico iure contra legum violatores notarios ſtatutis, mulctentur, ſed & à communione fidelium tamdiu ſeparati intelligantur, quamdiu, pœnitẽtiæ euidentibus ſignis exhibitis, id ſe amplius non commiſſuros ſolemniter iurauerint; teſtes quoque ad huiuſmodi turpium contractuum ſtipulationem ſcienter adhibiti in foro interiore minime abſoluantur, niſi à nobis, ac poſteaquã, ſe deinceps tali vſurariæ conuẽtioni nunquã interfuturos, promiſerint. Quo verò ſimplicium ignorantiæ conſultum ſit, parochis noſtræ diœceſis præcipimus, vt poſt menſem, à die præſentium actorum promulgatione computandum, vnuſquiſque in Eccleſia ſua inter Miſſarum ſolemnia populo, ſcilicet, frequentiſſimo, hanc noſtram conſtitutionem lingua vernacula publicare nõ differãt; quod, ſi neglexerint, à fructuum parochialium perceptione locis pijs applicandorum arbitrio noſtro ſuſpendantur. Pij autẽ Pontificis conſtitutionem, vt in propatulo poſita, nullum excuſationis locum relinquat, inferius deſcribi mandamus.

Pius Papa Quintus.

CAP. II.

VT in creandis cenſibus, & in illis conſtituendis omnis penitus fraus, & ſuſpi-

cio vſurariæ prauitatis tollatur, ſtatuimus, cẽſus, ſiue annuos redditus, creari, conſtituivè nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili, habeatur, & quæ naturaliter fructifera ſit, & nominatim certis finibus deſignata. Rurſum, quòd fiat in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, ac notario, vel aliàs quòd conſtet de vera, & reali exburſatione, ac ſolutione in pecunia numerata facta ab emptore, & à venditore habita, vel eius mandato alteri ſoluta.

§. 1.

Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci, prohibemus.

§. 2.

Conuentiones directæ, aut indirectæ obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus, quemadmodum, nec pactum auferens, & reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, quia volumus, rem ipſam ſemper, & libere, ac ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter viuos, quàm in vltima voluntate, alienari poſſe.

§. 3.

Vbi autem vendenda ſit, volumus, dominum cenſus alijs omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.

§. 4.

Pacta continentia, moroſum cenſus debitorem, teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria, ſeu expenſas, medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſubiectã, ſiue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, ſiue aliunde acquiſitam, perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla.

§. 5.

Immo, & cenſum augeri, & nouum creari ſuper eadem, vel alia re in fauorem eiuſdem, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

§. 6.

Sicut etiam annullamus pacta cõtinentia, ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non ſpectarent.

§. 7.

Poſtremò cenſus omnes in futurum creandos, non ſolùm re in totum, vel pro parte peremptã, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui, non obſtante longiſſimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præſcriptione, non obſtantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuſcunque verbis, aut clauſulis concepta ſint.

§. 8.

Cum verò traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus, per bimeſtre ante id denunciari ei, cui pretiũ dandum erit, & poſt denunciam intra annum tamen, etiã ab inuito pretiũ repeti poſſe, & vbi pretiũ, nec volẽs, intra bimeſtre ſoluat, nec ab inuito intra annum exigatur: volumus nihilominus, quandocumque reditum extingui poſſe, prævia tamen ſemper denuncia, de qua ſupra, & non obſtantibus his, de quibus ſupra: idque obſeruari mandamus, etiam quòd pluries, ac pluries, denunciatum fuiſſet, & nunquam effectus ſecutus fuiſſet.

§. 9.

Pacta etiam continentia pretiũ cenſus extra caſum prædictum ab inuito, aut ob pœnã, aut ob aliã cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus, contractuſq. ſub alia forma poſt hac celebrandos fœneratitios iudicamus, & ita illis propterea non obſtantibus, quicquid, vel expreſsè, vel tacitè contra hæc noſtra mandata, dari, remitti, aut dimitti contingat, à fiſco volumus poſſe vindicari.

§. 10.

Hanc ſalutiferam noſtram ſanctionem extendimus etiam ad venditionem cẽſuum iam creatorum, ita tamen, vt in cenſu iam creato, & legitimè conſtituto; vt ſupra; venditio, & alienatio ita fieri poſſit, ſicut de alijs rebus, quæ de iure vendi, aut alienari poſſunt.

§. 11.

Declarantes, pretium ſemel cenſui conſtitutum nunquam poſſe ad temporum, aut cõtrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec, quoad vltimo contrahentes, minui, vel augeri.

§. 12.

Et, licet legem ipſam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos ſub alia forma peruenerunt cenſus, hortamur in Domino, vt ſingulos contractus cenſuræ bonorum Religioſorum ſubijciant, & animarum ſaluti conſulant.

CAP. III.

QVoniam pars [a] pretij cenſetur eſſe factum de retrouendendo, non ſine fœnoris ſuſpicione iniri poſſe videtur, quia rem minoris, quàm valeat diſtrahi ſequitur, licitũ tamen illud eſſe non negamus. Quoniã verò, vel malitia, vel ſimplicitate contrahentium,

[a] l fundipar te ff de cõt. empt l ſi ſtipulatus ff de adem ptio. & ven.

huius

huius pacti occaſione non pauci contractus vſurarij euadunt, nos, vt prauas conuentiones, quantùm cum Domino poſſumus, radicitus extirpemus, ſi pacto ſimplici de retrouendendo adijciatur pactum de eadem re venditori retrouendenda maiore pretio, quã prius vendita fuerit ita, vt quartam pretij partem in priore venditione conuenti, excedat, contractum illum fœneraticium, atq. illicitum eſſe, pronunciamus, ac multò magis, ſi in conuentione expreſſum fuerit [b], fructus inde perceptos ante retrouenditionem in ſortem, partemq. pretij computandos eſſe. Præterea, quoad illud, de quo frequenter dubitatur circa huiuſmodi contractum, vtrum, ſcilicet, conuentio, qua primus venditor rem venditam arbitrio emptoris redimere teneatur, licita ſit, nec ne; quia venditor nimis grauari videtur, dum ab emptoris voluntate pendere cogitur, in cuius poteſtate remanet, etiam, quando res cariùs vendi poteſt, ipſum venditorem ad eam redimendam compellere; huiuſmodi pactum, tamquam venditori iniuriоſum, legumq. æquitati contrarium, inualidum dicimus, atque damnamus, nullumque ius, aut actionem emptori contra venditorem ex eo tribui decernimus, prohibentes, ne ex tali contractu publicæ conficiantur ſcripturæ, ſed & tranſgreſſores, tamquam vſurarios, puniri mandamus.

b cille vos ext. de pignor.

CAP. IV.

HViuſmodi tamen pacti de retrouendendo modum ita reſtringendum, ac dirigendum eſſe declaramus, vt, ſiue in eodem contractu, ſiue ſeparatim ab eo, ſiue priuata, ſiue publica ſcriptura, etiam coràm ijſdem teſtibus, ac notario ſtipulatum ſit, ſi ex eo magnum venditori damnum afferatur, ſitq. conſtans [a] fama, ſolitum eſſe emptorem fœnerari; vſurariæ prauitatis ſuſpicionem inducat. Quod, cùm legibus contentaneum ſit, vendentes cum pacto de retrouendendo, neque pacifci, neque promittere quidquam audeant, niſi ex earundem legum præſcripto, ne pœnas contra fœneratores ſtatutas, etiam cum nominis infamia, experiri cogantur. Notarij verò, qui in huiuſmodi contractibus publica abuſi fuerunt auctoritate, multam ſuperius [b] definitam ſubeant.

a Grãmat. decil. 7d.

b ſupr. eod. cap. 2.

CAP. V.

QVod autem ſtatutum eſt circa rerum victualium pretia, menſuras etiam, ac ponderа [a] comprehendere declaramus, quibus fraudem committentes, præter diuinæ ſententiæ pœnam fraudantibus irrogandam, rem etiam amittant, quæ alicui hoſpitali tradatur. Qui iterum deliquerit, non ſolum re priuatus intelligatur, ſed, & aureis nummis duodecim, pauperibus diſtribuendis, mulctetur. Si verò ita occulta fuerit fraus, vt in iudicium exterioris fori deduci nequeat, ſed [b] diuinis oculis manifeſta, ab interiore tantùm foro fraudantis animæ periculoſa ſit, eius nihilominus abſolutionem nobis reſeruamus.

a c. 2. ext. eod.

b cap Deus omnipotens 2. q. 3. §. ſtruebeſcant 33. diſtinct. cap. fundamenta §. perinde de elect. li. 6

De locato, & conducto. Tit. XVIII.

CAP. I.

LOCATIONES, & ſi propriè alienationes dici non poſſunt, attamen, quoniam, ſi ad longum tempus fiant, alienationes [a] videntur, iure optimo prohibendæ ſunt. Itaq. vltra triennium locationes rerum eccleſiaſticarum irritas, ac nullas eſſe, decernimus: hacq. de cauſa anticipatas ſolutiones in præiudicium ſucceſſorum, quocumq. indulto, ac priuilegio non obſtante, fieri non permittimus: talia enim priuilegia reuocauit ſacra Synodus [b] Tridentina. Si verò a Sede Apoſtolica conceſſa appareat longioris temporis locatio, cùm conſtitutionibus conciliorum generalium, niſi ex magna cauſa, derogari non ſoleat; Vicarius noſter gratiam diligenter examinet, ac perpendat, quomodo, ſalua ſummi Pontificis auctoritate, abſq. conſcientiæ ſcrupulo, poſſit conceſſio talis executioni mandari.

a tot. tit. extra de rebus eccl. alien. vel non. Extrauag. Ambitioſa eodem.

b c. 11. ſeſſ. 25. de refor.

CAP. II.

NEc rector eccleſiæ teneatur ſtare pactis, cum conductore, aut colono à ſuo prædeceſſore initis; cùm non ab eo, ſed ab Ordinario beneficij collatore [a] ius in beneficio habeat; ſicut, nec emptor ſtare tenetur ijs, quæ colono venditor promiſit, ſi non ea conuentione [b] emerit. Quod non ſolùm in fundi, ſed & in fructuum emptore procedit, etſi id admittunt doctores, ſi fructus ipſi, aut fundus conductus, aut denique omnia bona locatoris, non ſpecialiter, ſed generaliter, ſint conductori obligata: eo namq. caſu locatori auferenda non ſunt, priusquàm eius indemnitati conſultum ſit. Quæ tamen diſtinctio in re eccleſiaſtica locum non habet, cùm ea à rectore non magis obligari poſſit, (niſi in eccleſiæ vtilitatem) quàm [c] alienari. Quod ad amuſſim obſeruari ſub pœna arbitrio noſtro imponenda, mandamus.

a Bald ad l. emptorem. verſ. quæro aliquid ſuccedit C. eodem tit. Gui dus Papa q. 380.

b l. emptorem, & l. fi merces §. 1. ff. eod.

c Nouell. 7. de non alienan. reb. eccleſ. Extrauag. ambitioſa eodem, & hoc tit. cap.

CAP. III.

SIcut prædia ruſtica vltra triennium locari [a] non poſſunt, ita, & vrbana, præſertim domus canonicales intra canonicæ fines exiſtentes. quòd, ſi canonici, quibus optione [b],

a d. Extrau. ambitioſa.

b c. 1. de conſuetud. lib. 6.

vel alio quouis iure, obtigerint, eas non incoluerint, ab alijs canonicis, aut eccleſiæ miniſtris, habitari curent. Cæteras verò ædes pro eccleſiæ miniſtris conſtitutas, laicis nullo pacto locari volumus, niſi ob inopiam id permittendum eſſe iudicauerimus, eoq. caſu honeſtis tantùm perſonis.

§. vnic.

In ijs autem canonicalibus domibus, quæ clauſtris comprehenduntur, fœminis, etiam non ſuſpectis, nulla prorſus ratione habitare liceat, neve ipſis canonicis illas in famulatu habere, niſi ſeruatis ijs, quæ ſuperius [c] à nobis conſtituta ſunt.

[c] ſupide cohabit. cler. & mulier.

CAP. IV.

SI conductor, finito conductionis tempore, remanſerit in cultura prædij ruſtici, reconduxiſſe quidem prædium videtur ijſdē, quibus [a] antea, conditionibus illud conduxerat, non autem in annos totidem, ſed pro ſpatio vnius anni duntaxat [b], ne tacitus conſenſus, qui ex facto inducitur, vltra, quàm factum ſit, extendi videatur. Quod enim ex facto inducitur, non poteſt extendi vltra ipſum factum, ne latiùs pareat effectus, quàm cauſa. Quamobrem differt, quoad hoc, ruſticum prædium ab vrbano, ſiquidem vrbani prædij fructus in [c] ſingulos dies percipiuntur, non æque ruſtici, qui aliquando, nec in ſingulos annos. Quare, ſi ruſticum prædium, non, niſi in biennium, aut triennium, fructus ferret, dicimus, in [d] biennium, aut triennium ſubſequens repetitam intelligi conductionem.

[a] l. 1. item, quæritur §. qui impleto ff. eod. aut dec. 180. lib. 2. per tot. [b] d. §. qui impleto.

[c] d §. qui impleto in fin.

[d] nor. Doctores ad d. §. qui impleto Put ddeciſ. 180.

CAP. V.

SI clericus à conductore ſui beneficij præteritorum annorum penſiones exigere nequeat, fructuſq. eiuſdem beneficij propterea alteri locauerit, licet conductor de ſoluendis penſionibus ei ſatiſdederit, non prohiberur, quin iure ſuo vti poſſit, & obtinere, ne conductor proximi, ſequentiumq. annorum fructus antea percipiat [a], quàm, quod pro perceptis debet, perſoluat, ac multò magis, ſi (vt non rarò euenit) bona ſua omnia obligauerit, hocq. quoniam fideiuſſores dare [b], non eſt ſoluere, cautiorq. [c] futurus eſt clericus ex re, quàm ex perſona ſui debitoris, nec minus iuris habet locator fundi in ſuis fructibus, quam habeat conductor in alienis, quos pro ſoluendis penſionibus [d] pignoris loco obligatos eſſe locatori, non eſt dubium, licet inter ipſum, & conductorem id nominatim non conuenerit: Ideo, & ex ea mora [e] conductorem expelli poſſe dicimus, nec refert, quòd fideiuſſores dederit, ſi nihilominus [f] re aliena abutatur: quod vtiq. tanti faciendum eſt, vt, cùm reipublicæ non paruum intereſſe [g], aliquem re propria abuti, eiuſdem magis intereſſit, quòd quis [h] abutatur aliena.

[a] arg. l. quis familiarius ff. de ſuſpect. tutor. lib. 1. adde C. eod. hoc tit.

[b] l. quod ſi non ſoluere ff. de pign. act. l. item l. beratur §. 1. ff. quib. modis pign. vel hypoth. ſolu.

[c] l. 26 ff de reg iur.

[d] l. in prædijs ff. locat. cauſ. pig. vel hypoth. tacit. conerab.

[e] l. adde C. hoc tit. l. quæro §. inter locatorē ff. hoc tit.

[f] d. l. quæ ſatisdatio.

[g] l. 1. ff. ſi. de her. qui ſunt ſui, vel

[h] l. 1. ff conſtance §. marius ff. ſol. matrim.

CAP. VI.

IS, qui capituli noſtri fundum conduxit, ſi, caſuum fortuitorum periculum ſe ſubiturum pactus fuerit, mercedis remiſſionem prætextu belli, aut peſtis emergentis, quantumcumq. grauis, & inſolitæ, petere non poteſt, cùm dubium non ſit, valere conuentionem, qua de caſu [a] fortuito teneatur, qui alioquin non teneretur, ſed ſeruanda [b] ſunt pacta, dum legibus, aut bonis moribus non aduerſentur, ac præſertim, cùm ob eam cauſam capitulum viliori mercede fundum locaſſe veriſimile ſit, nec aliter [c] fuiſſe locaturum. Nec placet ſententia exiſtimantium [d], conuentionem hanc ad caſus inſolitos non extendi, etenim extenſionis nomine cenſenda non eſt illa conuentio, qua caſuum fortuitorum omnium [e] periculum generaliter ſuſcipitur, ſi in inſtrumento locationis appoſita ſit clauſula, quæ tam non cogitatos [f], quàm cogitatos, caſus comprehendat.

[a] l. ſi quis decem §. rationes ff. hoc tit. l. licet C. eod. l. quæ fortuita C. de pign. act.

[b] l. iuriſgentis §. ait Prætor ff. de pact. c. 1 ext. de paſtis.

[c] arg. l. ſi vēditor §. 1. m ſia. ff. de ſeruit. exporta. l. ſi ſterilis §. ſi tibi ff. de act. empt. & vend.

[d] gl. & Bartol. ad l. ſed, & ſi quis §. queſitus ff. ſi quis cautionib. ad l. ſi ſtulus §. frumenta ff. de contrahen. empt.

[e] d. §. frumenta, & l. 2. verſ. ita, vt ſi C. de ſure emphyt.

[f] Cranetta conſil. 294. Rip. in tract. de pelle nu. 74 vique ad fin.

CAP. VII.

SI ad plures annos facta fuerit locatio, non ſolùm vnius anni ſterilitas cum aliorum annorum fertilitate, ſed vnius quoque ſpeciei cum aliarum ſpecierum vbertate [a] compenſanda eſt. Nam, cùm vnicus ſit contractus, atque indiuiduus, ſatis eſt, conductorem aliqua ratione indemnem ſeruari poſſe. Ergo, cùm vinum, vel caſtaneæ, vel frumentum ſperarentur, caſtanearum fere nihil, frumenti penuria ingens, vini autem copia maxima fuerit, remiſſionem penſionis nullam petere poterit conductor: confundi namque debet vinum cum frumento, & caſtaneis, ſicque inuicem alij fructus [b]. Sed quid, ſi aliqua conducti prædij parte frui conductor prohibeatur? locatorem dicimus debere omnino præſtare, vt tota re conducta conductor [c] fiui poſſit. Nec refert, quòd alia pars, qua fruitur, indemnitatem plenam conductori [d] afferat. Si verò rerum omnium ſterilitas fuerit, dubitari non poteſt, quin facienda ſit remiſſio mercedis. Sed difficultas eſt, vtrum fieri debeat ſingulis annis, an in fine, aut in vltimo locationis anno: ſi conuentio ſimpliciter facta ſit, obſeruandum eſt, quod communiter fit ex iuris communis [e] diſpoſitione: ſi cum conditione, vt ſingulis annis fiat compenſatio; in ſingulos annos conductionis peti poteſt remiſſio, ſi qua eius petendæ iuſta cauſa fuerit.

[a] l. 1. ff. fructus §. Papinian. alias l. diuortio ff. ſolut. matrim.

[b] d l ex eſdu&o.

[c] argum. l. ſi duorum ff. de act. empt. & vend l. ſi cui per cauſā fundū l. 3. ff. hoc tit.

[d] arg. l. vlt. nec. com per C. de ſ. verb. ſignif.

De

De rerum permutatione. Tit. XIX.

CAP. I.

a l.1.§ item empt. ff. hoc tit.

PERMVTATIONEM eſſe a contractum, quo res datur, vt alia accipiatur, planè conſtat; quamquam res omnes permutationem non recipiunt, vt

b c.vlt. eod. c c.5. & 7. eod.

ſunt b ſpiritalia cum temporalibus, neque beneficia c auctoritate propria permutari, ſicut nec renunciari poſſunt. In his enim, quæ ad publicam pertinent vtilitatem; vt alias diximus d; nemo ſibi onus impoſitum propria

d c.7 de renunciat.

auctoritate deponere permittitur, ne, ſcilicet, ius publicum priuatorum arbitrio detrimentum patiatur. Fieri autem poteſt beneficij permutatio, vel in manibus ſummi Pontificis,

e c.1. eod. in fi.

vel noſtris, aut, nobis e abſentibus, Vicarij noſtri generalis, qui tamen illud conferre non poteſt, niſi plene ſequuta permutatione

f Clemen. 1. eod.

inter volentes. Sin ſecus f, nulla ſit collatio: & permutatione ex vna parte facta, ſi per aliam ſteterit, quo minus adimpleatur, reſtituatur pars g, quæ renunciauit, & altera condemnetur, non ſolum ad beneficij reſtitutionem, ſed etiam ad præſtandum, quod alterius

g c.1. extra eod.

fortaſſe interiit h ratione doli: ſi autem perfecta fuerit permutatio, videlicet, ſi in manibus noſtris, vel, vt ſupra, facta, atque admiſſa, & abſoluta ſit vtrinq. collatio; cogenda

h l.1. §. vlt. ff. hoc tit. l. 2. vlt. & paſſim C. hoc tit.

eſt pars recuſans ad beneficij poſſeſſionem tradendam, aut dimittendam, & ad litis i expenſas ſarciendas condemnanda: namq. hoc

i l. qui ſolidum §. etiam ff. de leg. 2. Inſtit. de poſſeſſ. ſtigan. l. 3. C. hoc titul.

caſu k nullus pœnitentiæ locus eſſe poteſt.

CAP. II.

a l. penul. & vlt. ff. de edict. tritor.

SI clericus rem, cuius æſtimatio a in dies ſingulos varietur, permutare ad certum tempus promiſerit, nec eam intra pactum dierum terminum tradiderit, videndum eſt, cuius temporis determinanda ſit rei non traditæ æſtimatio, & quidem, ſi res permutanda extiterit, & adhuc ſalua fuerit, nec deterior

b l. 8 fideiuſſ. §. cū per vendit. rem ff. de adminiſt. & vēd. l. in interdicto ff. vade vi. c l. 3 §. 1. & 2. in rebus §. ff. Comod. l. 1. §. 6 res depoſita ff. depoſit. d d.l. 1 §. in hac & l. pen. & vlt. ff. de cond. furtiv. e Bartol. & alij ad d. §. in hac, & ad l. vnum ff. de reb. cred.

appareat; æſtimatione nihil opus fuerit, niſi, quantùm actoris intereſſe, rem promiſſo tempore traditam non fuiſſe, quia plerumque b plus valet, quod intereſt, quàm ipſa res, & rei pretium. Sed, ſi res præſtari nequeat, quoniam, vel perierit, vel deterior facta fuerit adeo, vt, quamuis reddi poſſit, quodammodo reddi c non videatur, tunc, facta æſtimatione, teneatur clericus ſoluere, non ſolum quanti plurimi ab moræ d tempore vſque ad condemnationis tempus res valuerit (quemadmodum fieri ſolet in cæteris e bonæ fidei iudicijs) ſed &, quantùm, actoris intereſſe æſtimatum fuerit: quod vtique conſiderandum eſt etiam ex eo, quòd ipſe rem penes ſe non habuerit, ac quantùm, ſi habuiſſet, lucrari f potuerit, præſertim, ſi mercator fuerit, quod quidem in bonæ fidei iudicijs maximè conſiderandum eſt, & conſequenter in actione ex permutatione proueniente, quæ bonæ g fidei eſt: neque obſtat, quòd permutatio ſit contractus innominatus, quia, cùm æquipararetur nominato, ex eius h natura æſtimari ſolet: & permutatio; quia eaſdem propè habet præſtationes, quas emptio, & venditio; contractui emptionis, ac venditionis item æquiparanda eſt.

f l. ſi cum miſſa ff. rem rat. haberi.

g §. fuerat Inſtit. de action. l. 6. C. hoc tit. h Bart ad l. 2. per eundē tex. ff. hoc titul.

De feudis. Tit. XX.

CAP. I.

NEC canonicis, nec capitulo eccleſiæ noſtræ metropolitanæ liceat in poſterum feuda ab ipſis dependentia, quomodocumq. deuoluantur, iterum in feudum dare, ne noua inueſtitura impediat, quin menſæ capitulari iterum vniantur, & vtile cum directo dominio conſolidetur, tribus illis excepris caſibus, quibus Innocentius a tertius feuda renouari permiſit: primo,

a c.2. in fin. extr. hoc tit.

ſi feudum fuerit antiquum, ſolitumq. inueſtiri; quo caſu, non obſtante iuramento de non alienando, inconſulto Romano Pontifice, poterit eccleſia illud licitè, cui voluerit, concedere: ſecundo, ſi alienatio fiat in filium, vel conſanguineum vaſalli eius, qui feudum alienauit, etenim, quamuis per huiuſmodi alienationem feudum ad eccleſiam deuolutum ſit, non tamen prohibetur eccleſia, quin filium, vel conſanguineum alienantis iterum inueſtire poſſit: tertio, ſi feudum recuperari facile nequeat, eo enim caſu concedi expedit laico, vt illud recuperet, & ab eccleſia recognoſcat.

CAP. II.

QVæ verò feuda à menſa noſtra Archiepiſcopali dependent, eiuldem eſſe iuris pronus cenſeantur. Præterea feuda omnia ad eamdem menſam deuoluta eſſe declaramus, de quibus vaſalli noſtri intra annum, à die Archiepiſcopalis noſtræ poſſeſſionis computandum, non docuerint, quo iure, quove titulo illa poſſideant, præſtito ſimul iuramento fidelitatis, atque obedientiæ, quod vaſalli domino, iuxta feudorum naturam, præſtare tenentur, noua inſuper inueſtitura accepta.

De

De pignoribus, & alijs cautionibus. Tit. XXI.

CAP. I.

QVI rem pignori dat, eam quodammodo alienare [a] videtur: quare ea, quæ in bonis noſtris non ſunt [b], neque obligari, neque oppignorari poſſunt in fraudem ignorantis [c] domini, niſi eo conſentiente [d], aut ſciente, aut diſſimulante. Res verò eccleſiaſticæ, cùm nullum habeant dominum pignori obligari nequeunt, vtputa loca religioſa, prædia, ſacra vaſa, cruces, candelabra, veſtimenta, aliaque ſupellectilia diuino vſui dicata, niſi iuſtiſſima [e] vrgente neceſſitate ſacris conſtitutionibus permiſſa. Si quis igitur auſus fuerit eccleſiæ bona pignori dare creditori ſuo, nullam omnino in ea habeat creditor actionem; debitor verò, ſiue clericus ſit, ſiue laicus, ſi rem illam eccleſiaſticam eſſe cognouerit, ipſo facto excommunicetur, atque, vt fur, puniatur, & ſi diem obierit, antequam rem pignori datam redimat, ad eam redimendam, & eccleſiæ reſtituendam, eius hæres compellatur, niſi, in ipſius eccleſiæ vtilitatem verſam [f] fuiſſe citra controuerſiam probetur.

a l. cum hic ſtatus § fi marit. l. ff. de donatio. inter vir. & vxor.
b l. qui filios C. quæ res pign. oblig. poſſ.
c l. 2. eod. tit. Lmulier C. de diſtractione pign. d l. 2. ſen & vit. C. de alien. res pign. affic.
e c. 1. ext. hoc tit l. ian. cimus C. de ſacroſ. eccl. l. 3. C. quæ res pig. obl. poſſ. Nouell. 120. de alien. & emphyt. § ſin.
f c. 2. ext. de dipt. c. 1. ext. de fideiuſſ. c. 1. ext. de ſolution.

CAP. II.

SI autem creditor, aliusve quilibet, rem ſibi oppignoratam in bonis [a] debitoris ſui fuiſſe negauerit, non ſtatim debitor iure ſuo ſpoliatus cenſeatur, nempe, ſi poſſeſſor pignoris ſimpliciter id negauerit, ſed ita demum, ſi, & dolo malo negauerit, & debitorem vexando [b], eum ad probandum ius ſuum adigere velit.

a Nouell. 18 de ſanct. c. 8. ſed quoque ea qua deſumpta eſt Authentem poſſeſſor C. qui por. in pign. habet. b d. Authentem poſſeſſ.

CAP. III.

SAnè, ſi nominatim, & ſpeciatim conuentum ſit, vt fundus emendus obligatus remaneat credenti pecuniam, vt ematur, & huiuſmodi pignoris conuentio fiat, eo ipſo inſtante temporis puncto, quo pecunia credita, & fundus emptus ſit, qui pecuniam ſuam crediderit hac conditione, ſtatim [a] ſibi acquirere priuilegium prælationis dicimus, hoc eſt, præferri debere cæteris, quantumuis anterioribus creditoribus, quia ſua pecunia illis cauſam pignoris præbuerit, vt ille, de [b] quo dicitur, quod ſaluam fecerit pignoris cauſam, ideo permittendum eſſe, vt huiuſmodi contractui, quam velit ab initio legem conſtituat, cum [c] non fuiſſet aliter contracturus, nec conſequenter pignoris cauſam cæteris creditoribus præbiturus, quibus tamen, licet anteriores ſint, iniuriam propterea factam ab eo, qui pecuniam credidit, vt res illa emeretur, nequaquam exiſtimamus. Sed, ſi ab initio contractus conuentum non fuerit, vt fundus emptus ex illa pecunia credenti obligatus remaneret, tunc prælationis priuilegium ceſſare non dubitamus, ſic &, ſi credita ſit pecunia ad domum reædificandam, aut nauem emendam, licet ea pecunia pignoris cauſam præbeat creditoribus, qui nauem obligatam non haberent, niſi ex illa pecunia empta fuiſſet, nec ex ruinoſa domo, niſi repararetur, quidquam ſperare poſſent; nihilominus, ſi ab initio conuentum non fuerit, quòd nauis emenda, aut domus reſtauranda obligatæ remanerent illi, ex cuius pecunia altera emeretur, altera reſtauraretur, qui pecuniam credidit, ius prælationis non acquirit. Quod tamen procedere intelligimus, ſaluis fiſcalibus, & dotalibus legitimis priuilegijs.

a l. quamuis hoc tit l. 11. eod. C. qui potiores in pig. habean.
b l. interdū ff. qui potior. in pign. habean.
c l. vlt. C. de pact. inter emptor. & vendit. l. in traditionibus ff. de pact. l. vbi conuentio pactum.

De fideiuſſoribus. Tit. XXII.

CAP. I.

CLERICVM [a] à fideiuſſionum frequentia reijci non dubitatur: ſed, ſi pro fœmina, aut pro filiofamilias, quibus corpus proprium obligare non licet, fideiuſſerit, vti principalem ſe conſtituendo, nec Velleiano, nec Macedoniano Senatusconſulto iuuari poterit, quin obligatus remaneat, quamuis, & fœmina, & filiusfamilias vtriuſq. ſenatusconſulti priuilegio, illa Velleiani, hic Macedoniani, quandocumque ex principali etiam obligatione conueniantur, in priſtinum reſtituendi ſint, nempe, quia, tametſi iuris ratione fideiuſſor in grauiorem cauſam quàm debitor [b] principalis obligari nequit, nihil tamen prohibet, quin efficaciùs obligetur: ſiquidem aliud eſt grauiùs, aliud efficaciùs obligari.

a c. 1. ext. eod. tit.
b l. Orcet § illud cõmune ff. hoc titul.

CAP. II.

IDem iuris erit, ſi pro clerico laicus fideiuſſerit: placet enim, laicum vti non poſſe fori præſcriptione, qua clericus ipſe, vel inuitus [a], iuuatur, cùm non aliam ob cauſam dentur fideiuſſores, niſi, vt [b] cautum ſit creditoribus, vnde creditor à clerico debitore, alioquin locuplete, fideiuſſorem petere ſolet, ne, ſcilicet, clericus, ſi fori præſcriptione vti velit, propter priuilegium, quo munitus eſt, difficiliùs conueniatur.

a cap. ſi diligenti ext. de foro cõp. b l. 1. ff. qui facult. eog.

CAP. III.

CAueat nihilominus clericus, ne (vt frequentiſsime fit) in ampliore forma cameræ Apoſtolicæ quidquam promittat: nam, licet eo iuris [a] priuilegio deijci nequeat, niſi ipſe

a Nouell. 6. de fideiuſſ. in princ. & c. ſi diligenti.

ipſe exceptioni ordinis ſui nominatim renunciauerit, ſi tamen camerali obligationi conſenſerit, cuiuſcumque legis beneficio renunciaſſe videbitur [b], quandoquidem forma illa ſpecialem huius exceptionis, ac quamcumq. aliam renunciationem comprehendit adeo, vt, qui eo ſe vinculo ligari permittit, omnibus exceptionibus renunciare intelligatur, quæ alioquin opponi poſſint: ſub verbis namque generalibus in ea forma virtualiter continentur, cùm ſpecialia [c] generalibus, ſaltem relatione, ſemper comprehendantur, dici enim ſolet in referente cum [d] omnibus ſuis qualitatibus eſſe relatum. Quicumque igitur camerali forma ſe obſtrinxerit, nullam habebit exceptionem, niſi [e] falſæ obligationis, aut ſolutionis.

b Maſſa in tractatu de obligat. in for. cam.

c l. 147. ff. de reg. iur.

d l. affectus ff. de hæred. inſtit.

e Maſſa in d. tractatu.

CAP. III.

CLericus, qui plures fideiuſſores in ſolidum obligatos habuit, etiam ſi contra aliquem eorum egerit, nulla præmiſſa proteſtatione, actionem tamen ſibi aduerſus alios competentem remiſiſſe non videtur, cùm vnius electio non impediat creditorem, quin & ab alijs, quandocumq. voluerit, conſequatur, quod ab vno conſequi [a] nolit potuerit.

a l. vlt. C. hoc tit.

De ſolutionibus. Tit. XXIII.

CAP. I.

SI pro ſibi creditæ eccleſiæ cõmodo, vel neceſſitate, rector debitum contrahat, nec ante mortem ſoluat, id oneris quacumq. fuerit, in eius ſucceſſorem [a] plene transferri declaramus, non tamen, ſi pro alienis, vel proprijs negotijs, eccleſiæ facultates defunctus rector obligauerit. Quod, ſi aliquando eueniat, præterquam, quòd nullius conditionis, vel contractus nexu eccleſiam obſtringi, neque eius bona cuiuſcumq. generis ſint, iuris aliquid, aut actionis contrahentibus tribuere, certum eſt; rectorem etiam, qui ſponiæ ſuæ libertati ita inſidiatus fuerit, ſpiritalium [b], ac temporalium rerum adminiſtratione deijciendum eſſe, pronunciamus.

a c. 2. ext. eod. tit.

b c. 2. ext. eod.

CAP. II.

CLericus, qui, exempli gratia, Bononiæ contraxerit, quamuis Bononienſis non fuerit, ſi Bononiæ reperiatur, Bononiæ coràm ſuo iudice poteſt conueniri, cùm in contractibus actiones ex loco præſertim vires ſumere debeant, cuius ſane prærogatiua tanta eſt, vt, ſi locus, vbi contrahitur, a loco, vbi ſolutio facienda eſt, diuerſus ſit, nihilominus contrahens [a], vbi ad ſoluendum ſe obligauit, ibi contraxiſſe cenſeatur.

a l. contraxiſſe ff. de obligat. & l. omnem ff. de iudic.

CAP. III.

OBlatio debitæ pecuniæ, quantumlibet iudicialis ſit, adeoq. realis, vt ſufficere poſſit ad inducendam pignoratitiam [a] actionem, non tamen ſufficit ad purgandam moram, cùm [b] conſignatione, vt vulgo dicitur, ipſoque depoſito, ac quidem legitime facto, opus ſit: neque enim ſoluendi obligatione liberatur, qui debitam pecuniam deponit, antequam eam [c] creditori offerat, ac creditor oblatam ſine cauſa accipere recuſet; nam, ſi ex cauſa recuſauerit, non dicitur [d] in mora conſtitutus, ſed, moræ periculum penes debitorem remanere, intelligitur. Quare, ſi deponatur pecunia, antequam creditori oblata ſit, fueritq. furrepta, vel quoquomodo interuerſa abſque culpa depoſitarij (qui de dolo, & lata [e] culpa tantum ad huiuſmodi iacturam reſarciendam tenetur, dummodo aliter contractum non ſit) damnum ad creditorem nequaquam pertinere dicimus, ſed ad debitorẽ, vtpote morolum, omnibus, ſcilicet, fortuitorum caſuum periculis ſemper [f] expoſitum.

a l. ſi rem §. vlt. ff. de pignor. act. b Bartol. & alij ad l. acceptam C. de vſur.

c l. ſi per tonſtar, & l. accepti C. de vſur. l. nec creditores, & l. vlt. C. de pignor. act. d l. ſi fœdum cum ſeq. ff. de vſur.

e l. 1. C. de pœnis l. 3. ff. de regul. iur.

f l. ſi eum legati, & ſeqq. l. ſi ſeruũ §. ſequitur ff. de ver. obl. & Imbolen. ibi Ludwig. qui ff. de leg. 1. quod certis die ff. hoc tit. l. 18. §. ſuccr. l. qui hoc anno ff. de verb. obl.

CAP. IV.

LIcet plus [a] ſoluere dicatur, qui pecuniam ad tempus debitam, ante tempus ſoluit, vbi tamen intercedat dilatio, ſitq. appoſita ad fauorem creditoris, non ſemper, qui ante tempus ſoluit, obligatione ſoluendi liberatur, ſecus, ſi dilatio commodum debitoris reſpiciat, tunc enim etiam ex anticipata ſolutione debitor liberatus cenſetur, vt, ſi teſtator pecuniam legauerit poſt aliquot annos ab eius hærede ſoluendam, hæres verò legatam ante tempus repræſentauerit, ac legatarius eam dilapauerit: nam, cùm teſtator in longum tempus ſolutionem differri voluerit, quo legatario, tunc fortaſſe inexperto, aut prodigo, ac ex probabili coniectura, poſt tanti temporis curriculum, prudentiore futuro, pecuniæ opportunus vſus reſeruaretur; hæres, ſi ante ſibi præſtitutum ſolutionis terminum legatam pecuniam ſoluerit, quoniam contra intentionem legantis, in damnumq. legatarij, ſoluiſſe videtur, obligatione ſoluendi minime abſolutus intelligatur.

De donationibus. Tit. XXIV.

QVONIAM promittens aliquid donare, promiſſam rem, tamquam debitam, etiam inuitus, præſtare [a] cogitur, (licet promiſſio inter priuatas perſonas ſine cauſa facta ſit) multo magis deberi pronunciamus, quod ex conuentione, ac fortitan pietatis affectu, religioſo loco à

a c. 2. ext. eod. tit.

volen-

volente donatum eſt. Itaque, ſi Clemens, exempli gratia, homo laicus cum hoſpitalis noſtræ ciuitatis adminiſtratoribus pactum iniuerit, quo ſumptibus hoſpitalis ali, veſtiri, ac ſepeliri deberet, eaque ex cauſa hoſpitali donauerit certam ſibi à Maximo debitam pecuniæ quantitatem, & poſtea, acceptis per aliquod tempus ab hoſpitali cibarijs, ac veſtimẽtis, in Maximi debitoris ſui domum tranſmigrauerit, cum quo vſque ad extremum vitæ diem vixerit, donata ei priùs per publicum inſtrumentum mortis cauſa pecunia, quam hoſpitali donauerat; quamuis prima fronte prior [b] donatio per poſteriorem reuocata eſſe videatur, quia donatio cauſa mortis, tamquam vltimæ voluntati æquiparata [c], ac legati naturam habens [d], vſquè ad mortem eſt (vt aiunt) ambulatoria [e], & reuocari poteſt, quamuis [f] facta ſit ad fauorem piæ cauſæ; attamen, ſi per Clementem donatorem ſtetiſſe conſtiterit, quin ab adminiſtratoribus pactum ſeruatum fuerit, dicimus, priorem donationem per poſteriorem minime reuocatam cenſeri, ſiquidem [g] ob pactum inter viuos initum, remunerationis cauſa facta, & conſequenter irreuocabilis videtur, cùm donator per aliquod tempus ab hoſpitali acceſſet cibaria, ac veſtimenta, potuiſſetq. vlteriùs accipere, niſi diſceſſiſſet, ſicut, ſi per adminiſtratores ſtetiſſet, quin ei præſtarentur, conditio [h] minime impleta videretur. Quare, priorem [i] donationem omnino ſuſtineri debere dicimus, præſertim, ſi munita ſit iuramento, quod cùm clauſulæ: omni meliori modo: æquiparetur [k], facit actum irreuocabilem, ac multò magis in negotio piæ cauſæ [l], cui in dubio ſemper fauendum eſt. Nec obſtat, quòd iure donationis inter viuos videatur non valere, quia non fuerit inſinuata: neque enim ſimplex donatio, ſed remuneratio, & contractus innominatus fuit, qui, ſicut inſinuatione non indiget, ita altero contrahentium obligationem implente, alteri [m] pœnitentiæ locum nullum relinquit.

b l. ſi mihi §. in legatis ff. de leg. 1. c l. vlt. C. de donat. mor. cauſa.
d l. 2. ff de Publician. in rem act. l. Marcellus l. illud ff. de donat. mor. cauſa.
e l. 4. ff. de adim. leg. l. cum hic ſtatus §. pœnitentia ff de donat. inter vir. & vx.
f l. 1. vbi Bald. col. 2. C. de ſacroſ. eccl.
g argum. l. Aquil. Regulus ff hoc titul. l. cui ita, & l. vlt. C. de pact. inter. empt. & vend.
h l. 5. C. de cond. inſer.
i arg. l. 3. ff. de inſtit. teſtam. l. Lucius §. vlt. ff. de leg. 2.
k l. cum pater. §. huius autem ff. de leg. 1. Cujac. ad l. variar. relect. arg. l. vbi ita conſtat, & l. Seia §. vlt. ff. de donat. inter vir. & vx.
l l. quæ ideo in princ. & §. primaq. pars cauſæ in fi. natura. l. 5. §. quod ſi facta. ff. de pæ. cr. vulg. l. vltim. vbi not. omnes ff. de cõdict. ob cauſ. dat.

CAP. II.

QVamquam iuris [a] ratio non patitur, donationem filiofamilias à patre factam valere, non, quia ille acquirere nihil poſſit (vt eſt communis opinio) ſed, quoniam inter patrem, & filium non emancipatum, ſalua [b] patria poteſtate, nulla iure ciuili conſiſtit efficax obligatio, nec donatio poteſt vtiliter fieri, quin aliqua contrahatur obligatio, ſaltem, ne [c] donator donationem reuocare queat; ſi tamen donationi [d] intercedat iuſiurandum, cum ſeruari poſſit abſque peccato, donationem etiam ſimplicem, tamquam vtilem [e], ſuſtinendam eſſe, non dubitamus.

a l. cum de bonis. C. hoc titul. l. donationes §. pater ff eod. ſiue conciperis C. eodem l. 2. C. de inoffic. donation.
b d. l. eã de bon. & aliis citatis.
c l. 4. §. fi. C. de reuoc. donation. d l. 1. de pact. inter emptor. & venditor. contin. tur ext. de iureiur.
e Gabriel. l. 3. tit. de donat. cõcl. 4. Gui. Pap. q. 146. Faber de erroribus, 4 decad. gl. 2. not. Doct. ad l. Pompo. nius ff. famil. erciſc.

CAP. III.

QVoniam fauore matrimonij receptum eſt [a], patriam poteſtatem non repugnare, quin pater, quod libuerit, liberis donare poſſit, ſi dubium ſit, an, quod donatum eſt, ex cauſa ingratitudinis ſit reuocabile, dicimus, non eſſe, ſiquidem [b] reipublicæ intereſt, ciues multiplicari, & ciuitates per liberorum procreationem habitatoribus repleri, proinde, vt ad nuptias contrahendas inuitentur, & faciliùs adducantur, qui alioquin cum filijs familias non eſſent [c] contracturi; expedit reipublicæ, donationem huiuſmodi ex cauſa ingratitudinis reuocari non poſſe, quia commodum rerum donatarum non acquiritur tantùm perſonæ, cui donatæ [d] ſunt, ſed, & donatariorum vxoribus, ſeu maritis, & liberis: quod quidem ad bonum publicum pertiner, ſiquidem matrimonia non intelliguntur cum indiuiduis tantùm perſonis, ſed & cum integris familijs quodammodo contrahi, atq. adeo cum omnibus, qui agnationis, & cognationis iura habent communia. Quare, ſi hæc reuocatio fieri permitteretur, coniugi, & liberis ex parentis culpa maxima fieret [e] iniuria, quod iuris ratio minime patitur, ne quis ex aliena culpa detrimentum ſentiat.

a l. ſi vnquã C. hoc titul.
b l. 1. ſolum. matrim.
c d. l. 1. & ibi notat. l. intereſt ff. de reb. auct. iud. poſſ. l. hoc modo in fin. ff de cõdit & demonſtr.
d l. extraneus in fin. ff de iur. dotal.
e arg. l. ſi quis ideo §. 1. C. de inoffic. teſtam.

CAP. IV.

VAlere donationem ad fauorem abſentis factam, notario ſtipulante, non eſt dubium ita tamen, vt quamdiu donatarius eam ratam non habuerit, reuocari poſſit, niſi fuerit iurata, quo caſu propter iurisiurandi reuerentiam, vſque dum de abſolutione conſtet, placet reuocari non poſſe. Sed, ſi donatarius diem obierit, antequam donationem ratam habuerit, ius illud ad hæredem, & ad alios omnes, ad quos donationis cõmodum peruenire poſſit, tranſire certum eſt, maximè, ſi (vt fieri ſolet) ſtipulata fuerit etiam pro hæredibus donatarij, in quorum poteſtate eſt, eam ratam haberi, quandocumq. voluerint, dum non appareat reuocata, aut, ſi fuerit iuramento munita, eius impetrata ſit abſolutio.

4 Theſaur. deciſ. 70.

CAP. V.

DOnatio, ſi fuerit reuocata, vel ſuperuenientibus filijs, quorum [a] cauſa citra omnem controuerſiam reuocatur, vel ob ingratitudinem, vel, quia altera partium non impleuerit, quod debebat, aliamve ob cauſam, dubitatur, an fructus à donatario, aut eius hærede percepti, reſtituendi ſint: & verius eſt, non debere reſtitui, ſiue extent, ſiue conſumpti ſint, cùm percepti ſint non modo bona fide, ſed iure etiam dominij, quia do-

natio tamdiu tenet [b], quamdiu non est reuocata, & ante reuocationem verè dominus fructuum est donatarius [c]. Neque enim reuocatio hæc similis est cæteris, quæ, cum causam habent de præterito, ad præteritum tempus [d] retrotrahuntur. Quare donator, eiusve hæres, sibi imputet, quòd non antea [e] de fructibus egerit, qui, cùm [f] donatio initio valida fuerit, à die tantùm litis contestatæ restituendi sunt.

[b] l. qui scit §. 1. & l. Neminus ff. de vsur.
[c] l. bona fidei ff. de acquir. rerū dominio.
[d] c. si mortis vbi mat. ff. de mort. can donat.
[e] arg. l. cum pubillaffem ff. de damn. infect.
[f] Boer. dec. 98. num. 4.

De peculio clericorum. Tit. XXV.

CAP. I.

PECVLIVM dictum est, quasi pusilla, aut parua pecunia, siue pusillum patrimonium, quod seruus [a] domini, vel filiusfamilias patris permissu, à rationibus dominicis, aut paternis, habent separatum: peculij tamen varias constituerunt antiqui differentias, nempe, vt aliud esset profectitium, aliud aduentitium, aliud castrense, aliud quasi castrense. Profectitium, quod à patre proficisceretur; aduentitium, quod aliúnde relictum: castrense, quod à militibus in bello, siue in castris, acquisitum: quasi castrēse verò, quod filijs familias in palatina, vel forensi militia versantibus, vel clericis, ad exēplum castrensis per similitudinem quandā [b] introductum, quæsitum esset. Clerici igitur, si quid industria, & studio acquisiuerint (quod quasi castrense non improprie appellatur) aut ex donatione, aut ex legato, aut ex testamento, si non ecclesiæ, sed clerico nominatim relictum sit, (quod aduentitium vocatur) id cuicumq. donare, aut in vltima voluntate [c] relinquere voluerint, iure poterunt. Quod verò ab ecclesia, quasi à patre prouenit, ac profectitium nuncupatur; ecclesiæ omnino relinqui oportet. Quoniam & ij, qui, antequam beneficia obtinerent, bona non habebant, quæ habent, de ecclesiæ facultatibus acquisiuisse præsumuntur. Peculij verò mentione admonemur, vt rerum omnium, quæ nomine ecclesiæ emuntur, aut quouis modo acquiruntur, instrumenta, seu inuentaria confici succesiue mandemus, quemadmodum facimus (declarantes, quòd, si per administratores stet, quo minus ea diligenter conficiantur) officio priuati esse intelligantur.

[a] l. 5. ff. hoc tit.
[b] l. 1. §. ne castrense ff. de collat. bon. l. sacrosanctæ C. de ss. Epis. & cler.
[c] d. Sacrosanctæ. cap. quia nos. de sepulchris. extra de testam.

CAP. II.

CLerici verò, qui ex parochijs nobis, etiam, quoad temporalia, subiectis, originem ducunt, & talliabiles vulgò appellantur, tum de proprijs, tum de quoquomodo acquisitis bonis, non aliter disponere possint, quàm iuxta veterem morem, inueteratamq. locorum consuetudinem, ac secundum placita maiorum nostrorum.

De testamentis, & vltimis voluntatibus. Tit. XXVI.

CAP. I.

VT summi Pontificis Pij V. constitutio aduersus illegitimos edita, tamquam rationi cōsona, sacro ordini congruens, ecclesiasticæq. disciplinę, & moribus christianis conueniens, etiam apud nos obseruetur; declaramus, filios illegitimos clericorū, etiam in statu seculari procreatos, non solùm cuiusuis dignitatis ecclesiasticæ, ac beneficij, esse incapaces, verū etiam quorumuis bonorum immobiliū, mobilium, pecuniarum, iurium, & actionum ex beneficijs, fructibus, prouentibus, alijsve rebus ecclesiasticis, quouis modo prouenientium; item ex peculio, & alijs bonis, etiam sola industria, labore, muneribus, & alia quauis ratione, & causa acquisitorum, patrimoniorum quoque cuiuscumq. qualitatis, naturæ, & valoris existentium. Huiusmodi autem inhabilitas, & incapacitas non magis locum habeat in proprijs illegitimis, quàm in extraneis, etiam legitimatis vtriusq. sexus. Quibus, ne quidem laici (cuiuscumque dignitatis, & ordinis sint) relinquere quidquam possint de bonis, scilicet, & iuribus ecclesiasticis, & ab ecclesia prouenientibus, quoquomodo, siue ex testamento, siue ex causa donationis inter viuos, vel alia quacumque: sin secus factum fuerit, testamentum, donatio, legatum, & alia quæuis dispositio irrita, & nulla sit, etiam, quoad capaces, qui, tamquam incapaces, commodo eiusdem dispositionis adeò priuati intelligantur, vt fructus, res, pecunias, atque alia omnia bona, ex quauis longi temporis præscriptione nequeāt sua facere, sed ea legitimis ab intestato veniētibus restituere integrè teneantur: quibus deficientibus, ad ecclesiam, in cuius territorio bona, & res extiterint, siue ad mensam nostram archiepiscopalem, si talliabiles fuerint, deuoluta esse pronunciamus.

CAP. II.

TAnta est iurisiurandi religio, vt, quamuis mutabilis, seu, vt ait Sabinus [a], ambulatoria sit vsque ad mortem hominis voluntas, si testator iurauerit, velle se, quod condiderit, esse vltimum testamentum suum, deinde aliud condat, prius conditū posteriore abrogari non possit, nisi in ipso de iuramento

[a] l. 4. ff. de adim. leg. l. cùm hic status 4. pœnitentiā ff. de donat. inter vir. & vxor.

in priore teſtamento appoſito [b] ſpecialem mentionem faciat, cum iuramentum [c] habeat vim clauſulæ derogatoriæ, ſicut contrà, ſi in priore teſtamẽto appoſita fuerit clauſula derogatoria abſq. iuramento, poſterius autẽ iuratum fiat, prævalebit poſterius, quãuis nulla illius clauſulæ in illo mentio [d] facta ſit: ſiquidem iuramentũ habet vim [e] ſpecialis expreſſionis.

§. vnic.

Sed, ſi prius teſtamentum iuramenti vinculo ligatum fuerit, & teſtator (ſiue laicus, ſiue clericus ille ſit) aliud poſtea condat teſtamentum, quamuis de iuramento priori adiecto in poſteriore ſpecialem mentionem faciat, erit tamen periurij reus, & abſolutionem [f] indigebit, quæ vtique petenda eſt, quoties iuramentum [g] ſeruari poteſt abſque diſpendio ſalutis æternæ.

CAP. III.

TEſtamentum inter liberos factum valere non eſt dubium, licet patris ſubſcriptione careat, modò, eius manu [a] ſcriptum eſſe conſtet. At, ſi in dubium venerit, an teſtamentum manu teſtatoris ſcriptum ſit, cùm ipſe de eo nihil dixerit, per duos iuratos teſtes [b] probari ſufficiat. Si verò duo teſtes adhibiti non fuerint, & pater teſtamentum ſuã manu ſcriptũ tabellioni tradiderit ad publicãdum, ea ſola traditio [c] æquiparetur ſolemnitati adhibendorum duorum teſtium, ſicque, valere inter liberos teſtamentum dicimus.

CAP. IV.

QVamquam in teſtamentis parentum inter liberos nullas requiri ſolemnitates haud perperam exiſtimauit antiquitas, dummodo conſtet de [a] voluntate eius, cui obtẽperare pios [b] liberos oporteat: ſi tamen teſtamentum ratione voluntatis fuerit imperfectum, neque inter liberos poterit ſuſtineri, ſed inter omnes ab inteſtato venientes æquis portionibus paternam hæreditatem [c] diuidi conueniens fuerit. Quæ verò ad pias cauſas, vel ex voto, vel in exonerationem conſcientiæ in eodem teſtamento legata fuerint, vt debita, peti poſſunt, & præſtanda ſunt, cùm non ſit veriſimile, teſtatorem ab ea voluntate vnquam receſſiſſe, aut receſſurum fuiſſe. Quæ ſanè legata, nili aliud de legantis voluntate probetur, legitima eſſe, ac ſolui debere, pronunciamus.

CAP. V.

HVic ſimile eſt, quod quæritur de legato ad fauorem eccleſiæ pro anima facto, an, ſcilicet, ſit potius, & fauorabilius dicendum. anima pretioſius nihil ſit, eiuſq. ſecuritas, ac ſalus, ob oculos noſtros obuerſari debeat magis, quàm alia quæcumq. res creata, dicimus, legatum doti eſſe præferendum. Quamuis ipſa [a] quoque dotis cauſa inter pias eſſe, iure merito exiſtimetur, vnde eſt, quod in omnibus dos, & pia cauſa æquiparantur, & rectè [b], à dote ad piam cauſam dicitur valere argumentum.

[a] 1. cum in §. mulier ff. de condit. indeb., [b] Tiraquel. priuil. 28. de priuil. pia cauſ.

De ſucceſsionibus ab inteſtato. Tit. XXVII.

CAP. I.

CLERICI, quibus, dum ſint mentis compotes, de rebus proprijs teſtandi facultas [a] iure data ſit, ſi inteſtati deceſſerint; nullo prorſus relicto, cui ab inteſtato hæreditas deferri iure poſſit, eis, vti filijs [b], ſuccedere debet mater eccleſia; ſi vero talliabiles ſint, aut deſcriptitij, aut ligij, in omnibus menſa Archiepiſcopalis.

[a] c. vlt. eo. tit.

[b] c. 2. eo. tit.

CAP. II.

OBſeruatum eſt, aduenas, qui ad publica xenodochia, priuataq. hoſpitia diuertunt, ſi in morbos incidant, vt ſæpe fit, nonnunquam inteſtatos è vita excedere, non ſolum negligentia, ſed & hoſpitum malitia, qui lucri ipe obcæcati, ægrotantium teſtamenta ſupponunt, atque impediunt, vt, poſtquam animam efflauerint, facilius in eorum bona inuolare, eaque, quaſi hæreditaria, occupare poſſint. Cui, vel incuriæ, vel cupiditati, occurrere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt, quotieſcumque in huiuſmodi hoſpitijs aduenam, (quicumque is fuerit) ægrotare contigerit, xenodochiorum miniſtri, qui infirmis aſſiſtunt, vel alij hoſpites, apud quos ille decubuerit, ſtatim nos, aut generalem Vicarium noſtrum, ſi id in ciuitate accidat, vel, ſi extra, loci parochum, de infirmitate, & ſtatu ægrotantis certiorem faciant, quo officia chriſtianæ charitati, fraterniq. languentis neceſſitati conſentanea erga eum valeant opportune impendi. Quod, ſi vrgente morbo, infirmus viribus deſtitutus in ſummo vitæ diſcrimine poſitus videatur, pecuniæ, gemmæ, ſcripturæ, ſi quæ fuerint, reliquæ aliæ, & bona omnia penes eum exiſtentia ſub legitimo, & fideli inuentario diligentiſsimè recenſeantur, vt, ſi is mortem obierit, funeris ſumptibus detractis, abſque mora, vllaue controuerſia, in eius hæredum deueniant poteſtatem. Si verò per hoſpites, aut xenodochiorum miniſtros, aut Vicarium, aut parochos, ſteterit, quominus huic chriſtiano officio plenè ſatisfiat, ille, cuius culpa id euenerit, arbitrio noſtro

punia-

[a] Bal. Clar. in verſ. teſtamentũ q. 99. n. 12. in fin. & q. 94 n. 5. poſt Bart.
[c] idem Clarus ibidem.
[d] idē Clar. d. q. 99 poſt Baldum ad l. 3. cement poſt nu. 7. C. hoc titul.
[e] glo. ad l. ſi patet 79. §. ſiliꝰ matrem ff. de leg. 2. Baldus ad l. 1. pen vlt. C. commod. Roter q. 1. n. 7. & 8. [f] eſt cõmunis concl. Barrol. referente Claro d. q. 94 n. 6. poſt Alexan. conſ. 8. n. 2. lib. 2.
[g] cap. 2. de pact. lib. 6. c. debitores c. cum contingat, & paſſim tenent de iureiur.
[a] l. cum antiquit. in fin. vbi Bal. Salic. & Caſtrē. C. hoc tit. & l. fin. cum ſua Auth. vbi Iaſon. C. fam. ercis.
[b] Bald. Fulgoſ. & alij ad Authen. quando fine C. hoc tit.
[c] Bald. cõſ. 390. vol. 4.

[a] not. ad l. vlt. in fin. Auth. ſi nudo C. famil. ercis. & ad l. hac cõſtitutiõe 1 ex imperfectõ C. hoc tit.
[b] l. 1. in teſtamento C. de Iudeis com. libert.
[c] lege, maximum vitij C. de liber. prætr. Nouel. 8 de hared. ab inteſtat. venient.

puniatur, &, ſi idem parochus fuerit, à diuinis etiam ad menſem ſuſpendatur. Si autem contingat, ægrotum, aut vi morbi, aut alia ex cauſa, nullo condito teſtamento, diem claudere extremum, atque omnino ignorari, vnde, vel quis, vel qualis ille fuerit; bona in inuentario deſcripta, ac quæcumque ad eum pertinuiſſe conſtiterit, nobis, vel eidem Vicario noſtro ſub tripli [a] pœna illicò tradi, ad piasq. cauſas diſtribui mandamus, quadrupli mulcta hoſpitibus impoſita, qui vel minimam eorundem bonorum partem dolo malo celauerint, aut (quod minime credendum eſt) quoquomodo interuerterint.

a Auth. nouas peregrinas, vbi Bald. & alij C. ſ. commun. de ſucceſſ.

De ſepulturis. Tit. XXVIII.

CAP. I.

QVi inteſtatus deceſſit, cùm teſtandi haberet facultatem, nec declarauit, quo in loco vellet humari, ſi non habeat maiorum ſuorum monumentum, in ſua parochiali [a] eccleſia ſepeliatur, niſi, dum viueret, ſe [b], & bona ſua alteri eccleſiæ obtuliſſet: ſi habeat monumentum [c], ibi ſepeliatur. quod adeo obſeruatum eſt à veteribus Hebræis [d], & Romanis [e], vt maximum ſibi duxerint opprobrium, cum maioribus non tumulari. Vnde in libris Regum [f] legitur, cuidam viro Dei vocato, qui contra diuinum præceptum comederat in Bethel, fuiſſe prænunciatum: Non inferatur cadauer tuum in ſepulcrum patrum tuorum.

a cap. 3. in prin. eodem lib. 6.
b c. 4. eod.
c cap. cum eod.
d Gen. c. 50. 3. Reg. 13. & 14. Machab. 2. c. 9. quod teſtatur & Olympius c. 3.
e l. 1. alumna §. Seiæ ff. de adim. legat. f. d. cap. 13.

§. 1.

Si plura habeat maiorum ſuorum monumenta in diuerſis eccleſijs, in eo placet illum ſepeliri [g], in quo, aut pater, aut auus, reperiatur humatus.

g arg. c. 5. vlt. eodem lib. 6.

§. 2.

Mulier, quin poſſit, etiam viuente viro [h], ſepulturæ ſibi locum eligere, non prohibetur, eo magis, quo hæc electio effectum ſuum ſortiri nequit, niſi ſolutis [i] maritalibus legibus; vt, ſicut habet cauſam de futuro, ita ad futurũ tempus [k] retrotrahatur. Si locũ non elegerit, in mariti ſepulcro eam condi oportebit. Si plures habuerit maritos, cum vltimo, cuius [l] domicilium, & honorem retinet, humãda eſt.

h c. 7. extra hoc tit.
i §. quod ſponte C. de donat. inter vxor.
k c. ſi mortis, vbi not. ff. de mortis cauſ. donat.
l d. §. vltim.

CAP. II.

VErùm, quoniam in hac noſtra dioceſi aliquando accidit, homines vita priuari, ſiue ex altiſſimorum montium præcipitijs, ſiue opprimi niuibus, aut glacie (quod eo magis ægreferimus, quo nullum huic calamitati remedium adhiberi poſſe arbitramur) ſi hæſitent parochi, an huiuſmodi cadueribus danda ſit chriſtiana ſepultura, vt tollatur omnis dubitatio, declaramus, omnino dandam eſſe, dum conſtet, eo anno, quo mortui reperiuntur, eos, ſaltem [a] ſemel, propria peccata confeſſos, ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſumpſiſſe: alioquin ijſdem æque, ac iudæis [b], paganis, atque hæreticis, ſepultura denegetur.

a c. 2. extr. hoc tit. cap. omnis vtriuſq. ext. de pœnit. & remiſſ.
b can. eccla. 2. de conſecr. diſt. 1.

CAP. III.

SAcra item ſepultura prohibentur, qui, cùm poſſent extrema vnctione iuuari, illam neglexerunt, ſiquidem de morte, quæ beatos morientes facit, minime cogitaſſe videntur, de qua ſcriptum eſt [a]: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, atque vtinam non infirmitate fidei, propter quam, Chriſtum apud ſuos miracula multa non feciſſe teſtantur Euangeliſtæ [b].

a Apocalyp. cap. 14.
b March. 13. Mar. 6. & 7.

CAP. IV.

IVxta ſacri Concilij Lateranenſis tertij conſtitutionem vetamus, ne religioſi fratres, cuiuſcumque ordinis ſint, intrent alienas parochias cum cruce ad efferenda funera eorum, qui in eccleſijs ipſorum regularibus ſibi elegerint ſepulturam, niſi præmonito, requiſito, ac non recuſante parocho, pulſatiſq. priùs parochiæ campanis. Seculares verò perſonæ in proprijs ædibus habitantes, ſi cum eorundem religioſorum habitu ſepeliri voluerint, non prohibeantur, quin pro arbitrio eligere ſibi poſſint ſepulturam.

CAP. V.

QVartam funeralium, ante quadraginta annos cathedralibus, aut parochialibus eccleſijs perſolui ſolitam, adeo debitam [a] eſſe decreuit ſancta Tridentina [b] Synodus, vt, quamuis poſtea monaſterijs, hoſpitalibus, alijsq. pijs locis conceſſa fuerit, non obſtante quocumq. priuilegio, etiam Marismagni, integro iure, eademq. portione, quæ antea perſolui ſolebat; eccleſijs cathedralibus, ac parochialibus, nihilominus perſoluatur. Quæ ſanè conſtitutio, cùm ad eccleſiarum, præſertim parochialium, vtilitatem, commodumq. edita ſit, in earumdem damnum retorqueri non debet, quod vtique fieret, ſi aliqua parochialis eccleſia ex antiqua conſuetudine, aut conuentione, partem quarta maiorem iuſto titulo percipere ſolita, ad quartam retrotraheretur. Quare conſuetudinem in hac ciuitate vigentem, vt parochiales eccleſiæ, non quartam, ſed tertiam funeralium partem accipiant, iuris ratione ſuadente, approbamus, ita tamen, vt, quæ inter parochos, & regulares de funeribus, ac mortorijs (vt aiunt) conuentiones initæ ſunt, omnino obſeruentur, vt obſeruari eas præcipimus.

a cap. cod. voc. tit. in d. & Clem. b c. 13. Gall. 25. de reſid.

De parochis, & parochianis Tit. XXIX.

CAPVT I.

VOCABVLVM. Parochus, quamuis græcum, ſatis tamen eſt, ac fere latinum: fuit enim verbũ officij apud Romanos, cum ad parochum pertineret legatis exterarum gentium Romam miſſis, lemia & ligna ſuppeditare: quarum rerum appellatione veniebant, quæcunq; hoſpitibus eſſent neceſſaria, vt perite interpretatur Acron in illud Horatij:

a lib 1. ſer. ſatyra 5.

Parochi, qui debent ligna, ſalemq.

in quam ſignificationem accepit quoque Cicero hanc vocem, cum ad Atticum ſcribens de Ariobarzanis filio, qui Romam venerat: Ariarthen omnino, inquit, Seſtius b noſter parochiũs publicus occupauit. Quare maiores noſtri curiones, ſeu curam animarum habentes; parochos appellare voluerunt, vt intelligerent, eorum munus eſſe, omnia, quæ c ad æternam vitam conſequendam neceſſaria putantur, accepta ab Epiſcopis, alijſq. ſuperioribus auctoritate; ſubditis ſuis, nempe parochianis, pethumaniter, ac largè ſubminiſtrare. Itaq. parochi, paſtoreſq. omnes, grauiſſimo hoc onere (cui vix angelici humeri pares ſunt) ante oculos ſibi propoſito, ea humilitate, ac charitate illud portare ſtudeant, vt communi hoſte profligato, de proprio periculo ſecuri, & de ſibi creditarum animarum ſalute optime meriti, ſupremam iuſtitiæ coronam, ſuius vitæ ſpatio feliciter decurſo, expectare poſſint.

b 23. lib. epiſt. 2.

c arg. 6. vtr. cap. de etat. & qualit. ordin.

§. 1.

Quæ perficere minime poſſunt, niſi in ſuis eccleſijs reſideant, vt & alias diximus, & fieri debere præcepimus, vbi populos ſibi commiſſos ipſimet, vel, ſi fuerint legitimè impediti, per idoneos miniſtros, ſaltem dominicis, & alijs feſtis diebus, cibo paſcant ſalutari, verbo Dei ex ſacris Euangelijs deſumpto, qua fieri poterit facilitate, inter Miſſarum ſolemnia eis explicato.

d c. 1. ſup. de cler. non reſiden.

§. 2.

Feſtis item diebus à prandio (vt, dum dioeceſim noſtram viſitaremus, fieri iuſſimus) pueros vtriuſq. ſexus fidei Chriſtianæ prima doceant rudimenta, cæteroſq. omnes Chriſtifideles ſæpiſsimè adhortentur, vt in eo tam pio, tamque neceſſario munere, ſe quiſq. diligenter exerceat, ampliſsimos etiam indulgentiarum à ſummis Pontificibus conceſſarum theſauros conſequuturus.

§. 3.

Quibus peractis, veſperas recitent, cantẽtq. iuxta loci vſum, & coadiuuantiũ numerum, ad quas cantandas, ſicut etiam Miſſas, omnes clericos, qui intra fines parochiæ degunt, vt conueniant, enixè in domino hortamur.

§. 4.

Omnem præterea adhibeant diligentiam, ne ſuperſtitiones, aut abuſus aliquot, in grege ſibi commiſſo vnquam pullulent, eos maximè qui ad impietatem, aut hæreſim tendunt; &, ſiquos ex quauis cauſa natos, vel naſcentes, animaduerterint, radicitus euelli ſeduló curent, re nobiſcum, vel cum Vicario noſtro, ſi grauiores fuerint, communicata.

§. 5.

Studioſiùs quoque inquirant, ſiqui ſint in ſuæ parochiæ finibus publici peccatores, eoſque, niſi monitis reſipiſcant, ad nos, aut ad Vicarium noſtrum generalem deferant; & præcipuè, ſiquos hæretica prauitate infectos eſſe ſuſpicentur, eoſq. maxime, qui ex neotericorum ſcholis ad nos confluunt, in noſtrãq. dioeceſim tranſeunt: propterea, & incolas, & exteros ſeduló obſerdent, ac diligenter, etiam per emiſſarios, ſcifcitentur cum quibus habeant conſuetudinem, ac familiaritatem, ſi de fide catholica, aut de miniſtris eccleſiæ obloquantur, ſi Miſſas audiant, & ſi peccata ſacerdotibus confiteantur, ſi ſanctiſsimam e Euchariſtiam, ſaltem in Paſchate, ſumere ſoleant; ne eos (vt ait poeta f)

e can. occo autẽ 2. q. 1. arg. 1. conſuluit Ecle. olim Praſid. f Virg. Aglo ga 1.

Mala vitini pecoris contagia lædant.

§. 6.

Solitas puerperarum benedictiones in priuatis domibus, non quidem promiſcue, ſed pro qualitate perſonarum, parochorum arbitrio impendi concedimus: è partu autem ſurgentibus, atque ad eccleſias, vt benedictionem accipiant, accedentibus, benedicturi parochi Miſſas, quas ſiccas vocant, nullo pacto recitare audeant; ſicut etiam ex quauis alia cauſa, vel præ extu, vel colore, in noſtra iuriſdictione deinceps recitari eas, omnino prohibemus.

§. 7.

Aegrotos præſertim, quos graui morbo laborare cognouerint adeo, vt de eorum vita pluritnum dubitandum ſit, etiam non vocati, pluſquàm ſemel, immo frequenter viſitent, atque ad ſuſcipienda ſacramenta adhortentur, ac, ne ſine viatico, & extrema vnctione ex hoc ſeculo diſcedant, omni ſtudio, & cura, operam dare meminerint.

§. 8.

Omnia deniq. ſacramenta ſuis parochianis rectè, atq. opportunè adminiſtrare ſtudeant

ſumma

summa animi religione, exteriore cultu, ac diligentia, iuxta sacrorum canonum sanctiones, & ecclesiæ cuiuscunque laudabiles mores, quæque de omnibus sacramentis à nobis suis locis dicuntur, enixè obseruent.

§. 9.

Vnusquisque autem parochus, vt munus suum facilius obire possit, non solùm Breuiarium, & Missale Romanum habeat (quibus solis sacerdotes, omnesq. alios nobis subditos clericos vti volumus) sed & alios libros ad curam animarũ pertinentes, ad casusq. quos conscientiæ, vocant, definiendos idoneos, ac præsertim Manuale curatorum, aliquã Summam, Concil. Tridentinum, Catechismum Romanum, hasque nostras constitutiones.

§. 10.

Præter eos, quos diximus, alios quinq. libros habeant, in quorum primo describantur nomina baptizatorum, eorumq. parentum, & suscipientium, qui compatres appellantur: in secundo eorum, qui à nobis, aut à successoribus nostris, sacrum Confirmationis sacramentum suscipient: in tertio eorum, qui matrimonio coniungentur: in quarto omnium parochianorum, etiam infantium, vtriusque sexus intra parochiæ limites existentium: in quinto omnia, quæ à nobis edentur decreta ad parochorum officium spectantia, vt ea sedulò exequi, & ab alijs, ad quos pertinebit, executioni mandari facilius curare possint. Quæ, si parochi neglexerint, aut iuxta nostras constitutiones non obseruauerint, arbitrio nostro mulctentur: crescente verò contumacia, etiam priuationis periculum subeant.

CAP. II.

HActenus de parochis, & parochijs: Nunc agendum est de parochianis, quos primùm scire oportet, parochos, animarum veros esse pastores, & patres, quibus obedire tenentur, vt grex pastori, vtque parentibus filij, quorum auctoritas tanta est, vt Christus apud Lucam dixerit [a]: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Quod quidem, non de ijs tantùm, quos alloquebatur, intelligi voluit, sed de omnibus etiam, qui legitima successione gubernandi, docendique munus in Ecclesia obituri essent, quorum operibus [b], se vsque ad consummationem seculi affuturum promisit. Ij sunt ab humanæ salutis auctore maxima, amplissimaq. potestate donati, facultare, scilicet, dimittendi peccata. Quam tanti fecit sanctus Augustinus [c], vt præstantius opus esse existimauerit, hominem pium ex impio facere, hoc est peccatorẽ iustificare, quàm cœlum, & terram ex nihilo creare, nam iustificatio peccatorum est [d] infinitæ Dei potentiæ opus. Quæ, cùm satis, superq parochorum dignitatem ostendant, eos parochiani in summa veneratione habere debent, etiam ex alijs magnis causis. Sacramẽtorum etenim administratione, sacrificijs, precibusq. assiduis, populum ab ira diuina defendunt, peccatores Deo conciliant, ad salutem æternam oues suas perducũt, etiam cum temporalium bonorũ augmento. Plurimũ eis igitur honorem impartiantur, Missas audiãt, saltem diebus dominicis in [e] proprijs parochijs, etiam si oratoriũ habuerint ex nostra, aut nostrorum prædecessorum permissione. Decimas item parochis integre, ac diligenter persoluant: si enim spiritualia seminant (vt ait Apostolus [f]) magnũ non est, si carnalia metant, nec [g] alligandum est os boui trituranti; & mercenarius [h] dignus est mercede sua. Quinimmo hortamur omnes parochianos, vt pro christiana charitate, de bonis sibi à Deo collatis, parochos, qui tenuioribus præsunt ecclesijs, ad indiuiduæ Trinitatis laudem, atque ipsorum parochorum, qui pro ipsis inuigilant, & laborant, dignitatem tuendam, largè subuenire non grauentur, centuplum, scilicet, accepturi, æternamq. vitam possessuri.

a cap. 10.

b Matth. 28.

c tract. 72. in Io. & colligi videtur ex Psal. 144.

d Apost. ad Rom. 8 epist. 2. ad Corinthios 6.

e can. si quis etiam ext. de consecr. distinct. 1. c. 2. ext. hoc tit.

f epist. 1. ad Corint. c. 9.

g Deuteron. cap. 25.

h Matth. 10. Apost. ep. 1. ad Corinth. cap. 9.

De decimis, primitijs, & oblationibus. Tit. XXX.

CAP. I.

DECIMAS, & primitias suas esse, & in Exodo [a], & in Deuteronomio [b], ipse testatur rerum omnium creator, & largitor Deus: nam, qui totum dare hominibus dignatus est, datorum decimam dignatur accipere [c], non sibi, sed nobis profuturam. Cùm igitur decimæ, non ab hominibus, sed ab ipso Domino, sint institutæ, tamquam debitæ [d], exigi licitè possunt, ita, vt, qui eas dare recusauerit [e], res alienas inuadere dicatur. Qui autem decimas, vel mensæ nostræ Archiepiscopali, vel collegio canonicorum, vel parochis, vel alijs sacerdotibus iure debitas, vel inueterata consuetudine ab immemorabili tempore solui consuetas, integrè non persoluerit, & iure veteri [f], & sacri Conc. Trident. & decreto excõmunicetur, nec à censura absoluatur, nisi negatũ, aut defraudatũ, aut quouis modo subtractum, plenè restituat. De decimis lux doctorũ B. Augustinus [h] hoc scriptum reliquit. Maiores nostri ideo copijs omnibus abundarunt, quia libentius decimas Deo dabant, & Cæsari censum reddebãt: modo autem, quia discessit deuotio fidei, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cum

a cap. 22.

b cap. 12.

c can. decimæ 16. q. 1.

d c. 14. ext. eod. e d. can. decimæ.

f c. omnes decimæ 16. q. 7. & pertinet extra eod.

g c. 12. seff. 25. de reform. h can. 1 eadem 16. q. 7.

Deo decimas: modò autem tollitur totum. Hoc tollit ficus, quod non accipit Christus.

§. vnic.

Cùm ergo decimæ iure diuino debeantur, si quis eas non soluerit, etiam si aliquo tempore, aut negligentia, aut obliuione, à conductoribus, vel exactoribus, vel ab alijs ministris nostris non fuerint [i] petitæ, declaramus, debitores sub peccati pœna ad earum solutionem teneri, nec beneficium absolutionis obtinere posse, nisi facta earum integra restitutione, vel, nisi à nobis, vel ab ijs, ad quos pertinuerit, debitoribus, fuerint condonatæ.

i Act. post Archid. Hostien. Abbat. Rotā in sua de sacr. Immun. tract. lib. 3. c. 19 n. 61 & 65.

CAP. II.

QVamuis iuri non repugnet, hodie solui posse pro decima portionem illam, quæ vsu, & inueterata consuetudine, soluitur, attamen, quia semper existimauimus [b] circa prædiales decimas, nullam earum portionem esse debere minorem, vel maiorem, ipsa fructuum parte decima, &, licet pluribus in locis non integræ, alicubi etiam nullæ, omnino soluantur, id tamen intelligi debere, non esse consuetudine abrogatum, aut quoquomodo antiquatum, sed decimas, vel ipsum ius decimarum, esse in aliud commutatum, in prædia nempe, possessiones, aliaque proprietates, quarum reditus, & prouentus eo tempore æquarentur decimis, vnde videmus, multas ecclesias, & cathedrales, & parochiales, licet nullas percipiant decimas, magnos tamen habere reditus, quia vniuersitates populorum, vt solutione decimarum exonerarentur, ecclesijs contulerunt prædia, agros, vineas, prata, siluas, & id genus alia immobilia bona publica, ciuibusq. cõmunia. Ideo, si in aliqua nostræ diœcesis parochia, non constet, quænam portio pro decima soluenda sit, decima, scilicet, aut vigesima, aut tricesima, aut centesima; placet, donec aliter probatum fuerit, decimam fructuum partem esse præstandam, atque, ita pronunciari debere à Vicario nostro decernimus, nempe ex forma iuris [c], cuius auctoritate ecclesia rite possidere [d] intelligitur, quod possidet, quamdiu contraria possessio nulla, vel incerta est, cuius ratio defectu probationum [e] in iudicando haberi debet.

a c. 32. eod. b d cap 19 num 41 cum seqq.

c l. 2. ff. de iur. & fact. ignor. d arg. c. 2. vbi not. extr. de verb. sign. e l. dos fuit Titij de testam. tut.

CAP. III.

DEcimæ non, nisi reales, seu prædiales, ex prædiorum, scilicet, fructibus olim exigi solitas, tradunt scriptores, vnde fructuum primitiæ, & Græcis [a], & Romanis [b] nuncupatæ sunt; teste Plinio [c], non degustari consueuisse nouas fruges, aut vina, antequam à sacerdotibus primitiæ libatæ fuissent. Postea, cum Ecclesia sacramentorum administros, quos parochos vocamus, in christianis prouincijs distribuisset, vt haberent, vnde alerentur curæ animarum præpotin, etiam personales decimas imperauit, quas parochiani [d] ratione domicilij, ac sacramentorum, quæ eis ministrarentur, parochis soluerent. Duplices igitur decimæ sunt; prædiales nempe, & personales. Prædiales legitimè exigit parochus ex prædijs, seu fundis in eius parochia sitis, quamuis prædiorum domini alibi domicilium collocauerint: Personales verò ab ijs, qui in eius parochia habitantes, ab eo sacramenta suscipiunt. Vtrasque decimas capit parochus, qui intra suæ parochiæ limites, & personas, & res habet.

a Xenophō de Cyri exped. lib. 1. Alexand. ab Alex. [illegible] dier. cap. 8. [illegible] b M. Varro [illegible] c Plin. lib. 18. cap. 15. Iuuenal. Satyr. 11. Lucullo, Lucullo lib. 1. Dem. cur. Secul. silius. c Horat. ca.

d c. ad Apostolicæ extr. eod. c. vlt. extr. de paroch. cano. in sextis 16. quæst. 6.

CAP. IV.

OBlationum quoque vsum, in Missæ sacrificio antiquissimum fuisse ex lectione sanctorum Patrum [a] constat manifestè. Immo, aliquando offerentium nomina à Diaconis publicè recitari consueuisse memoriæ proditum est: quem quidem morem, quoniam cœperat offerentium vanitate, vel sacerdotũ cupiditate, in laudem peccantium conuerti, grauiter reprehendit B. Hieronymus [b]. Planè oblationes non ex debito, vt decimæ, sed ex mera offerentium voluntate ecclesijs ad honorem Dei, Sanctorumq. venerationem, aut parochijs, aut alijs clericis ex consuetudine erogantur. Cum igitur voluntariæ sint, ad illas persoluendas nemo cogi potest, nisi aliunde inducatur [c] obligatio, vt puta ex conuentione inita inter parochum, aliosve sacerdotes, & populum pro eorum sustentatione; præsertim, vbi adeo tenuia sint beneficia, vt, cessantibus oblationibus, mendicare, vel inhonestum quæstum facere cogerentur: Vbi igitur conuentio fuerit de huiusmodi oblationibus, quæ vulgo manuum oscula, seu baciamanus appellantur, æque præstari debere, ac decimas, iubemus. Proinde sine peccato, ac restitutionis necessitate negligi, vel omitti non posse, definimus.

a quos refert Ioa. Stephan. Duran. lib. de ritibus eccl. cathed. eccl. capit. 2. num. 7.

b in Isaiam c. 11. lib. 3. & in Matth. c. 23. lib. 3.

c S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 2. Ioannes de Medina de restit. tract. 2. Antonin. in summa part. 2. tit. 2. Alb. & alij ad rubr. de paroch.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem. Tit. XXXI.

CAP. I.

SACROSANCTI Tridentini Concilij [a] decreto inhærentes, mandamus, censuras, & interdicta, nedum à Sede ipsa Apostolica, verum etiam a nobis, seu Vicario generali nostro inflicta, à Regularibus in eorum ecclesijs publicari, & omnino obseruari: dies quoque festos, qui in nostra diœcesi præcepto nostro seruantur, ab ijsdem, quamus exemptis, seruari.

a cit. sess. 25. de regul.

CAP.

CAP. II.

AD publicas item proceſſiones, ſiue ordinarias, ſiue extraordinarias, ac repéte ob iuſtam causam indictas, ſi, vocati [a], non venerint, atque ex conſuetudine venire teneantur; etiam cenſuris, vel interdicto ad veniendum compellantur: & interim, ne per vrbem, ac diœceſim quæſtum faciant, prohibemus.

a c. 13. eadem ſeſſ.

CAP. III.

SI clericus regularis, qui, mundo relicto, vitam ab omni culpæ ſuſpicione mundã tranſigere præſumitur, ita extra ſui monaſterij clauſtra [a] deliquerit, vt in populo ſcandalum excitauerit, nisi ab eius ſuperiore intra tempus à nobis, vel à Vicario noſtro generali præſcriptum, pro criminis qualitate emendatus fuerit, ac de emendatione data ſit nobis notitia, præterquam, quòd pœnis à ſuæ religionis conſtitutionibus ſtatutis plectendus fuerit, à miniſtris [b] etiam noſtris coërceri, & arbitrio noſtro puniri poſſit.

a c. 21 ſeſſ. 6. de reform.

b c. 8. 9. ſive 10. ex. de reg. monach.

CAP. IV.

SIcut Regulares in noſtra diœceſi [a] concionari abſque noſtra auctoritate, ita nec confeſſiones ipſorum [b] etiam ſacerdotum audire poſſint. Et, quoniam experientia docet, plura mala ex confeſſariorum ignorãtia, ac facilitate, in maximum Chriſtianæ Reipublicæ damnum oriri, mandamus, nullum Regularem admitti ad audiendas confeſſiones, niſi coram nobis fuerit diligenter examinatus, & ad tantum onus idoneus repertus, in quo, non ſolùm litterarum ſcientia, & eruditio, ſed & prudentia [c] emineat, cùm & iudicis, & medici simul perſonam geſturus; vt iudex, non vulgari indigeat ſcientia ad peccata inueſtiganda, diſtinguenda, atque ponderanda, quæ grauia, quæ leuia ſint, pro cuiuſque hominis conditione, & ſtatu; vtque medicus, ſumma præditus prudentia eſſe debeat, quo ea remedia ægrotantibus adhibere ſciat, quæ ad illarum animas ſanandas, & in poſterum aduerſus vim morborum confirmandas, magis conueniant.

a Conc. Trident. ſeſſ. 5. de reform. & 9. ſeſſ. 24. de reform.

b id Conc. c 15 ſeſſ 23. de refor.

c Aug. lib. 8 vera, & falſa poenit. c 10. eam quæ peccat. de poen. d 1 can qui vult de poenit. d. 2. can. qui vult de poenit. d. 6.

CAP. V.

ET, vt Regularium ſuperiores in hanc noſtram diœceſim libentius tranſmittere poſſint eorũ ſubditos, quales valde cupimus, doctos, ſcilicet, ac graues viros ad prædicationem, audiendaſq. confeſſiones idoneos; quod difficile videretur, ſi, vnde viuere decenter poſſent, non haberent, præſertim ex fidelium eleemoſynis, obſeruari mandamus conſtitutionẽ fel. rec. Clementis VIII. die 23. Iunij anno 1603. [a] editam, qua cauetur, ne Ordinarij locorum licentiam ad nouos conuentus cuiuſcumque Ordinis, etiam Mendicantium, in ciuitatibus, & locis eorum iuriſdictioni ſubiectis, erigi permittant, niſi vocatis, & auditis in iiſdem ciuitatibus, & locis exiſtentium conuentuum Prioribus, Guardianis, ſeu Procuratoribus, & alijs, quorum id interſit, &, niſi cauſa cognita, conſtiterit, in iiſdem ciuitatibus, & locis nouos erigendos conuentus poſſe commodè ſuſtentari.

a quæ videtur concordare cu Conc. Trid. decreto c. 3. verſ. in prætem. ſeſſ. 25 de regular.

CAP. VI.

PArochos in hoc vnum potiſſimum incũbere oportet, vt accẽdant fideles ad ſtudium, & Chriſtianam liberalitatem erga eos, quibus aliena miſericordia viuendum eſt: ait enim Chriſtus apud [a] Lucam: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; & alibi [b]: Date, & dabitur vobis, vnde magnam percipit donans voluptatem: teſtante Propheta [c]: iucundum hominem eſſe eum, qui miſereatur, & commodet. Quod quidem miſericordiæ genus ita Deo gratum eſt, vt idem Chriſtus, quod vni ex ſuis, hoc eſt pauperibus, datum fuerit, tanquam ſibi datum [d], acceptum referat, ac dantes, præter vitam æternam, centuplum etiam pro vno [e] accepturos promiſerit in hoc ſeculo. Quod, cùm ante oculos noſtros continuò obuerſetur, pauperes ſubditis noſtris enixe commendamus: inter quos, quoniam Fratres ſancti Michaelis concionibus, ſacrificijs, audiendis confeſſionibus, alijſque pijs operibus, & ciuitati, & vniuerſæ noſtræ diœceſi non modicum afferunt commodum, atque vtilitatẽ, iuntq. non minus pauperiate, quàm pietate conſpicui, eos fideliũ auxilio dignos eſſe cenſemus; vtque ſpiritalia ſeminantes, auctoritate Apoſtoli [f], temporalia iure metere poſſint, nolumus, alios quosvis mendicantes, qui ex indulgentia noſtra per diœceſim noſtram quæſtum faciant (vnis S. Claræ Ciamberiacæ ciuitatis monialibus exceptis) ad colligendas eleemoſynas ire, priuſquàm ab ipſis Fratribus ſancti Michaelis, pondus diei, & æſtus nobiſcum portantibus, collectæ fuerint. Si ſecus fiat, parochi, tanquam mandata noſtra negligentes, arbitrio noſtro mulctentur.

a cap. 16.

b cap. 6.

c Pſal. 111.

d Matth. 25.

e Matth. 19.

f epiſt. 2. ad Cor cap. 9.

De conuerſione coniugatorum. Tit. XXXII.

CAP. I.

ET SI arrhæ pro ſponſalibus datæ ſunt, immo & ex ſacri [a] Cõcilij Tridentini præſcripto factæ denunciationes, coramq. parocho, & duobus teſtibus præſtitus hinc inde eſt conſenſus, niſi ſe mutuo

a c. 6. ſeſſ. 24 de reformat.

cem carnaliter cognouerint contrahentes, alter eorum, etiam altero [b] repugnante, & inuito ad Religionem transire, ibique votum professionis emittere, iure potest: non æque, si corporum commixtione fuerit matrimoniũ consummatum, nisi coniuges [c] mutuo consensu à concubitu abstinere, ac Religionem ingredi maluerint.

b cap. 2. ext. hoc tit.

c can. mulier cũ seq. 33. q 5. & 5. ext. eod.

CAP. II.

MVlier, quæ continentiam vouit, marito debitum reddere tenetur; etiam, si vir ad tempus voto ab vxore emisso [a] consenserit, ita suadente ratione, ne committatur adulterium; Deo, cui bona sufficit voluntas [b] vxori imputãte ad continentiam, (vt ait Augustinus) quod mariti cesserit infirmitati.

a c. 11. ext. eod.

b August in epist. 199 ad Ecditanũ & can. secundũ 33. q 5.

De conuersione infidelium. Tit. XXXIII.

CAP. Vnic.

MVLIER, quæ ex loco hæretico, relicto marito, in nostram diœcesim transfugerit, etsi, abiurata hæresi, gremium Ecclesiæ apertum inuenit, ad secunda tamen vota [a] transire minime permittatur. Hæreticorum enim matrimonium, cùm sacro baptismatis fonte sint regenerati, verũ esse non dubitamus, siue consideretur vt cõtractus, siue vt sacramentum: namque, vt sacramentum est, Christi coniunctionem cum Ecclesia indicat, à qua, quemadmodum ipse Christus, sacramentorum auctor [b], nunquam disiungitur, ita ab vxore vir [c], quoad connubij obligationem, nunquam potest separari: quoad, quandocumque legitimè fiat, remanere [d] tamen debet mulier inupta, cùm, præter [e] diuinam legem, qua vetatur diuortium, id quoque suadeat etiam ciuilis, ac quodammodo naturalis ratio: nam, si, vel vxori, vel marito, ob alterius eorum hæresim à matrimonio diuertere liceret, fortasse frequenter cueniret [f], vt occasione discordiæ, aut hic, aut illa hæresim fingeret. Sed & validum [g] est matrimonium inter catholicum hominem, & hæreticam, vel schismaticam, vel quamuis aliam baptizatam mulierem contractum, non item, si inter catholicum, & non baptizatam, etiam [h] cathecumenam, & ad suscipiendum baptismum paratam mulierem, contrahatur. Quapropter, si alter eorum ad alias nuptias transierit, separetur, ac salutari pœnitentia, commissi erroris admonitus, ad primum matrimonium redire compellatur, & parochus, qui ei contubernio interfuerit, ad annum ab administratione sacramẽtorum suspendatur,

a c. 6. & 7. ext de diuort.

b Apost. ad Ephes. c. 5 & can. omnis 27. q 2.

c can. omnis 27. q 2.

d id. Apost. ep. 1. ad Corinth. c. 7.

e Matth. c. 19. & Luce c. 16.

f d. c. 7. in fi.

g glos. ad can. nõ potest 28 q. 1. D. Thom. & alij in 4. d. 39.

h can. cæsar. eod. 28. q. 1.

De voto, & voti redemptione. Tit. XXXIV.

CAP. I.

VNIVERSITATES populorum, quæ, grassante peste, siue alia calamitate vrgente, vouerint Ecclesias construere, aliaue pia opera peragere, si intra tempus à nobis eorum consensu præfixum facere non inceperint, perfecerintque, quod vouerunt, à sacris, tanquã interdictæ, arceantur, nec ad diuina admittantur, donec fuerint opera absoluta, aut appareat, per ipsas non stare, quo minus absoluantur, nobis de eorum statu certioribus factis. Nihil etenim tam debitum est, quàm, quod votum est; nec quicquam prodest, immo obest vouere, nisi vota reddantur, clamante Propheta [a]: Vouete, & reddite Domino Deo vestro, ne, scilicet, Christiani deteriores sint, quàm fuerint ethnici Romani, qui, tametsi falsos deos colebant, non tamen minus pij in soluendis, quàm in [b] suscipiendis votis, fuere: ideo vouens, antequam votum solueret, vori reus [c] dicebatur, ac nisi solueret, damnabatur, qui verò soluebat, solemnibus hisce verbis [d]: votum solui iubens, merito id se fecisse testabatur: quæ quidem verba his notis V. S. L. M. exprimebantur.

a Psal. 75.

b Author lib. 1. c. 10. de fact. mirab. c Macrob. li. 3. Saturnal. ad Valer. Probum de Notis Rom. litt. V.

CAP. II.

PRiuatarum autem personarum vota religionis ingressu soluta esse intelligantur, cum omne votum in Religionis [a] obseruantiam commutari possit, dum ea religio à sancta Apostolica Sede approbata sit.

a c. 4 eiusd. hoc tit. S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12.

CAP. III.

CAnonicos dignitatem obtinẽtes, aliosq. omnes, qui proprijs beneficijs personale onus, vel (vt aiunt) seruitium annexum habent, absque nostro consensu, quodcumque residentiam impediat, vouere [a] prohibemus, cùm vota huiusmodi, nisi nobis annuẽtibus, solui non possint, ne, scilicet, detur [b] clericis occasio vagandi cum diminutione diuini cultus, animarumq. fluelium detrimento.

a arg. c. si qr incipiat 17. q 1. can. monachus 2. q 4. c. liceret ext. de reg. & transit. relig.

b c. 1. & totit. sup. de cler. non resident.

†††

De

De ſtatu Monachorum, & Canonicorum Regularium. Tit. XXXV.

CAP. I.

GRAVISSIMORVM auctorum teſtimonio conſtat, monachos, qui eremitæ, & anachoretæ dicti ſunt, homines, ſcilicet, in ſolitudine procul ab omnium mortalium conſortio non in vrbibus, locisvè frequentibus, ſed [a] in montibus, ac ſpeluncis ſub certis legibus, atque inſtitutis [b] ſeorſum à clericis vitam duriſſimam tranſigere olim conſueuiſſe: cùmque non eſſent ſacerdotes, [c] ſacras communes ædes ſuſcipiẽdorum ſacramentorum cauſa adijſſe [d], Miſſaſq. ſibi à ſacerdotibus celebrari curaſſe, donec, procedẽte tempore, maiores noſtri melius cum huiuſmodi pijs viris, Chriſtianiſq. populis agi duxerunt, ſi in vnum coirent, ac, relicta ſolitudine, communiter [e] viuerent, vtque magis venerabiles eſſent, clerici fierent, ac, tãquam in republica, vnum veluti Principem, quem, nos Abbatem, Græci Archimandritam, vel Cœnobiarcham, appellant, ex proprio corpore ſibi crearent, qui omnibus præeſſet, ſicut clericis ſecularibus præſunt Epiſcopi. Quod, cùm [f] ſummorum Pontificum auctoritate confirmatum, longoq. vſu in vniuerſo orbe Chriſtiano receptum ſit, nobis minimè probantur, nec tolerandos cẽſemus eos, qui, monaſtico habitu iam ſuſcepto, vitam clauſtralem ſolemniter profeſsi fuerint, ac vouerint, in cauernis, ac montibus delitescere, niſi id à ſancta Sede Apoſtolica eis ſpecialiter indultum ſit.

a Iuſtin. Nouel. 5. & 133. S. Hieron. ad Paulmicanſi cupis can. hinc eſt 16. q. 1. Hiſtor. Tripar. lib. 8. cap. 1.
b l. generaliter C. de Epiſc. & cler. d. can. hinc eſt.
c d. Nouell. 133. Abb. ad c. dilectus ex de capel. monach.
d d. canon. hinc eſt.
e can. ſi clericus ead. 16. q. 1. & d. Nouel. 133.
f can. monachorum. 20. q. 4.

CAP. II.

TAmetſi, canonicos regulares ad beneficiorum parochialium regimen aſſumi poſſe, permiſit Innocentius Papa [a] eius nominis tertius; nos iuſtis de cauſis animum noſtrum mouentibus (ſalua ſemper ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate) eoſdem canonicos ad curam animarum noſtræ diœceſis, aut noſtra, aut Vicarij generalis noſtri collatione admitti debere, nequaquam cenſemus.

a cap. quod Dei timore. hoc tit.

De religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ. Tit. XXXVI.

CAP. I.

SIC VT. Eccleſias [a], monaſteria, hoſpitia, aliaſq. religioſas ædes ſine Epiſcoporum auctoritate ædificari non poſſe, certum eſt, ita, & eorum iuriſdictioni, atque arbitrio, eas ſubijci maximè conuenit, vt, ſcilicet, vnuſquiſque Epiſcopus loca omnia ſacra, ad pioſq. vſus inſtituta, quæ [b] intra ſuæ diœceſis fines poſita ſint, (niſi [c] eius poteſtate Apoſtolico priuilegio eximantur) quantum neceſsitas, aut locorũ vtilitas vrgeat, viſitare, reformare, atque ordinare valeat. Quod cùm ante oculos noſtros aſsiduè obuerſetur, omnibus rectoribus, & adminiſtratoribus hoſpitalium, & in ciuitate, & extra ciuitatem noſtram exiſtentium, mandamus, vt, quæ in [d] eorum fundatione, ſiue inſtitutione, ſtatuta ſunt, diligenter, atque ad vnguem obſeruent, neque locis, quibus præſunt, vllum inferri damnum patiãtur. Qui in officio deliquerint, adminiſtratione perpetuò priuẽtur, omneſque, & ſingulas res, aut pecunias, quas in proprium vſum cõuerſas fuiſſe, eorumvè negligentia, aut culpa, perijſſe conſtiterit, integre eiſdem locis reſtituant, aut caueant de plena reſtitutione, ac ſatisfactione faciẽda intra tempus à nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris, eis præfigendum. In poſterum verò huiuſmodi curæ, ſeu adminiſtrationes, vni, & eidem perſonæ, (ſiue ea ex laicis, ſiue ex clericis ſit) vltra triennĩ nullo pacto committatur. Adminiſtratores autem ſingulis annis nobis, vel à nobis delegatis, rationes, & computa exacti, & expẽſi reddere omnino tenẽtur. Nec admittatur quiſquam ad huiuſmodi curam, qui ſe muneri ſuo plenè, ac fideliter ſatisfacturum in noſtris, vel in noſtri generalis Vicarij manibus, non iurauerit, ſi hoſpitalia in hac ciuitate ſint, ſin extra eam fuerint, in manibus rectoris loci, in quo extiterint.

a cap. 10. & plurib. ſeqq. 21. q. 2. c. 3. ext. hoc tit.
b can. Baſilicas 16. q. 7. can. monaſteria 18 q. 2.
c cap. 6 ext. eod. c. audiſtis ext. de præſcript.
d Clem. ga cõtingit hoc tit. c. vlt. ſeſſ. 7. de refor. Conc. Trid.
e c. 8. circa fi. ſeſſ. 25. de refor. Conc. Trid.
f Conc. Tri. c. 9 ſeſſ. de reform.

CAP. II.

SOdalitates, quæ & confraternitates, & pœnitentium ſocietates, nuncupantur, vt in religioſo inſtituto, inceptiſq. pietatis officijs ad diuinæ maieſtatis honorem, animarumq. ædificationem, atque ſolatium, perſeuerare poſsint, ab Archiepiſcopis Tarantaſienſibus, ſeu ſtatis temporibus, ſeu quandocumque libuerit, viſitari debere dicimus, non ſolùm,

ſolum, quo earum libri, regulæ, & conſtitutiones diligenter recognitæ, ſi quid vitij temporum iniuria contraxerint, purgentur, ſed & ſi opus fuerit, quo vtilius reformentur. Quod quidem nos, vel ipſi faciemus, vel, vt auctoritate noſtra pro locorũ qualitate exactiſſimè fiat, aſſiduè curabimus.

CAP. III.

QVamquam vehementer cupimus, in hac ciuitate, & per vniuerſam diœceſim noſtram, nouas ſubinde erigi confraternitates, vt cum diuini cultus augmento excitetur fidelium pietas; vnde, apparentibus veræ charitatis argumentis erga Deum, & proximum, catholicæ veritatis hoſtes confuſionem ſuam facilius agnoſcant; non tamen permittimus, ſacerdotes, aut clericos, aut alias quaſuis, etiam ſumma dignitate, atque auctoritate præeminentes perſonas, vllas cõfraternitates inſtituere poſſe, niſi à nobis ea de re in ſcriptis impetrata facultate: alioquin, inſtitutiones omnes nullas eſſe declaramus, earumq. auctores graui pœna arbitrio noſtro infligenda, dignos pronunciamus.

§. 1.

Sed, poſtquam confraternitates auctoritate noſtra erectæ fuerint, in illis publicos recipi peccatores, niſi reſipiſcant, prohibemus: quòd, ſi recepti, malos in bonos mores non mutauerint, & ſuperioribus obſequentes non fuerint, omni ſpe nouæ receptionis amiſſa, ex confratrum ſodalitate abſque mora eijciãtur.

§. 2.

Prohibemus item, ne in eorum oratorijs, ſiue ſacellis, vlla defunctorum, & confratrum cadauera ſepulturæ tradantur, niſi, id eis licere priuilegio, aut conſuetudine, conſtiterit, aut à parochis ea de re fine diminutione, aut detrimento portionis funeralium, quæ cuicumque parochiæ, iure, aut conſuetudine obuenire ſolet, licentiam habuerint.

§. 3.

Miſſas celebrari non ſinant, antequam parochialis fuerit abſoluta, niſi populorum commodum aliud poſtulauerit cum expreſſo parochorum conſenſu.

§. 4.

Veſperæ præterea ab ipſis cõfratribus minimè recitentur, niſi ante, aut poſteaquàm in Metropolitana, vel parochialibus Eccleſijs fuerint recitatæ, vt, ſcilicet, nullum doctrinæ Chriſtianæ ſcholis afferatur impedimentum.

§. 5.

Ad proceſſiones vocati, ſi non præſtò fuerint, ab eorum exercitio ſuſpendantur; nec reſtituantur, donec reſipiſcentes, nobis, vel Vicario noſtro generali, ſe in poſterum obtemperaturos iureiurando promiſerint.

CAP. IV.

VT verò, quæcũque bona hoſpitalibus, confraternitatibus, alijſq. religioſis locis relinquuntur, iuxta relinquentium voluntatem plenum conſequantur effectum, tollaturque omnis occaſio onerandi conſcientias eorum, ad quos maximè pertinet, teſtantium pietatem mature, ac ſyncere executioni mandari; notarijs, ac cancellarijs præcipimus (quod & in viſitatione parochiarum faciendum eſſe decreuimus) vt, quicumque ex ipſis teſtamenta, aut legata habet in actis ſuis, is; trium menſium ſpatio, à promulgatione præſentium conſtitutionum incipiendorum, qui autem de illis rogatus in poſterum fuerit, poſt menſem à die notitiæ mortis teſtatoris incipiendum; id nobis ſignificet, tradito ſubſignato exemplo particulæ legatum continentis, atque non ſine competenti mercede.

CAP. V.

LEgata omnia, & onera, quæ eadem hoſpitalia, confraternitates, aliaque pia loca ſoluere, ac portare tenentur, in libro ad id concinnato quamprimum diſtinctè deſcribantur, cuius exemplum publici notarij manu ſignatũ in archiuium Archiepiſcopale noſtrum deferatur, ne temporum iniuria perire poſſit. Sed, ſi confraternitates proprium quoque Archiuium, in quo authenticæ ſcripturæ deponantur, habuere voluerint, id vt facere poſſint, permittimus, ſed ſimul in Archiuio noſtro aſſeruentur.

CAP. VI.

IVbemus denique, vt eadem legata, atque onera cum temporum aſſignatione, quibus ſingula perſolui debeant, in particulari tabella breuiter, ac diſtinctè, deſcribantur. Quæ, vbi eiuſdem pij loci gubernatores, ſeu confratres ad deliberandum de publicis negotijs conuenire ſoleant, ſemper affixa remaneat, ne vllo vnquam tempore piæ teſtatorum voluntates, aut obliuioni mandentur, aut defraudari poſſint.

De capellis monachorum, & aliorum Religioſorum. Tit. XXXVII.

CAP. I.

QVONIAM, Eccleſias oppidi Bellifortis à prædeceſſoribus noſtris pleno iure alienatas, aut donatas fuiſſe illius loci monachis, minime conſtat, quamuis illis conceſſæ, vel cum eorum bonis permu-

permutatæ fuerint; conſequens eſt, illarum [a] inſtitutionem ad nos omnino iure ſpectare. Quapropter, cùm, eoſdem monachos inibi [b], reſidere permiſſum non ſit, nullus, vel perpetuus, vel amouibilis Vicarius, ad earundē Eccleſiarum adminiſtrationem conſtituatur, qui prævio examine, ad id munus obeundum idoneus à nobis iudicatus non fuerit: quem tamen ſecularem [c] ſacerdotem, non monachum, eſſe debere, ac de animarum regimine, omnibuſq. circumſtantijs ad parochi officium pertinentibus, exactam nobis rationem, noſtriſque ſucceſſoribus reddere [d] teneri, declaramus.

[a] c. viſis c. ſiqua 16. q. 1. c. in Lateranenſi ext. de prebend.
[b] c. vlt. ext. eod. titulo.
[c] cap. 1. ext. eod. tit.
[d] dc in Lateranenſi.

CAP. II.

SIcut ſecularia [a] beneficia inter ſeculares clericos ſecularium collatorum auctoritate diſtribuuntur, ita & ad regularia beneficia Prælatorum regularium collatione regulares perſonæ legitimè promouentur, dummodo [b] collatores beneficia conferendi in mora non fuerint: quo caſu, collationes abſque controuerſia ad nos deuoluijex ſacrorum Canonum præſcripto declaramus. In mora autem eſſe collator ille intelligitur, qui monacho non ſui ordinis (licet ſub eadem regula militet) beneficium conferat, collatarium enim, & eandem regulam profiteri, & eiuſdē Ordinis [c] eſſe, atque inſtituti, neceſſe eſt, ſiquidem differt ordo à regula: plures enim ordines ſunt ſub vna regula militantes. Regulæ verò quattuor ſunt: Sanctorum, nempe, Baſilij, Benedicti, Auguſtini, & Franciſci Aſſiſiatis, à quibus, veluti certiſſimis fontibus, obſeruantiæ, ac viuendi normam hauriunt cæteri, ſiue Ordines, ſiue congregationes Regulares, vna excepta Carthuſiana, quæ nullam ex ijs quattuor agnoſcit, ſed propriam habet regulam. Quapropter, ſi beneficium ſit Ordinis ſancti Benedicti, conferri nequit monacho Ciſtercienſi, neque contra, niſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis, qui, vt alibi diximus, cùm ſit Ordinariorum Ordinarius, pleniſſimam [d] habet in beneficijs poteſtatē.

[a] c. cum de beneficio de præb. in 6.
[b] cap. inter quatuor ext. de relig. domib.
[c] c. 10. ſeſſ. 24. de refor. Conc. Trid.
[d] can. cumdiu per mundum 9. q. 3. c. 2 de præb. lib. 6. Clem. 1. in fi. vt lite pend.

De iure patronatus. Tit. XXXVIII.

CAP. I.

QVONIAM plures ſunt, tum Eccleſiaſtici, tum ſeculares homines, qui, eligendi, ſeu præſentandi ad Eccleſias, capellanias, hoſpitalia, aliaq. beneficia Eccleſiaſtica vacātia ius habere ſibi perſuadent, vt, quod à ſacra [a] Tridentina Synodo ſanctè conſtitutum eſt, executioni mandetur (præter id, quod in viſitatione noſtra ſpeciatim decreuimus) omnia iura, priuilegia, ac fundamenta, quibus ea electio, aut præſentatio, fieri legitimè poſſit, intra duos menſes à die publicationis præſentium actorum computandos, nobis, aut Vicario noſtro generali, exhiberi iubemus: quo termino elapſo, niſi exhibita fuerint, quod iure communi ſtatutum eſt, obſeruandū eſſe intelligatur.

[a] c. 12. cum ſeq. ſeſſ. 24. de refor. c. 9 ſeſſ. 25. de reform.

CAP. II.

IN futurū verò nemo, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis, cuiuſcumque ordinis, & dignitatis fuerit, alia prorſus ratione iure patronatus acquiri ſibi intelligat, quàm, ſi Eccleſiam, beneficium, aut capellam, de nouo fundauerit, & conſtruxerit, ſeu iam erectam, ac ſufficienti dote carentem, de proprijs, & patrimonialibus bonis dotauerit: inſtitutio verò huiuſmodi nobis, nec alteri nobis [a] inferiori reſeruata cenſeatur.

[a] can. piæ mentis diſt. 87. q. 7. cum his ext. hoc tit. d. cap. ea ſeſſ. 24.

CAP. III.

SAne, cùm beneficiorum iurispatronatus rectores vitæ integritate conſpicuos eſſe, ad diuini cultus, decus, atque augmentum, Chriſtianæ Reipublicæ non parum interſit, appoſitè quidem, atque opportunè, ex iuris [a] Pontificij, ſacriq. [b] Concilij Tridentini præſcripto, qui ad huiuſmodi titulos admitti debent, Epiſcopis locorum, vbi extiterint beneficia, à patronis præſentandi ſunt, vt pietatis ſtudio, morumq. candore probati, ad ſacra miniſteria canonicè inſtituantur. Patronos igitur, niſi intra quattuor menſes, ſi laici fuerint, aut, ſi Eccleſiaſtici, niſi [c] intra ſex, ad regimen Eccleſiarum rectoribus carentium viros idoneos nobis præſentauerint, priuilegio præſentādi toties decidiſſe, dicimus, quoties legitimum præſentationis terminum abſque præſentatione præterire patiantur, eiuſque negligentiæ cauſa ius conferendi eadem beneficia, ac ſi libera eſſent, ad nos deuolutum eſſe, declaramus.

[a] c. 1. 2. & 27. ext. eod.
[b] ſeſſ. 24. de refor. c. 12.
[c] c. vn. eod. tit. in 6.

CAP. IV.

LIcet conſtituens iuspatronatus, extra bona ſua illud eſſe profiteatur, ſicut dominus manumittens ſeruum, ſeruo priuatur; attamen, ſicut, qui libertatem dat [a], quoddā ſibi ius in liberto retinet, ita & patrono in beneficio iurispatronatus à ſe fundato remanet ius, quod, præſentandi, appellatur. Cæterum præſentans nihil prorſus ex bonis, aut iuribus, aut reditibus Eccleſiæ iuriſpatronatus, vel proprijs auctoritate percipere, vel à præſentato quauis ratione exigere, aut ſibi retinere poteſt, niſi fortaſſe, cùm, vrgente paupertate, ſacratum [b] conſtitutionum ſuffragio, patrono ſuccurrendum ſit: quod tamen, in

[a] l. 1. & in. tit. ff. de iure patron.
[b] c. ſiliis c. quicumque 16. q. 7. cum. hoc tit.

in noſtra iuriſdictione ſine auctoritate noſtra fieri nolumus, vt egentibus pro perſonarum qualitate, ac beneficiorum reditu, opportunè conſulatur. Qui ſecus fecerit, fidelium communione priuetur, iuſq. præſentandi ſtatim amiſiſſe intelligatur.

§. 1.

Vt autem faciliùs, quod hac de re in Concilio c Tridentino ſtatutum eſt, debitam executionem aſſequatur, clericis omnibus beneficia iuriſpatronatus obtinẽtibus præcipimus, vt, quoties à patronis aliquam huiuſmodi moleſtiam habuerint, eam illico nobis, aut Vicario noſtro generali, ſignificent, alioquin à diuinis arbitrio noſtro ſuſpendantur.

c d.c.9.ſeſſ. 25.

§. 2.

Idem dicimus, ſi patroni iuſpatronatus vẽdiderint, aut alio titulo in alias perſonas cõtra d canonicas ſanctiones tranſtulerint: eo enim caſu, non ſolùm excommunicationis, &; ſi vniuerſitates fuerint; interdicti pœnas ſubeant, ſed & ipſius iuſpatronatus priuilegijs ſtatim priuati intelligantur.

d c.4.7.& 16 eius. hoc tit. & c.9 § ad hæc verſ. nec diſſimu.

§. 3.

Cætera, quæ ad iuſpatronatus pertinent, à ſacro Tridentino Concilio petenda ſunt, cuius decreta ad vnguem obſeruari mãdamus.

De cenſibus, exactionibus, & procurationibus. Tit. XXXIX.

CAP. I.

a Apoſt. ad Rom. c. 15.

VONIAM Epiſcopatus, inter eas poteſtates; quibus a omnẽ animam ſubijci, aſſerit Apoſtolus; eſſe cenſetur, ſubiectio verò ex tributi, ſeu cenſus ſolutione, quod ſuperiori penditur, manifeſtè arguitur; loca omnia religioſa Epiſcopis, tanquam b ſublimioribus poteſtatibus, ſiue ſuperioribus, ſubdita, cenſum pendere c teneãtur, nempe, vt dum d ſpiritalia ſeminãt, carnalia, ſeu temporalia, eiuſdem Apoſtoli auctoritate, iure metere poſſint. Quod, cùm in vniuerſo Chriſtiano orbe in recognitionem Epiſcopalis poteſtatis, & præeminentiæ receptum ſit, vt à noſtris quoque ſubditis erga nos obſeruetur, decimam partem fructuum beneficiorum in noſtra diœceſi exiſtentium ſingulo quoque quinquennio, vt antea cõſueuerat, ab eorum rectoribus cathedratici, vel charitatiui ſubſidij loco nobis repræſentari mandamus.

b c. de rem. doch. ji c. cõ dilectus ext. de relig. domus can. ecclẽ baſilicæ 16. q. 7. c c.1. & to. tus ext. eod. d Apoſt. epiſt. 1. ad Cor. 9.

§. vnic.

Exactiones verò, quæ tributum quoddam ſunt, & extra ordinem exigi ſolent, ſi ſuperueniat neceſſitas e, permittimus, ſin minus prohibemus.

e c.4.5. prohibemus eap. hoc tit.

CAP. II.

PRocurationes autem, hoc eſt erogationes, ſeu ſolutiones expenſarum, quæ viſitatoribus pro viſitatione debentur, remitti a nullo pacto debent, ſiue ad clericos, ſiue ad laicorum vniuerſitates, pertineant, vt in noſtra diœceſi ex antiquiſſimo vſu fieri conſueuit, idque optima ratione, cùm viſitationes ad commodum, atque vtilitatem, tam clericorum, quàm laicorum inſtitutæ ſint, ita, vt ſacra Synodus b Tridentina, eas, tanquam maximè neceſſarias, in qualibet diœceſi ſingulo quoque anno fieri præcipiat, aut ſaltem ſingulo quoque biennio, vbi propter diœceſis amplitudinem, annua viſitatio commodè abſolui non poſſit: quod tamen, nos facere non poſſe, moleſte ferimus, cùm ex conuentione inter prædeceſſores noſtros, atque vniuerſitates noſtrorum ſubditorum pluribus ab hinc annis inita, viſitationes ad ſeptennium vſque proferendæ ſint, ne, ſcilicet, populi, qui viſitatoribus victualia ſubminiſtrare tenẽtur, ſe ſupra vires grauari conquerantur. Verùm, quoniam longiſſimum videtur ſpatium ſeptẽ annorum, vtque fideles fructibus ex viſitatione prouenientibus non defraudentur, accedente præſertim tanti Concilij auctoritate, cùm diœceſis noſtra, propter ſuam latitudinem, quotannis viſitari ſine magno incommodo nequeat; placeret, id fieri ſingulo quoque biennio: ſed, ne ſubditi impenſis fatigẽtur, habeaturq. conuentionis, cuius mentionem fecimus, aliqua ratio, mediam viam elegimus, nempe, vt, ſi annuat ſummus c Pontifex, viſitationes triennij tempus minimè excedant.

a c.4.& 17. eius cod. c.1. eod. lib 6. c. vt. extrauag. comm.

b c.3. ſeſſ.24 de reFor.

c c. penult. ext. de capellanis.

§. 1.

Verùm, quo ipſi ſubditi noſtri, quoad eius fieri poterit, minimè neceſſariorum ſumptuũ onere, atque occaſione, liberentur, non propter comitatum prædeceſſorum noſtrorum, quem modeſtum fuiſſe credimus, ſicut, & noſter fuit, tum, quoad numerum famulantium, tum, quoad tempus, viſitationis noſtræ munere, quantùm per negotia licuit, quàm celerrime abſoluto: ſed, quia circumſtantium populorum primores, & plurimi prouinciales presbyteri, & clerici tempore viſitationis turmatim confluere ſolent, quo Archiepiſcopus eſt diuerſurus, ibique, tanquam in lautiſſima menſa, magnoq. nuptiali conuiuio, large comedere, ac bibere iumptibus locorum, qui viſitantur, ne tales ſcandaloſæ comeſtationes altiores radices agant, immo, vt penitus abuſus iſte aboleatur, mandamus ſyndicis locorũ ſub

ſub pœna arbitrio noſtro imponenda, ne, dum viſitationes fient, aliquem, qui non ſit ex comitatu viſitatorum, impenſis publicis ad menſas viſitatorias vllo pacto admittant, aut admitti permittant.

§. 2.

Vtque corruptela hæc ſtirpitus euellatur, ipſiq. ſyndici ab hac moleſtia in perpetuum omnino liberentur, ſi eſculenta, quæ, iuxta canonicas ſanctiones, viſitatoribus ſubminiſtrare tenentur, pecunia redimere voluerint, dimidia parte expenſarum, quas in huiuſmodi cibariorum apparatu facere ſoliti ſint, contenti erimus eo libentius, quò ſubditos noſtros, ex frequentiore viſitatione nullum incommodum (ſi rei mundanæ iactura cum cæleſtium diuitiarum lucro conferatur) immenſam verò vtilitatem conſecuturos, non obſcure prouidemus.

CAP. III.

NEque Eccleſiæ nomine cenſeri, neque titulum poſthac, vel vſum Eccleſiæ habere, volumus (ſiue ab vniuerſitate, ſiue à priuatis perſonis ædificanda proponatur) niſi eam, cui [a] integer manſus pro [b] dote conſtitutus ſit, hoc eſt, tantum agri, ſeu reditus annui, quantum ſufficere videbitur ad clericũ, qui in ea ſacrorum curam gerere debeat, pro miniſterij, lociq. qualitate decenter alendũ, & ſupellectilia Miſſis celebrandis neceſſaria comparanda, & quantum opus fuerit, reſtaurandam eodem ferè modo, quo, quis, vel ducendam, vel iam ductam, ornandam ſibi vxorem duxerit, vt appoſitè annuit Ioannes [c] Chryſoſtomus his verbis: Quaſi ducta vxore, vel ſponſa, vel data virgine, ſic erga Eccleſiam affectus ſis, dotem inſcribe illi: ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur.

[a] cap. 1. ver. hoc tit. Author de manſo in Paraſitis hoc tit. verſ. 4 dote. b c. memoſe eccleſiã de cõſecr. d. 1. c. 8 exx. de conſecr. Eccleſ. vel alt.

[c] homil. 1. 8 in Act. Apoſt.

De conſecratione Eccleſiæ, vel altaris. Tit. XL.

CAP. I.

ECCLESIÆ, antequam dedicationis, aut venerabili conſecrationis charactere ſanctificentur, opera duntaxat hominum videntur: ideo, vt ab humanitatis labe quodammodo vindicatæ, tanquam Dei domicilia, in ſummo honore haberentur, dedicatæ ſunt, etiam apud ethnicos, quorum [a] quidam non indoctus ſcribit, dedicatione Deum induci, ac ſede deſtinata locari. Conſecrantur quidem Eccleſiæ, quia, vt ait ſanctus Thomas [b], cùm non ſint gratiæ ſuſceptiuæ, ex cõſecratione adipiſcuntur quãdam ſpiritalem virtutem, per quam aptæ reddantur diuino cultui; cuius dignitatem nos, quantùm poſſumus, augere ſtudentes, in Eccleſijs, ac capellis, quamuis noſtrorum anteceſſorum conſenſu recenter conſtructæ fuerint, Miſſas [c] prohibemus celebrari, antequam ſolemni ritu à nobis conſecrentur, quibus ſolis [d] Epiſcopali præeminentia id muneris reſeruatum eſt.

[a] Quinti. de cia. 323.

[b] 3. Thom. 3. par q. 83. a. 3.

[c] in Concil. Aquen. ſcu Aquiſgr. ſub Pipino c. 23. & ſeq.

[d] c. 9. ex eo.

CAP. II.

CONſecratione ad Epiſcopos, vt diximus, tantùm pertinente, in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato prohibitum eſt Regularibus, ne Eccleſiæ, vel altaris conſecrationem, vel cæmeterij benedictionem, ab alieno Epiſcopo petere audeant. Quam ſanè conſtitutionem obſeruatione digniſſimã in noſtra dioœceſi diligentiſſime obſeruari, iubemus, ac, ſi negligatur, Eccleſiam illam ſic conſecratam, vel, vbi fuerit altare contra eam cõſtitutionem pariter conſecratũ, vel cœmeterium benedictũ, interdicto ſubiacere, quamdiu aliud de illa ſtatuere nobis viſum fuerit.

CAP. III.

QVoniam non deſunt inter Regulares, qui non ſine ſcandalo, quam non habent auctoritatem, ſibi temere tribuentes, nõ ſolùm ſacras veſtes, corporalia, aliaſque huiuſmodi res Eccleſijs ſecularibus dicaras benedicere, verùm etiam calices, & patenas, cõſecrare audent, ſub excõmunicationis pœna prohibemus, ne quis ſecularis clericus audeat vllam à Regularibus ſimilem conſecrationẽ, aut benedictionem accipere: ipſis verò Regularibus cuiuſuis rei conſecrationem, ac benedictionem, niſi id priuilegio Apoſtolico facere poſſint, omnino interdicimus, ac tranſgreſſores, tanquam ſacrorum canonum violatores, à ſuis ſuperioribus puniendos relinquimus. Eam autem conſecrationem, ac benedictionem, eodem deficiente priuilegio, tamquam à non habente [a] poteſtatem factam, nullam eſſe declaramus.

[a] c. 9. in fin. vbi gloſſ. in ver. tolerantia hoc tit.

CAP. IV.

QVandoquidẽ ſuperioribus annis, ardẽte bello, præter furta, rapinas, incẽdia, cædes, & ſtupra nõ pauca militũ licentia patrata, etiã ſacras res conculcatas, Eccleſiaſq. ipſas, ac loca plurima religioſa fuiſſe violata in noſtra Prouincia, credendum eſt, dubitatum fuit, an Eccleſiæ deberent iterum benedici, aut cõſecrari; dicimus nos, Eccleſias polluras noua conſecratione non indigere, ſed ſatis eſſe, ſi aqua ſolemniter benedicta aſpergantur. Aliter dicendum eſt de altari, de menſa, ſcilicet, altaris [a], ſi mota fuiſſe appareat, vel, ſi ſacri altaris lapis ſigillum continens enormiter confractus, vel diminutus

[a] cap. 1. eo. tit.

nutus fuerit, namque iterum debet conſeruari. Porrò, polluta Eccleſia humani ſanguinis[b], vel ſeminis effuſione, vel, quia in ea excommunicatorum cadauera [c] ſepulta fuerint; etiam pollutum cæmeterium [d] Eccleſiæ coniunctum, eſſe intelligitur, nec tamen (quia locus ſemel Deo dicatus amplius conſecrari debet) iterum conſecrandum eſt, ſicut, nec Eccleſia, niſi fuerit igne [e] conſumpta. Neque etiam, ſi tectum, illæſis parietibus, corruerit, iterum debet Eccleſia conſecrari [f], niſi fracta ſit altaris menſa. Cùm autem conſecranda eſt, diligenter mundari priùs, & exorcizari debet, vt, vbi diabolus [g], leonis rugientis more, quærens ſemper, quem deuoret, malignis artibus de peccatore [h] triumphauit; ibi diuinæ benedictionis virtute victus, conculcetur: &, vbi peccati ſuggeſtione Chriſtianæ fidei contumeliam machinatus eſt; ibi cæleſtis auxilij brachio, & ſatanica eludatur induſtria, & orthodoxa pietas ſuam retineat maieſtatem. Altaria verò [i], quorum conſecratio ambigua ſit, omnino conſecrentur.

b c.4. eod.
c c.7. eod.
d 11. c. eod. lib. 6.
e can. Eccleſijs ſemel de conſecr. d. 1.
f cap. 6. ext. hoc tit.
g epiſtol. 1. Pet. c. 5.
h S. Th. 3. p. q. 83 art. 5.
i Conc. Mel. c. 8. de quo apud Burch. lib. 3. cap. 10 Iuo lib. 2 c. 9. Grat. de conſecr. d. 1. Carolus Magn. apud Anieg. lib. 1. cap. 132.

De celebratione Miſſarum, & ſacramẽto Euchariſtiæ, & diuinis officijs. Tit. XLI.

Eugenij IV. in Concilio Florentino generali.

CAP. I.

TERTIVM eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam, iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ, pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentũ. Deinde, quia hoc conuenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim B. Alexãder Papa Quintus: à B. Petro in ſacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantùm, & vinum aqua permixtum in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrũque permixtũ, quia vtrumque, ideſt ſanguis, & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur: tum etiam, quod conuenit ad ſignificandum huius ſacramenti effectum, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum: Aqua enim populum ſignificat, ſecũdum illud Apocalypſis: Aquæ multæ, populi multi. Et Iulius Papa Secundus poſt B. Sylueſtrum, ait: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum vino, & aqua permixtus debet offerri: quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino verò oſtẽdi ſanguinem Chriſti. Ergo, cùm in calice vinum, & aqua miſcetur; Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur, & iungitur. Cùm ergo, tam Sancta Romana Eccleſia à beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum, Græcorumq. Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitas, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſeruauerint, & modò ſeruent; inconueniens admodum videtur, vt alia quæuis regio ab hac vniuerſali, & rationabili diſcrepet obſeruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipſi Armeni ſe cum vniuerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumq. ſacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ (prout dictum eſt) admiſceant vino. Forma huius ſacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguiné conuertuntur, ita tamen, quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Huius ſacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et, quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, conſequẽs eſt, quòd per hoc ſacramentum in ſumẽtibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitã agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando; ſacramentum hoc, quoad vitam operatur ſpiritualem, in quo (vt inquit Vrbanus Papa) gratam Saluatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.

CAP. II.

POſtulat Redemptoris noſtri erga humanum genus ſumma, immenſaq. charitas, vt, quod a Romanis Pontificibus, Vrbano IV. Martino Quinto, atque Eugenio Quarto, ad honorem ſanctiſſimæ eius humanitatis, animarumque fidelium vtilitatem ſtatutum fuit, temporumque longinquitate hominum memoria excidit, ad ſubditorum noſtrorum notitiam, vſumque reuocetur. Quod quidem huiuſmodi eſt, vt, quicumque ſacroſancti Chriſti corporis feſto die (cuius ſolemnitas

feria

feria quinta poſt octauam Pentecoſtes celebratur) diuinis officijs interfuerit; largiſſimã lucretur peccatorum ſuorum remiſſionem, ſeu indulgentiam, hac ſcilicet horarum canonicarum diſtinctione, videlicet, pro Matutino, Miſſa, ac primis, & ſecundis Veſperis, ducentorum dierum: pro Prima, Tertia, Sexta, atque Nona hora, ac Completorio centum, ſexaginta: Singulis verò cuiuslibet octauæ diebus feſtum ipſum ſubſequentibus: pro Matutino, Miſſa, ac Veſperis, ducentorum: pro reliquis autem horis, octoginta. Qui autem eodem feſto, & octauæ diebus occaſione ſupplicationum, ſeu proceſsionum, ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum deduxerit, vel reduxerit, aut pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ Miſſam celebrauerit, aut eandem Euchariſtiam ſumpſerit, vel feſto, vel quolibet octauæ die, ducentorum dierum indulgentiam lucretur, & totidem, qui ſanctiſsimam hoſtiã, dum ad infirmos defertur, vel præcedendo, vel ſequendo cum accenſo lumine, veneratus fuerit; centum verò omnes alij, qui eidem proceſsioni, quoquo modo interfuerint, item ducentorum, qui verè pœnitentes, & ſacramentali confeſsione, conſcientia expurgata, pro feſto, ſeu vigiliæ die, eiuſdem ſanctiſsimi ſacramenti ſolemnitate præcedente, ieiunauerint, vel ex confeſſarij proprij conſilio, vel alio quoquo modo, pium quoduis opus peregerint. Ad Miſſas, diuinaq. officia, interdictas etiam perſonas, quæ cauſam interdicto non dederint, vt citius cum Eccleſia reconciliarentur, admitti ſtatuerunt ijdẽ ſummi Pontifices. Quorum ſpiritualium munerum fructus, vt à ſubditis noſtris faciliùs percipi poſſint, ſub ſanctæ obedientiæ vinculo parochos noſtros obſtringi volumus, vt ſingulo quoque anno diebus **Dominicis**, qui tantæ ſolemnitatis feſtum præceſſerint, harum indulgentiarum ſummam inter Miſſarum ſolemnia alta voce populis ſuis recitent ita, vt ab omnibus intelligantur.

CAP. III.

ET, quò ſubditi noſtri maiore ſpiritus feruore in dies magis, ac magis ad propriã ſalutem accendantur, quod in viſitatione parochiarum decreuimus, hac perpetuo valitura conſtitutione confirmamus, vt, ſcilicet, eiuſdem ſanctiſsimi dominici corporis ſodalitas, ſeu confraternitas, in vnaquaque parochia inſtituatur, cuius præcipuum munus ſit ſacroſanctam Euchariſtiam, cùm ad infirmos defertur, deducere, ac reducere. Quod, ſi ex ſententia ſucceſſerit, & tanti operis auctores ſummi diſpenſatoris Chriſti Vicarij beneficio ex inexauſto Eccleſiæ theſauro (nobis etiam procurantibus) æternas ſibi diuitias comparabunt, & populus de ſui redemptoris honore tantummodo ſollicitus, diuinorumq. præceptorum obſeruantiæ magis intentus, terrenos honores calcabit, ciboque cæleſti, Chriſti nempe pretioſiſſimo corpori, animæ palatum aſſuefaciet.

§. 1.

Sed, vt confratres munus hoc faciliùs obeant, cæterique vtriuſque ſexus fideles tanto operi præſtò ſint, cùm ſanctum ad ægrotos deferendum fuerit viaticum, per campanæ ſignum populum inuitari iubemus, vt, qui voluerit, cum funalibus, ſeu, vt vulgo appellantur, intortitijs, candeliſq. accenſis, debitum ſacroſanctæ Euchariſtiæ cultum opportune præſtare poſſint.

§. 2.

Parochus verò ſuperpellicio, & ſtola, &, quandocumque commode fieri poterit, etiã pluuiali albo indutus, humiliter, & compoſitè ſub decenti vmbella, etiam alba, in argentea pixide iuxta formam à nobis traditam, duas deferat particulas conſecratas, vt altera ab ægroto ſumpta, altera cum eodẽ comitatu, & honore reducatur ad Eccleſiam, vbi ſit tabernaculum formatum, quemadmodum in viſitatione noſtra decreuimus, in quo ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentũ toto anni tempore, qua decet reuerentia, aſſeruetur: ardentibus ante illud perpetuis lampadibus.

§. 3.

Si autem longè abſit ægroti domus, perq. ſaxoſa, aſpera, & difficilia loca tranſeundum ſit, vna tantùm feratur particula in vaſculo argenteo clauſo, ſecundum formam à nobis in eadem viſitatione præſcriptam, in ſacculo ex ſerico panno confecto, ad collumq. chordula item ſerica appenſo, duabus ſaltem præeuntibus laternis, intortitiorum, aliorumvè cæreorum loco, quibus accenſæ candelæ ita aptentur, vt nulla ventorum, etiam vehementium, vi extingui poſſint.

CAP. IV.

FRuctus[a] autem, qui ex pretioſiſsimi corporis, & ſanguinis Redemptoris noſtri participatione percipitur, nulla poteſt oratione explicari: eius tamen excellentiã piæ mẽtes aliqua ex parte aſſequẽtur, quæ Euchariſtiam fonti, reliqua verò ſacramẽta riuulis cõparauerint. Verè enim gratiarũ origo, & fons eſt ſacratiſsima Euchariſtia, cùm ſub panis, & vini ſpeciebus cæleſtium chariſmatum, ac ſacramentorum auctorem, puriſſimumque bonorum omnium fontem, Ieſum Chriſtum, ſubſtantialiter, mirumque in modum contineat, vnde omnis perfectio largiſſimè manat, &

[a] cap. 2. ſeſſ. 13. Cõc. Trid. de Euchar. Ireneus lib. 4. c. 34. Cyril. lib. 4. in Io. c. 11. & 14. Ioann. Chryſ. hom. 24. & in Io. 6. Th. 3. p. q. 79. per totã & alibi.

profuit. Quod,cùm primitiuæ Eccleſiæ alũni ſatis exploratum haberent,veræ charitatis ſpiritu inflammati orationibus [b],aliiſque pietatis officijs enixè ſtuduerunt, vt panem angelorum, quantum per humanam fragilitatẽ liceret,dignè manducarent.Quam ſanè conſuetudinem ſummus Pontifex Anacletus [c] à Beato Petro Quartus, & confirmauit,&,lege lata, obſeruari præcepit. Deinde, cùm antiquæ pietatis feruore tepeſcẽte,primæuæ charitatis ſtudium paulatim lenteſceret ita,vt ad menſam Dominicam perrarò Chriſtiani accederent, ſanxit ſummus item Pontifex Fabianus [d], vt id fieret ſaltem ter in anno: Natalis, ſcilicet, & Reſurrectionis Dominicæ,ac Pentecoſtes diebus, quod plura poſtea Concilia [e] confirmarunt. Sed, cùm iniuria temporũ hæc quoque cõſtitutio obſoleſceret ita, vt in plures annos ſacra communio deferri inciperet,ac,quaſi in deſuetudinem abiret,eius ſucceſſor Innocentius [f] in Concilio Lateranenſi ſtatuit, eos, qui ſingulo quoque anno, ſaltem ſemel, tempore Paſchæ non communicarent, ingreſſu Eccleſiæ, ac Chriſtiana prohiberentur ſepultura: quod ſemper obſeruatum eſt, hodieque adeo obſeruatur,vt,non modò Romæ, ſed in omni Italia, & alibi veſtuſus ille mos communicandi reuixiſſe videatur, cùm non deſint inter Chriſtianos, etiam militiæ, mercaturæ, aliiſq. ſecularibus negotijs implicitos, qui dominicis,aliiſque feſtis diebus, & quotidie, ſacram ſumant Euchariſtiam, hocque non ex præcepto Eccleſiæ, ſed ſumentium pietate. Quare,non clericos tantùm, ſed etiam vtriuſque ſexus laicos noſtræ diœceſis hortamur, vt diuinum hoc conuiuium frequentent, ne minus Religioſi, quàm ſint alij aliorum locorum Chriſtiani, eſſe videantur.

b Ador. c.a.

c c. Epi de conſecr. d. 1. c. peracta d. 2. de conſec.

d c. cæſi non frequentius de conſecr. diſt. 2.

e Turon. 3. c. 30. Agath. c. 38. Cabil. c. 2. Latera. cap. 21.

f cap omnis vtriuſque ſexus ext de pœnit & remiſſ.

§. vnic.

Iam verò,ſi quem propriæ ſalutis oblitum, neglecto [g] Eccleſiæ præcepto (quod vix credendum eſt) ſacram Euchariſtiam, ſaltem Paſchalis ſolemnitatis tempore, non ſumere, contingat, parochus, ſub cuius cura ille fuerit, ſtatim die octauo Paſchæ clapſo, nomen, & cognomen eius ad nos deferre teneatur; vt in contumacem cenſuris, & pœnis, quantùm iure Canonico ſtatutum eſt, abſque mora animaduertatur.

g d.c.omnis vtriuſque ſexus.

CAP. V.

PArochi, vt certò ſcire poſsint, an omnes curæ eorum crediti Paſchatis tempore Euchariſtiam ſumpſerint, vniuerſos, & ſingulos,cum mares, tum fœminas doli capaces in ſuæ parochiæ finibus commorantes, deſcribant, atque in Paſchate non, niſi ijs, qui vel ipſis,vel alicui ex approbatis à nobis confeſſarijs, ſiue ſecularibus, ſiue Regularibus, peccata ſua confeſſi fuerint; ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtrent. Qui verò eodem tempore Paſchali à parochia abfuerit, niſi, cum reuerſus fuerit, fidem afferat, ſe alibi communicauiſſe, Eccleſiæ ingreſſu prohibeatur, donec Euchariſtiam, quomodo Chriſtianum virum decet, in propria parochia ſumpſerit: quòd,ſi interea eum mortem obire contigerit, Eccleſiaſtica arceatur ſepultura.

§. 1.

Quo verò, & gregem ſuum paſtor cognoſcat, & paſtorem grex honore,debitiſq. obedientiæ officijs proſequatur,ſimul, & vtrinque perfici poſsit, quod diuinorum mandatorum dignitati reſpondeat, Chriſtianaſque animas ab erroribus ſeculi ad ſalutis ſemitam reuocet, neminem (quiſquis ille ſit) tempore Paſchali alibi, quàm in propria parochia, ſacroſanctam ſumere Euchariſtiã, eiuſdem [a] Concilij auctoritate permittimus, niſi à nobis, vel ab ipſo parocho, ea de re licentiam obtinuerit. Proinde Regulares Eccleſiarum rectores,neminem ſibi non ſubditum, dum Paſchalis ſolemnitas celebrabitur, ad Dominicam menſam admittant;immo,quemcũque ad ſuas Eccleſias ea de cauſa declinare animaduerterint, piè adhortentur, vt in propria parochia Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat. Quod, ſi facere neglexerint, Euchariſtiæ adminiſtrationem, audiendarumque confeſsionum facultatem, ſibi interdictam eſſe intelligant: ſed &, qui Regularibus non ſubditus in earum Eccleſiis Paſchæ tempore communicauerit, obligatione parochialis communionis propterea minimè ſolutus eſſe exiſtimetur,cùm [b] duo præcipiat Eccleſia: alterũ, vt fideles tempore debito, quod,Paſcha eſſe, declarauit: alterum, vt in propr.jis parochijs ſanctum ſuſcipiant altaris ſacramentum.

a d.c.omnis vtriuſque ſexus.

b d.c.omnis vtriuſque ſexus.

§. 2.

Ipſi autem parochi diligenter caueant, ne manifeſtos fœneratores, latrones, blaſphemos, concubinarios, alioſq. id genus [c] flagitioſos homines Chriſtianæ Reipublicæ peſtẽ, ac fœdẽ,ad ſacroſancti corporis Chriſti menſam vllo pacto admittant, immo, niſi veræ pœnitentiæ perſpicua ſigna dederint, à tanti cos ſacramenti participatione arceant,atque reijciant: contra vero anteactæ vitæ turpitudinem contrarijs moribus emẽdare paratos, & in Eccleſiæ gremio conquieſcere cupiẽtes, amplectantur, conſolentur, erigant,ac de diuina miſericordia ſecuros reddant;dicit enim Deus per Ezechielem [d], nolle ſe mortem impij,

c can. ſicut non alij cõ ſeq. can. hic ergo can nul lus presbyter, & can. clericos de conſecr. d 1. can extra ca tholica can. manout ver. cum ergo 1. q. 1.

d Ezec c.18 & 33.

impij, ſed velle, vt conuertatur à via ſua, & viuat, neque venit [e] Saluator mundi vocare iuſtos, ſed peccatores.

e Matth 18. Luc 5 Apoc. ep. 1. ad Timoth 1.

CAP. VI.

[a] c. 1. exeid. ſumma Tri. & fid Cath. Aug lib. 10. de Ciui. Dei c. 20. Conc. Trid ſeſſ. 22. c. 1. de ſacrif. Miſſæ.

SIcut ſacrificium Miſſæ [a] vnum, & idem eſſe tenemus cum eo, quod in cruce oblatum eſt, ita vnus, atque idem ſacerdos eſt vnigenitus Dei filius, Chriſtus. Ideo ſacerdotes, qui Miſſæ ſacrificium offerunt, non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, cum eius corpus, & ſanguinem conficiunt; quod ipſius conſecrationis verba apertè demonſtrant: nõ enim miniſter ait; hoc eſt corpus Chriſti, ſed: Hoc eſt corpus meum, perſonã nempe Chriſti repræſentans, cum panis, & vini ſubſtantiã in verã eius corporis, & ſanguinis ſubſtãtiam conuertit. Hoc verò admirabile ſacrificium, non ſolum eſt laudis, (vt ſacra [b] etiam Tridentina Synodus expoſuit) aut gratiarũ actionis, aut facit nudam commemorationẽ ſacrificij, quod in cruce oblatum eſt, ſed & propitiatorium ſacrificium eſt, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur; ac prodeſt illud offerentibus (ſi cum intenſo peccatorum dolore, ac fide, ad tantam menſam acceſſerint) & vniuerſæ Eccleſiæ, tam viuentium, quàm eorum, qui in Chriſto defuncti ſunt, neque [c] ſua plene crimina expiauerint. Quamobrem ſacerdotes [d], quibus data eſt poteſtas ſacrificandi pro ſuis, alieniſque peccatis, poſtquam diligenter perpenderint, quale, quantumque ſit eorum munus, qualisque dignitas, Miſſam ſumma cum mentis puritate, & tremore, celebrent, hoſtiamq. ipſam ſacroſanctam, verum ſcilicet Dei filium, ita tractent, atque ita Deo patri offerant, vt ſibi coronam æternæ gloriæ acquirant, fidelibus verò imitandum ſolidæ pietatis exemplum relinquant.

b d. c. 1. c. 1. cad. ſeſſ. 22.

c Cypr. li. 2. ep. 10 ad cle rum, & popu lum. 1. 10. Chryſ. ſ. ho mil. 45. 10. 3. epiſt ad Cæſ. Aug lib. de cur. p. mort. c. 1. & 2 ver Apoſt ſerm. 34. 10. 9. Cõ feſſ. c. 11. 12. & 13. Conc. Tri. c. 2 & 3. d Matth. 6. Mar 14 & 17 c. 2. & hoc vtique cauſa de ſum. Tri. & fid. Cath.

CAP. VII.

CVm ſancta ſancte adminiſtrari oporteat, ſitque omnium ſanctiſſimum Miſſæ myſterium, impium planè, ac mortiferum eſſe, ſacerdotes celebraturos non perſcrutari priùs conſcientias ſuas diligenter. Ante oculos igitur eorum ponimus tremendum illud ſacrificium, quo genus humanum cum diuina iuſtitia reconciliatum eſt, eoſque obteſtamur, ne cum peccati letalis labe accedant ad altare, nec obliuiſcantur verbi Apoſtoli [a] ad Corinthios, qui manducat, & bibit indignè, (corpus, ſcilicet, & ſanguinem Chriſti) iudicium ſibi manducat, & bibit; ſed mentem extollant ad tam ſublimis miniſterij contemplationem, quod aſſequi facilius poterunt, ſi poſt ſacramentalem confeſſionem; priuſquam Miſſam incipiant, orationem aliquam ex ijs, quæ in Miſſali reperiuntur; genibus flexis ante imaginem Chriſti (cuius corpus Deo patri oblaturi ſunt) piè recitauerint. Itaque in ſacrario, vbi celebraturi ſacris induuntur veſtibus, appendantur tabellæ, in quibus, præter ſacras icones, huiuſmodi etiam orationes deſcriptæ ſint, vt orantes, & piarum precum recitatione, & mentis elcuatione in Deum, viam ſibi ad cælum aperiant.

a epiſt. 1. ad Cor. c. 11.

§. Vnic.

Perpaucos credimus eſſe inter ſacerdotes, qui ritus Eccleſiaſticos adeo ignorent, vt neſciant, non eſſe celebrandam Miſſam, antequam recitatum ſit ſaltem officium matutinum, atque vti oportere veſtibus, hoc eſt planetis, ſeu caſulis, coloris, vel tempori, vel Miſſæ celebrandæ congruentis. Quinque autem ſunt colores, quibus vti ſolet Eccleſia, albus, ſcilicet, rubeus, violaceus, viridis, & niger.

CAP. VIII.

QVandoquidẽ canonici, parochi, Metropolitanæ, cæterarumq. Eccleſiarum, ac tandem totius noſtræ diœceſis presbyteri, & clerici omnes, Miſſali, & Breuiario Eccleſiæ Tarantaſienſis relicto; diuina officia recitant, Miſſasque celebrant ex Miſſalis, ac Breuiarij Romani præſcripto, rationi conſonũ videtur, idem obſeruandum etiam eſſe in cæremonijs ad diuinum cultum pertinentibus. Quocirca Beneficiarijs, Curatis, Canonicis, Presbyteris, omnibusq. alijs clericis nobis ſubditis, cuiuſcumque conditionis, & dignitatis ſint, mãdamus, vt antiquis ritibus, & cæremonijs omiſſis, quæcumque diuinis officijs recitandis, & Miſſis celebrandis neceſſaria ſunt, iuxta Romanæ Eccleſiæ ritũ, & cæremonias deinceps peragantur, atque inter cætera, ne in Miſſæ introitus Pſalmus, qui incipit: Iudica me Deus, & in fine Euangelij ſecundum Ioannẽ pars in calce Miſſæ recitari ſolita, prætermittatur, ijs Miſsis, & diebus exceptis, quibus, aliter fieri Miſſalis Clementini nuper editi regulis præſcriptum eſt.

§. 1.

Vtique ab re non fuerit, ſacerdotem, antequã è ſacrario Miſſam celebraturus, egrediatur, quæ recitare debebit, aut ea ſaltẽ, quæ in dies mutantur, percurrere, ne culpa ſua, aut caſu prætereunda legi, aut legenda præteriri, cõtingat, aut cùm ad altare fuerit, hæreat, aut in quærendis ijs, quæ in actu tam venerandi miniſterij promptiſsimã eſſe decent, non ſine nauſea, ac ſcandalo audientium, occupetur.

§. 2.

Non egrediatur, niſi præeũte clerico talari veſte, & ſuperpellicio, (ſeu, vt vulg. loquitur) cotta

cotta induto, clericaliq. charactere insignito cum Missali, & campanula, vel tintinnabulo, quo in eleuatione sanctissimæ Hostiæ excitẽtur circumstantes ad illius adorationem, diuiniq. mysterij contemplationem. Dum exibit, pulsetur aliud tintinnabulum ostio sacrarij superpositum, quo, & extra Ecclesiam, & in Ecclesia existentes de exitu sacerdotis admoniti, possint, si voluerint, celebrandæ Missæ opportune interesse.

CAP. IX.

a sup. c. 7. in princ. cap.

ET, cùm Missæ sacrificium (vt dictũ est a) sit omnium sanctissimum; caueat sacerdos, ne in eo administrando committat, quod absolutissimum, & perfectissimum non sit. Accedat igitur ad altare, non solùm purus, ac mundus corde, atque exteriore cultu venerabilis, sed, quæcumque in eo opere necessaria fuerint, decore, humiliter, totiusque mentis intentione, persoluere meminerit, præsertim in pronunciandis verbis ad Missam pertinentibus, scilicet, non festina, nec tarda, nec dissona, sed clara, adeoque alta voce, vt piæ aures diuina eloquia facilius percipere, attentiusque considerare possint, sacerdotis verò meritum ea quoque de causa augeatur.

§. 1.

Quæ autem secreto dicenda sint, ita pronuncientur, vt à circumstantibus non intelligantur, atque, non cursim, aut parum attente, sed ea verborum distinctione, vt celebrans se ipsum intelligat. Cùmque sacrificantes solemne habeant capitis, manuum, genuum, totiusq. corporis gestu, & compositione, locorumque mutatione, quædam facere minime otiosa, aut superuacanea, (vt

b c. 5. & vl. sess. 22 de sacrif. Missæ.

sancta b Tridentina Synodus declarauit) quo tanti sacrificij maiestas magis splendescat, perque res visibiles ad inuisibilium mysteriorum in eo sacrificio latentium contemplationem Christianæ mentes traducantur; curet religiosus altaris minister, vt huiusmodi functiones, ac ceremoniæ exacte, ac diligenter absoluantur.

§. 2.

Ne igitur profanum appareat, quod sacratissimum est, non celebretur Missa, nisi super altari duæ saltem decentes ardeãt cereæ candelæ, quæ, nisi recitato Euangelio in fine Missæ legi solito, neque extinguantur, neque inde auferantur, quemadmodum in nostra visitatione obseruari mandauimus, sintque super vnoquoque altari, præter crucem, duo saltem candelabra, aut ex argento, aut ex aurichalco, aut etiam ex ligno tornato, & pro loci qualitate eleganter depicto, confecta. Altaria verò, quæ, priuatarum personarum esse dicuntur, nisi eis, quod necesse fuerit ad Missarum celebrationem, mensæque Dominicæ dignitatem, large subministretur, vel amoueantur, vel à negligentibus, aut impotentibus ad volentes, & vaentes, negligentium, siue impotentium defectum supplere, (vt in eadem visitatione statuimus) præmissa monitione, omnino transferantur.

CAP. X.

VTque à tanto sacrificio abusus omnes arceantur, sitq. eius dignitas plena, atque integra in oculis circumstantium, præcipimus sacerdotibus, vt sub pœna suspensionis à diuinis, postquam se vino tantùm, non aqua purificauerint, digitisq. ablutis, ablutionem sumpserint, calicem purificatoria, mappula abstergeant, non autem (vt hactenus à quibusdam fieri accepimus) linteolo ab altari pendente.

§. Vnic.

Quoniam indecorum semper existimauimus, sacerdotem sacris vestibus indutum, ad Missamq. accinctum, ad altare quemquã expectare, ne diuini mysterij dignitas vilescat, nolumus, sacerdotes ad celebrandam Missam ita expeditos quemque (cuiuscumque ille conditionis sit) otiosos præstolari.

CAP. XI.

NVllus, vel a secularis, vel regularis sacerdos, in priuatis domibus, & extra Ecclesiam sub pœna suspensionis à diuinis (quam ipso facto transgressor subeat) Missam celebrare præsumat, nisi à nobis ea de re licentiam obtinuerit, quæ tamen non intelligatur locum habere alibi, quàm in oratorijs diuino cultui dicatis, nec, nisi ex graui causa. In altari verò, quod portatile vocatur, & in eo, quod sub dio positum sit, Missam omnino celebrari prohibemus.

a Conc. Trid. sess. 22 in decret. de obseru. & euit. in sacr. Missif. verb. Nemiuem.

CAP. XII.

VVlgatissimum in Ecclesia axioma est, clericum pro impetrato beneficio ad recitandum diuinum officium teneri, darique beneficium, vt recitetur officium. Nihilominus, quia inter petentes beneficia non desunt, qui, non solum recitare officium, sed, nec vix legere sciunt, in quorum numero obseruatum est, complures esse eorum, qui ad iurispatronatus beneficia admittuntur, ipsorum ferè patronorum culpa, dum imperitissimos homines, immo vmbras, ac simulacra hominum, ad altaris ministerium proponere non erubescunt; vnde, non sine animarum periculo, nõ pauca oriuntur scandala, & perturbationes in Ecclesia: Nos, ne pestis hæc (si aliquando in nostrorum subditorum mores irrepserit) latius grassetur, Pij Quinti

a incipiēs: ex proxim.

ſummi Pontificis conſtitutionl [a] inhærentes, dicimus, clericum, vel ſimplex, vel parochiale, vel aliud eccleſiaſticum beneficium obtinentem, ſi, ceſſante legitimo impedimento, intra ſex menſes à die collati beneficij officium diuinum non recitauerit, quamuis inde perceptos fructus reſtituere non teneatur, grauiter tamen peccare. Eum verò, qui ſui ipſius quodammodo oblitus, ſalubris huius præcepti medicinam reiecerit, atque minimè impeditus, etiam poſt ſex menſes officium non recitauerit, ad male perceptos fructus fabricæ ipſius beneficij, ſeu pauperibus pro omiſſi officij, ac temporis rata parte erogandos, Concilij etiam [b] Lateranenſis tertij auctoritate, omnino compelli mandamus. Quā ratam partem ex [c] eadem Pontificia conſtitutione ita accipiendam eſſe declaramus, vt pro omnibus horis omnes fructus amittantur, pro matutinis tantùm fructuum pars dimidia, pro reliquis ſex horis item dimidia: & ſexta pro vnaquaque ſex horarum eius diei, quo recitatum non fuerit officium. Quod quidem, locum habere idem Pontifex voluit in omnibus etiam beneficijs nulli ſeruitio obnoxijs. Qui autem officium recitare pertinaciùs neglexerit, non ſolùm grauis culpæ daturum pœnas, ſed, poſt legitimas monitiones, beneficij quoque amiſſioni expoſitum eiuſdem Concilij [d] ſententia ſe eſſe intelligat.

b ſeſſ. 3. c. 3.

c d. conſtitutione.

d ſeſſ. 3. cā. 3.

§. vnic.

Quicumque autem penſionem, fructus, reſque alias eccleſiaſticas, vt clericus, percepit, eadem [e] Pontificia conſtitutione ad recitādum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis ſub peccati pœna, amiſſioniſq. penſionum, fructuum, rerumque aliarum eccleſiaſticarum teneatur. Quæ omnia ad vnguem obſeruari iubemus.

e ead conſt. incipien. ex proxim.

De Baptiſmo, eiuſque effectu. Tit. XLII.

Eugenius IV. in Concilio generali Florentino.

CAP. I.

PRIMVM omnium ſacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis ianua eſt: per ipſum membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ, &, cùm per primum hominem mors introierit in vniuerſos, niſi ex aqua, & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus (vt inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. Materia huius ſacramenti eſt aqua vera, & naturalis, nec referi, frigida ſit, an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio cōpetit baptizare. In caſu autem neceſſitatis, non ſolum ſacerdos, vel diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, immo etiam paganus, & hæreticus, baptizare, poteſt, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Huius ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem, perueniunt.

CAP. II.

COnſuetudo [a] vetuſtiſſima eſt in ſpiritualibus creaturarum regeneratione iam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt, cùm infantes baptizantur, præter parochum; qui eſt proprius [b] huius ſacramenti miniſter; adhibeantur & patrini, qui compatres, ſuſceptores, ſponſores, ac fideiuſſores, appellantur. Nec quidem ſine myſterio, & ratione; nam, quemadmodum natus infans nutrice, & pædagogo opus habet, vt eorum ope, & auxilio alatur, & doctrina, boniſq. moribus formetur, ſic, & ſanctis Patribus chriſtianæ pietatis fundatoribus neceſſarium viſum eſt, vt, qui ex baptiſmi ablutione renaſcitur; alicuius fidei, & induſtriæ committatur, à quo Catholicæ religionis dogmata haurire, ad omnemque pietatis normam eruditus, paulatim in Chriſto adoleſcat, donec tandem perfectus eiuſdem Chriſti imitator euadat. Quam ob cauſam, & baptizans cum baptizato, & ſuſceptor cum eo, quem ſuſcipit, & cum veris eius parentibus, contrahit affinitatem, cuius efficacia tanta eſt, vt [c] matrimonium impediat cōtrahendum, & iam contractum dirimat. Patrinos autem non plures, quàm vnum, aut duos ad ſummum, voluit eſſe Tridentina [d] Synodus, ne ex multitudine ſuſcipientium impedimenta, ac ſcandala in matrimonio oriantur, vt alibi [e] diximus, dum patrinorum qualitates deſcribemus. Nos neminem ad hoc officium admitti volumus, qui doli capax non ſit, aut prima ſaltem fidei rudimenta non ignoret, quibus, ſi opus ſit, à ſe ſuſceptum è ſacro fonte inſtruere poſſit.

a de qua Dionyſ. lib. de eccl. hierarch. par 3. c. 7. & can. ca hechiſm. de conſecr. diſt. 4.

b ſup. cap. proxim.

c can. 2. & per tot. 30. q. 1. hoc ius. ext. de cognat. ſpirit. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de reform. matrim. d d cap. 2.

e infr. lib. 4. tit. de cogn. ſpirit.

§. 1.

At, quoniam, ſeu temporum iniuria, ſeu Prælatorum negligentia, ſeu, quia ad hoc officium cuiuſcumque conditionis, qualitatis, atque ætatis homines, etiam pueri, ac fœminæ, promiſcuè admitti ſolent, inter compa-

tres pauci sunt, qui huiusmodi munus, qua decet charitate, ac consilio obeant, curent parochi, vt, antequam infantes baptizent, eorum susceptores de oneris grauitate, ac periculo efficaciter admoneant, cùm non solum inter patrinum, & baptizatum statim cognatio[f] spiritualis contrahatur[g], sed patrinus apud Deum pro baptizato fideiussor sit; promissa in baptismo syncerè seruanda iri, vtque pater spiritualis cum primum baptizatus rationis compos fuerit, eum fidei rudimenta, orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, ac Decalogum docere, & postquam adoleuerit, factusq. sit ingenio valentior, ac maiorum rerum capacior, ad[h] castitatem, iustitiam, charitatem, omnesque alias christianas virtutes colendas, hortari teneatur, ac multò magis, si eius parentes, aut in eo officio negligentiores fuerint, aut è vita excesserint.

f vt supra.
g Augustin. ser 43. de tempore, de quo in c vers ante omnia. dist 4. de consecr.
h d. cap vers ante omnia

§. 2.

Baptizandorum verò parentes naturales scientes, pro illorum filiolis[i] renunciandum esse in ipso actu baptismali satanicis operibus, mundanisq. pompis, omnino curent, vt ad ecclesiam absque vlla pompa deferantur. Si autem signa lætitiæ, quam in natiuitate filiorum patres habere solent, dare voluerint; quodcumque in illo apparatu expendi oporteret, ad pauperum sustentationem liberali animo conuertant.

i Tertull. li. de corona mil. c. 13. & de spectac. cap. 4. & de idolat. c. d. Cyprian. ep. 3. & 54.

§. 3.

Et, quamquam nomen, quod vnicuique personæ datur[k], quò suo quisque proprio, & certo vocabulo appelletur, vt[l] cuique libet, imponitur, parochi tàmen admoneant parentes baptizandorum, vt honestum, ac benè sonans nomen eligant, caueantque, quodcumque turpe, aut absonum sit, cùm ex honesto, ac laudabili nomine, etiam apud ethnicos, laus[m] resultet, [n] bonaque præsumptio, sicut ex turpi, mala. Nomen ergo, quod baptizandis imponi debet, sumatur ab aliquo, qui propter eximiam animi pietatem, & religionem, in Sanctorum catalogum referri meruerit, vt baptizatus habeat, quem imitetur, quemq. sibi propitium faciat in suis, & animæ, & corporis, necessitatibus.

k Cicer. li. 1 de Inuent.
l l. si quis in fundi vocabulo in fin. princ. ff. de leg. 1. vbi poc. omnes.
m l. 63 § si dandâ pecuniæ ff ad S. C. Trebell. Plat. in Theagene Alex. ab Alex genial. dierum lib. 2. c 29 Cœl. Rhod lib 23. lect. Antiq c 1. & 6. Author in tract. de indult. §. Hieronym. n 4. cum seqq.
n Rip. ad rubr. soluto matr. n. 8 a . . . l b. de rel. eccles. cap 28.
b Clem. vn. hoc titulo. c de quo supra c 1. hoc tit.

CAP. III.

CVm ex vetere[a] instituto in Ecclesijs fontes baptismales erecti sint, nemini extra ecclesiam detur[b] baptismus, nisi infantulo immineat vitæ periculum, quo casu quilibet potest huius sacramenti legitimus esse minister, vt ex Concilio[c] Florentino manifestè constat, præsertim obstetrices, quarum nullam ad illud officium posthac admitti volumus, quæ prius à parocho, vel ab alio non didicerit formam huius sacramenti, quæ est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cui nihil addi, aut detrahi debet. Quæ sane verba, nec ante, nec post ablutionem, sed in eo ipso actu ablutionis infantis, distinctè pronuncientur. Caueant autem eædem obstetrices sub pœna priuationis officij, & nummorum aureorum decem, inter loci pauperes distribuendorum, ne quemquam, nisi in extremo vitæ periculo constitutum, baptizent.

§. 1.

Si in priuatis ædibus baptizatus postea, vt plerumq. contingit, superuixerit, intra octauum ab eius natiuitate diem, vel cum primum dabitur per eiusdem valetudinem facultas, in templo sistatur; vbi, si rite, rectèq. baptismi formam seruatam esse apparebit, (quod diligentissimè inuestigare ad parochos pertinet) nequaquam iterum baptizetur, neque etiam sub illa verborum formula: Si es baptizatus, ego non te baptizo, id enim fit, quando re vera ignoratur, [d] an infans fuerit ritè baptizatus, aut probabiliter timetur, formam seruatam non fuisse; sed sacræ tantùm cæremoniæ in eo actu adhibeãtur, quas, sicut in priuatorum ædibus fieri vetamus, ita nulla ratione in ecclesijs omitti volumus sub excommunicationis pœna, cui baptizati parentes, atque alios omnes, ad quos ea cura spectaret, ipso facto subiacere, declaramus.

d can. presbyt. §. quid ergo distinct. 68 c 2. eiusd.

§. 2.

Aqua verò, quâ ablui debebit infans, non manu, sed scutella, aut simili decenti vase argenteo, aut vitreo, aut fictili, super caput baptizandi infundatur.

§. 3.

Baptizatorum infantium, eorumq. parentum, ac patrinorum nomina, cognomina, atq. origines, vt omnino describantur in libro ad id concinnato, diligenterq. asseruato, cum anni, mensis, dieiq. annotatione à parochis in visitatione nostra iussimus: quod, vt hic repetatur, tum locus, tum publica vtilitas admonet, cùm certum sit, magna aliquando euenisse incommoda ob huiusmodi nominum ignorantiam; contrà verò, ad tollendas controuersias, vetustatemq. illustrandam, plurimùm prodesse istud à parochis ex præscripto officij pro lege haberi.

§. 4.

Admoneant parochi parentes, ac nutrices, sub eadem excommunicationis pœna, ne infantes, per annum saltem, à natali die computandum, secum teneant in lecto propter suffocationis periculum, nisi paruulos in quibus-

quibuſdam cunis collocare poſſint, quæ ipſos, etiam in eodem lecto iacentes, ab oppreſſione defendant.

De presbytero non baptizato. Tit. XLIII.

CAP. Vnicum.

ORDINATVS ad ſacerdotium ante baptiſmum, ſiue, quia nunquam baptizatus fuerit, ſiue, quia baptizans eum, aliquid [a] addendo, aut detrahendo verbis Chriſti, mutata forma eſſentiali, vel alio modo in forma peccauerit, cùm regeneratus non fuerit per gratiam [b] baptiſmalem, ad cœtera ſacramenta adirum non habet, quorum [c] ianua baptiſmus eſt: ideo, niſi priùs baptizetur, atque [d] iterum ordinetur, nec conſecrare, nec munia ſacerdotalia obire, nec in clericorum numerum adſcribi poteſt. Qui verò credens, ſe baptizatum, cùm non eſſet, ordines ſuſceperit, niſi ſtatim, atq. id cognouerit, ab ordinum miniſterio abſtinuerit, non ordinetur, ſed, vt ſacrilegus, atq. hæreticus, puniatur. Eius tamen acta [e], qui, ſe baptizatum putans, ordines ſuſceperit, quia, ſe errare neſciebat, rata haberi, ac confirmari debeant; non enim expedit reipublicæ, infirmum, nullumq. reddi, quod bona fide geſtum eſt, cùm & non baptizatus, ſi, credens ſe baptizatum, moriatur, quamuis baptiſmum non ſuſceperit, ſaluetur, ac ſi baptizatus fuiſſet, vt definit [f] ſummus Pontifex Innocentius, licet ſanctus Auguſtinus ad [g] Petrum Diaconum ſcribens, aliud ſentire videatur: quod tamen non obſtat, cùm ibi loquatur de eo, qui cùm potuerit, noluit, aut neglexit baptizari: Innocentius verò de credente, ſe eſſe baptizatum, quem, propter fidem [h] ſacramenti, ſaluum eſſe non dubitat.

a vt ſup. c. vlt. dit. prox.

b c presbyter 3. quod ergo diſt. 68. & vt ſupra cit. prox.

d cap. 1. eod.

e arg. l. Barbarus ff. de off. Prætoris.

f cap. 2. eod.

g c firmiſſime de conſecr. diſt. 4.

h c. debitis ext. de bapt. & eius effectu.

De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum. Tit. XLIV.

CAP. Vnicum.

CVM in palatijs Principum, atque adeo in priuatis domibus ædificandis, ſummam induſtriam, ſummumq. ſtudium adhibere ſoleant mortales, etiam accerſitis vndique peritiſſimis architectis, vt ædificantium magnificentia operis proportione, ac maieſtate commendetur; quem architectum, aut qualem materiam adhibebimus ad ædificandam domum Regi [a] Regum, ac Domino dominantium, Chriſto, hoc eſt, tabernaculum, vbi eius glorioſum corpus dignè collocetur? aut quo pacto tantum theſaurum ita cuſtodiemus, vt humana diligentia, quamuis maxima, eius amplitudini, ac ſublimitati aliqua ex parte reſpondeat, neque (vt ait B. Clemens [b], ſcribens ad Iacobum fratrem Domini) ſi putredo ſit in ſacrario, in ipſo ſcilicet Dominico thalamo, aut negligenter agatur, eius corpori grauis inferatur iniuria? Ideo, præter ea, quæ in viſitatione noſtra circa hoc fieri decreuimus, mandamus, in medio Altaris maioris cuiuſcumq. parochialis eccleſiæ (niſi in ea ſit ſeparatum ſacellum huic miniſterio deſtinatum) collocari tabernaculum ex ligno affabrè elaboratum, inauratum, atque intrinſecus ſerico panno vndiq. veſtitum, cuius oſtiolum clauе itidem inaurata claudatur, vbi nihil, præter argenteam pyxidem, ponatur, quæ ita ampla eſſe debet, vt ſacras particulas numero ſaltem parochialium communicantium ſufficientes capiat, ſitque in ea linteolus ex ſubtili, & candida tela benedicta confectus, in quo particulæ aſſeruentur: baſis verò pyxidis ſemper ſubſtratum habeat corporale. Tabernaculum autem decenti conopæo opertum ſit, quo à puluere, alijſq. temporum iniurijs defendatur. Quæ omnia, cùm ad diuinæ maieſtatis gloriam pertineant, inuigilent parochi, vt quam diligentiſſimè peragantur, ne, ſi contumaces, aut negligentes in officio deprehenſi fuerint, ſacris canonibus [c] conſtitutas pœnas luere cogantur.

a Apocalyp. cap. 10.

b epiſt. 2.

c can. ſi per negligentiam. can. qui bene de conſecrat. diſt. 2. c. 1. ext. eod. & apud Burchard lib. 3. Decr. cap. 9.

§. vnic.

Vaſcula etiam, in quibus ſacra olea aſſeruantur, ex puro argento fieri mandamus, quod, & hac conſtitutione confirmamus, eaque iubemus in alio æque decenti loco; à tabernaculo tamen Euchariſtiæ prorſus ſeiuncto; cuſtodiri ita, vt à laicis, & profanis manibus, tangi non poſſit.

De Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Tit. XLV.

CAP. I.

INTER eas Sanctorum corporum reliquias, quas, ſancta Romana [a] approbante Eccleſia, omnium eccleſiarum matre, ac magiſtra, veneratione, ac diligenti cuſtodia dignas eſſe in viſitatione noſtra declarauimus; inſcriptione carentes, ſiue innominatas, quoniam incertæ ſunt, populis honorandas exhiberi prohibemus, ac

a c. 1. extra eod. tit.

ac ſub eccleſiæ noſtræ altari maiore collocari iubemus.

§. vnic.

Nomine verò conſpicuas, ac notas reliquias Martyrum, aliorumve Sanctorum in cœlo regnantium, cùm viua Chriſti membra, ſanctiq. Spiritus templa ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda fuerint, dulíæ cultu humiliter veneramur, noſtriſque ſubditis, vt eas colant, & venerentur, præcipimus. Aſſerentes autem, Sanctorum reliquijs nullam venerationem, aut honorem deberi, vel eas, aliaq. ſacra monumenta inutiliter honorari, Sanctorumque memorias auxilij implorandi cauſa fruſtra frequentari, cum ſancta Tridentina [b] Synodo damnandos, ac, vt hæreticos puniendos eſſe, dicimus, & damnamus, cùm Sanctorum reliquias non propter eas; ſenſu, ſcilicet, carentes; ſed [c] propter ſpiritus, quorum inſtrumenta, & ad quos ordinatæ fuerunt, venerabiles eſſe ſemper cenſuerit Eccleſia. Quare, non ſolùm ſpiritus beatitudine donatos, ſed propter ipſos oſſa quoque Sanctorum, ac cineres, aliaſq. exuuias veneratione, atque honorem mereri, declaramus, ac profitemur.

[b] cap vn de inuocat. vener. & reliq. Sanct. ſeſſ. 25.

[c] S. Thom. 3. par. q. 25. art. 6. ad 2.

CAP. II.

TAmetſi dubitandum non eſt [a], quin vnus mediator noſter [b] Chriſtus Ieſus, nos proprio ſanguine Deo patri reconciliauerit [c], ac ſemel in ſancta ingreſſus [d], æterna redemptione inuenta, nunquam pro nobis intercedere deſiſtat; non tamen abſurdum, aut inutile fuerit ad Sanctorum quoque preces, atque auxilium, confugere, eoſque, tamquam internuncios, & patronos, in neceſſitatibus implorare, quorum ope, ac meritis multa, eademq. maxima à Deo in nos collata fuiſſe beneficia [e] exploratum eſt: cumq. cœlum (vt ipſa teſtatur Veritas [f]) à peccatoribus pœnitentiam agi plurimum lætetur, credendum eſt, Sanctorum patrocinio, non ſolùm pœnitentes veniam peccatorum reportare, ſed & ipſos peccantes ad conuerſionem, ac pœnitentiam valde adiuuari. Quapropter, vt hæreticos, puniri volumus eos, qui, Sanctos non eſſe à nobis inuocandos, affirmauerint, aut nullum nobis cum illis à Deo relictum eſſe commercium, aut nullam eos noſtri curam gerere, rerumque noſtrarum nullam habere notitiam.

[a] Apoſt. ep. 1. ad Timoth. c. 2.

[b] Idem ad Rom c. 5. & ep. 2. ad Corinth. cap. 5.

[c] Idem ad Hebr. cap.

[d] Idem ad Hebr. c. 9.

[e] S. Aug. q. 29. ſuper Exod. & ſer. 2. & 4. de S. Steph. Zaſil. Greg. Naz. in oratione in Cyprian. Ioan. Chryſoſt. in lib. cont. Gentes. Hier. cont. Vigil. Sulpic. in vita Martial. Greg. Papa in Dialog. Greg. Turo. in lib. de glor. confeſſor. & martyr.

[f] Luc. 15.

CAP. III.

IMagines præterea Saluatoris noſtri, eius beatiſſimæ matris, omniumq. Sanctorum in eccleſijs præcipue habendas, atque honorandas, iuxta antiquiſſimum Eccleſiæ Catholicæ ſtylum, mandat ſancta [a] Tridentina Synodus, non, quia credendum ſit, imaginibus ineſſe vllam diuinitatem, ſeu virtutem, propter quam ſint colendæ, aut, quòd ab eis ſit aliquid petendum, aut in eis ſperandum, more ethnicorum, qui; cùm veri Dei cognitione careant, in dæmonum ſimulacris, ſiue idolis ſpem collocauerunt: ſed, quia cultus, ac veneratio, quam imaginibus impartimur, refertur ad prototypa ita, vt per imagines, ſiue pictas, ſiue ſculptas, ſiue alio modo expreſſas, quas oſculari, & ante quas caput aperire, & procumbere ſolemus, Chriſtum ipſum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur: quem cultum numquam interdixit Eccleſia, immo pleniſſimum pietatis, & grati animi euidétiſſimum argumentum ſemper habitum, & Apoſtolicorum temporum monumenta [b], & œcumenica Concilia cum ſanctis Patribus apertiſsimè teſtantur. Proinde, & eadem docet [c] Synodus, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis quomodocumq. repræſentatas, eruditi, & confirmari Chriſtianum populum in articulis fidei, ex ſacriſq. imaginibus magnũ percipi fructum, præſertim, quia Sanctorum exemplis fideles excitati, ad colendum, atq. amandum ipſum rerum omnium factorem, Deum vehementiùs inflammantur, eorum virtutibus per imagines ſibi ad imitandum propoſitis. Qui aliter ſenſerit, aut docuerit, vt hæreticus, puniatur.

[a] de inuocat. veneratione & reliq. Sanctor. ſeſſ. 25. Imagines.

[b] Conc. Nicæn primum act. 7. & ſecundum act. 4. circ. fin. Nicephor. Trapez. lib. 6 cap. 29. Cyrill. li. 6. contra Iul. Auguſt. li. 2. de conſens. Euangeliſt. c. 10. Syn. 6. c. 82. & Rom. ſub Greg. 3. & alia Rom. ſub 5 cph 3. & alibi paſſim.

[c] d. c. vn. §. illud verò.

§. 1.

Sed, quemadmodum ſedulò prouidendum eſt, vt in Sanctorum imaginibus pingendis, vel effingendis, omnis prorſus laſciuia, & vanitas euitetur, ne, vel religioni, vel honeſtati chriſtianæ nota inuratur; ſic quoque curandum eſt, vt, quæ pingi, & formari debebunt, dignitati, & decori eorum, quos repræſentabunt, conueniant; ne, ſi ineptæ ſint, intuentibus riſum, aut ſtomachum moueant: quare, ſi quæ ita pictæ, aut ſculptæ extiterint, deleantur, aut comburantur, aut in cœmeterio defodiantur.

§. 2.

In poſterum, ne id contingat, iuxta decretum [d] eiuſdem Concilij prohibemus, ne in templis, ſeu regularium, ſeu ſecularium clericorum, alijſque pijs locis pingantur Sanctorum imagines, aut erigantur ſtatuæ, ſiue ligneæ, ſiue lapideæ, ſiue ex alia quauis materia, niſi à nobis, aut Vicario generali noſtro, viſæ, & probatæ fuerint: qui ſecus fecerit, præterquàm, quòd operam, vt aiunt, & oleum perdet, viginti etiam aureis nummis in pios vſus erogandis, inſuper mulctetur, ſi poſt prohibitionem retinere eas auſus fuerit.

[d] d. c. vn. §. illud verò verſ. poſtremò.

§. 3.

§. 3.

Pretioſiſſimæ crucis triumphale ſignum, militantis Eccleſiæ vexillum, & Chriſtianorum tutiſſimum in aduerſitatibus perfugium, parochi omnes, vbi erectum non ſit, in ſuarum eccleſiarum cœmeterijs, vel triuijs, vel vijs, alijſq. frequentioribus locis, vel ære, vel lapide, vel ligno decenter expreſſum, quamprimum erigi curent, etiam [a] in dirutarum, atq. in profanos vſus conuerſarum eccleſiarum plateis. Cruci adiungantur præcipua Dominicæ paſſionis inſtrumenta, quibus humanæ redemptionis opus conſummatum eſt, vt populi noſtri memoria repetentes, Chriſtum, quò mortem vinceret, in cruce vinci, ac mortem perferre voluiſſe, proprioq. ſanguine in ligno [b] illius ſerpentis caput contriuiſſe, cuius fraude primi parentes in ligno ſeducti ſunt, tanti Redemptoris charitatẽ humiliter adorẽt, quamq. ſperant, æternam ſalutem, ab ipſius tantùm meritis pendere cognoſcant.

a Cõc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap 7. in fin.

b Gen. c. 3.

De obſeruatione ieiuniorum. Tit. XLVI.

CAP. I.

CELEBERRIMVM eſt ieiunium in domo Dei, cùm & ad cœleſtem opem implorandam, iramq. diuinam auertendam, Hebræis, præſertim tempore legis veteris, remedium præſentiſſimum fuerit, & tempore gratiæ Saluator mundi illud quadraginta dierum inedia in deſerto ſanctificauerit. Ideo ſancta mater Eccleſia ieiunium filijs ſuis ſtatis temporibus obſeruandum indixit, in honorem vitæ, atque humanitatis Chriſti, eius gloriоſæ matris, beatorumq. ſpirituum in cęlo regnantium adeo, vt abſque nota inobedientiæ, ac letalis peccati, violari non poſsit. Communia verò ieiunia ſunt hæc: Quadrageſima, quatuor anni tempora, vigiliæ Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis, ſancti Ioannis Baptiſtæ, omniumq. Apoſtolorum, (præterquam Ioannis, Philippi, & Iacobi minoris) ſancti Laurentij, Omniumq. Sanctorum. Præter hæc, ſunt alia ieiunia non pauca, quæ, vel celebrantur ex locorum conſuetudine, vel ex voto vniuerſitatum, aut ſingularum perſonarum, quæ omnia ſub pœna peccati, pariter letalis, obſeruanda ſunt. Ieiunium verò triplex [a] eſt: naturale, eccleſiaſticum, & ſpirituale, aut metaphoricum. De eccleſiaſtico loquamur modò. Hoc conſiſtit in delectu ciborum, vt ſemel comedatur, obſeruetur q. hora comedendi. Quoad ſubſtantiam ciborum, ab eſu carnium, & iuxta conſuetudinem, aliorum ciborum, qui ſementinam ab eis originem trahunt, hoc eſt, lacte, caſeo, & ouis, abſtinendum [b] eſt: præter carnes [c] ieiunantibus abſolute interdictas, vetita ſunt, & lacticinia, & oua, niſi aliter poſtulet loci conſuetudo, vt in hac regione, atque alibi. Quæ tamen conſuetudo, cùm non habeat locum in quadrageſima, & quatuor temporibus, qui vetita comedere auſus fuerit, & letalis criminis reus erit, & arbitrio noſtro vlterius mulctabitur, niſi iuſtam ob cauſam cum eo, vel à nobis, vel à Vicario noſtro generali, fuerit diſpenſatum.

a Tolet. in Summa lib. cap. 1.

b can. de conſecr. diſt. 3. can. denique diſtinct. 4. c S. Th. 2. 2. q. 147. art. 8 ad 3.

CAP. II.

VErumtamen Chriſtiani pluribus ex cauſis à ieiunio excuſantur, ad quatuor [a] verò, tamquam capita, referuntur omnes exceptiones, ieiunij obligationem ſoluentes, nempe, infirmitatem, paupertatem, laborem, & pietatem: quarum tribus poſterioribus omiſsis, de prima nunc ſermonem habeamus: hæc pariter quadruplex eſt: languoris, ſcilicet, hoc eſt, debilitatis ex morbo contractæ: complexionis, quæ eſt imbecilla corporis habitudo: ætatis, vel nimis acerbæ, vel nimis prouectæ: & conditionis, fœminini præſertim ſexus, prægnantium, ſcilicet, & lactantium. Sanè languoris, ætatis, atque conditionis infirmitas omnes Chriſtianos à ieiunio omnino abſoluit: infirmitas autem, quam vulgò, complexionis, appellant, diſpenſatum [b] ad oua, & lacticinia, nequaquam à ieiunio excuſat, ſicut eum, cui ex diſpenſatione carnibus veſci licuit. Nos autem, qui diſpenſantem hoc ſolùm ſpectare intelligimus, vt, quantùm fieri poteſt, à male affectis corporibus pericula ex noxiorum ciborum vſu imminentia, auertantur; non videmus, cur diſpenſatus (quamuis carnes edere licitè poſsit) ab hoc tamen ſaluberrimo Eccleſiæ præcepto excuſari poſsit: immo, cùm ex robuſtiore alimento valentior factus, faciliùs ieiunaturus præſumatur, nihil obſtare putamus, quin, & ipſe, ſicut cæteri Chriſtiani, tempore ieiunij ſemel tantùm in die, horaq. ab Eccleſia præſcripta, cibum ſumere debeat; cùm & inter celeberrimos Theologos non deſint [c], qui, ſe idem ſentire ſcriptis mandauerint: idque eò magis, quò abſtinentiam ieiunantibus vtiliorem, quàm ſaturitatem cum pleriſq. ſanctis viris eſſe, non dubitamus: inter quos Beatus [d] Athanaſius, vbi de Daniele loquitur, ſententiam noſtram mirum in modum confirmat his verbis: Videsne, quid faciat ieiunium? morbos ſanat, diſtillationes exſiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes

b Cõc. ad d. q. 147. Navarr. cap 21. n. 22 Tolet. in Summa lib. 6. c. 4.

c Greg. de Valen. to. 1. cõm. diſput. p. q. 1. punct. 3 Io. Medina de pœnitent. quæſt. 9. d in fer. 2d virginemdoce de meditat.

nes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat, deniq. ad throum Dei hominem ſiſtit. Sed, & Leo e Papa: Quotidiano experimento, inquit, probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari ita, vt delectatio edendi etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſuberahat voluptati. Et alibi idem Leo f: De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationales voluntates, ſalubriora conſilia, & per voluntarias afflictiones caro cócupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur. Nec quidem diſſimile eſt, quod canit Eccleſia, Deum nempe corporali ieiunio vitia comprimere, mentem eleuare, virtutemque largiri, ac præmia. Eliachim g item ſacerdos in libro Iudith: Scitote, ait, quoniam exaudiet Deus preces veſtras, ſi manentes, permanſeritis in ieiunijs, & orationibus in conſpectu Domini. Vnde colligitur h, ieiunium, ciborumq. abſtinentiam, tum domando, tum confirmando corpori, plurimum conferre, præſertim, ſi cum oratione, & eleemoſyna coniungatur. Contrà verò cibo, vinoq. grauatos, neque orare, neque mentem ad cœlum tollere, nec, deficiente charitate, diuinum auxilium implorare poſſe, niſi peccatorum venia impetrata, ſimul & charitatis donum impetrauerint. Ab omnibus igitur, qui ieiunare tenentur, Eccleſiæ præceptum cum ieiunij conditionibus etiam, quoad horam, integre ſeruari mandamus, exceptis ijs, qui ex cauſis legitimis ieiunij obligatione eximuntur. Eos verò, quibus carnium vſum tempore ieiunij, ex diſpenſatione, permitti contigerit, quantùm poſſumus, in domino hortamur, vt, niſi ex aduerſa valetudine, aliaue factis conſtitutionibus probata cauſa, in diebus ieiunij pluſquam ſemel, comedere cogantur; nihilominus ieiunare non recuſent, ſimulq. meminerint omnes, orationem, atque eleemoſynam ad gratiam promerendam, iramq. diuinam auertendam cum ieiunio coniungere.

e in ſerm. 8. de ieiun. & eleemoſ.

f in ſer. 2. de ieiunio.

g cap. 4.

h Iob. c. 33. Aug. ad pſal. 42. de lib. de perfect. iuſt. reſp. 17. Io. Chryſoſt. ſerm. 43.

De purgatione poſt partum. Tit. XLVII.

CAP. Vnic.

TRANSLATO ſacerdotio, conſequens fuit, & legis a tranſlationem fieri. Ideo, cùm in lege Moſaica b non liceret mulieribus poſt partum, niſi certo c tempore decurſo, ingredi templum; hodie, quia vmbra legis euanuit, illuxitq. d mundo per Ieſum Chriſtum corpus ipſum, Euangelica, ſcilicet, veritas, ſtatim à partu poſſunt mulieres abſque peccato introire e eccleſiam, ibiq. de ſuſcepta prole bonorum omnium largitori Deo gratias agere. Meminerint propterea prægnantes, cum in partu magnum vitæ periculum ſubituræ ſint, ante partum conſcientias proprias diligenti peccatorum confeſſione, atque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ participatione, emaculare. Quod & à puerperis poſt periculum fieri vehementer cupimus, nimirum, quia, gratiarum agendarum cauſa, eccleſiam ingreſſuræ, nihil Deo gratius facere poſſunt, quam bonam gratiam (quæ f ſacroſancta Euchariſtia eſt) piè ſumere, cumque g vera gratia omnium chariſmatum fonte, Chriſto coniungi, ſicque veras gratias agere: Euchariſtia, nempe, etiam gratiarum h actio eſt, & ſacerdotes, cum ſacrificant, Deo acceptorum beneficiorum gratias agere, cumq. conſecrant Hoſtiam puerperis tradendam, gratias item pro ipſis agere dicuntur, quòd prolem ſuſceperint, ac periculum partus proſpere euaſerint.

a c. 1. ext. de conſtitut.

b Leuit. c. 12.

c vt can. 1. & 2. diſt. d Ioan. c. 3.

c c. vn. eod.

f 8. Th. in 3. par. q. 73. art 4.

g d. c. 1. Cyprian. in lib. de lapſ. Ambroſ. lib. 5. de ſac. c. 3. Magiſt. in 4. diſt. 6.

h Orig. li. 8. contra Celſ. 2. Matth. 26. Luc. 22. Mar. 14. Apoſt. ep. 1. ad Corinth. c. 11.

De eccleſijs ædificandis, vel reparandis. Tit. XLVIII.

CAP. I.

PROPRIVM ſemper fuit vſq. ab incunabulis religionis noſtræ, Chriſtianisq. hominibus ex omni memoria maximè familiare, creaturarum omnium parenti Deo templa extruere, extructaq. pretioſis donarijs, ac muneribus exornare, quod per vniuerſum orbem ſplendidè ædificatæ teſtantur eccleſiæ, quas, tamquam Deo gratiſſimas, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus, atque Andræas Apoſtoli, nec non Marcus Euangeliſta, fidei noſtræ propugnacula, ac lumina, vbique conſtrui ſedulò curarunt. a vnde, & apud Lucam b centurio ille, de quo loquens Dominus, dixit: Non inueni tantam fidem in Iſrael, laudari meruit, quòd Iudæis Synagogam ædificaſſet. Propterea fundatores eccleſiarum, xenodochiorum, cœnobiorum, aliarumque ſacrarum domuum, æternam ſibi mercedem, & apud Deum, & apud homines, lucrantur. Et nos ad huiuſmodi laudabilia opera ſubditos noſtros ex animo hortamur; ea tamen lege, vt neque eccleſia, neque oratorium, neque capella, neque etiam altare, nobis inconſultis, ædificetur: qui autem obedire neglexerit, de inchoata ædificatione arbitrio noſtro puniatur, ſed & ipſum ædificium inutile

a Nicepb. lib. 2. c. 31. 39. 40. 41. & 42. can. ſacroſancta diſt. 22.

b cap. 9. vbi Beda, & Auguſt. lib. 33. contra Fauſtum cap. 2. Amb. ſer. 89.

Digitized by

tile ſit, nulliq. vſui eccleſiaſtico applicari poſſit.

§. vnic.

Quod noſtris diœceſanis circa eccleſiarum ædificationem prohibemus, idipſum ad Regulares, ſiue Religioſos clauſtrales, extendi debere declaramus, cùm ex ſummi Pontificis Leonis Decimi ſanctione alienus Epiſcopus primum fundamenti lapidem in eorum locis iacere non poſſit, niſi ordinarius bis, aut ter, inſtanter, ac reuerenter requiſitus, id facere ſine legitima cauſa recuſauerit.

CAP. II.

SVadet chriſtiana pietas, eccleſias omnes piorum hominum charitate conſtructas, quandocumq. vetuſtate, aut alia temporum calamitate, collabantur, vel ruinam minentur, ad priſtinum decorem, vſumq. reſtitui. Parochiales igitur, quamuis iurispatronatus fuerint, ex quibuſcumque earum prouentibus inſtaurentur: Si verò prouentus non ſufficiant, patroni, [a] alijque ex eiſdem eccleſijs fructus percipientes, atque ijs deficientibus, parochiani, quauis exemptione, aut appellatione, minime obſtante, ad earum reparationem efficaci iuris ſubſidio compellantur. Sed, ſi omnes adeo pauperes fuerint, vt huiuſmodi onus ferre nequeant, tituli, muniaque omnia parochialia cum reditibus eccleſiarum dirutarum ad matrices, ſeu viciniores eorumdem locorum eccleſias, prout nobis viſum fuerit, transferantur, ipſæque dirutæ eccleſiæ in profanos [b] vſus, non ſordidos, crucе erecta, vbi antea ſtetiſſent, conuertantur. Si autem parochiales non fuerint, ante oculos deſcendentium, hæredumque eorum, qui eas fundauerint, diuini cultus iactura proponatur, vt vnuſquiſq. maiorum ſuorum monumenta, præſertim religioſa, etiam ad propriæ familiæ ornamentum conſeruari ſua intereſſe intelligens, domum Dei ruinis obrui diutiùs non patiatur. Quod, ſi ex ſententia non ſuccedat, vocatis ijs, quorum interſit, omnis ſacra ſupellex cum reditibus, atq. oneribus ad alias eccleſias, vt ſuperiùs dictum eſt, arbitrio noſtro pariter transferatur, eriganturq. inibi ſub eiſdem inuocationibus altaria, vel ſacella (quas capellas vocant) niſi iam erecta diuino miniſterio aptari poſſint cum oneribus, ac prouentibus, quos ad dirutas eccleſias antea pertinuiſſe conſtiterit. Quæ autem Vniuerſitates, aut pia loca, aut priuatæ familiæ, aut perſonæ, vel in ruinis iacentes, vel ruinis proximas eccleſias reficere, ac reparare quomodocumq. tenentur, niſi, quod debebunt, maturè præſtiterint, opportunis iuris remedijs, etiam interdicti; ſi Vniuerſitates fuerint; ad munus ſuum abſque mora reuocentur.

[a] c. 1. extr. eodem.

[b] Cõc. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. de reform.

Acta Eccleſ. Tarantaſ.

De immunitate eccleſiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. Tit. XLIX.

CAP. I.

CVM in eccleſia, hoc eſt in domo [a] Dei, conueniant Chriſtiani, & laudent, atque adorent nomen, quod eſt [b] ſuper omne nomen, à quo aliud ſub cœlo non eſt [c] datum, in quo credentes ſalui fiant, nomen, inquam, Ieſu Chriſti, qui ſaluum fecit populum ſuum à peccatis, dedecet profectò, atque adeo impium videtur, domum orationis, & ſanctitudinis [d] profanis impurorum hominum commercijs violari, ac quodammodo fieri ſpeluncam latronum. Prohibemus igitur, ne in ea fiant vana [e] colloquia, deambulationes, ſtrepitus, vniuerſitatum, profanarumque ſocietatum conuentus, confabulationes, negotiationes, nundinationes, forenſes tumultus, ſecularium iudiciorum exercitia, litigantium contentiones, ludi theatrales, perſonatorum repræſentationes, aliaue [f] profana ſpectacula.

[a] Ioan. 2.

[b] Apoſt. ep. ad Philipp. cap. 2.

[c] Act. 4. 4.

[d] Phil. 3. 2.

[e] c. 6. extr. eod. c. 2. eodem lib. 6.

[f] c. cum decorem extr. de vit. & honeſt. cler. cã. canabres 32. diſt. can. nullas de conſecr. diſt. 5.

CAP. II.

IMperauit Deus in lege veteri [a] ciuitates refugij, vt, qui ad cædem quærerentur, dum nolentes ſanguinem fudiſſent, perſecutionem euaderent. Idem & à Chriſto præceptum fuiſſe videtur teſtari Matthæus [b]. Romani pariter, atq. Græci [c] aſyla aperuerunt, quorum tantam fuiſſe auctoritatem legimus, vt inde abduci delinquentes piaculum eſſet, ſed & ad Principum ſtatuas [d] confugientibus vis inferri non potuit. Quod ſanè refugium multò magis conuenit eccleſijs, quæ viui, ac veri Dei domicilia ſunt, vbi eius vnigeniti filij ſanctiſſimum corpus adoratur, vbi pro peccatis populi immaculata immolatur hoſtia, vbi donaria ſupremæ maieſtati offeruntur, vbi tandem per Ieſu Chriſti paſſionem Deo patri reconciliamur. Quicumq. igitur confugerit ad eccleſias, vt à carceribus tutus ſit, non ſolùm ob ciuilem, ſed & ob criminalem cauſam, inuitus inde abſtrahi nullo modo poſsit. Qui verò ita confugienti vim intulerit, tamquam ſacrilegus, excommunicationis mucrone ſtatim feriatur, à qua non abſoluatur, niſi, reo ad locum ſui refugij reſtituto; dignam tanta temeritate peragat pœnitentiam. Contrà verò, ne eccleſia videatur eſſe perditorum hominum aſylum, nec ſpes immunitatis, & impunitatis occaſionem præbeat delinquendi, conſtitutionem Gregorij [e] Quartidecimi obſeruari mandamus, qua

[a] Exodi 21. Num 35. Deuter. 19. Ioſ. 20. & 3. Reg. 2.

[b] c. 10 Arha naſ. in apologia circa medium.

[c] Author in ſuo lib. de aſyſ. immun. lib. 1. c. 15. & l. vn. C. de his, qui ad ſtat. Princip. confug.

[e] Incipien. Cum alias ſel. rec. Pius Quintus.

cauetur,ne publicis latronibus,graſſatoribus, agrorum depopulatoribus, humanum ſanguinem in eccleſijs, earumque cœmeterijs proditorie fundentibus, hæreticis, maieſtatiſque reis,vlla prorſus ſuffragetur, aut profit eccleſiaſtica immunitas. Ideo huiuſmodi nefarios homines, præuia licentia noſtra, capi, atque extrahi ab omnibus ſacris locis impunè poſſe, mandamus,extractoſque cuſtodiri, donec criminum qualitate examinata, ſi in eccleſiaſtico foro iudicandi non fuerint, tradantur iudici ſeculari.

§. vnic.

Si verò ob locorum diſtantiam licentia extrahendi malefactores ex locis ſacris à nobis, vel à Vicario noſtro, facile haberi non poſſit,de eorumq. fuga immineat periculum, poſtquam rector, vel ſecularis, vel regularis, loci illius,ad quem confugiſſent,de tota re factus fuerit certior, eo conſentiente, malefactores inde abduci impune poſſe cõcedimus, præſtito tamen à iudice laico,ſiue ab eius miniſtris, iuramento, reos ipſos ad carceres noſtros rectà deducendos iri, vt cognoſcatur, an ea crimina, quorum accuſati fuerant, ſint ex illorum genere,quæ ſuperius recenſuimus.

CAP. III.

[a] cap. vlt. ext. hoc tit. cap. ſicut 16. q. 4.

QVod de eccleſijs ſtatutum eſt, idem de cœmeterijs [a] ſtatutum eſſe intelligatur, ſiue ijſdem eccleſijs coniuncta ſint, ſiue omnino ſeiuncta, ac longe ab eis diſtantia, ſiquidem, & ipſa conſecrantur, vocanturque cœmeteria, hoc eſt, dormitoria, quia ibidem mortui Chriſtiani dormire dicuntur; ſicut

[b] Ioan. c. 11.

Lazarum Chriſtus [b] dormire dixit, cùm tamen mortem obijſſet. Apoſtolus item vita functos dormientes appellat ad Theſſalonicenſes ſcribens. [c] vbi ait Hieronymus, eos dormientes appellari, quia certum eſt, reſurrecturos; ac ijſdem fere verbis Auguſtinus [d]

[c] cap. 4.

[d] epiſt. 122. & alibi.

propter futuram,ſcilicet, reſurrectionem, velut cuigilationem;quod & affirmat alibi idem

[e] epiſt. 29. ad Theodoram.

Hieronymus [e] his verbis: In Chriſtianis non eſt mors, ſed dormitio,& ſomnus appellatur; cui conſenſit etiam Ioannes Chryſoſtomus [f],

[f] homil. 21. ad populos Antioch.

dicens, mors nõ eſt mors, ſed ſomnus,& dormitio temporaria. Quare legislatores eccleſiaſtici cœmeteria [g] ijſdem gaudere priuilegijs, & immunitatibus, voluerunt,quibus ipſæ gaudent eccleſiæ, eoſque, qui cœmeteria profanant, puniri,ac, ſi eccleſias ipſas profanaſſent. Itaq. excommunicationi ſubijcimus eos,qui in cœmeterijs (quemadmodum hactenus factum fuiſſe audiuimus) choreas ducunt, pila ludunt, mercaturam, vel aliud ſimile profanum tractant,item eos,qui debitores in cœmeterijs ad tribunalia ſecularia citant, aut citari mandant, cum proteſtatione etiam, ne inde diſcedant,donec creditoribus ſatisfecerint,cùm pleriq. non ſine dluini præcepti,& libertatis eccleſiaſticæ iniuria,dominicis,alijsq. feſtis diebus, ne citentur, ad eccleſias accedere non audeant: quin & curſores, ſeu curiales, (vt apud nos vulgò vocantur) qui in cœmeterijs aliquem citauerint, officij amiſſione, aureiſq. nummis decem in vtilitatem eccleſiæ,cuius cœmeterium ita violatũ fuerit, conuertendis,mulctari mãdamus.

[g] c. 1. & 2. cõfert cod. lib. 6.

CAP. IV.

SAcerdotes, omneſque clericos,vt muneri ſuo ſolicite ſatisfacerent, atque (vt iubet Apoſtolus [a]) ne ſe negotijs ſecularibus implicarent, eximere voluit Deus ab omni mundana iuriſdictione, Chriſtos [b] ſuos, ac Deos [c] aliquando eos appellans, [d] nempe, quia eorum [e] labia cuſtodiunt ſcientiam (vt eſt apud Malachiam) & legem exquirunt ex ore eius. eoſdem & Chriſtus ab omni humano iudicio exemptos manifeſtauit tunc, cum de regibus terræ quærendo, an, [f] ſcilicet, tributum acciperent à ſuis, vel ab alienis; reſpondente Petro,eos accipere ab alienis; liberos eſſe filios pronunciauit. Quem quidem honorem non hominibus impendi, ſed Deo, cui ſoli vacare debent ſacerdotes, reſpondit iuriſconſultus Paulus [g], quamuis ethnicus: vnde certiſſimum eſt, vniuerſum ſacrum ordinem ſeculari, profanæq. poteſtati minime ſubiectum fuiſſe,etiam ante humanas leges,ipſorumq. Romanorum Pontificum, atque Imperatorum conſtitutiones,vbi de ſacerdotibus loquuntur, non eſſe intelligendas, quòd clericos à ſecularium tribunalium iuriſdictione exemerint, ſed [h], quòd ius diuinum declarauerint. Ideo ſub pœna anathematis, à quo, niſi à nobis, abſolui non poſſint, eccleſiaſticarum cauſarum cognitionem omnibus ſubditis laicis iudicibus interdicimus, prohibentes, ne ſacro ordini vllam, vel minimam, vim inferant, aut de clericorum delictis, (quorum cognitio ad nos pertinet [i]) vllo pacto inquirere, aut iudicare audeant: ſed meminerint, Regem Oziam, quòd ſacerdotis officium vſurpaſſet, à Deo leprosum [k] factum; & Ozam, cùm inclinantem arcam, ne caderet, tetigiſſet, ſtatim morte multatum. Etenim ſciunxit Deus ſemper ſacra à profanis, voluitque, aliud eſſe ius eccleſiæ, aliud ius ſeculi, aliam ſacerdotij, aliam regni rationem. Diſtinxit etiam ſacra [l] ædificia à regum domibus ita, vt nefas ſit, non ſolùm diuinos limites tranſilire, ſed & illis appropinquare.

[a] epiſt. 1. ad Timoth. c. 2.

[b] Pſal. 104. c. 1. & 5. quia verò ext. de iudic. vndè.

[c] Exod. 22. [d] Malach. cap. 2.

[e] c. 17. Matt.

[f] l. non dinguemus § de recept. arbitr.

[g] gl. ad cã. 21. ad verb. diſcuti, vbi nocte omnes pa. diſt. & ad c. 9. verb. diuino, vbi erũt not. doctores de cenſib. lib. 6.

[h] c. clerici c. cũ ab homine c. quatuor. 2. quãdo ext. de iudic. c. ſignificaſti extra de for. cõpe. Lyr. C. Theodoſ. de Epiſcop. & cler. l. 1. C. eod. de Epiſc. iudic. & l. 2. C. eodem de religioſ.

[i] c. 1. 2. Paralip. c. 26. 2. Reg. 6.

[k] lib. 2. Paralip. c. 26.

[l] apud Ezechiel. c. 43.

CAP.

CAP. V.

QVa ratione ſacræ ædes, eorumq. miniſtri, & præſides abſque piaculo onerari, aut grauari non poſſunt, eadem prorſus, nec diuexari debent eorum bona vſibus cœleſtium ſecretorum ſemel dicata (vt eſt apud Iuſtinianum [a]) ſordidis muneribus, aut oneribus, nec quidquam [b] extraordinarij, aut (quod aiunt) ſuperindicti, eis imponi. Quare; ſi aliter ab aliqua Vniuerſitate ſtatutum fuerit; flagello excommunicationis verberentur auctores, & locus interdicto eccleſiaſtico tandiu ſubiectus intelligatur, quandiu ſtatutum illud fuerit contraria conſtitutione abrogatum.

a l. placet C. de ſacroſ. eccl. cæt. generaliter §. placet 16. quæſt. 1.

b Auth. ſed nulla cõmunitas C. de Epiſc. & cler. cap. 1. eodē lib. 6.

Nec clerici, vel monachi ſeculari-bus negotijs ſe immiſceant. Tit. L.

CAP. Vnicum.

a Apoſt. ep. 2. ad Timoth. c. 2.

NEMO militans Deo [a] implicet ſe negotijs ſecularibus (ait Apoſtolus) vt poſſit placere ei, cui ſe probauit, ſed tantùm [b] altari, & ſacrificijs deſeruiat, vt precibus, atque orationibus vacet.

b Cyprian. lib. 3. ep. 6.

Multæ [c] autem ſunt, quæ clericis cuiuſcumq. conditionis, & ordinis ſint, prohibentur: munera quippe omnia iniuſta accipere, vel dare, contentiones, lites, rixas, aleas amare, conductores rerum ſecularium, aut procuratores eſſe, ornamentum ordini inconueniens quærere, in delicijs viuere, gulæ, & ebrietati indulgere, iniuſtis ponderibus, ſeu menſuris, vti, negotia illicita tractare, ſanguinis iudicium agitare, aut ſententiam dictare, canes quoque, aut aues, venationis cauſa, alere, tabellionatus officium exercere, medicinæ, aut legali facultati, abſq. licentia, operam dare: quæ tamen ex conſtitutione Innocentij [d] IV. in generali Lugdunenſi Concilio edita negari non ſolet.

c c. 1. cum. ſeq. cum. hoc tit.

d de qua c. 2. de penit. lib. 6.

†

Finis Libri Tertij.

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO

Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe in Diœceſana Synodo Muſterij habita,

iij. Nonas Maij anno Sal. MDCIX. promulgata.

LIBER QVARTVS.

De ſponſalibus, & matrimonijs. Tit. I.

Eugenius IV. in generali Concilio Florentino.

CAP. I.

SEPTIMVM eſt ſacramentum matrimonij, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum [a] dicentẽ: Sacramẽtum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum matrimonij. Primum eſt proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam vnus coniugum alteri ſeruare debet. Tertium eſt indiuiſibilitas matrimonij propter hoc, quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti, & Eccleſiæ. Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cùm matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum ſit.

a ad Epheſ. cap 5.

Ex Concilio generali Tridentino.

De ſacrim. Matrim. in princ. § ſtatuim fol. 24.

CAP. II.

GRatiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem confirmaret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium ſacramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit: quod Paulus Apoſtolus innuit, [a] dicens: Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea: mox ſubiungens: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratia præſtet; meritò inter nouæ legis ſacramenta annumerandum ſancti Patres noſtri, Concilia [b], & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt, aduerſus quã impij homines huius ſeculi inſanientes, non ſolùm perperam de hoc venerabili ſacramento ſenſerunt, ſed more ſuo, prætextu Euangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena ſcripto, & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſtifidelium iactura: quorum temeritati ſancta, & vniuerſalis ſynodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum ſchiſmaticorum hæreſes, & errores; ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio; exterminandos duxit, hos in ipſos hæreticos, eorumq. errores decernens anathematiſmos.

a epiſt. ad Epheſ. c. 5. in fin. c. debent. ext. de bigam.

b d. c. c. ad Epheſ. & Con. Florent. ac quo cap. præced. & c. ad abolendã. extr. de hæret.

CAP. III.

CAnones autem duodecim doctrinam hanc de ſacramento matrimonij à Concilio Tridentino, vt ſupra retulimus, promulgatam, ſtatim ſubſequentes, vt ab omnibus diligenter, ac religioſè obſeruentur, diſtrictè præcipimus. Qui verò eos non admiſerit, aut ad ſenſum diuerſum ab eo, quem tenet Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ, detorſerit, non ſolùm excommunicetur, ſed, vt hæreticus, puniatur: Quæ pœna maletentur etiam, quicumque ex ſacramentis nonnulla, ac nominatim matrimonium, tempore Apoſtolorum fuiſſe, hodie verò non eſſe cum Caluino impijſſimo profitentur, quaſi ſacramenta ad tempus fuerint inſtituta, non autem, vt durarent, quamdiu duraret Eccleſia, hoc eſt, vſque ad conſummationem ſeculi.

De ſacramento matrimonij.

Canon I.

Si quis dixerit, matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ ſacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre; anathema ſit.

Canon II.

Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege prohibitum; anathema ſit.

Canon III.

Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Leuitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimant; anathema ſit.

Canon IV.

Si quis dixerit, Eccleſiã non potuiſſe conſtituere impedimẽta matrimoniũ dirimentia, vel in ijs conſtituendis erraſſe; anathema ſit.

Canon V.

Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge, diſſolui poſſe matrimonij vinculum; anathema ſit.

Canon VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi; anathema ſit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet iuxta Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non poſſe diſſolui; & vtrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere: mœchariq. eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alij nupſerit; anathema ſit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quo ad torum, ſeu, quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus, fieri poſſe decernit; anathema ſit.

Canon IX.

Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq. validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq. omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt, ſe caſtitatis, etiam ſi eam vouerint, habere donum; anathema ſit: cùm Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

Canon X.

Si quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam iungi matrimonio; anathema ſit.

Canon XI.

Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, & ethnicorum ſuperſtitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Eccleſia in illis vtitur, damnauerit; anathema ſit.

Canon XII.

Si quis dixerit, cauſas matrimoniales nõ ſpectare ad iudices eccleſiaſticos; anathema ſit.

CAP. IV.

SPonſalia, quoniam reſpiciunt maris, ac fœminæ coniunctionem, videntur idem eſſe, ac matrimonium, ſed plane differunt à matrimonio: dicuntur verò ſponſalia à ſponſione, [a] ſeu promiſſione, qua ex parte viri, & ex parte mulieris fides datur de futuris nuptijs, & poteſt vocari etiam repromiſſio, quia reciprocè, & mutuò, hinc, inde, quod ad conciliandas futuras nuptias pertinet, promittitur. Dicta ſunt autem ſponſalia, [b] quia veteres futuras ſibi vxores ſpondere, & ſtipulari ſolebant: is [c] etenim, qui ducere volebat vxorem, ab eo, qui daturus erat, eam ſtipulabatur: contrà, qui dare volebat, ſpondebat, ſe daturum, iſq. contractus nomẽ ſponſalium obtinebat, dieſque [d] ille ſponſalis appellabatur. Apud nos ille mos obſoleuit, retento nomine, cùm hodieque fieri ſoleat quædam ſponſio, aut per ipſos contrahentes, aut per internuncios, ſub hac verborum forma. Ego accipiam te (verbi gratia) Annam in vxorem: ego accipiam te Petrum in virum. Sponſaliorum duæ ſunt ſpecies; nãq. vel in præſens, vel in futurum tempus contrahuntur: ſi ſint in futurum, vtroque ex ſponſis

a l. 1. ff. eod. tit. cum noſtris ſeq. §.

b l. 1. ff. eodem titul.

c Gell. li. 4. cap. 4.

d Varr. li. 5. de ling. Latina.

diſſentiente, permiſſum eſt, reſcindi contractum, non æque, ſi in præſens. Magis tamen propria, ac frequens eſt apud vtriuſque iuris prudentes ſponſaliorum, ac ſponſarum ſignificatio, quæ reſpicit tempus futurum, propriæque ſunt ſponſæ, quas in futurum paciſcimur: ſponſalia verò, quæ in præſens tempus contrahuntur, ſunt ipſæ nuptiæ, ipſumque matrimonium, animorum [e] ſcilicet, corporumq; coniunctio. Sed, quamuis aliud ſit [f] ſponſalia contrahere, aliud de contrahendis ſponſalibus promittere; attamen tanta eſt promiſſionis vis, quæ in matrimonij contractu fit, vt piaculum ſit illam violare, peccetque [g] mortaliter, qui ex ſponſis conſenſum coniugalem negat, quamuis promiſſio, aut intentio non fuerit iuramento confirmata, cùm [h] apud Deum ſimplex promiſſio non differat à iuramento. Si vero ſponſi ſibi inuicem obligationem remittant, liberi maneant. Quòd, ſi alter eorum, valere promiſſionem aſſerat; alter verò neget, vel contumaciter adimplere recuſet, cenſuris compellatur ad tempus, nec vlterius.

e c. debitum extra de bigam. non ordinan.

f arg. l. 6 pœn. ff. de verb. oblig.

g S. Thom. in 4. diſt. 27. quæſt. 2.

h can. iuramenti 22. q. 2.

CAP. V.

IVſtitiæ [a] publicæ honeſtatis impedimentum; vbi ſponſalia nulla fuerint, omnino tollit [b] Tridentina Synodus; vbi valida, primum gradum non excedere voluit, quod intelligendum eſt de ſponſalibus initis de futuro, non autem de præſenti: nam, quo ad hæc, ex [c] declaratione Pij Papæ Quinti extenditur prohibitio, ac, ſi matrimonium fuerit conſummatum. Quam planè conſtitutionem, ſeu declarationem inuiolabiliter in noſtra diœceſi obſeruari mandamus, alioquin matrimonium contractum nullum eſſe, parochumque, coràm quo ſcienter fuerit celebratum, per annum ab officio ſuſpendi debere, declaramus.

a c. 4. & 8. eod.

b c. 3. eadem ſeſſ. 24.

c incip. Ad Romanum ſpectat Pontific. in.

§. vnic.

Impedimentum verò iuſtitiæ publicæ honeſtatis eiuſmodi eſt, vt, qui ſpoponderit, ſe vxorem ducturum, neque, dum ſponſa viuit, neque poſt eius mortem, contrahere poſſit matrimonium cum ipſius conſanguinea, ſicut, nec ipſa ſponſa, aut viuat, aut mortuus ſit ſponſus, cum illius conſanguineo matrimonium contrahere poteſt. Quod impedimentum [d] extendebatur olim vſq. ad quartum gradum: hodie [e] non excedit primũ, fratris, videlicet, aut ſororis, idque, vt præceptum faciliùs, ac ſine diſpendio, obſeruetur.

d d. c. 4. & 8. & cap. vnic. eod. tit. in 6. e Cõc. Trid. c. 3. ſeſſ. 24. de reform. matrim.

CAP. VI.

VAgos quoque, incertique domicilij homines, ad matrimonium non admitti decreuit eadem ſancta a Tridentina Synodus, ne contingat, vnum maritum duas, aut plures vxores habere: ſunt enim, qui, relicta prima vxore, aliam, atque aliam diuerſis in locis, illa viuente, ducere non dubitant, quemadmodum & in noſtra diœceſi non ſemel factum fuiſſe, accepimus. Quocirca, ne ex hoc ſacrilegio aliud ſcandalum deinceps oriatur, parochi, neque aſſenſum præbeant, neque talibus matrimonijs intereſſe audeãt, niſi prius facta de perſonis diligenti inquiſitione, reque tota nobiſcum, aut cum noſtro generali Vicario, communicata, licentiam habeant faciendi ea, quæ tanti ſacramenti dignitati maxime conueniant. Contumaces aureis decem mulctentur, atque ab officio ad tot menſes ſuſpendantur.

a c. 7. d. ſeſſ. 24.

CAP. VII.

DEcet ſane, Chriſtianiſque moribus aptiſſime congruit, matrimonium nullius auctoritati, nullius imperio, nullius libidini ſubiacere, quin inualidum eſſe, niſi contrahatur mutuo conſenſu, ac libera voluntate illorum, qui maritali vinculo vicißim ligari, & coniungi volunt. Itaque, vt liberum prorſus ex ſacrorum [a] canonum præſcripto, ab omnique violentia tutum ſit matrimonium, omnibus ſubditis noſtris præcipimus, cuiuſcumque gradus, dignitatis, ac conditionis exiſtant, ſub excommunicationis pœna, (quæ abſque alia declaratione ſtatim delinquentes liget) ne directè, vel indirectè, quouis colore, aut prætextu, quemquam impediant, quominus [b] matrimonium contrahere libere poſſit, aut ad illud contrahendum compellant, maliſq. artibus inducant. Quod parochi ſedulo animaduertant, vt, ſi alicui vim inferri ſenſerint, tali matrimonio fauorem nullum præſtent, nulloue modo interſint. Quod, ſi facere neglexerint, pœna ſuperiùs [c] conſtituta mulctentur.

a cap. cum locum c requiſiuit cap. gemma ext. eod. tit. c. fi. 31. q. 2. c. fin. 16. q. 2.

b c. 3. ead. ſeſſ. 24.

c cap. prox. huius tit.

De deſponſatione impuberum. Tit. II.

CAP. I.

DVnguem obſeruari iubemus, quod de ætate contrahentium matrimonium à maioribus noſtris definitum eſt, nempe, vt maſculus quatuordecim annis [a] minor non ſit, nec fœmina duodecim, cum, ſcilicet, vtroque eorum pubeſcente, ille morum vis genitalis ſentire incipiat, hæc verò, & ad concipiendum apta ſit, & doli capax. Proinde, ne lites, [b] ac diſſenſiones ex nuptijs ante hanc ætatem celebratis oriantur, nolumus, parochos matrimonio inter impuberes per

a l. minorũ ff. de rit. nuptiar. c. vlt. eod.

b vt c. 6. 7. & 10 extra hoc tit. & c. vlt. ext. de ſponſ.

verba

verba de præſenti contrahendi auctoritatem, aut eſſe aſſenſum vllum, præbere: ſed, ſi pubertati proximos maritali copula coniungi debere ex legitima cauſa animaduerterint, rem nobiſcum communicent, vt, quod rationi conſonum fuerit, auctoritate noſtra perficiatur. Qui ſecus fecerit, poena ſuperius [c] conſtituta plectatur.

c cap. pen. & vlt. ſup. de ſponſal.

CAP. II.

SPonſalia vſque ab ineunte ætate fieri non prohibentur, dum intelligant contrahentes, quid faciant. Quare [a] maiores ſeptem annis eos eſſe oportet, ne, ſi minores ſint, licet proximi ſeptennio, id ſcire, aut intelligere non poſſe videantur: nam, quamuis malitia aliquando ſuppleat defectum ætatis in eo, qui eſt proximus [b] ætati legitimæ ad cõtrahendum matrimonium, non ſupplet tamẽ in eo, qui eſt proximus ſeptennio ad contrahenda ſponſalia: Siquidem tenerrima ætas illa, prorſuſque rationis incapax, eſt omnis expers malitiæ, ſicut ſequens ætas, cùm ſit doli capax, ſuppleri poteſt à malitia: ideo [c] duodecimus, ac quartuſdecimus annus inceptus habetur completo. Declaramus igitur, ex ſponſalibus pactis cum eo, qui eſt minor ſeptennio, aut mas, aut fœmina ſit, non [d] habere locum iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, niſi cohabitaſſent, paciſcentes, ſeſeque inuicem contrectaſſent: quod, ſi interueniſſe probabitur, caueat parochus, ne cum alijs contrahant, niſi cum ipſis ſuper hoc fuerit legitimè diſpenſatum.

a l. 1. in ſponſalibus ff. de ſponſal. Hermenop lib. 4 tit. 1. cap. 2. & 3. 30. q. 3. c. 1. ſi verò c. accedit cap. duo c. diſſolvendum ex hoc tit.

b c. de illis ext. eod. tit.

c arg. l. 2. ad Rempublicã ff. de mun. & honor.

d c. ſpõſum ext. de ſpõſ. & matr. c. ſuperuenis eo tit.

De clandeſtina deſponſatione. Tit. III.

CAP. I.

QVONIAM ex clãdeſtinis nuptis ſacroſanctæ Tridentinæ Synodus multa, eademq. grauia peccata oriri animaduertit, huiuſmodi contractum nullum, atque irritum eſſe [a] decreuit, eoſque, qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote, ipſo parocho, aut loci Ordinario, concedente, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentauerint, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddidit. Quod ſanè decretum, cum cæteris omnibus, quæ de matrimonio contrahendo, præſertim de denunciationibus, ſancita ſunt, quàm diligentiſſimè obſeruari mandamus.

a c. 9. de reform. matrim. ſeſſ. 24.

§. 1.

Publicas verò denunciationes, non ſolùm ſacri Tridentini, ſed & Lateranenſis [b] Concilij decreto in Eccleſijs parochialibus faciendas, antequã matrimonia contrahantur, nullo pacto omitti, ſed in parochijs virorum, & mulierum tribus feſtis diebus Eccleſiæ præcepto obſeruandis, inter Miſſarum ſolemnia, quibus maior populi numerus intereſſe ſoleat, omnino fieri præcipimus.

b c. cũ inhibitio 11. tit. 2. lib. 6. Tit. ſeſſ. 24. c. 1. de reform.

§. 2.

Nemini etiam animarum curam gerenti ſponſos alienæ parochiæ coniugali vinculo coniungere, aut maritali benedictione confirmare liceat, niſi à nobis, vel à noſtro generali Vicario, vel à rectore parochiæ ſponſorum, id ei fuerit expreſſe conceſſum. Tranſgreſſores, non ſolùm ſuſpenſionis pœnam ipſo facto ſubeant, ſed & grauiùs arbitrio noſtro puniantur.

§. 3.

Si ſponſi, vel alter eorum, alienæ fuerit parochiæ, caueat diligenter parochus, cui conceſſum fuerit illos in matrimonio coniungere, ne ad eum actum veniat, priuſquàm ab illorum, ſeu alterius eorum, parocho ſcriptum, & obſignatum teſtimonium acceperit, debitas factas fuiſſe denunciationes in Eccleſia, aut noſtra auctoritate prætermiſſas, nullumq. apparere impedimentum, quominus matrimonium illud legitimè contrahi poſſit.

§. 4.

Quòd, ſi parochus ille alienæ fuerit diœceſis, teſtimonium, ſeu fidem illam ſigillo munitam ab ipſo Epiſcopo potiùs, quàm à parocho quærri mandamus: quæ tamen, niſi coram nobis, vel à Vicario noſtro, recognita ſit, nullius eſſe roboris, aut valoris, intelligatur.

§. 5.

Si verò longiùs abſit illa diœceſis, nihil prorſus fiat, nobis inconſultis, vt in re tanti momenti, quid agendum ſit, ſpatium deliberandi habeamus, auferaturq. occaſio incognitis, vagis, improbiſq. hominibus, plures [c] vxores habendi.

c vt ſupr. de ſponſ. & matrim. c. 6.

§. 6.

Verùm, quoniam non deſunt, qui ab illecebris carnis decepti, ne propria crimina manifeſtore, aut inuiti illicita contubernia relinquere cogantur, alios quoque decipere ſtudeant, pro vxoribus exhibentes, quæ vere concubinæ ſunt; mandamus, vt, ſi contingat, extraneum ex aliena, vel diœceſi, vel parochia, mulierem incognitam ſecum ducere, quam, ſibi vxorem eſſe aſſerat, ex probabili verò ratione, aut coniectura, cognoſcat, aut ſuſpicetur parochus, illam talem non eſſe, ab eo fidem matrimonij ex legitima probatione exigat, certorum dierum termino præfixo, quo elapſo, abſque fidei exhibitione, in eum, tanquam in concubinarium, agere non differat,

ſerat, re tota nobis pateſacta, cum nominibus contumacium, vt in eos pro delicti qualitate opportunè animaduertatur.

CAP. II.

MAtrimonium, cùm ſit vnum ex ſeptem ſacramentis Eccleſiæ ab ipſius mundi primordio ad humani generis propagationẽ diuinitus inſtitutum, nec celebrari, nec perfici debet alibi, quàm in Eccleſia, in domo, ſcilicet, auctoris ſui Dei, à quo originem, atque initium, habuit, atque in parochia eorum, qui maritali vinculo coniungendi ſunt, non autem in priuatis ædibus, neque à prandio, ſed mane, ac, propter reuerentiam, inter Miſſarum ſolennia, iuxta ſanctæ matris Eccleſiæ ritum in Miſſali Romano præſcriptum, niſi ex neceſſitate, aut vitandi imminentis ſcandali gratia, aliter, nobis conſentientibus, oporteat illud celebrari.

CAP. III.

AT, quia nonnunquam ſponſi de diuinę gratiæ theſauro parũ ſolliciti, quæ per ſacramentum matrimonij non ponentibus obicem confertur, antequam ritè, ac legitimè matrimonio conſenſerint, more brutorum ſe ſe carnaliter coniungunt, nos huic effrænatæ libidini, quantùm poſſumus, occurrere volentes, tam intemperanter factum acriter prohibemus, & grauiſſimis pœnis puniemus.

§. 1.

Si verò, antequam publicæ fiant denunciationes, ob aliquam grauem cauſam celebrandum ſit matrimonium, admoneat ſponſos parochus, etiam ſub interminatione anathematis, vt à carnali cõmercio, corporumq. commixtione abſtineant, quouſque plenum effectum habuerint denunciationes, ne, ſi, cõſummato matrimonio, emergat impedimentum, quo contractus ille ſubſiſtere nequeat, opus ſit cum ſponſæ dedecore, ac populi ſcandalo, matrimonium dirimere.

§. 2.

Quinetiam parochi de pietate, ac reuerẽtia, qua tantum ſacramentum ſuſcipi debeat, apud populum, ſumpta occaſione; ſubinde differant, docentes, non fuiſſe inſtitutum matrimonium ad carnis deſideria explenda, (quod equus, & mulus faciunt, quibus [a] non eſt intellectus) ſed prolis propagandæ cauſa, quæ creaturarum omnium parenti debitam gloriam, atque honorem impartiretur.

[a] Pſal. 31.

§. 3.

Sponſis quoque efficaciter perſuadere nitantur, vt, priuſquam ad matrimonij conſenſum deueniant, vel ſaltem triduo ante, quàm inter eos ſequatur carnalis copula (vt eſt in Concilio [b] Tridentino) criminum ſuorum ſordes eluant, ſanctiſſimamq. Euchariſtiam piè ſuſcipiant.

[b] d. c. 1. §. poſtremo inſt. ſeſſ. 24.

§. 4.

Denique vnuſquiſque parochus contrahẽtium nomina diebus etiam, cum factarum denunciationum, tum cõtracti matrimonij, adnotatis in libro huic officio aſſignato diligenter referat, vt alibi declarauimus [c].

[c] c. 2. vn. §. 10. ſup. de parochis.

De ſponſa duorum, & ſponſo duarum. Tit. IV.

CAP. Vnic.

QVICVMQVE alteri deſpõſatam mulierem vxorem duxerit, ſi conſtet, primum matrimonium in conſpectu Eccleſiæ validum fuiſſe, licet nõ fuerit conſummatum, illam dimittat, prioriq. viro habendam relinquat. Si verò fuerit conſummatum, non autem legitimè contracti, & mulier à primo contractu reſilire velit, an id fieri poſſit, nec ne, ad noſtrum tribunal cognoſcere pertinet. Quare parochis, ne huic ſecundo contractui aliquo pacto intersint, niſi à nobis, vel Vicario noſtro generali, aliter declaratum fuerit, omnino prohibemus. Idem obſeruandum eſſe dicimus, cum quis, duas vxores habere accuſatus fuerit, quarum ſecundam priùs carnaliter cognouerit [a].

[a] cap. 2. eod. tit.

De conditionibus appoſitis in deſponſatione, & alijs contractibus. Tit. V.

CAP. Vnic.

QVONIAM poſsibile dici nõ debet, quod honeſtè [a] fieri nequit, impoſsibilis conditio, eo quòd turpis exiſtimetur, vitiat [b] contractum. Sed in matrimonio etiam turpiſsima conditio, dum ipſius matrimonij ſubſtantia [c] ſalua remaneat, ſuum ſortitur effectum. Si verò quis ſub honeſta, ac probata conditione matrimoniũ contraxerit, ante conditionis euẽtum ad perficiendum matrimonium carnali copula copula cogi [d] non poteſt, niſi poſtea pure, ac liberè in matrimonium conſentiat [e], aut mulierem, cum qua contraxit, carnaliter cognouerit [f]; eo enim caſu conditioni renunciaſſe videtur: alioquin, quamdiu [g] pendet conditio, quod ſub conditione factum eſt, nihil eſt: contractus etenim, non ex ſola ſtipulatione conſideratur, ſed ex eo, quòd vtilis eſſe, ac vires habere præſumitur; & conditionis proprium

[a] l. Illiuſmodi. ff. de condit. inſtitut.

[b] l. impoſſibilis ff. de verb. obligat. l. impoſsibilium ff. de reg. iur. l. vlt. C. de pact. c. e. vlt. eod. tit.

[c] cap. 5. eod. tit.

[d] d. c. 5 & c. eod. tit.

[e] c. 5. eod. tit.

[f] l. ſi ſtichũ §. ſi quis ita l. quoties ff. de pact. & def. gat.

prium [h] eſta, cum conditionalem ſuſpendere. Quod, cùm in omnibus contractibus locum habeat, permittente iure; licere vnicuique conditionem ſuam meliorem facere, etiam cum alterius detrimento, dummodo [i] id citra iniuriam fiat; multò magis locum habere debet in matrimonio.

h l. 102. ff. de verb. ſign. & 10. tit. ff. de condt. & demonſtr.

i l. cū eo l. inter ſeruitutes ff. de ſeruit. vrb. prædios l. altius ff. de ſeruit. & aqua l. Iulianus §. vl. ff. de damn. infec.

Qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere poſſunt. Tit. VI.

CAP. I.

IN minoribus [a] ordinibus cõſtituti, niſi voto, aut religionis habitu impediantur, vxorem ducere non prohibentur, ſed etiam, ſi cum virgine contraxerint, ipſa defuncta, vel non cognita, promouere [b] poſſunt ad maiores ordines, quos, quicumque ſuſceperit, omnino nuptiarum incapax [c] eſt, adeo, vt nullum ſit, atque inualidum quodcumque matrimonium cõtrahatur, peccetq. grauiter contrahens, ſtatimq. in [d] excommunicationem incidat, immo, vt quibuſdam [e] placet, fiat etiam irregularis. Qui ſubdiaconatum ſuſcipit, licet nolit, aut non credat, ſe ad caſtitatem ſeruandam obligari, emittere tamen ſolenne votum caſtitatis intelligitur: ſiquidem, dum ordinem ſuſcipit, conſentire videtur ad ea, quæ in illius ordinis collatione obſeruat Eccleſia, quamuis, ſe ex eo actu tali vinculo obſtringi non putet.

a c. de his 28. diſt.

b cap. ſeriatim 32. diſt.

c cap. 4. ext. eod. tit.

d Clem. vn. de cenſib. &c. Paludan. 4 diſt. 37 q. 1. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 8. Nauarr. c. 22. n. 54.

e Panormit. in c. 1. de voto. Ioan. Andr. in Clem. 1. de voto. Hoſtien. in Summa de voto. Ioan. de Lignan. in c. 1. de voto. Ioan. Monach. in c. 1. de voto. Ioan. Calder. in c. 1. de voto. Ioan. Gerſon. in c. 1. de voto. Ioan. Gerſon. in c. 1. de voto.

CAP. II.

VOuentium alij nunquam vxorem ducere, alij nonnunquam habere poſſunt. Nunquam ducere poſſunt, qui ſolenniter vouerint, hoc eſt, qui non ſolùm ſe Religioni deuouerint, ſed, ſuſcepto quoque habitu profeſſionem [a] emiſerint. Nonnunquam habere vxorem poſſunt [b], qui caſtitatis, aut religionis voto, ſe ſimpliciter obſtrinxerint, quo quidem impeditur matrimonium, ne perficiatur, ſed non dirimitur iam contractum, ſicut voto ſolenni dirimitur contractũ, ac perfectum [c], non tamen conſummatum: ſed &, qui ſimpliciter vouit, letaliter peccat, ſi contraxerit matrimoniũ, ac multo magis, ſi contractum conſummauerit, nam, cùm ante conſummationem rati matrimonij potuiſſet ingredi Religionem, & implere votum, ſi contractum ſummauerit [d], quoniam reddidit ſe inhabilem ad ſatisfaciendum voto, proculdubio peccat.

a cap. 1. ext. eod. tit.

b c. 5. & 6. eod. tit.

c d c. 3. & 7 eod tit.

d S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 9 & alii cõm ſententiam. Doctores ſcribit Toler in Summa lib. 7 c. 24. ver. 2.

De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. Tit. VII.

CAP. Vnic.

QVi, viuente vxore, aliam duxerit, quæ illum vxorem habere ſciat, aut eam, quæ vxoris viuentis ipſius necem machinata fuerit, neutram, mortua prima, ducere poteſt. Cui matrimonio, ſeu potiùs contubernio, parochi, qui ſciẽter interfuerint, per annum ab officio ſuſpendantur. Qui verò eorum, id ignorans, fecerit, ſtatim atque, ſe erraſſe ſenſerit, rem totam abſque mora nobis aperiat, vt, & [a] ſeparare, & pro delicti qualitate contrahentes opportunè punire poſſimus. At, ſi quis contraxerit cum ea, quæ, illum vxorem habere neſciuerit, aut cum qua nulla ſit, ſecuta copula, aut, ſi qua facta ſit corporum commixtio, viuente vxore, nulla tamen præceſſerit de contrahendo matrimonio fides, vel promiſſio, valere illud [b] matrimonium pronunciamus. Præterea credimus, eum, qui, (hiſce caſibus exceptis) adulteram ad legitimum tori conſortium perduxerit, rem facere ad ſuorum peccatorum remiſſionem valde proficuam, cùm errantem [c] ab errore reuocauerit.

a c. 1. 3. 4. & 5 ext. eod. tit. l. Clau. ff. & his, quib, vt indign.

b c. 1. 2. & 7 & 8. eod. tit. c cap. inter opera ext. & ſponſal.

De cognatione ſpirituali. Tit. VIII.

CAP. I.

COGNATIO ſpiritualis ex ſacramento [a] baptiſmatis oritur, cùm infans, nec loquens, nec ad credendum rationis vſum habens [b], alio profitente, baptizatur. Hic fiduciarius dicitur, fideiuſſor [c], ſuſceptor [d], offerens [e], ſponſor [f], fidei ductor, [g] patrinus, ac tandem compater, quia æque, ac naturalis pater, baptizatum admonere [h], atque hortari debet ad caſtitatem ſeruandam, ad diligendam iuſtitiam, ad charitatem colendam, aliaq. facienda [i], de quibus alibi diſſeruimus. Propterea, cùm nequeat conſiſtere matrimonium inter eos [k], qui per adoptionem coniunguntur (quæ tamen legale vinculum eſt) multo minus conſiſtere poteſt inter eos, qui Spiritus ſancti gratia per baptiſmatis [l] lauacrum regenerantur: quod iam in ſacro Nicæno Concilio conſtitutum [m] antea fuerat. Latè quidem patuit olim hæc ſpiritualis cognatio, ſed ex ſacra Tridentina [n] Synodo limitata eſt, vt ſit tãtum inter

a l. ſiquis alumnũ C. de nupt. c. vlt. eod tit li. 6.

b c. paruuli d cõſec. c. 4.

c Aug ſerm. 176. 163. & 215.

d Dion. Areop. pag. c. d bap. f. Tertull. de cor. mil. 3. e Iuſtin. q. 56. ad orthodox.

f Tertull. de baptiſ. c. 18.

g Aug. epiſt. 23. ad Bonif. h can vos autem 101. d. 4 de conſecr. 1 ſup. de bapt. c. 2.

i cor. ti. ext. de cogn. legal. c. ita diligit 30 q. 3. l d. c. ita 30. q. 3.

k c. 21 & 23 apud Turrianum can 69. ex Trullanis qui ſcitæ 37 modo nomine certum. ſi. ter, vel ſi ignodor Ballamon. & Mogun. cap 56. cano petuc. nic 12. q. 1. n c. 2. & volens teſtl. 30. de reſor. matrim.

inter ſuſcipientem,& baptiſatum,illiuſq. patrem, ac matrem,nec non inter baptizãtem, & baptizatum, illiuſque patrem,ac matrem, nec vlterius progrediatur. Inſuper,quoniam ex multitudine ſuſcipientiũ oriebantur multa impedimenta,quibus matrimonia contrahi non poterant, & contracta dirimebantur, eadem Synodus Tridentina, vnum tantùm, ſeu virum, ſeu mulierem, iuxta o ſacros Canones, vel ad ſummum, vnum virum, ac vnã mulierem baptizatum ſuſcipere poſſe ſtatuit, nec cum alijs, etiam in actu baptiſmatis infantem tangentibus, contrahi cognationem ſpiritualem. Quam quidem conſtitutionem à parochis noſtris ad vnguem obſeruari mandamus: qui etiam ad vitandos de cognatione ſpirituali ſcrupulos, ac dubia,quæ ex multitudine tangẽtium emergere poſſent,neque admittant, neque in ſuæ Eccleſiæ baptiſmalibus libris deſcribant maiorem ſuſcipientiũ numerum, quàm hic definitus ſit. Secus facientes dimidia parochialium fructuum parte, locis pijs applicandorum, ad ſex menſes mulctentur.

o de quo in can. nõ plures d. cõſec. d. 4. c. quam. tus de cogn. ſpir. lib. 6.

§. Vnic.

Ea quoque cognatio, quæ ex ſacramento Confirmationis oritur, licet antea ad omnes gradus extenderetur p, ſicut cognatio, quæ per baptiſmum contrahebatur, ab eodem Concilio Tridentino limitata q fuit, vt ſit tãtùm inter confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem,ac matrem, ac pro confirmato profitentem.

p c. quamuis eo. lib. 6.

q d. c. 2. §. vl.

CAP. II.

a c. nõ licet cum ſeq. de conſec. d. 4. c. placuit 25 q. 1 c. pernegauit 18. q. 2.

COnſtitutionem ſacri Altiſiodorẽſis Cõcilij, qua a Abbas, & monachus filium ex baptiſmo, atque commatrem habere prohibetur,non ſolùm moribus monaſticis aptiſſimè conuenientem, ſed & cæteris Eccleſiæ miniſtris extra clauſtra degentibus, qui liberiorem vitæ aleam ſubeunt, vtiliſſimam, ad clericos ſeculares noſtræ diœceſis extendimus, quos, cuiuſcumque ſtatus, ac prærogatiuæ ſint,ne antiquo hoſte ſuggerente, occaſione ſpiritualis cognationis, ad periculoſam cum commatribus conſuetudinem ineundam inducantur, ſub pœna ſuſpenſionis ab eo ordine, in quo tranſgreſſionis tempore extiterint, nec non aureorum viginti quinque ad pios vſus applicandorum, niſi vrgeat neceſſitas (quo caſu etiam parentes b filiorum patrini eſſe poſſunt) nolumus de ſacro fonte quemquam leuare poſſe, nec proprio nomine per interpoſitam perſonam,nec pro laicis, tanquam procuratores, compatris,aut ſuſceptoris officio fungi. Cui pœnæ obnoxios eſſe intelligimus etiam curatos, eorumq. vicarios, qui clericos ad huiuſmodi officium admiſerint.

b cap. 2. ext. eodem.

De cognatione legali. Tit. IX.

CAP. Vnic.

QVONIAM filios, non tãtùm natura a, ſed,& adoptio facit, etiam cognatio legalis, quæ ex adoptione contrahitur,impedit b matrimonium: inter adoptantem igitur,& adoptatum,& adoptati deſcendentes, licet adoptio,vel emancipatione, vel alio quouis modo diſſoluta fuerit, contrahi nequit matrimonium: quod procedere certum eſt, etiam inter adoptatum,& filios naturales adoptantis, durante adoptione, dumque in poteſtate patris fuerint. ſed & inter adoptantem, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis, quamuis diſſoluta fuerit adoptio, non ſolum contrahi non poteſt, ſed dirimitur quoque iam contractum matrimonium.

a l. 1. ff. de adopt.

b c. ita diligere 30 q. 3. cap. vtn. ext. hoc tit.

De eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vel ſponſæ. Tit. X.

CAP. I.

INCESTVM committere a intelligitur,qui mulierem aliquam ex ijs,quas,aut legibus, aut moribus, ducere prohibetur, vxorem ducit: namque, per quamlibet illicitam matrimonij coniunctionem inceſtum committi reſponderũt veteres b iuriſconſulti. Sed,quoad impedimentum, ac diſſolutionem matrimonij, hodie ex ſacroſancta Synodo c Tridentina affinitas ex fornicatione contracta ad eos dumtaxat reſtringitur, qui in primo, & ſecunda gradu copulantur.

a l. ſororis ff. de ritu nup.

b l. 14. §. 1. verſ. nonobſtãte quam ff. ad Liul. dagul.

c c. 4. ſeſſ. 24 de reformatrim.

CAP. II.

SI filios eò turpitudinis deuenire contingat, vt concubinas parẽtum vxores ducant, præterquàm, quòd nullum erit matrimonium,criminis a etiam ſtupri,eos eſſe reos dicimus, vtque ſtupratores, puniri debere. Caueant igitur parochi,ne talibus matrimonijs faueant, aut intereſſe audeant,alioquin, ſi crimen hoc ad eorum notitiam peruenìſſe conſtiterit, ad annum ab ordinum miniſterio ſuſpendantur, ac parochialis officij adminiſtratione priuentur.

a l. 4. C. de nuptijs.

De

Digitized by Google

De consanguinitate, & affinitate. Tit. XI.

CAP. I.

NON est dicendum, naturæ aduersari canonicam legé, cùm inter consanguineos quædam matrimonia perfici vetat. Id enim vbique locorum, tanquã religione dictante, ferè à mundi incunabilis obseruatum est, nec quidem repugnante natura, cuius instinctu quidam pudor humanis mentibus instillatus [a] videtur, quo parentes cum liberis misceri horrendum facinus semper duxerint, etiam ethnici, tradente Xenophonte [b], eiusmodi concubitum inuisum dijs fuisse, quasi iure naturali: cuius vim etiam in brutorum animalium sensum penetrasse testatur Philosophus [c], cùm inter ipsa reperiantur, quæ cum parentibus nunquam coëunt. Expedit quoque hæc matrimonia interdici, vt, pluribus familijs nuptiali vinculo constrictis latius communicetur humana [d] charitas: quin etiam, cum muliebris sexus imbecillus, conflilijque inops sit, vt vxores [e] à virorum iniurijs per cognatos vindicentur, quod fieri non posset, si idem [f] frater, ac maritus esset. Iure igitur ex Concilio [g] Tridentino, quicũque intra gradus iure prohibitos sciens matrimonium contrahit, separari debet absque spe dispensationis, ac multò magis, qui sciens consummauerit: si verò ignorauerit, præmissis legitimis denunciationibus, poterit dispẽsatione iuuari. Quicumque autem parochus matrimonijs, seu potius contubernijs huiusmodi, quæ omissis solemnitatibus ab eodem Concilio præscriptis, celebrata sint, interfuerit, deque [h] impedimentis certior factus, assensum ipsis, ac fauorem, quoquomodo dederit, ad annum suspendatur ab ordinibus, ac beneficio priuetur.

a l. adoptiuus ff. de ri. nupt.

b lib. 4.

c Arist. lib. de nat. animal. 9. c. 47. Varro de re rust. lib. 2. c. 7. Plin. lib. 8. c. 2. Iustin. Nouel. 12. & Innocent. nup. in princip. de eis, qui ducere &c. Antonin. part. cap. 1. Plutarch. in problematis d Aug. li. 15. de ciuit. Dei c. 16. de quo can. 2. 35. q. 1. e Plutar. in Problematis.

f Hych. li. 2 epist. Greg. Nazianzen. discipul. l. 3. comm. in Leuit. c. 18. g c. 3. sess. 24 de refor. matrim.

h vsque ad quartũ gradum c. nõ debet 5. prohibitis exc. eo.

CAP. II.

CONsanguinei appellantur, qui sanguine coniunguntur, vt fratres [a], & vnius patris semine nati: consanguinitatis enim iura à patribus oriuntur [b], neque refert, vtrum ex eadem matre, an ex diuersis, geniti [c] sint. Affines sunt viri, atque vxoris cognati, quòd duæ familiæ, vel stirpes, vel personæ inter se diuersæ, ac diuisæ, per nuptias copulentur, altera [d] earum alterius fines pertingente. Quare non ab re, affinitatem definimus esse ciuile vinculum ex nuptijs, sponsalibusque dependens: ex nuptijs siquidem affinitatis constituendæ causa [e] sunt nuptiæ: ex sponsalibus, quia publicæ honestatis iustitia ex sponsalibus proficiscitur, vt alibi [f] diximus, sicque maritus, vel sponsus, cum consanguinea vxoris, vel sponsæ contrahere prohibetur: &, si celebratum fuerit matrimonium, locum habebit prohibitio vsque ad quartum gradum. Cæteri verò mariti consanguinei cum consanguineis vxoris, nulla lege prohibente, iustè contrahunt. Ideo pater, & filius cum matre, & filia matrimonium [g] contrahere possunt. Hodie prohibitio coniugalis copulæ quartum non excedit [h] consanguinitatis gradum. Si autem contrahentes inter se distent, alter quarto, alter quinto gradu, protestatem fecit Gregorius [i] Nonus, vt, absque dispensatione, iustas possint contrahere nuptias.

a l. 1. §. consanguineos ff. de suis & legitimis Cai. li. inst. 3. tit. 8 b l. 14. C. vnde cogn. c l. 1. C. de legit. tutel. l. 3. & 14. C. de legit. hered l. 4. §. affines ff. de gradibus.

d d. §. affines

e d. §. affines

f sup. c. 5. §. de sponsal.

g cap. 3. eod. tit.

h d. c. nõ & bet 5 prohibitio.

i c. vlt. eod. tit.

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi. Tit. XII.

CAP. I.

CVM matrimonij præcipuus fructus sit proles, frigidos [a], quorum [b] curatio desperata sit, matrimoniũ cõtrahere nõ debere, iuris manifestissimi est. Frigidus dicitur, qui non ex genitaliũ membrorum defectu, sed ex morbo, aut naturali vitio corporis, coëundi facultate destitutus, sterilis, ac generationi [c] omnino ineptus est. Verumtamen, si cum frigido contraxerit mulier, sciatque, ipsum eo vitio laborare, velintque simul habitare; suffragante canone [d], tanquam soror habeatur, quæ, tanquam vxor, haberi non potest.

a tot. tit. eod. tit. b c. 3. eo. tit.

c leg. si quis postliun. ff. de liber. & postlim.

d c. 4. & 5. eod. tit.

CAP. II.

MAleficijs nostram Prouinciam abundare non sine magna animi molestia accepimus, quorum artem in eo præsertim versari fama est, vt, impedita per incantationes, ac satanicas machinationes corporum legitima commixtione, matrimonia imperfecta remaneant. Qua de causa, quoniam obseruatum est, hoc maleficij genus adhiberi solitum in ipso actu solenni matrimonij, cum scilicet, factis denunciationibus, parochus coram testibus per verba de præsenti contrahẽtes iungit, non pauca matrimonia clam, ac sine arbitris, celebrari contingit. Quod, cùm sacri Concilij [a] Tridentini decretis, bonisque moribus aduersetur, vt, quantùm cum Domino possumus, huic pestifero malo Reipublicæ pernicioſissimo, occurramus, anathemati subijcimus omnes huius criminis reos, à quo, nisi à nobis, absolui non possint, præterquam in mortis articulo. Qui verò extra sacramentalem

a sess. 24. de reform. matr. c. 1.

d by Google

talem confeſſionem in huiuſmodi maleficio deprehenſus fuerit, poſtquam ab hora prima vſque ad veſperas in foribus metropolitanæ Eccleſiæ noſtræ, aperto capite, nudiſque pedibus, cum candela in manibus accenſa dominico, aut alio feſto die, peccati commiſſi pœnitentiam egerit, tradatur brachio ſeculari, meritas ſceleris ſui pœnas daturus: quas tamen, cum declinare poſſe volumus, ſi, manifeſtatis ſocijs criminis, ſe nunquam talia poſtea patraturum, iuramento promiſerit.

CAP. III.

CONiuges, qui matrimonij conſummandi cauſa pluries maritalem carnis copulã fruſtra perficere tentauerint adeò, vt alterum eorum ad eiuſmodi congreſſum minime aptũ eſſe ipſiuſmet confeſſione certum ſit, altero ſeparationem petente, ſeparentur, liceatque non habenti coëundi impedimentum cum alia perſona matrimonium contrahere. Sed, ſi probata impotentia, adhuc ſimul habitare voluerint, permittantur. Si vero minime conſtiterit, vtrum impedimentum allegatum legitimum fuerit, nec ne, aſsignandum erit eis trium [a] annorum ſpatium, à die contracti matrimonij computandum, quo, & ſimul habitare, & de coniugali carnis copula, quantum vtriuſque interfuerit, commodè experiri poſſint. Quo tempore elapſo, ſi ſublatum non fuerit impedimentum, & ipſi (vt eſt in canone) tactis Euangelijs cum propinquorum, aut, ſi propinqui deſint, cum bonæ famæ vicinorum ſeptima manu, iurauerint, ſe frequẽtium carnalium amplexuũ experimento vnã carnem nunquam factos fuiſſe; qui ex ipſis impotens non fuerit, ad ſecundas nuptias libere tranſire poſsit. Si autem alter eorum, cui impotentia obijciatur, ſe impotentem negauerit, alter verò contrahentium affirmauerit, ad noſtrũ tribunal de perſonæ, huiuſq. controuerſiæ ſtatu, cognoſcere pertinebit.

a cap. ſ. ext. eod. l. 10 cauſis C. de repu.

CAP. IV.

QVinimmo inter eos, qui ex cauſa matrimonij triennium ſimul [a] habitare voluerint, nec ſe carnaliter coniunxerint, diuortium fieri vetamus, niſi virum tempore contractus annum egiſſe vigeſimum conſtet. Nã, licet ætas nuptialis in viro legum [b] auctoritate anno quartodecimo impleri intelligatur, non tamen ſequitur, omnes, qui ad eam ætatem peruenerint, idoneos eſſe ad conſummandum matrimonium, aſſerente medicorũ Principe [c] Galeno, non cenſeri idoneum ad generationem eum, qui vigeſimum primum annum ætatis non exceſſerit. Quandocumque igitur mulier marito impotentiam coëũdi obijciat, non ſeparetur ab ipſo, niſi ille maior ſit viginti annis, idque elapſo triennio, vt cognoſci poſsit, vtrum defectus ſit ex ætate, vel ex frigiditate. Si autem fuerit minor viginti annis, ſuſpendendum eſſe diuortium dicimus, donec vigeſimum primum annum expleuerit, etiam ſi quinque, aut ſex annos ſimul vtrique habitauerint.

a cap. 5. ext. eod.

b cap pubes ext. d. deſp. impub. l. ſi ſt. quõd. mod. tut. fi. Plato de legib. l. 6 Macr. lib. 1. c. 7.

c lib. 4. d. ſemi. tuen. arg. d ſeptimoné ſo ff de ſtatu homin.

De matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. Tit. XIII.

CAP. Vnicum.

SI poſt factas denunciationes (quæ, niſi nobis aliter videatur, omitti [a] non poſſunt) matrimonium abſque vlla impedimenti ſuſpicione celebrari, ac conſummari cõtingat, eoq. perfecto obijciatur conſanguinitas, affinitas, cognatio ſpiritualis, aut legalis, vel, quòd vir habeat vxorem, vel mulier virum, & id genus alia, quibus matrimonia, etiam conſummata, dirimi oportet; ſi contra interdictum Eccleſiæ, vel iudicis contractum eſſe conſtiterit; perſonæ contrahentium ſtatim ſeparẽtur [b], maneãtq. ſeparatæ, quouſque de obiecto impedimento definitiue iudicatum ſit.

a c. ex feſſ. 24 de refor. matrimon verſ. Quòd, ſi aliquando.

b c. 1. & vlt. ext. eod. tit.

§. Vnic.

Sed, quia non deſunt, qui ſpecie pietatis, ac Religionis, impedimenta comminiſcuntur, vt matrimonia diſturbent, nos prauorum hominum huiuſmodi artes anteuertere ſatagẽtes, eos, qui aliquid obiecerint, non audiri decernimus, niſi, præſtito iuramento, de obiectis promptam [d] fidem fecerint intra duos [e], ſcilicet, menſes à die obiecti impedimenti inchoandos, hocque, vt à calumnijs matrimonia vindicemus, atque adulterandi pericula diuertamus.

c arg. c. litter. §. prop. e reſcr. d. reſtit. ſpoliat.

d arg. Extrauag. vn. d. auctorit. & vſu pall.

e d. c. litter. §. quod, ſi non.

Qui filij ſint legitimi. Tit. XIV.

CAP. I.

QVi nati ſunt ex muliere, quæ poſt adulterium commiſſum cum habente vxorem, ea defuncta, cum eodem viro matrimoniũ contraxit, ſi conſtet, ab eadem adultera machinatam fuiſſe mortẽ defunctæ vxoris, vel eius virum promiſiſſe, ſe defuncta vxore ſua, ipſam adulteram vxorem ducturum; neque nomine, neque iure, in legitimorum filiorum numero cẽſeantur, cùm, & ſacrorum [a] canonum auctoritate, & ratione naturali, propter imminens periculum, vt aiunt,

a c. illud 32 q. 1. c. & c. ſap hoc ext. de eo, q. duxit in matr. quæ poſſit per accuſ.

aſunt, captandæ [b] mortis alienæ, matrimoniũ hoc omni prorſus iure improbetur, adeo, vt ijſdem ſubiaceat pœnis, quibus inceſtæ [c] nuptiæ, inter quas pœnas præcipua eſt, quòd, ſi huiuſmodi contrahẽtes prætextu illius matrimonij (quod potiùs cõtubernium dici poteſt) ſibi inuicem aliquid donauerint, id ratum minime ſit, neque in vtilitatem, aut cõmodum filiorum ex ea copula ſuſceptorum, conuertatur, ſed fiſco adiudicatum eſſe intelligatur, ipſis filijs omnino excluſis, quibus nulla fieri videtur iniuria; cùm ex eo crimine concepti neque [d] filiorum nomen mereãtur. Quorum conditio adeo miſera eſt, vt, ſicut ex iuriſcõſultorum [e] magis communi ſententia, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato, quidquam in bonis parentum, exceptis [f] alimentis, percipere poſſunt (præſertim ſi ex damnato coitu ſuſcepti ſint) ita ad beneficia promoueri, aut ad ordines aſcendere, iuris canonici ſanctione prohibeantur [g].

b l. vlt. C. de pact. l. donesi aliud l. qui dam §. donationem ff. de donation. c l. 4. l. ſi qs inceſt. C. de inceſt. nupt.

d §. ſi aduer ſus Inſtit. de nupt. d. l. ii quiquin C. ad Tribul. ma ieſt.

e poſt glo. ad Auth. ex cõplexu C. de inceſt. nupt. Soc. cõſ. 148. Ilar. Con Pap. deci. 280 Aſſi deci. 90 & alij.

f c. cũ habe tet extr. de eo qui eũ dux. in matr. quã poll. g adalg. Dart. 33. c. ij. ext. hoc tit. c. nõ cũ §. perſona ext. de renũciat. c. innotuit ext. de electio. in 3. compila.

CAP. II.

ITaque, quoniam, præter doctrinam, generis etiam nobilitate conſpicuos eſſe oportet eos, qui ad dignitates, & canonicatus huius noſtræ Eccleſiæ aſpirant, dubitari poteſt, an illegitimi, quamquam nobilium virorum ſemine concepti, ſi ex ſimplici diſpenſatione Apoſtolica ad dignitates, & canonicatus aſcendere permittantur, virtute eiuſmodi diſpenſationis in hac Eccleſia neceſſario ſint admittendi. Et quidem, cùm priuilegium excludendi ignobiles comprehendat omnes extra matrimonium, etiã ex clara progenie, procreatos, quia illegitimorum natales incerti ſunt, ab Eccleſia reijciendi eſſent, qui ex legitimis nuptijs nati non ſint: ſed, quamuis iuris ratione quilibet ex illegitimo toro, etiam nobiliſſimo, genitus, nec familiæ prærogatiuam, nec patrem [a] habere intelligatur, nihilominus, quoniam filij illegitimi nobiliũ virorum, & Sabaudienſi [b] ſtatuto, & huius Prouinciæ vetuſta conſuetudine in nobilium numero habentur, dummodo eorũ vitæ ſplẽdor à ſanguinis claritate ne diſcrepet, à capitibuſque [c] familiarum, vt gentiles ſui, agnoſcantur, nos, ſi diſpenſationem in Eccleſijs cathedralibus locum habere, nec ſtatuto, aut conſuetudini derogare, certum ſit, tales illegitimos ad dignitates, ac canonicatus noſtræ Eccleſiæ admitti debere, pronunciamus.

a §. ſi aduer ſus Inſtit. de nuptijs. b lib. 3. c. 3.

c Qui Papæ 9. §. ſi. Inoct. 9. 52. Fab. in ſuo codice de natur. lib. decis. 11.

Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari. Tit. XV.

CAP. I.

FRIGIDOS, maleficiatos, atque impotẽtia coëundi laborantes, non omnibus accuſare permiſſum, ſed [a] marito tãtùm, atque vxori, quorum intereſt, contractum matrimonium perfici, quin &, præ verecundia tacente vxore, eius conſanguineis: ſi autem conſanguinitatis, affinitatis, cognationisvè ſpiritualis, aut legalis, aut publicæ honeſtatis iuſtitiæ obijciãtur impedimenta, pertinet itidem ad maritum, & ad vxorem de illis in iudicio reſpondere, deinde ad parentes, ijſque deficientibus, ad propinquiores ſanguine, ac tandem ad extraneos, quibus [b] parentes, ac conſanguinei ideo præferendi ſunt, quia [c] de genealogia, conſanguineorumq. vinculis, ac gradibus, magis inſtructi eſſe præſumuntur, cùm ex vetuſtis familiarum monumentis, tum ex maiorum teſtimonio: ſolent enim ſeniores per ſummum otium, nec non de induſtria, maiorum egregia facinora, res geſtas, atque ſtemmata, filijs, ac nepotibus repræſentare, vt ad auitam gloriam incitati, etiam aſcendentium, ac lateralium conſanguineorum relationes, atque vincula agnoſcant.

a c. a. & vir extr. de frigid. & maleficc.

b arg l quidam in fi cũ ſeq ff. de probation. l. de tutela C. de in integ reſtitu. a. anno. l. filium C. & hb. eau. c vt c. 1 & 2 q. 4 c. 3. ẽus. cod. tit.

CAP. II.

QVæ inuita contraxit, abſque dubio matrimonium accuſare poteſt, quia, deficiente conſenſu contrahendi, nullum eſſe illud matrimoniũ tacitè declarauit, cuius perfectio ex mutuo contrahentium conſenſu, vt diximus [a], æſtimatur. Quæ verò non inuita, cum viro coniungi paſſa eſt, accuſationi [b] renunciaſſe tacitè videtur, eo, ſcilicet, per carnalem copulam ſponte præſtito conſenſu, qui in [c] nuptijs requiritur, quemque antea præſtare recuſauerat.

a c. j. in prin. ſup. de matr. contr. eon. interd. Eccl. b cap 4 ext. eod. tit c c. ſufficiat 27. q. 1. c ad id extr de ſponſal.

CAP. III.

ADulterij crimen, & pater, & maritus in iudicium licitè deducunt, præfertur vero maritus patri, ſi ſimul accuſauerint, vt, qui fauorabiliere, ac maiore animi affectu, accuſationem proſecuturus videatur: qua de cauſa patri conceſſum fuit iure [a] veteri filiam in adulterio deprehenſam occidere, non autem marito, quia plerumque patrum teneritudo non ſinit, eos ſæuire in proprios liberos, contraque mariti furor, atque impetus eſt reprimendus. Si autem prior maritus accuſet adulterã, tempora non cedere patri, hoc

a hoc in ea ff. ad l. Iul. de adult.

eſt, non currere patri tempus accuſandi, iuris [b] manifeſtiſſimi eſt.

l. 1. §. vlt. ff. ad l. Iul. de adul. c. matrim. ext. de adult.

De diuortijs. Tit. XVI.

CAP. Vnic.

DIFFERT à tori ſeparatione diuortium, quamquam non rarò confunduntur. Si quidem diuortium in matrimonio rectè contracto, ac cõſummato, locum habere non poteſt, ſicut tori ſeparatio, quæ ſit multis de cauſis. Separatur autem vir ab vxore, quo ad tori nuptialis communionem, non, quoad maritale vinculũ, quod, tametſi vxor fidem coniugalem adulterio cõtaminauit, inſeparabile [a] atque indiſſolubile remanet, de cuius firmitate ita ſcribit Auguſtinus [b]: Vſque adeo fœdus illud initum nuptiale cuiuſdam ſacramenti res eſt, vt, nec ipſa ſeparatione, irritum fiat. Neque aliter intelligendum eſt, quod dixit Dominus apud Matthæum [c]: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, &, qui dimiſſam duxerit, adulterat. Et alibi: [d e] Qui dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et Apoſtolus [f]: Vxor à viro non ſeparetur: quòd, ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur. Quæ quidem verba ad prauum ſenſum detorta, materiam dederunt nouatoribus dicendi, poſſe adulteram vxorẽ dimitti, & aliam duci. Quod, ſi verum eſſet, matrimonia Chriſtianorum, neque ſacramenta eſſent, neque rata, hoc eſt indiſſolubilia, nihilque differrẽt à matrimonijs ethnicorum, quod [g] eſt falſum. Itaque, quoniam matrimonium, vt eſt ſacramentum [h], Chriſti coniunctionem cum Eccleſia ſignificat, conſequens eſt, vt, quemadmodum Chriſtus [i] ab Eccleſia nunquam diſiungitur, ita vir [k] ab vxore nunquam ſeparetur. Si igitur contingat, aliquem à marito dimiſſam mulierem, vxorem ducere, nullum eſſe illud matrimonium dicimus, eumque, qui tantum facinus patrare auſus fuerit [l], tanquam hæreticum, puniri mandamus, ſed & ſacerdotem, qui eiuſmodi contubernio ſciens interfuerit, mulctatum viginti quinque aureis, ad pias cauſas applicandis, ad annum ab officio ſuſpendimus.

a c. literis ext. de præſ.

b lib. de bo. coniug. c. 7.

c cap. 5.

d Matth. 19. e Luc. 16. & c. 8. ext. eod. c. placuit 32. q. 7.

f epiſt. 1. ad Cor. c. 7.

g c. 7. §. nã. de ſi ext. eo. h Apoſt. ad Epheſ. 5. c. debitũ ext. de big. nõ ord. i d. c. 5.

k c. omnes 27. q. 2.

l Conc. Trid. c. 7. ſeſſ. 24. de ſacr. matr.

De donationibus inter virum, & vxorem, & de dote poſt diuortium reſtituenda. Tit. XVII.

CAP. I.

QVAMVIS donatio inter virũ, & vxorem iure [a] ciuili requiratur, non, quia alterũ coniugum ab altero aliquid accipere abſurdũ videatur: ſed, quia, cum ſint vna caro, omnia [b] debent habere communia, nihilominus, quia ea donatio nõ repugnat bonis moribus, ſi fuerit iuramento munita, confirmatur virtute iuramenti, cuius auctoritas [c] ſumma eſt, dum ne bonis moribus aduerſetur. Nec refert, an perſona, cui donatum fuerit aliquid, ante [d] donantis mortem obierit: quia, cùm donatio [e] ex iuramento plenum robur, ac firmitatem ſortiatur; licet donatarius præmoriatur, irreuocabilis fit, atque inutilis eſſe non poteſt.

a l. 1. §. 2. & 3 ff. eod.

b Plutar. in præcep. coniugalib.

c c. non eſt obligatorium de reg. iur. in 6

d l. 1. & l. cum hic ſtatus ff. eod.

e arg. l. vers. ſi ff. ad l. Falci Creſcentia cõſ. nos Gabr. lib. 1. concluſ. 3. de donat.

CAP. II.

SI conſtante matrimonio, maritus vxori abſenti, liberiſq. ex communi copula ſuſcipiendis, ſtipulante vxoris patre, coram publico tabellione aliquid donauerit, iuramento donationi adiecto, quoniam pater [a], propter paternum affectum, filiæ ſtipulari, vtilemq. ſaltem acquirere actionem non prohibetur, poteſtq. publicus tabellio [b] vbique locorum pro qualibet perſona, etiam abſente, legitimè ſtipulari, eam donationem valere dicimus, quamuis vxor [c] ante maritum moriatur, tum, quia pater [d], vt dictum eſt, filiæ, & nepotibus poteſt vtiliter ſtipulari, tum, quia, etiam inualidæ donationes iuramento [e] confirmantur.

a l. Caius ff. ſol. matr. l. ſi ita cõueniat ff. d. pact. dotal l. quodcunque 6. ſi quis ita ff. de verb. obligat. praeter C. de pact. conuent. & l. fin. ff. ſimulat. Faber lib. comment. 1. c. 4 & lib. 19. c. 17. dict. & ex l. nõ aliter ff. d. adopt. l. 1. C. conſt. l. 2. ff. rẽ pup. fal. ſore Theſaurus deciſ. 10. c. l. cum hic ſtatus, & alia ff. hoc tit. & l. Caius cum aliis al legatis. c Gui. Pape q. 146. d vt ſupr. e. proxi.

b l. donationes, quas parentes C. hoc tit.

CAP. III.

LIcet iuramentum tantæ ſit efficaciæ, & auctoritatis, vt poſſit confirmare donationes alioquin [a] inutiles, non tamen poteſt ſupplere defectum ſolennitatis, quæ à lege communi [b], ſeu municipali, in omnibus donationibus præſcribitur. Ideo donationem inter virum, & vxorem, cuiuſcumque ſummæ ſit, non inſinuatam, quamuis iurata fuerit, nihil valere pronunciamus.

a vt ſupr. e. proxi.

b l. donationes, quas parentes C. hoc tit.

§. Vnic.

Si autem mulier, quæ donauit, donationẽ poſtea reuocare voluerit, aut viuente, aut defuncto maito, quaſi metu, aut reuerentia [c] mariti non ſponte donauerit, petatque, in integrum reſtitui, eſt exaudienda, etiam ſi donatio fuerit iurata, atque inſinuata. Iuramentum etenim, licet poſſit confirmare donationem,

c ex l. vn. §. quæ autem, vbi Bart. quæritur. adde nõdum.

tionem, quæ alioquin eſſet inutilis, non tamen impedit, quin illa, quæ confirmari non debet, iuris ipſius remedio reſcindatur. Mulier tamen reſtitutionem non petat, priuſquã à nobis, aut à Vicario noſtro, à iuramenti fuerit obligatione abſoluta.

CAP. IV.

a cap. 1. extra hoc tit.

CErtiſſimi a iuris eſt, cum, qui diuortij ſententiam fert, etiam pro dotis reſtitutione pronunciare debere: nam, licet matrimonium fine dote conſiſtere poſſit, non tamen b poteſt eſſe dos ſine matrimonio. Quare, ſi mulieri, dum in poteſtate viri eſt, pars dotis male ſoluta fuerit, (quæ c quidẽ cõſtante matrimonio reſtitui nõ ſolet) eoq. extincto, reliquam partẽ petierit, videtur approbare præcedentes ſolutiones, nec petere poteſt partẽ male ſolutam, quia etiam malefacta ſolutio per ratihabitionem conualeſcit d. Quòd, ſi in integrum reſtitui petat, non audiatur; neque e enim mulier per omnia ſimilis eſt minori, cui, vt reſtituatur, ſufficit, quòd læſerit f ſua facilitate ſe ipſum. Ideo, quamuis, conſtante matrimonio, mulier dotis ſuæ conditionem facere deteriorem non poſſit, poteſt tamen, ſoluto g coniugij vinculo. Conſequenter, quod ei denegatur, eius hæredibus minimè conceditur, cùm hæredis, & defuncti eadem ratio conſtitui ſoleat, præſertim in petitione h reſtitutionis in integrum: quinimmo fauorabilior eſt perſona mulieris, quàm hæredis, cùm muliebris conditionis intuitu plurima dotibus i conceſſa ſint priuilegia, ne, ſcilicet, mulieres cum Reipublicæ k incommodo indotatæ remaneant: quod non militat in hæredibus, dotis conſiderationẽ ceſſante, quoniam, vt diximus, dos l ſine matrimonio eſſe non poteſt.

b l. 1. ff. de iur. dot.

c l. vn. C. de dot. conſtan. matrim. ſol. tollen.

d l. ſolutam ver. ratã ff. de ſolut.

e l. vlt. in princ. ff. ad S. C. Velleia. & l. Præſecti ff. de minor.

f l. Artificium ff. de pact. dotal. l. 1. §. 8. §. generaliter C. de inoffic. teſtam.

g l. non ſolũ ff. de in integr. reſtit. l. Papinianus ff. de acquir. hær.

h vt nec. ad l. 1. C. de priuil. dotis l. alliduus C. § potro. in pr. Inſt. de act. l. vlt. in fi. ff. de tut. & rat. distr. l. accerſ. ff. de reb. aut. iud. poſſid. l. d. l. ff. de in ius voc.

i l. vlt. C. de rei vxor. act.

k l. 1. ff. de dot. prælig.

l l. 1. ff. de act. rer. amot.

CAP. V.

FEre vbique gentium receptum eſt, non celebrari ſine veſtibus nuptialibus nuptias. Quare, ſi vxori veſtes curare promiſerit maritus, certa pecuniæ ſumma ea de cauſa accepta, quandocumque ſolui contingat matrimonium, certum eſt, eam pecuniam eſſe vxori reſtituendam, ſi ei vir veſtes nõ præſtiterit: ſi autem præſtiterit, fuerintque ab vxore attritæ tempore matrimonij, hæredes mariti ad reddendum veſtium pretium compellendi ſunt, quaſi conſumptæ præſumantur in vtilitatem ipſius mariti, qui a, quoniam mulier libera melioris conditionis eſt, quàm liberta, vxori victum, ac veſtitum debet, ſicut ipſa vxorias operas debet marito. Nec obſtat, quòd alias veſtes ad quotidianum vſum à viro habuerit, cùm veſtes nuptiales in vxoris lucrum cedere debeant, nec præſumãtur, durante matrimonio, ſed, vt eo ſoluto, quaſi pars dotis, cum dote ipſa abſque controuerſia reſtituantur. Si verò non fuerint conſumptæ veſtes, mulier eas retinebit, nec petet earum æſtimationem, accepta, ſcilicet, ſatisfactione in ipſis ſpeciebus, quæ ſibi debebantur.

a de quæ re l. hæredes ff. de oper. lib.

CAP. VI.

QVod de dotis reſtitutione diximus, de dotis augmento item pronunciamus: ſed, ſi dos conſtituta non fuerit, quamuis conſtet, maritum bona vxoris, durante matrimonio, adminiſtraſſe, non tamen a adſit vlla ex circumſtantijs, quæ, dotem non conſtitutam pro conſtituta haberi poſſe, faciant, nullum mulieri dotis augmẽtum adiudicari dicimus, quod pro dote conſtituta deberetur; cum non habeat locum dotis augmentum, vbi nulla apparet dos, quemadmodum b conſiderari nequit acceſſorium, vbi non eſt principale.

a d quæ Bar. in quæſtione quæ incipit Mulier habens amplã patrimoniã.

b l. eſt principalis ff. de reg. iur l. inter ſocerũ §. 1. ff. de pact. dotz.

CAP. VII.

SOluto ex iuſta cauſa matrimonio, ſi marito facta fuerit incerta dotis promiſsio, quid reſtituendum ſit dubitatur, cum in cauſis, ac perſonis omnibus incertam promiſsionem nihil valere certum ſit, adeo vt incertitudo a etiam legata, ac ſtipulationes vitiet, nec fauore b dotis aliter obſeruatum in iure reperiatur. Plurimum autem referre cenſemus, an dos ſit promiſſa à patre, aut ab extraneo, aut ab ipſa muliere, contra opinionem eorum c, qui promittentium perſonas non diſtinguunt. Nam, ſi extraneus, aut vxor dotem promiſerit, parum quidem ex incerta promiſsione exigi poterit ab ijs, qui d dotem dare minime tenentur, minima enim ſumma ſoluta ab omni obligatione liberi remanebunt: ſed pater, quoniam e filiam dotare tenetur, ad congruam f dotem præſtandam cogi poteſt, non, quia dotem promiſerit incertam: ſed, quia, etiam ſi nullam promiſiſſet, facere non poterat, quin aliquam filiæ dotem aſſignaret. Soluto igitur matrimonio, pater, aut eius hæredes pro paternis facultatibus dotem congruam repræſentabunt, ne g cum Reipublicæ incommodo mulier indotata remaneat.

a l. cum poſt §. generaliter ff. de iur. dot. b l. 1. C. de dotis promiſſ.

c ad d. l. a

d Bal. ad d. l. 1. Hermann. lib. 4. c. 8. Papin. lib. 1. Notar. c. 4. de contract. de matrim. el. vlt. C. de dotis promiſſ. l. capite ff. de rit. nup.

e l. 1. ff. Sol. matr. vbi gl. & Doct. Arift. Lib. 2. Polit. c. 7. Plutarc. in Apophteg. de Lycurg.

*

De ſecundis nuptijs. Tit. XVIII.

CAP. I.

ETſi Chriſtiana lege non prohibetur mulier, quin, defuncto priore viro, iterũ [a] nubat, non tamen dicendum eſt, Eccleſiaſticum legislatorẽ hortari viduas (vt quidam arbitrantur) ad ſecũdas nuptias, cum apud [b] omnes gentes laude dignissima viſa ſit ea fœmina, quæ vnico matrimonio contenta fuit: quodque de turturibus [c] ratione carentibus tradunt ſcriptores, quòd, ſcilicet, amiſſo ſocio, à carnali copula perpetuò abſtineãt, viduas ratione præditas à ſecundis nuptijs quodammodo deterrere videtur. Quare, licet pœnæ [d] iure ciuili decretæ aduerſus mulieres intra annũ luctus nubentes iure canonico remittantur, quia odioſæ [e] viſæ ſunt, & odia [f] ſunt reſtringenda, nihilominus viduarum connubia hinc nõ probari conſtat, quod tranſeuntes ad ſecunda vota non benedicuntur [g], & bigamis prioribus clericalium vſus interdicitur, neque ad [h] ſacros ordines promoueri permittuntur; ſed, vt, ſecũdum mentem ſummorum Pontificum, omnis [i] peccandi occaſio ſubtrahatur, declinenturq. ſtupra, adulteria, aliaq. carnalia flagitia, non fuerunt damnatæ ſecundæ nuptiæ. Verùm, quoniam, vt diximus, intrà annum luctus ob prolis ambiguitatem iure ciuili improbantur, rectè fecerit vidua prægnans, quæ ad ſecundum matrimonium non conuolauerit ſaltem, quamdiu cognoſci poſſit, ex quo marito ſit infans, quem geſtat in vtero, ex priore, ſcilicet, an ex poſteriore, ne ſcandala, aut lites, inde emergãt. Vidua [k] verò, ſiue ſciat, ſiue neſciat, ſe prægnantem, impune poteſt iterum nubere, ita tamen, vt, ſi feſtinanter id fecerit, inde prolis incertitudo nequaquam oriatur: proinde viro mortuo, matrimonium ſtatim celebrari non prohibetur: commiſtio tamen corporum differatur, donec mulier, an prægnans ſit, nec ne, plenè cognoſcat.

a Apoſt. epiſt. 1. ad Cor. 7. c. pen. Aquin. de vit. ext. cond.

b Val. Max. lib. 2. c. 1. de nupt.

c Cæſ. lib. 3. epiſt. 33.

d l. liberorũ 3. 2. ff. d. his, qui not. infa. l. conſenſus. 8. vero C. de repud. l. 2. C. hoc tit. e l. pen. ff. de pœn. l. cum quidã ff. de hb & poſth. l. hoc modo in 6. ff. d cõd. & demon. f d. l. penult. g C. 2. 3. 4 & vlt. ext. d bigam. c. hac ratione 30. q. 1. h c. irrefragabili ext. & vid. ord. c. 1. & ſeq. d. 28.

i Aug. de Bono viduit. c. 11.

CAP. II.

QVandoquidem ſolennitates [a] in nuptijs adhiberi ſolitæ, continua, ſcilicet, publicationes, ſacerdotum benedictiones, ſponſarum in ſponſorum domos pompoſq; deductiones, choreæ, aliaq. lætitiæ ſigna temporibus ieiunij, ac pœnitentiæ conſecratis, minimè conueniunt, & vetere iure, & ſacri Tridentini Concilij decreto interdicuntur nuptiæ ab Aduentu Domini, vſque ad diem Epiphaniç, & à feria quarta cinerum, vſque ad octauam Paſcharis, quod ad vnguem in noſtra quoque dioeceſi obſeruari, mandamus.

a vt in ſum. & can. oportet 33. q. 4. c. nuptiæ? vbi gloſ. in verb. Quicunque ext. & ſe tuit. Cõc. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 10. l. vlt. ff. d donat. inter. vir. & vx. l. cõ foeria ff. de condit. & demonſtr.

CAP. III.

CVm primas nuptias à Domino tantùm inſtituras fuiſſe rectè dixerit B. Ambroſius [a], ſecundas verò permiſſas, primaſq. ſub Dei benedictione ſublimiter celebrari, ſecundas autem, etiam in præſenti carere gloria; mandamus omnibus, & ſingulis parochis, ne ſecundas benedicant nuptias, quamuis alter contrahentium benedictus non fuerit. Qui aliter fecerit, ab officio [b], ac beneficio ſuſpendatur.

a ad epiſt. Apoſt. 1. Corinth. c. 29. 7. Mag. ſent. 4. d. 40. in fi.

b c. 1. & 3. ext. hoc tit.

CAP. IV.

HAeſitant iuris interpretes [a], an ius Põtificium [b] deroget omnibus ciuilibus conſtitutionibus, quæ viduas intra annum luctus nubere iterum prohibent, aut pœnalibus tantùm, inter quas eſt, vt mulier [c] fiat infamis, aut etiam extendatur ad eas, quæ liberorum prioris matrimonij fauorem reſpiciũt. Nos, eas pœnas remanere dicimus, quæ fauore liberorum potiùs, quàm odio ſecundarum nuptiarum irrogantur, ne irritum ſit, quod ait [d] Apoſtolus, licere, ſcilicet, mulieri prioris viri lege ſolutæ in Domino nubere quandocumque.

a Bal. ad l. 1 C. hoc tit. col. 1. b c. pen. & vlt. ext. hoc tit.

c vt ſup. c. 1

d 1. Cor. 7.

CAP. V.

QVoniam proprietas lucri nuptialis ſolo [a] ſecundarum nuptiarum contractu amittitur, ſi dubium ſit, an ex matrimonio per verba de præſenti celebrato, non tamen conſummato, ſequatur huiuſmodi proprietatis amiſsio, cum [b] non concubitus, ſed conſenſus, nuptias faciat, dicimus, eam proprietatem ex conſenſu minime amitti, niſi iuxta ſacri [c] Tridentini Concilij decretum coram parocho, ac teſtibus præſtitus ſit. Sed [d], accedente ad conſenſum concubitu, quoniam [e] præſumitur, matrimonium fuiſſe conſummatum, nec per [f] mulierem ſteriliſſe, quin conſummaretur, quamuis corporum commixtio facta non fuiſſet, proprietatem amitti, certum eſt.

a hoc edicali. §. his ſi. Inſt. C. hoc tit.

b l. nuptias ff. de reg. iur. l. cui laſc. ff. cond. & demonſtr.

c c. 1. ſeſſ. 24 de reform. matrim. de quo & ſup. c. 1. & clandeſp. d arg Auth. eoſdem pœnis. C. hoc tit. e arg. l. mulierem cum ſeq. ff. de ritu nupt. f Bocr. q. 12. nu. 36.

CAP. VI.

QVæ verò conſideratione prioris mariti mulieri ad ſecũda vota tranſeunti donata fuerunt, nequaquam amitti, ex ipſis ciuilibus legibus in odium ſecũdarum nuptiarum promulgatis, elicitur. Quæ [a] quidem leges, cùm de dote, ac donatione propter nuptias, quid fieri velint, ſatis ſtatuerint, alia lucra nuptialia non damnauerunt, ideoque [b] reſtringendæ, quoniam odioſæ ſunt, nec habent locum [c], vbi agatur de rebus donatis mulieri iterum nubenti in gratiam prioris viri.

a de quibus in l. 1. & per tot. C. hoc tit. b ſup. cap. 1. hoc tit. c Rom. cõſ. 401. per tot. l. ſed & ſi plures §. an arrogato ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. ſed, & quid ff. de vſur.

CAP.

CAP. VII.

CVm pœnæ in odium ſecundarũ nuptiarum ſtatutæ, vel mortuorũ [a] coniugum, vel ſuperſtitum liberorum fauorem reſpiciãt, poſſitq. [b] vnuſquiſque iuri proprio renunciare, ſi conſtet, priorem virum futuras ſecundas nuptias vxoris ſuæ animo concepiſſe, neque, vt fierent, prohibuiſſe, aut eius liberos fieri eas conſenſiſſe, certum eſt, mulierem iterum nubentem nulli pœnæ eſſe obnoxiam.

a Auth de nuptijs, quæ eſt Nouel. 22

b l. fi ludex ff. d minor. l. penult C. de pactis.

CAP. VIII.

QVi ad ſecunda vota tranſierit, cuiuſcũque ſexus ſit, ſecundo coniugi plus relinquere non poteſt, quàm reliquerit vni ex liberis prioris matrimonij, cui [a] minus reliquit. Sed, ſi alicui liberorum minus reliquerit, quàm ſit eius legitima coniugis portio, ad eam quantitatem reducenda eſt, quæ minor non [b] ſit filij legitima, cuius [c] portio minor legitima eſſe non debet, ac, ſi minor relicta ſit, ad legitimæ [d] rationem ſuppleri debet.

a l. hac edictali C. hoc tit.
b d.l. hac edictali verſ. ita tamen, vt quarta para.
c l. cũ quæritur l. parẽtibus, & paſſ. C. de inoffic. teſtam.
d l. omni modo C. eo. tit.

CAP. IX.

FIlio autem prioris matrimonij, qui parẽtis bigami immoderatam liberalitatem fuiſſe queratur, petatq. [a] eam ad modum legibus præſcriptũ temperari, incumbit [b] proculdubio onus probandi, vt, qui fundatam intentionẽ minimè habere videatur, actorq. ſit, in eo, quòd contra legem donatum fuiſſe contendit. Debet [c] enim quiſque intentionis ſuæ fundamentum probare.

a ſuprà d. l. hac edictali C. hoc tit.
b l. cũ donationibus, & doab. ſeqq. C. de inoffic. donat.
c l. 4. & vlt. C. de edend. l. 2. ff. de probation.

CAP. X.

QVamuis mulier per ſecundas nuptias bonorum à defuncto marito acceptorum proprietatem amiſiſſe intelligatur, attamen, ſicut [a] non amittitur vſusfructus, ita nec amittitur poſſeſſio, quam ſaltem vtendi fruendi gratia remanere opus eſt apud vſufructuarium, qui [b] dicitur naturaliter poſſidere, cum nihil commune habeat iactura proprietatis cum iactura poſſeſſionis, ſicut [c], nec ipſa proprietas cum poſſeſſione. Quare prioris matrimonij liberi, ſi poſſeſſionem propria auctoritate occupauerint, teneantur interdicto recuperandæ poſſeſſionis, quoniam ſibi [d] ipſis ius dicere auſi ſint, nec non, & conditione [e] iure canonico definita, quamuis proprietati nullum damnum intulerint, nãque, cùm ſibimet ius dicendo [f], poſſeſſioni vim fecerint, iure, quod in proprietate habuerint, priuandi ſunt: quod quidem non amittit, niſi [g] qui rem, etiam propriam, à quocumque poſſideatur, abſque iudicis auctoritate violenter inuadit.

a l. fundum l. generaliter Auth. ex teſtamento, & alibi C. eod. tit.
b l. naturaliter ff. de acquir poſſ. c d.l. naturaliter §. nihil cõmune.
d l. 1. ff quorum legatorum l. diuiſione ff. ſolut. matrim. e c. redimendã 32. q. 2
f l. eſtote ff. de eo, quod met. cauſa.
g l. ſiquis in tantam C. vnde vi.

Finis Libri Quarti.

Digitized by Google

ACTA TARANTASIENSIS ECCLESIAE

AB ANASTASIO GERMONIO

Archiepiſcopo, & Comite Tarantaſienſe in Diœceſana Synodo Muſterij habita,

iij. Nonas Maij anno Sal. MDCIX. promulgata.

LIBER QVINTVS.

De accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus.

Tit. I.

CAP. I.

a l.1. Clar. §. huc. 14. n. 1. vers. hinc etiam dicas.

SI leuioris criminis accuſatus, etiam grauio. ris accuſetur, de minori non condemnetur, donec de maiori plene cognitũ ſit, vt [a] vtraque accuſatio eodem iudicio finiatur, ne, qui forſitan ab officio deponẽdus, aut beneficio priuandus, aut ſeuẽriùs omnino puniendus fuerit, ſola ſuſpẽſione, aut alia mitiore ſententia, meritã exactociore delicto pœnam effugiat, vnde magnorum criminum impunitatem ex paruis oriri ſequatur: quod valde abſurdum eſſet, ratione, ac lege ſuadente, vt pro [b] delictorum qualitate delinquentes puniantur.

b l. cum reis C. de pœn. Iul. C. de nu. te. ver. Tertium eſt caſus.

CAP. II.

SI ab vnico teſte, quamquàm omni exceptione maiore, cõtra accuſatum deponatur, (quoniam [a] teſtimonijũ vnius videtur eſſe teſtimonium nullius) reus neque cõdemnari, neque abſolui debet, cum per aliũ teſtem aliquãdo ſuppleri poſſit, quod ex anterioris depoſitionis defectu probationi defuit. Verùm, ſi alio modo cauere nõ poterit, præſtita iuratoria cautione, quòd ſe repræſentabit, iudicioq. ſiſtet, quãdocumque ad plenam criminis probationem à iudice vocatus fuerit, dimittatur: ſed [b], quia etiam ex vnius teſtis indicio torqueri potuit, ab expenſis nequaquam abſoluatur.

a arg. l. vbi numerus ff. de teſtibus.

b Iul. Clar. §. huc. 3. n. 2. vers. Vnus teſtis.

CAP. III.

CRiminis abſolutũ, ſeu leuiùs, quàm meruerat, condemnatũ, neque apud eundem iudicẽ primæ inſtantiæ, neque apud iudicem noſtrum appellationũ eiuſdem [a] criminis accuſari amplius permittimus, non ſolũ à procuratore fiſci (cui [b] exceptionẽ rei indicatæ obſtare, pronũciamus) ſed nec ab alio, qui priuatam iniuriã proſequi intendat, etiam ſi auditus non fuerit; nam, licet [c] nemini noceat inter alios lata ſententia, attamen, vindictæ proſecutionem, ſicut in fiſco, eiuſ. è minoribus probamus, ita in priuatis actoribus nullatenus toleramus, niſi quantũ eorum intereſſit, irrogatã fortaſſe in ſententia pecuniaria pœnã perſolui: quo caſu [d], re iudicata non obſtãte, proſequendi actionẽ, apud priuatũ actorẽ remanere non abnuimus. Itaque ſemel cõdemnatum, ex eo ſolum, quòd mitius, quam debuerat, condemnatus fuerit, accuſari non poſſe, dicimus: ſed, ſi noui delicti poſtuletur, non prohibetur iudex, quin poſteriori iudicio ſuppleat, quod priori defuit, ac [e] multo magis, ſi aliàs reus fuerit eiuſdem culpæ conuictus. Neque enim abſurdum videtur, vbi creſcit peccandi audacia, augeri & mulctam, grauitatque animaduerti in eum, quem mitioris iudicij beneficio abuti, manifeſtum eſt.

a l. 1. Senatus conſulti, vbi gl. hoc tit. C. & c. ex eo tit. b Iul. Clar. §. fin. n. 8. & excep. rei iud. dic.

c l. 1. §. de excep. rei iudic. l. 6. cui nocet §. ult. eod. tit. Iul. Clar. §. fin. n. 10. & 11.

d d. §. vltim. crimin.

e Pap. in Synagog. li. 19. tit. 8. de la force. & autor. ordes ingenés §. 10

CAP. IV.

AD iudicem pertinet delicta ſedulò inueſtigare, vtque ſibi [a] commiſſum territorium prauis hominibus purgetur, quàm diligentiſſime curare. Quod, vt recto iuris ordine fiat, duo præſertim obſeruanda ſunt: alterum, ne contra accuſatos inquiratur, niſi ſint [b] diffamati, aut [c] præſentes, & taceant, ſtante iuris axiomate, criminis exceptionem

a l. 3. de off. Præt.

b c. 19. & al §. 1. & 2. hoc tit.

c c. vlt. eod. tit. n. 6.

non

non admitti, niſi [d] contra diffamatos, etiam in beneficialibus: alterum, quòd iudex de infamia certior factus, dum facti veritatem inueſtigat, libello inquiſitorio, (quem proceſſum vocant) non ſolùm, quæ contra reum, ſed & quæ pro reo afferuntur, integra fide inferi curet. Quo facto, ſi, ex teſtium dictis patratum fuiſſe delictum conſtiterit, reus, niſi citatus [e], nequaquam condemnetur, ſed fiat ei poteſtas, quantùm iure permittitur, cauſam ſuam defendendi, obiectaq. ſibi crimina diluendi, vt, ſi in iudicio ſuccubuerit, in ſeipſum, non in iudicem, culpam conferat, tutiùſque pro delicti qualitate puniatur.

d c. 21 ext. eod tit.

e arg. c. 18. Gener. c. 16. Luca e Deus c. manifeſta cap quæ Lothar 2. q. 1. c. 24 ext. eodem tit.

CAP. V.

INquirentem de crimine, vt diximus [a], tam ea, quæ pro reo, quàm ea, quæ contra reum faciunt, in acta redigere oportet, non modo poſtulante, ſed, etiam tacente reo: verùm, productis teſtium dictis, ſi iudex reum in ius vocari, atq. in cuſtodiam tradi, iubeat, petatq. vocatus, facti veritatem diligentiùs inquiri, non eſt audiendus, priùs enim obtemperandum [b] eſt legibus, quarum auctoritate id iudex mandat, deinde cogitandum de rei innocentia, cum propter publici [c] iudicij dignitatem, tum, vt obuiam eatur teſtium ſubornationi, qui, niſi reo in carcere conſtituto, audiendi non ſunt, aliàs tota [d] criminalis praxis corruat, neceſſe eſt.

a vt ſupra cap prox.

b l. ſi quis ex aliena ff. de iudicijs. c l. ſi ſeruo §. eſt Prætor ff ad S. C. Trebell.

d Iul. Clar. in pract. crim. q. 14. n. 22 verſ. alias enim.

CAP. VI.

LIcet inter atrociora facinora nonnulla ſint, quorum auctores, etiam poſt mortem, accuſari, ac condemnari debere maiores noſtri cenſuerunt, vt hæreſis [a], ſimonia, læſæ maieſtatis, repetundarum, peculatus crimina, ſui ipſius homicidium, & huiuſmodi attamen, quia ſolent pœnæ [b] cum delictis morte finiri, nec debet hæres culpæ alienæ pœnam luere, niſi [c], quantùm viuente accuſato, iudicium publicum de eius delicto inſtitutum, & definitum ſit, id permittendum putamus, quatenus querelam deferat certus, bonæque exiſtimationis accuſator, qui nulla infamiæ [d] nota aſperſus, alia de cauſa ab accuſatione repelli nequeat, accuſationiſq. libello [e] nomen ſuum inſcribat.

a l. vlt. ff. ad l. Iul. de ſ dulter. l. ex iudicijs ff. hoc tit. l. 2. l. ad l Iul. repetund c. ſi Dominus c. tanta ext. de ſimonia. cap. ſacerdotes c. omes 2. q. 7. c. ſane 25 q 3 § 8 quæ quam C. de Epiſc. & cler late Clar in §. hæreſin. 21. & in § læſæ maieſtatis nu. 16. & in exact. crim q. 21. nu 11. & 12. b l. ſi pœna ff de pœnis. c d. l. ex iudicijs & l. definctus ff. de publ. iudic. l. 2. C. ſi reus, vel accuſat mort. fuer. Clar d. quæſt. 51.

d Clar. in pract. crim. q. 24 per totam. & q 25. n 16. ext. hoc tit. l. ſi eum crimé ff. hoc tit. l nè priùs C. de calumniat.

De calumniatoribus. Tit. II.

CAP. I.

CALVMNIATOR hoſtis eſt veritatis, honori hominum inſidiatur, leges eludit, publico commodo inſultat, ac denique humano generi infenſus, bonorum ruinàm machinatur. Huic peſti, vt occurrerent, non minus profani, quàm ſacri legiſlatores, talionis, aliarumq. pœnarum efficacia remedia adhibuerunt, vtq. ex hominum ſocietate omnino exterminaretur, illam validiſſimis edictis inſectati ſunt. Reprimenda eſt igitur calumniatoris licentia, non ſolùm, quia publicæ diſciplinæ [a] dignitas delicta impunita eſſe non patitur, ſed etiam, quia pernicioſiſſimus in republica calumniator, niſi coerceatur, ex nefario [b] nequiſſimus euadit. Proinde, qui in criminum [c] probatione defecerit, neque ob publicum bonum accuſet, ſed, vt per [d] dolum, & mendacium, alienæ famæ probrum inijciat, tamquam calumniator, pœna [e] accuſato irroganda, quæ talionis nuncupatur, ſi deliquiſſe probetur, multandus eſt [f], infamiaq. notandus. Eximitur autem à calumnia, qui probabilem accuſandi cauſam habuerit, licet plenas non attulerit probationes, dum animo calumniandi non accuſauerit. Verè enim calumniator dicitur, qui ſciens, ac prudens, innocentem diffamat, vel, ſi neſcit, ſcire negligit, vtrum innocens ſit, quem accuſat, nec ne. Fama [g] item, ac fide dignorum hominum voces, aliaque veriſimilia indicia accuſatorem à præſumpta calumnia ſatis excuſant.

a l. ſi crimio §. quod illicite ff. de public. & vectig. c. eſt inſulta 23. q. 4. b c. vt famæ tuæ ext. de ſent excommunic.

c c. calumniat. 2. q. 3. d c. 2. extra hoc tit.

e l. vlt. l. nõ priùs in fine, & paſſim C. de calumn. c. 15. ext. de accuſationib. f l. penul. ff. hoc tit l. noſtris l. vlt. C. eodé l. ſane quidam in fin. ff. de extraord. crimin & l. penult. ff. hoc titul.

g Clar. in. pract. crim. q. 2. num. 8

CAP. II.

NEc refert, clandeſtina, an publica ſit calumnia, etenim aliquando magis [a] excuſatur, qui publicè, quàm, qui ſecretò, peccat. Qui igitur crimen clàm detulerit, vt delinquens publicè corrigatur, ſi calumniæ cõuictus fuerit, condemnandus eſt, quantùm rei intereſt, ac ſi palàm, & publicè, nullaque facta proteſtatione accuſaſſet. Si verò, nihil per calumniam eum feciſſe probetur, ſed legitimè accuſaſſe ex iudicij euentu conſtet, ad litis expenſas repræſentandas, niſi pro denunciatore accuſator haberi velit, minimè cogi ratio poſtulat.

a l. vlt. ff. de rit. nupt.

§. vnic.

Hodie, ſi deſit accuſator, fiſcus priuatæ perſonæ officium implet: ſed, quamquam procurator fiſcalis ad expenſas ex inſtigatione emergentes, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè factas, teneri minime videtur, attamen, ſi, eum per dolum, ac calumniam, litem proſecutum fuiſſe ex iudicij euentu manifeſtum ſit; quantùm omnino rei intereſt, condemnandum [b] eſſe doctorum auctoritate ſuademur, ac condemnamus.

b Clar. in. pract crim. q. 10 n. 5 & q 50 num. 6, in fin.

CAP. III.

PRocurator fiſcalis, quoniam inſtigatorem nominare non tenetur, antequam ex iudicij euentu palàm ſit, calumniolam fuiſſe accuſationem, ſecretum inſtigatorem non

audiat, niſi, aut per publicam [a] ſcripturam, aut per chirographum ipſius manu ſubſcriptum, veram eſſe accuſationem cognouerit, hocq. etiam ſi inſtigatorem nominari, ſibiq. indicari, reus minimè peticrit. Nàm, ſi petierit, & iuſtam, veramq. eſſe accuſationem apparuerit, inſtigatori repræſentare debebit expenſas ab eo factas, quamuis non neceſſarias, dum vtiles fuerint, non tamen ſuperfluæ, cùm nemo [b] ſuperfluis ſumptibus onerandus ſit. Si verò ſemper egerit reus, quaſi cum ſolo accuſatore publico ſibi res fuerit, nec de inſtigatoris calumnia conqueſtus ſit, ſiue ignoret, ſiue diſſimulet, adeſſe inſtigatorem, ſumptus repetere non poteſt inſtigator, niſi, quos ab alio, qui inſtigator non fuiſſet, fieri oportuiſſet ad inſtruendam litem.

a Lod. pilo C. hoc tit.

b l. in fundo ff. de rei vendicat. l. 6 ſet uus ff. de pignor act l. 1. ff. vt leg. ſeu fideicommiſſ. non cauet.

De ſimonia, &, ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, aut promittatur. Tit. III.

CAP. I.

SIMONIÆ crimen, quale ſit, hinc vtiq. intelligitur, quòd [a] ſeruus contra dominum à teſtimonio non repellitur, licet iure [b] ciuili, niſi ex magna cauſa, ſeruus in iudicio aduerſus dominum non admittatur: admittitur [c] & meretrix, & infamis quicumq. [d], dum catholicus ſit, ac zelo [e] iuſtitiæ extra calumniæ ſuſpicionem ad accuſandum moueri videatur. Simoniacus verò, cuiuſcumq. conditionis, ac dignitatis ſit, abſque alia declaratione ipſo iure [f] excommunicatus, atque bonis omnibus adeo inuiſus eſt, vt pœnam contra [g] ſimoniacos canonico iure conſtitutam, non ſolùm in reali, ac conuentionali, ſed & in mentali ſimonia, quamuis ex actu [h] exteriore non manifeſta, ſint, qui eam locum habere putent. Sed nos mentalis ſimoniæ peccatum Deo reſeruari, nullique terreni fori pœnæ obnoxium eſſe, cum tota ferè ſchola ſentimus. Quod quidem flagitium, cùm noſtræ Prouinciæ familiare eſſe, ac paſſim paruifieri, non ſine animi moleſtia acceperimus, quaſi bona eccleſiaſtica vænalia ſint, poſſintq. in familias, ac perſonas quaſcumq. ex libidine, atque arbitrio pretium offerentis, ac ſi eſſent profana; tranſmitti; nos, tæterrimam [i] peſtem morborum omnium peſſimam, adeoq. deteſtabilem, vt eius [k] comparatione alia crimina ferè nihili facienda ſint, è noſtra iuriſdictione exturbare, animarumq. pericula, quantùm diuino auxilio poſſumus, antecuertere cupientes, non ſolùm letali ſimoniæ veneno infectos, ſed turpiſſimæ etiam ſimoniacæ nundinationis internuncios, conciliatores, proxenetas, ac quouis modo participes, excommunicationis [l] vinculo ipſo iure ligatos eſſe, pronunciamus, à quo, niſi à Romano Pontifice, abſolui non poſſint. Beneficium inſuper ſimoniacè impetratum, nulla præuia monitione, aut iuris ſolemnitate, vacare, impetrantem verò, ſeu impetranti fauentem, præter alias legales pœnas, quibus exponitur, etiam factum incapacem ad alia beneficia ampliùs conſequenda eſſe, declaramus.

a c.e. extra eod. tit.

b l. vlt. cen ſes ff. de iure cir.

c d. cap. 7. d c. 3. ext. eod.

d cap. 12. §. hæc omnia, ext. eod. tit.

e cap. 12. §. hæc omnia, ext. eod. tit.

f Extrauag. cõm. hoc tit. ſed non videtur eſſe in vſu, vt teſtatur Fabian. verb. Simonia §. 75. g. 3. & de iuſtitia, & iure lib. 3. q. 8. h & eſt cõmunis. Ad h. ad c. mandato eodẽ tit. Silueſt. verb. Simonia §. 20. Cajet. verb. Simonia c. 2. Tolet. lib. 5. cap. 93.

i c.e. extr. eod. tit.

k c. vlt. c. 9 7 c. 7. eod. tit.

l d. Extrauag. comm. incip. cum deteſtabile.

CAP. II.

VBicumq. hæreditariæ ſucceſſionis vmbra appareat, acceſſus, ac regreſſus omnes ad quæcumq. beneficia eccleſiaſtica (etiam conſentientibus ijs, quorum id maximè interſit) tamquam ſacris [a] legibus diffamatos, ſanctorumq. Patrum decretis contrarios, cum ſancta [b] Tridentina Synodo reijcimus, atque omnino damnamus. Præterea, cum Romani Pontifices, Pius Quartus, ac Pius Quintus fiduciarias beneficiorum eccleſiaſticorum negotiationes (quæ confidentiales vulgò appellantur) lege [c] lata, expreſſe vetuerint, nempe, quia bona ſpiritualia, vt profana, pro cuiuſcumq. libidine ab vna perſona ad aliam transferri, immò, vt fideicommiſſaria, in diuerſis perſonis conſiſtere non licet; nos eiuſmodi confidentiales contractus, qui mercaturam ſapiunt, nec ſine ſimoniaco ſcelere perfici poſſunt, itidem à noſtra iuriſdictione exulare volumus adeo, vt, quandocumq. contra hoc noſtrum decretum aliquid ad talem confidentiam pertinens committi contingat, beneficiũ ſic collatum vacare, ac delinquentes communione fidelium priuatos eſſe, ad fructuumq. perceptorum integram reſtitutionem teneri, declaramus.

a c. Apoſtolica 8. q. 1. c. ex craſſitudine cap. ad eccleſias extra de hi. presbyt. cap. cũ ante extra de iur. patr. c. ad hæc extra de decim. b ſeſſ. 25. de reform. c. 9. c quarũ altera eſt tom. altera 90.

§. 1.

Fiduciariæ negotiationis crimen (quam cõfidentiam vocant) tunc exploratum eſſe cenſetur, cum ille, qui beneficium obtinuit, fructus beneficij, vel fructuum partem, ad vtilitatem, commodum, ac voluntatem reſignantis, aut cedentis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, relinquit, cedit, remittit, vel cui reſignans, etiam per alium, penſionem beneficiariam verbis, aut ſcriptis, finit repræſentari. Quod & in patrono, vel electore, vel quoquomodo ius habente, locum ſibi vendicare non eſt dubitandum.

§. 2.

Neque criminis huius ſuſpicione, neque pœna [d] eximitur, qui, poſtquam reſignauerit beneficium [e], fueritq. publicata reſignatio,

d ſupra hoc eod. cap. in fin. princ. e de qua c. 3 ſup. de renunciat.

tio, vel ceſsio, captaque à ſucceſſore beneficij poſſeſſio, ſeſe illi, rebuſq. illius per ſe, vel per alium actu miſcuerit, aut fructus percepерit, aut cum ſucceſſor præceſſori, aut propinquis eius, fructus, aut partē fructū remiſerit.

§. 3.

Confidentiæ non minimam ſuſpicionem præbet, quòd admiſſus ad beneficium dimittentem, vel eius propinquos, ad percipiendos, colligendos, vel locandos fructus dimiſsi beneficij procuratores conſtituerit, illoſque eidem, vel ijſdem donauerit. Ex alijs quoq. ſignis, & coniecturis, de quibus eadem Pij Quinti conſtitutio loquitur, confidentiales contractus dignoſcuntur.

§. 4.

Infamis legitimè teſtificari poteſt ſuper confidentiæ crimine, ſicut [f] & ſuper ſimonia, ſiue notatus ſit infamia facti, quæ ex ſolo delicto, ſiue infamia iuris, quę ex [g] ſententia prouenit, atque [h] à dicendo teſtimonio repellit.

§. 5.

Sicut teſtes ſingulares, quamuis mille ſint, fidem non faciunt in iudicio, pluſquam vnus faceret (quoniam [i] deficit numerus iure præſcriptus ad [k] probandum) ita nec in cauſa criminali, hoc eſt [l] maiore quacumque pecuniaria, duæ, vel tres præſumptiones, aut coniecturæ, aut indicia, niſi teſtium auctoritate fulciantur, faciunt [m] plenam probationem ita, vt de crimine ferri ſententia queat: ſed in cauſa ſimoniæ, ac confidentiæ præſumptiones, & coniecturæ per vnicum teſtem probatæ, non ſolùm ſemiplenam, ſed & plenam [n] probationem faciunt adeo, vt reus legitimè condemnari poſſit.

CAP. III.

NEque antiqua eccleſiæ noſtræ conſtitutione, neq. immemorabili conſuetudine contractum ſimoniacum valere, aut adeo iuuari, volumus, vt, quod reclamantibus legibus, præſertim ſacri [a] Tridentini Concilij, ac ſuadente auaritia, in perditorum hominum mores miſerabiliter irrepſit, id vim, atq. auctoritatem legis vnquam obtineat. Itaque; ne pro electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, aliaue quacumq. prouiſione, ſeu admiſſione, ad poſſeſſionem cuiuſcumq. beneficij eccleſiaſtici, vel dignitatis, vel præbendæ, vel canonicatus, etiam ipſius Archiepiſcopatus noſtræ metropolitanæ eccleſiæ; aliquid minimum ſoluatur, aut promittatur, promiſſumue repræſentetur, ſub interminatione diuinæ vindictæ interdicimus, atque prohibemus. Cenas inſuper, prandia, iocalia, vt aiunt, quæ potiùs abuſus, & corruptelæ ſunt, quàm benevolentiæ ſignificationes, reipublicæ ſpirituali non paruum afferunt detrimentum, nec peti permittimus. Accipi [b] tamen poſſint, quæcumq. ſponte, & ex mera fidelium liberalitate eccleſiæ miniſtris, aut ipſi eccleſiæ, dari, aut quandocumque offerri, contingat. Quicumq. autem hanc noſtram conſtitutionem auſus fuerit temere violare, vt ſimoniæ [c] reus habeatur, ac iuxta canonicas ſanctiones puniatur.

§. vnic.

Quæ verò ex noſtræ eccleſiæ conſtitutionibus, aut antiqua conſuetudine ad diuinum cultum, ornamentumq. eccleſiarum, vt pluuialia, ſeu cappas, aliaſue ſacras veſtes, ac ſupellectilia, dari ſolent extra omne pactum, neutiquam recuſanda eſſe, definimus, immò laudabile, piumq. huiuſmodi inſtitutum obſeruari cupimus, atque mandamus.

CAP. IV.

DEcorum ſanè, Chriſtianæq. pietati aprimè conſonum eſſet, eccleſiarum rectores, ac ſpirituales miniſtros, pro exequijs mortuorum, pro nubentium benedictione, ac pro ſacramentorum adminiſtratione, nihil petere, aut accipere, ſed ad Dei gloriam, fideliumq. fratrum vtilitatem, labores, officia, opera omnia dirigere, tum, quia Chriſtus [a] Eccleſiæ ſuæ ſacramenta, quodque à ſacramentis dependet, per homines potiùs, quàm per angelos abſq. mundana mercede hominibus miniſtrari voluit, gratiſq. [b] dari, quod gratis accipitur, tum etiam, ne iuſtificatio noſtra, quæ [c] per ſacramenta fit, vel minima auaritiæ ſuſpicione vnquam contaminaretur. Verùm, quoniam non pauca ſunt beneficia, quæ ſuos rectores alere nequeunt, licet parce, ac ſobrie viuant, ne aliunde victum quærere, cumq. ordinis eccleſiaſtici dedecore, quæſtum illicitum facere, aut mendicare [d], cogantur, maiores noſtri ad ſubleuandam eorum paupertatem, qui pro ſalute populi perpetuò inuigilant, non ſolùm eis aliquid dari, eorumq. nomine exigi, permiſerunt, ſed, lege lata, vt id fieret, ſanxerunt. Quod, cùm probatæ conſuetudini, ſanctorumq. [e] canonum auctoritati innitatur, nos de ſpiritualium paſtorum dignitate ſoliciti, quodcumque eis dari ſolitum eſt, vt omnino detur, poſſitq. licite accipi, & exigi) retenta tamen, neque vlla ex parte mutata, vetere conſuetudine) mandamus, aliterque facientes, ſi laici fuerint, anathemate feriri; ſi verò [f] eccleſiarum rectores, tamquam ſimoniæ ſuſpectos, coerceri volumus.

CAP.

f vt ſup. c. 1. hoc cod. tit.

g l. infamē ff. de public. iudicijs. l. Furti in prin. & §. 1. & penultim. ff. de his, qui not. infam. h l. 3. §. leg. Iulia ff. de teſtib. l. 1. cui lege §. 1. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Capell. Tolof. q. 27. i Dec. conſ. 42. & 60. num. 29. lib. 1. k Pateat de cenſ. 470. lit. a. l Lin ſeruorum §. vlt. in fin. ff. de pœnis. m Author tract. de malefic. tit. de præſumpt. & indic. verb. contra videtur. n d. conſtitut. Pij V. de teſtes ante.

a c. 14. ſeſſ. 24. de refor.

b Illiterate. §. illitterate hoc titulo.

c 1. q. 1. ferpertos Cōc. Toler. oblatum c. 1. cum ſuper ext. de confeſſ. & teſtit. ext. de ſimonia.

a Apoſt. ep. 1 ad Corinth. c. 9. Ambroſ. lib. 4 de ſacrem. cap. 4. 2 Th. 3. par. q. 64. art. 4. Conc. Trid. ſeſſ. 7 cā. 10. b Matth. 10. c Apoſt. ep. ad Rom. c. 3.

d vt c. 13. ſup. de reſp. ordin. c. vlt. ſup de decimis.

e c. ad Apoſtolicā ext. hoc cod. tit.

f c. cum in Eccleſia c. 12. quæ d. c. ad Apoſtolicam ext. eodem tit.

CAP. V.

a cap. 13. & ſeqq. cum. hoc tit. Extrauag. 1. & 2. eod.

NOn ſolùm vendentem, aut ementem dignitates [a], beneficia eccleſiaſtica, tamquam ſimoniacum, titulis, bonisq. omnibus ſpiritualibus, ipſo iure priuamus, ad fructuúq. reſtitutionem cogi debere, ac beneficiorum obtinendorum incapacem eſſe, dicimus, ſed, quemcumque, ſeu pacto [b], ſeu pretio, ordines ſuſcepiſſe conſtiterit, eiuſdem criminis reum iuxta Pij Quinti ſummi Pontificis conſtitutionem [c] etiam pronunciamus, ab illorumque miniſterio ad decennium ſuſpendimus.

b c. 1. 2. 4 & 5. extr. eodem.

c Quæ incipit: Vt ſimoniacæ pranitati.

De magiſtris, &, ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Tit. IV.

CAP. I.

a can. 1. 11. q. 1. c. procli. tanus 20. q. 3. & in proœmio Clement.

NE puerilis ætas ad malum prona [a] per ſenſuum præcipites anfractus ad vitia declinet, teneros animos bonis moribus, ac diſciplinis, formare oportet, ſumma adhibita diligentia, vt cum annis virtutes certent, ſintq. potiùs admirabiles pueri, quòd ſupra ætatem profecerint, quàm in ætate perfecta conſtituti, queri poſſint, quòd parentum negligentia pueritiam ſegniter tranſegerint. Eſt verò à religione inchoandum, qua [b] nihil plane præſtabilius, nihilve pretioſius. Conſtat autem religio Fide, Spe, Charitate, theologicis virtutibus, ita nuncupatis, quòd per eas quodammodo Dei pars efficiamur, Deoq. peculiari quadam ratione ſubiecti, ad verum eius cultum, ac veneration[em] traducamur, Chriſtum in nobis regnare ſentientes, quemadmodum, in ſe eundem viuere, ac, per ipſum viuere ſe dixit Apoſtolus [c]. Religionem probat Dei timor, quo à terrenis ad cœleſtia auocamur, quo à belluis [d] diſtinguimur, quo humana ſocietas mutuis amoris officijs ſuſtentatur, & ſine [e] qua confuſio, ac perturbatio vitæ ſequitur. Quod, cum prouideret ſacrum [f] Lateranenſe Concilium tertium, opportune ſtatuit, diſcipulos non modo in Grammatica, Rhetorica, alijſq. liberalibus artibus à magiſtris erudiendos eſſe, ſed & ad religioſas contemplationes, ac dogmata ſenſim promouendos, nempe ad Decalogi obſeruationem, ad articulorum Fidei reuerentiam, ad hymnorum, pſalmorum, totiuſq. ſacræ paginæ cum ſanctorum vitis coniunctæ, piam meditationem. Feſtis igitur, præſertim, diebus nil aliud ſtudeant præceptores, quàm ſibi commiſſos pueros ita inſtruere, vt Deum verè ament, parentibus obediant, caſtitatem tueantur, iuſtitiam colant, manſuetudinem, clementiam, modeſtiam, cœterasque morales virtutes in pretio habeant, intra verecundiæ fines maneant, quæ, quaſi naturæ dos, in adoleſcentibus mirum in modum commendatur, vt in ſenibus gravitas, & in iuuenibus alacritas, nec tantùm in operibus, verùm & in ſermonibus ſpectatur, ceu imago, & ſpeculum mentis. Hos hortentur omni induſtria ad chriſtianos mores, bonoſq. habitus capeſſendos, & quantùm licet, non ſolùm ad Miſſas, ad Veſperas, ad diuinaq. omnia officia audienda, ſed proprio exemplo etiam ad conciones, diuini verbi interpretationes, ſpiritualiaque exercitia, ac congreſſus, inuitent, ſenſimque compellant.

b 1. Tuſtant. lib 5. Inſtit. cap. 20.

c epiſt. ad Galat. c. 2.

d Lactant. de ira Dei cap. 13.

e idem Lactant. eodem lib. c. 8.

f ſub Leo X. celebratum ſeſſ. 5. cum omn.

S. Bernar. lib de doctr. puer & cor. red. mor.

CAP. II.

QVoniam, & latinæ linguæ, & liberalium artium præcepta ex profanis auctoribus ſumuntur, caueant magiſtri, ne ex chriſtianis admittant, aut interpretentur eos, qui ſanam, catholicamq. doctrinam non continent: ex ethnicis verò, ne puerorum animis vitia ſenſim irrepant, vitent omnes, qui de rebus turpibus, aut, quamuis honeſtis, verbis tamen obſcœnis, tractant: Philoſophorum principia, ac concluſiones, præſertim, quæ de animæ mortalitate, aut vanitate, de mundi æternitate, aliaq. huiuſmodi periculoſa axiomata chriſtianis auribus abſona, in medium afferuntur, ſcholaribus proponere nequaquã audeant. Philoſophica enim argumenta, cum ſolubilia ſint (vt ait [a] Concilium Lateranenſe) vbicumq. à recta Fidei via aberrare deprehenduntur, tanquam erronea, ac futilia, reijci, è ſcholisq. noſtris explodi, iubemus. Qui ex magiſtris huius noſtræ conſtitutionis fines exceſſerit, quicumque is ſit, arbitrio noſtro puniatur.

a d. ſeſſ. 8. 9 omnibus.

CAP. III.

IPſi autem magiſtri, cuiuſcumq. facultatis ſint, docendi, aut interpretandi munus ſibi aſſumere non audeant, niſi coràm nobis, aut Vicario noſtro generali, Fidei profeſſionem, iuxta formam aliàs præſcriptam [a], ſolemniter emiſerint. Cuius rei teſtimonium in ſcriptis redactum, noſtraque manu, ac ſigillo munitum, gratis etiam conceſſum, parocho, in cuius parochia ludum aperituri, ſeu publicè profeſſuri ſunt, oſtendere teneantur. Quod, ſi abſque legitima cauſa negligatur, parochis mandamus, vt nobis, aut Vicario noſtro, tranſgreſſores deferant, quo non ſolum dicendi facultate priuentur, ſed & grauioribus pœnis arbitrio noſtro plectantur. Contra, ſi parochi, eos, neglecto eodem teſtimonio, legere,

a ſupr. cap. vlt. de form. Trinit. & fid. Cathol.

gere, aut profiteri, permiſerint, ad duos menſes ab officio ſuſpendantur.

CAP. IV.

QVicumque, ſiue Regularis, ſiue ſecularis clericus, vel publici gymnaſij, vel ſuorum ſuperiorum auctoritate, facultatem prædicandi populo verbum Dei acceperit, idoneuſq. ad id munus obeundum repertus fuerit, ſi aliter, quàm Concilium Lateranenſe [a] tertium decreuit circa huiuſmodi officium, prædicare, aut docere auſus fuerit, à prædicationis munere ſuſpendatur, ac, ſi Regularis fuerit, à ſuis ſuperioribus etiam grauiùs puniatur. Concionatores igitur, qui angelicæ tubæ, æternæ vitæ præcones, morum reformatores, ac penè ipſius Dei voces, dici poſſunt, diligenter caueant, ne Euangelicam veritatem, ſacramque paginam alio explicent ſenſu, quàm, quo eam explicari vult ſancta mater Eccleſia, cuius [b] eſt iudicare de vero ſenſu, atque interpretatione ſacrarum Scripturarum iuxta ſanctorum Patrum vnanimem conſenſum.

a Conc. 2. §. ſacro appro-bante Conc.

b Cõc. Trident. ſeſſ. 4. de edit. & vſu ſac. lib. §. Præterea.

§. 1.

Et cùm Veritas [c] dicat: non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; nemo in ſuis concionibus de Antichriſti aduentu, vel de vniuerſalis iudicij die (qui in ſacris litteris etiam dies [d] Domini aliquando appellatur) aliquid definire, ſeu determinare audeat: nemo ex ſacra pagina aliquid prænunciare, vel, tamquam ſibi diuinitus reuelatas, inanes diuinationes, anileſque ſuperſtitiones auditorum animis quoquo modo inſtillare præſumat. Tremenda namque illa dies adeo incerta, ab hominumq. notitia adeo remota eſt, vt, neque ſibi chariſſimis diſcipulis voluerit eam Chriſtus reuelare, apertè negans, de die, atq. hora illa quidquam [e] à mortalibus ſciri poſſe, æque, ac ſanctis. Ideo, quicumq. huic Apoſtolico muneri præficitur, Euangelicam duntaxat doctrinam profiteatur, cum vitiorum deteſtatione virtutibus commendatis, pacem, ac mutuam dilectionem, quoad eius fieri poterit, populo conſtanter inſinuet.

c Act. 1.

d Apoſt. ep. 1. ad Theſſa-lonic. c. 5. 2. Pet. 1. Apocalyp. c. 3. & 20.

e Matt. 24.

§. 2.

Sed, ſicut ad concionatorem pertinet vitia pro loco, & tempore, efficaciter deteſtari, ita cùm homini Chriſtiano, nec ſecretò detrahere fratris honori liceat adeo, vt dixerit Propheta [f], ſe cum detractore cibum non capere: & ſanctus Iacobus [g] alienæ famæ inſidiantes legis detractores appellauerit; maxime deteſtabile [h] eſt, palàm, ac pleno auditorio, Prælatos, ac ſuperiores carpere, aut quouis modo priuatas perſonas publicè accuſare, ac de ſuperiore loco diffamare. Ideo, contumelioſam, ac ſcandaloſam hanc detractionem, publicamque ignominiam verbi diuini miniſter omnino vitet, neceſſe eſt. Acerrimus vtique ſit in redarguendis peccatis, ac contra prauos mores ſtrenuè inuehatur, odio, ſcilicet, peccatorum, non autem peccantium, abuſus tollere, ſuperſtitiones exterminare, vitiaque familiaria ei loco, cuius populum erudiẽdum ſuſceperit, ex eius animis ſtirpitus euellere ſtudeat. Verùm, neque nominatim, neque taciturnis ſignis, aut verbis, quemquam inſectetur, aut ita deſignet, vt, quod forſitan occultum foret, manifeſtum fiat. Auditores ad veram pietatem promoueat, ſummaq. animi contentione ad diuinarum, humanarumque legum obſeruantiam ſenſim impellat: Quæ ſint partes, quæ officia patris, & filij, quæ viri, & vxoris, quæ domini, & ſerui, quid differat ſolutus a coniugato, quidve virgo à vidua, quid interſit inter iuuenem, & ſenem, quidve inter ſacros, & profanos, ſeu clericos, & laicos, homines frequenter; nec obſcurè demonſtret. Non ſolùm præcepta ſalutis ſeruanda eſſe, ſed & quomodo exemplo Saluatoris ſeruari debeant, luculenter doceat, vtq. fideles ad perfectiorem vitam accendantur, culpaſq. etiam leues, exhorreſcant, omnes orationis neruos intendat.

f Phil. 100. Rhod. 12 Prouerb. 4. g c. 4. Eſther. h Clem. 1. §. quibus cauſ. de præbend. & dignit. f. quæſt.

§. 3.

Denique ab ijs, quæ Clementis Papæ i Quinti conſtitutione, eiuſdemque [k] Lateranenſis Concilij tertij auctoritate prohibẽtur, diligenter abſtineat concionator, ne præuaricationis ſuæ pœnas ex eadem conſtitutione tranſgreſſoribus imminentes, dare cogatur.

i cap. Clement. 1. k d ſeſſ. 6. §. facr var denique.

§. 4.

Quoniam verò per huiuſmodi ſuæ mentis interpretes voluit Deus militanti Eccleſiæ futura aliquando prænunciari, quandocumq. concionator aliquid ſibi reuelatum diuina inſpiratione ſuſpicetur (quemadmodum pecorum [l] paſtori Amos accidiſſe de ſe ipſe teſtatur) vt populo pateſiat, ne ſpiritum extingui, aut prophetias ſperni contingat contra præceptum [m] Apoſtoli: ſed &, ne, quod diuinum oraculum viſum eſt, cum miniſtri diuini dedecore, ac Spiritus ſancti iniuria, contrario exitu humanum potiùs inuentum fuiſſe videatur, cùm de re ardua, magniq. momenti agatur, meminerit, non eſſe credendum omni ſpiritui, ſed diligenter inueſtigandum, ex Deo fuerit illa reuelatio, vt, ait Ioannes [n], an aliunde. Quodq. in eodem Lateranenſi Concilio [o] circa hoc ſtatutum eſt, adamuſſim obſeruetur, vt priuſquàm viſa, ſiue audita palàm faciat concionator, Sedes Apoſtolica [p] verita-

l Amos c. 7.

m ep. 1. ad Theſſal. c. 5. n ep. Ioan. 1. cap. 4. o d. §. ſacrũ verſ. cæterũ p c. non decet 10. diſt. c. ad abolẽdam ext. de hæret. cap. 2 ext. de hæret. Trun & fide Cath. cap. 2. eodẽ lib 6. Concil. Florent. de vnion. Arm. cap. 3. Conc. Trid. cap 3 ſeſſ. 7. de bapt. & alibi paſſim.

veritatis mater humiliter conſulatur, quo, res tota examinata, eius auctoritate, aut ſupprimatur, aut manifeſtetur, prout diuinæ gloriæ conuenire ſummus Pontifex iudicabit. Quòd, ſi ob temporis anguſtiam id minime expediat, ne, ſcilicet, rei bene gerendæ occaſio elabatur, immineatq. populo ex mora euidens aliquid periculum, vel damnum circa bona ſpiritualia, aut etiam temporalia, quæ obicem non ponant ſpiritualibus, ne quidem ſecretum prodere audeat concionator, ſed negotium integrum ad nos deferat, vt pijs, ac grauibus viris in conſilium adhibitis, quid faciendum ſit, Deo ſuggerente, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, definire valeamus.

CAP. V.

VT præbenda theologalis (quam in eccleſia noſtra metropolitana, iam fundatam fuiſſe, plurimùm gaudemus) & populo, & clero eum fructum afferat, quem ſibi ſacra [a] Tridentina Synodus propoſuit, cùm non erecta fuerit ea tantùm de cauſa, vt inde vnus, aut alter clericus, aut Theologus aleretur, ſed, vt ex ſacra pagina magnum fidelium deuotioni incrementum accederet; volumus, eximium Theologicæ facultatis doctorem, Ioannem Friſat, ac deinceps omnes illos, qui poſt ipſum eamdem præbendam pro tempore in perpetuum obtinuerint, ſacram ſcripturam, vel cathechiſmum Romanum, vel caſus, quos vocant, conſcientiæ, ter, vel ſaltem bis, in hebdomada explicare, omniq. tergiuerſatione remota, publicè profiteri.

a c. 1. ſeſſ. 5. de reform.

§. 1.

Verumtamen, ne, quod dicitur de potentia [b] non reducta ad actum, etiam de Theologo noſtro profitente, & auditoribus carente, dici poſſit, fruſtra, ſcilicet, locuturum, doctumq. eum, qui diſcentes, atq. audientes non habuerit; volumus, omnes presbyteros, ac clericos huius noſtræ eccleſiæ, cuiuſcumq. cõditionis ſint, niſi legitime impediantur, huiuſmodi lectionibus aſſiduè operam dare. Quod, ſi neglexerint, potiuſq. per vrbem, aut per villas, ac rura vagari, otioſèq. tempus terere deprehenſi fuerint, arbitrio noſtro mulctentur. Quinimmò hortamur, atq. in Domino obſecramus parochos ipſos, quibus animarum ſalus credita eſt, cęteroſq. ſacerdotes, qui prope vrbẽ habitando, commodè ijſdem lectionibus intereſſe poſſunt, vt nullo pacto diuinũ hunc cibum perire ſinant, ſed, quo ſibi commiſſum gregẽ facilius regant, pietatiſq. exemplum vniuerſæ ciuitati præbeant, ſacris eloquijs libenter aures accommodent. Quòd, vt perfectum ſit, etiam laicis, linguæ Latinæ nõ ignaris, præſertim otioſis, valde cupimus.

b Ariſtot. de gener. & corrup. & alibi paſſim.

§. 2.

Theologus verò, vt in hoc potiſſimum incumbere, munuſq. legendi rectè abſoluere, abſq. vllo impedimento poſſit, quandocumq. profitebitur, eo die portionem canonicam ſuæ præbendæ, diſtributionemq. quotidie dari ſolitam ijs, qui diuinis recitandis officijs interſunt, integrè, ac ſine vlla diminutione, percipiat, ac, ſi cum cæteris clericis officijs interfuiſſet. Quod ſi, & choro, & cathedræ, eodem die commode inſeruire poterit, vt faciat vtrumque, valde laudamus.

De Iudæis, Sarracenis, & eorum ſeruis. Tit. V.

CAP. I.

APPOSITE ſanè, atque è republica, ſancta mater Eccleſia Iudæos, ſiue (vt appellabantur, cum Aegyptiaca [a] ſeruitute premerẽtur) Hebræos, patienter tolerat, in ſuis Prouincijs ſecure viuere, commerciaque cum Chriſtianis habere permittit, non ſolùm, vt dominicæ paſſionis memoria redintegretur, ſed etiam, vt religionis cultus augeatur, docente experientia, plurimos iudaicæ ſuperſtitionis ſectatores, vbicumque Chriſtus colitur; ac Romæ præſertim; chriſtiana manſuetudine ad veri Dei cognitionem frequentiſſimè allici, diuinoque afflante ſpiritu, ad Fidem noſtram mirabiliter traduci; ideo, & veteres [b] Synagogas retinere, & collabentes reſtaurare, & filios [c] circuncidere non prohibentur. Quæ tamen priuilegia, ac facultates, cùm in noſtris ciſalpinis partibus locum non habeant adeo, vt Iudæis, neque domicilium habere citra montes liceat, huic, ſiue conſuetudini, ſiue conſtitutioni, inhærentes, Iudæos omnes, neque habitare, neque mercaturam facere, immo ab hac Prouincia penitus exulare, atque arceri volumus, ac mandamus parochis, vt in ijs, quæ ad eorum officium pertinent, ne huic noſtro decreto vlla fraus fiat, ſub vinculo ſanctæ obedientiæ quamdiligentiſſimè curent.

a Laſtant. Inſtit. lib. 4. cap. 10.

b c. 1. & 7. ext. hoc tit. l. vlt. C. eod.

c l. Iudæi C. eod. tit.

CAP. II.

IAm non ſolùm licet Iudæis veteres Synagogas, vt diximus [a], retinere, ac ruinoſas reparare, ſed, & feſtos dies iuxta hebraicum ritum celebrare [b], quin & libros veteris Teſtamenti, eorumque doctores Rabinos, qui à ſanctorum Patrum interpretationibus, veroque Catholicæ Eccleſiæ ſenſu non aberrauerint, legere, ac penes ſe habere. At, quia non defuerunt, qui cùm Chriſtianæ religioni eſſent

a d. c. 1. & 7. & d. l. vltim. verſ. illud autem.

b l. Iudæos C. eod. c. 1. ext. eod. tit.

essent insensissimi, pernicioſos, impios, ac detestabiles libros, olim Sedis Apostolicæ auctoritate damnatos, malitiosè conscribere, atque in lucem proferre, ausi sunt, cùm tamen sine scandalo tractari indistinctè non possent, opportunum visum est summis Pontificibus, ac nuper Clementi c Octauo, eorum lectionē, atque vsum, omnino omnibus interdicere. Quod quidem edictū, cùm ab Apostolico oraculo effluxerit, Petri, scilicet, sancti cathedra, cuius est errores anteuertere, animarumque saluti prospicere; nos quoque sæpe damnatos Talmudicos, Cabalisticos, aliosq. pestiferos libros iuxta eiusdem Clementis constitutionem, nec non commentarios, tractatus, atq. opera quæcumq. veteri Testamēto aduersentur, aut contra sanctissimam Trinitatem, Saluatorem nostrum, Christianam fidem, Beatissimam Virginem, angelos sanctos, crucem sacrosanctam, nouæ Legis sacramenta, sacras imagines, Catholicam Ecclesiā, Sedem Apostolicam, summum Pōtificem, ecclesiasticosq. cœteros ministros, christianos, ac neophytos, conscripta, aut versa sint, aut quoquomodo contumelias, ac blasphemias, seu impudicas, & obscœnas narrationes contineant; vetamus, atq. damnamus, ac, ne deinceps conscribantur, aut publicentur in nostra Prouincia, prohibemus: quin, & legi, haberi, emi, aut vendi à subditis nostris vetamus sub pœna excommunicationis, amissionis librorū, nec non publicationis bonorū delinquentium, qua in terris nostræ temporali iurisdictioni subiectis fisco nostro, in locis verò Serenissimi Ducis Allobrogum ducali fisco applicata esse intelligantur, non obstantibus quibuscumq. facultatibus, seu licentijs, etiam ab eadem sancta Sede ante Clementis præfati constitutionem concessis, sed & post eandem constitutionem, nisi in ea libros ita prohibitos haberi, legi describi, vulgari, emi, distrahi, in eandem nostram Prouinciam importari, ac communicari posse distertis verbis expressum sit.

c qua incipit: Cū Hebræorū malitia.

De Hæreticis. Tit. VI.

CAP. I.

a Apost. ep. ad Hebr. c. 11.

CVM Fides sit a sperandarum rerum substantia, spei, scilicet, fundamentum, qua Christianorum animæ, corruptibilis vitæ cursu absoluto, cœlestibus thesauris locupletari diuino beneficio

b ibidem.

expectant, nec sine b fide possibile sit placere Deo, proculdubio fidem deserit, bonorumque omnium auctorem summa afficit iniuria, ac prorsus blasphemat, quicumq. hæresim amplectitur, in verbaque sectariorum iurat. Cui perniciosissimæ pesti, nisi acerrima remedia adhibeantur, veræ religionis dignitatem, atque auctoritatem, in summo discrimine versari perspicuum est. Ideo, licet Dei summa prouidentia, Ducisq. religiosissimi Allobrogum pietate, factum sit, vt nullum ex nobis finitima errorum schola, sordiumque omnium cloaca, Geneua, Sabaudiensibus damnum illatum, nullum falsæ fidei venenum animis hactenus instillatum sit ita, vt c Sabaudiam sartam tectam, atque catholicam totam conseruatam esse, iure ei gratulari possimus; attamen, quoniam diabolus d, tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, nec parua est laus, populum ab erronea doctrina abhorrentem, Deo, eiusq. sanctissimo cultui, fidelem, ac mundum conseruare, laborandum nobis est, omnique studio adnitendum, pastorali charitate, quam profitemur, id summopere exigente, vt creditum nostræ fidei gregem in sua innocentia, ac puritate ab omni hæresis periculo pro virili tueamur.

c A. Faber in suo cod. Fab tit. de hæret. c vlt. §. quamquā verſ. Fortunauit Deus. d ep. 1. Pet. cap. 5.

§. vnic.

Quoniam, nostros homines ad varias mūdi partes, etiam impiorum dogmatum erroribus conspersas, proficisci, ac lucri causa peregrinari contingit, diuersaq. Europæ emporia circumire, quo, & catholici, & hæretici; negotiationis occasione, certis anni temporibus conueniunt, ne munda ab omni hæresis labe, diuinoq. beneficio à prauis opinionibus purissima Prouincia Sabaudiæ ex hoc commercio maculam contrahat, summopere prouidendum est. Volumus igitur, nostrisq. parochis districte præcipimus sub pœna suspensionis à diuinis, &, si iterum delinquere deprehensi fuerint, priuationis beneficiorum, vt, cum mercatores à locis extra fines huius Prouinciæ positis domum reuersi fuerint, non solùm coràm, sed & per fidos emissarios scisciari studeant, quid agant, cum quibus conuersentur, quid de summi Pontificis, atq. Episcoporum auctoritate, quid de sacerdotum, ac confessariorum potestate, quid de religiosorum votis, claustralique vita sentiant, an hæreticorum mores, doctrinam, industriam probent, technas, perfidiam, auersionem à Romana Ecclesia defendant, an e Missas audiant, quemadmodum superiùs c obseruari iussimus, an ecclesias frequentent, an statis temporibus, sacris peractis confessionibus, de diuina mensa panem angelorum sumant, aliaque huiusmodi faciant, quæ (nisi veræ fidei naufragium factum sit) à viris catholicis omitti non solent, auitæq. religionis

e supra c. 5. studiosius de paroch. c. 5 supra de celebr. Miss. tar.

integritatem haud obſcurè demonſtrant. Quòd, ſi tales homines perperam de perſonis, rebuſq. eccleſiaſticis ſentire, aut loqui, deprehenſi fuerint, vel peruerſis impoſtorum inſtitutis cum noſtris comparatis, neglectiſq. ſacramentis, mutatæ fidei probabilem ſuſpicionem præbere videantur, nobis, vel Vicario noſtro, publicentur, quo, & malæ affectæ mentes curari, etiam contra ſuſpectos iuris remedijs adhibitis, & quæ ſanæ ſunt, ab illarum contagione opportune præmuniri poſſint. Quod, ſi parochi facere neglexerint, arbitrio noſtro puniantur.

CAP. II.

VErùm, quoniam hæretici nonnunquam probationum defectu, meritas pœnas effugiunt, non ſine graui diuinæ maieſtatis offenſa, catholicorumq. periculo, nos, Alexandri[a] Papæ Quarti conſtitutioni inhærentes, ad teſtimonium dicendum admitti volumus etiam excommunicatos, ac eiuſdem criminis ſocios, aliaſque omnes, qui a teſtimonio alioquin repelli iure deberent.

a c. 4. conſt. lib. 6.

§. vnic.

Sed, quamuis, & diuinæ, & humanæ leges aduerſus hæreticorum temeritatem extrema omnia experiantur, attamen, quos, aut potentia, aut ferocia, aut impietas formidabiles, facit in ſua pertinacia diutiùs, atque impune perſeuerare, haud rarò contingit, deficiente accuſatore, cum vnuſquiſq. ſibi ab accuſatione periculum metuens, delinquentium trangreſſiones, quamuis inexcuſabiles, ac patentes, alto ſilentio premat, nec patefacere audeat, non ſine diuini cultus iactura, ac reipublicæ catholicæ incommodo, cuius nos permagni intereſſe putantes, hæreticos, hæreſisq. ſuſpectos, prodi, atque à fidelium conſortio arceri, ne impiorum hominum artibus faciles animi ad falſa dogmata probanda ſenſim alliciantur, conſtitutionem Pij Papæ Quarti[b], contra hæreticos Auenionenſis Prouinciæ editam, in hac quoque noſtra diœceſi ad amuſſim obſeruari mandamus, qua cauetur, ne eorum nomina, qui hæreticos detulerint, vel ſuo teſtimonio in religionis cauſa eos læſiſſe viſi fuerint, vnquam publicentur, aut quauis ex cauſa legibus canonicis non contraria, manifeſtentur. Quòd, ſi huiuſmodi teſtium dicta pro iudicij directione publicanda ſint, id quamcautiſſime, ac ita ſecreto fiat, vt accuſantium, aut teſtificantium perſonæ ad alicuius notitiam peruenire, aut accuſatis vllam de illis ſuſpicionem nunquam afferre poſſint.

b quæ incipit: Cum ſicut non ſane.

CAP. III.

QVamuis ea, quæ ad catholicæ fidei puritatem cognoſcendam, noſtrorumque temporum hæreſes confutandas pertinent, cum ex ſacro Concilio Tridentino, tum ex ſummorum Pontificum conſtitutionibus ſatis colligantur, adeoque definita ſint, ac certa, vt iam vnuſquiſque veram doctrinam ab adulterina internoſcere facile poſſit: attamen, quia hæretici ſimplicium animorum corruptionem tantummodo molientes, malitioſis ambagibus omnia inuoluunt, quodq. ſermonibus, & concionibus aſſequi nequeunt (Epiſcoporum vigilantia, religioſorumque Principum conſtantia eorum conatus comprimente) idipſum perniciosis libellis, & blaſphemis opuſculis ſub ſpecioſis titulis, auctorum nominibus ſuppreſſis, per catholicorum hominum conuentus clam proſeminatis, perficere nituntur, quibus, non ſolum incautum vulgus, ſed eruditi etiam, ſagaceſq. homines aliquando in profundas errorum voragines miſerè impinguntur. Nos, vt prauis tantorum hoſtium conſilijs, apertisq. inſidijs, obuiam eamus, eos tantùm libros emi, vendi, legi, atque haberi poſſe, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, decernimus, quos à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Theologis probatos, atque orthodoxos eſſe, conſtiterit. Eos verò, qui recenter impreſſi ſunt, aut in poſterum prælo committentur, diſtrahi, legi, aut haberi, non permittimus, niſi, obſeruatis ijs, quæ aliàs[a] mandauimus obſeruari, ſub pœnis ibidem expreſſis, quæ hic repetitæ intelligantur.

a c. 4. ſupra de off. ord.

De ſchiſmaticis, & ordinatis ab eis. Tit. VII.

CAP. Vnicum.

SCHISMA abſolutè hæreſis non eſt; ſicut, hæreſim ſchiſma eſſe, non eſt dubium: ſed plerumque in hæreſim[a] conuertitur: hoc q. inter ſe diſtinguuntur; quod hæreſis initium, ac formam ex peruerſo dogmate capit: ſchiſma[b] ex diſſenſione: illa, vt eſt apud B. Thomam[c], opponitur Fidei: hoc vnitati eccleſiaſticæ charitatis. bi verò perſeuerantia fuerit confirmatum, in hæreſim deſinit. Itaq. ſchiſma eſt ab vnitate diſceſſio, ac conſequenter ſchiſmatici ab vnitate Eccleſiæ ſeparati ſũt. Vna eſt enim Eccleſia, cuius typus, ac ſymbolum eſt columba illa, quam Spiritus ſanctus[d] in Canticis vnam tantùm eſſe profitetur, proinde, neque diuidi, neque alia eſſe poteſt ab ea, quæ in

a l. 4. C. Theod. Ne ſacr. bapt. iterentur.

b cap. inter 24 q. 3 § Hieron. epiſt. ad Tit. c. 3.

c 2. 2. q. 39. art. 1. ad 3.

d cap. 6.

Apoſto-

Apoſtolicæ veritatis baſi fundata, ipſam Fidem [e] vbique terrarum propagauit, de qua ſic Chriſtianorum Cicero Lactantius [f]: Sola Catholica Eccleſia eſt. Hic eſt fons veritatis. Hoc eſt domicilium Fidei. Hoc templum Dei, quod, ſi quis non intrauerit, vel à quo, ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ, ac ſalute alienus eſt. Atrociſſimum crimen eſt ſchiſma, grauiſſimoque dignum ſupplicio. Itaque, ſicut hanc vnitatem ſcindenti (niſi ad vnitatem reuertatur) diuino iudicio æternum ignem imminere teſtatur ſanctus Auguſtinus [g], nempe, tamquam Chriſti inconſutilem tunicam diuidenti, ita, & huius ſciſſuræ reum, vt hæreticum, à terrena iuſtitia igne puniendum eſſe, definimus.

e c. puddda 24 q. 1.
f Inſtitut. li. 4. c. vlt. de quæ etiam c. 1. & vlt. ext. de ſum. Trin. & fid. catholi.
g lib. de Fide cath. de quo c. 3 cat. de hæret.

De apoſtatis, & iterantibus baptiſma. Tit. VIII.

CAP. Vnicum.

INDIGNVM ſanè, ac miſerabile eſt, eos, qui in ſpiritualium militum numerum nomina dederunt, ſeorſumq. à ſecularibus negotijs ſe ſe vitam acturos profeſſi ſunt [a], mundo, atque (vt ita dicam) Satanæ ipſi militare audeant, cuius imperio dum parent, non ſolùm contemplationi, atq. abſtinentiæ vacare, ſed (vt nunc eſt deprauatis iam moribus ſeculi) nec præcepta æternæ ſaluti neceſſaria præſtare, nec ab humani ſanguinis effuſione abſtinere, poſſunt. Quod, cum in militum cohortibus in præſidijs noſtris collocatis, præſertim obſeruatum ſit, vbi diuerſorum Ordinum, etiam Mendicantium, non pauci Religioſi, mutato habitu, votiq. obliti, ſtipendia libere faciunt, vt quam maxime poſſumus, multa ab eorum capitibus imminentia mala auertamus, omnibus, & Regularibus, & ſecularibus ſacerdotibus, quibus talium hominum confeſſiones audire contingat, diſtricte mandamus, ne eiuſmodi delertores, ac potius apoſtatas, niſi in mortis articulo, à peccatis abſoluant, ſed ad nos remittant, vt in diſcrimine ſalutis poſitos, errorumque ſuorum admonitos, à tenebris ad lucem, diuino afflante ſpiritu, reuocemus. Quod, ſi ex ſententia ſuccellerit, vel à ducibus ipſis eorum miſſionem impetrabimus, vel recutantes ingreſſu eccleſiæ prohibebimus, quandiu eos ad propria claſtra abire permiſerint.

a c. alericis 99. diſtinct.

§. 1.

Si verò, quod Deus auertat, huiuſmodi deſertores, paternis noſtris admonitionibus contemptis, ad Religionis obedientiam quam vouerint, redire detrectauerint, in carcerem trudantur [b], ibique cuſtodiantur, donec ab eorum Prælatis, quid de ipſis ſtatuerint, doceamur.

b c. 5. eccm eod.

§. 2.

Sed, ſi aliquem eorum, vt inobedientem, ac diſcolum, à ſuis ſuperioribus habitu religioſo ſpoliatum, atque ab ordine electum, propria auctoritate habitum ſecularis clericatus ſumere contigerit, eum ab adminiſtratione omnium ſacramentorum, ordinumque eccleſiaſticorum, etiam ſacrorum, ac præſertim presbyteratus, ipſo facto ſuſpenſum declaramus, donec Beatiſſimo Papæ aliter viſum fuerit. Nec tamen exiſtimamus, licere Prælatis ſubditos ſuos poſt votum obedientiæ, quantumuis refractarios, atque incorrigibiles, à clauſtrali obedientia abſoluere, aut monaſterijs expellere, cùm delinquentes ſalutari [c] pœnitentia, relegatione, exilio, carcere, tum temporali, tum perpetuo, ac triremibus, mulctari poſſint, ſicut, præuia [d] degradatione, tradi etiam brachio ſeculari.

c c. vlt. eod. de ſtatu monach. & penitent. ad eum ab homine ext. de iudic.
d de qua c. de pœn. li. 6.

De ijs, qui filios occiderunt. Tit. IX.

CAP. I.

VIX credibile eſt [a], inueniri parentes ita efferatos, vt ad interficiendos proprios filios animum inducant, cum paternus amor vincat [b] omnes affectus, ſitq. genitoribus quàmmaxime naturale ex ſe genitos pluſquàm vehementer amare, nec ſolum homini, ſed & ipſis feris ratione carentibus adeo, vt, ſicut Solon nihil contra parricidas ſtatuiſſe legitur, quoniam ob ſceleris atrocitatem parricidia perpetrari non poſſe putauerit, ita & aduerſus filiorum interfectores legem ſancire penè ſuperuacaneum videatur, quòd huiuſmodi criminis reos inueniri non poſſe putandum ſit. Sed, cùm humana malitia nihil iam intentatum, incorruptumq. reliquerit, Romani [d] ſapientius, quam Solon, parricidam in culeum inſui, atque in flumen proijci cenſuerunt [e], & maiores noſtri interfectores filiorum pro chriſtiana manſuetudine ex conſtitutione Alexandri Papæ III. [f] puniri ſtatuerunt, quam & nos in noſtra diœceſi inuiolabiliter obſeruari iubemus.

a Cicero in oration. pro Sex. Roſcio Amer.
b l. t. in fin. C. de procurat. can. ad Romanã aquæd.
c Cicero de finib. lib. 2.
d Cicero in eadem orat. pro Sex. Roſcio.
e de quibus dein l. vn. C. eod. tit.
f de qua c. 2. extra hoc tit.

§. vnic.

Quoniam verò perrarò contingit, (niſi forſitan per ſummam iracundiam in furorem verſam) filios à parentibus occidi, quos potiùs ſeruatos fuiſſe conſtat, cum capitalium criminum conuicti, à patribus legum auctoritate

neeari potuerunt; ad ea, quæ frequentiùs accidunt, quæque maiori g periculo exposita sunt, animum aduertamus. Cùm itaque ij infantes in maximo vitæ discrimine positi sint, quos adhuc anniculos parentes in eodem lecto secum cubare permittunt, nisi in paruis cunis seorsum ita collocati sint, vt, neque suffocari, neque perire possint, admoneant parochi parentes, atque nutrices, ne sub excommunicationis pœna puerulos primum ætatis annum non excedentes in eodem cubili secum dormire patiantur, vt alibi h à nobis statutum fuit. Qui autem, monitis neglectis, filiolos oppressisse deprehensi fuerint, pœnis canonicis i subiaceant, quas, & nos in nostra diœcesi de transgressoribus omnino sumi mandamus.

g arg. c. vbi periculū de elect. in 6.

h c. 2. §. vlt. sup. de baptis. & eius effect.

i vt in cap. vlt. eod. tit.

CAP. II.

a L. 2. C. de libr. qui parent. vel lib. occidit.

PArricidij autem reus est a, non solùm filius, qui parentem, sed & parens, qui filium necat, etiam naturalem, attenta, scilicet, filiationis b subitantia, non qualitate. Et, licet ciuilis c constitutio eos tantùm comprehendere videatur, qui patres, aut filios vita priuant, receptum tamen est, eam d extendi etiam ad ascendentes, & descendentes in infinitum, quam & extendimus, & obseruandam proponimus.

b Clar. in §. parricidium num. 3. post Alex. ad l. 1. C. de in ius vocand.

c c. 1. vnica d Clar. ibi num. 4. & 5. & glos. ord. & Lyncam

De infantibus, & languidis expositis. Tit. X.

CAP. Vnicum.

QVOD de bruris animalibus minime audiumus, id ab hominibus committi molestissime ferimus, quorum immanissimi, ipsisq. feris crudeliores sunt, qui, cum ex se prognatos infantulos, forte auersante natura, suffocare non audeant, illos tamen exponere non exhorrescunt. Quod sane facinus ab homicidio non longè dutat. Etenim, quamuis misericordiæ specié habeat, in vita relinqui eum, cui vita adimi potest, nihilominus, quandoquidem is, qui exponitur, manifestæ ferè morti obijcitur, exponens a, quantum in se est, hominem occidit, atque homicida est. Cui nefario flagitio pro virili occurrere cupientes, mandamus parochis, vt cum opportunum fuerit, priuatim, & publicè populos in diligenti sobolis cura, atque educatione confirment, animosque, præsertim fragilioris sexus, à tanto crimine abalienare studeant, cuius grauitas, ac turpitudo, & diuinam iram accendit, & humanas leges armat aduersus transgressores, opportunis pœnis propositis, inter quas est, quòd, sicut ij, qui suscipiunt b expositos, nullum in illis ius, nullumve dominium habere possunt, quamuis eo animo id fecerint, ita, aut pater, aut dominus, aut patronus, qui, aut filium, aut seruum, aut libertum, exposuerit, omne c, quod habet, ius in exposito, seu patria potestas, seu dominium, seu patronatus is sit, amittere intelligatur, sitque expositus sui iuris, atque omnino liber, possitque, & bona acquirere, ac, cuicumque voluerit, donare, ac legare, quia, cùm exponens ipsum abiecerit, quasi mortuum, tacite iuri suo renunciasse videtur.

a L. necare ff. de agnosc. liber.

b l. vlt. C. eod. tit.

c c. vn. eod. tit.

De homicidio voluntario, vel casuali. Tit. XI.

CAP. I.

QVI a consultò, vel ex insidijs hominem occiderit, vt ab altari arceatur, & diuino, & humano b iure cautum est: quin etiam, licet crimen non fuerit ordine iudiciario probatum, nec publicum, immò occultum esse constet, homicida voluntarius, neque ad sacros ordines ascendere, neque ecclesiastica beneficia, quamquam simplicia, obtinere potest ex sacri c Concilij Tridentini decreto, sed cuiuscumq. ordinis, & beneficij, & officij ecclesiastici, omnino, & perpetuo incapax est. Si quis autem cum moderamine (vt aiunt) inculpatæ tutelæ, nec data opera, sed casu, vtq. d sibi illatam vim vi repelleret; homicidium commiserit, eaq. de causa secum dispensari obtineat, quantùm eius interest, & circa ordines, & circa beneficia, caueat, ne dispensatione vtatur, nisi e eius preces ab eo, cui commissa fuerit negotij executio, veritate inniti pronunciatum sit.

a Prodit. Deuteron.

b c. mirotheca dist. c. 2. can. hoc tus.

c c. 9 de reform. can. 14.

d l. 1. C. vnde vi. c. 1. qui sceleste 2. §. vlt. eod. tit. Inst. de priu. delict. §. vlt. can. de fem. excom. c. 2. c. 9. in fine.

e Psal. 54.

CAP. II.

SI is, qui, cùm a potuerit hominem à morte liberare, non liberauit, hominem occidisse videtur; extra b homicidij culpam procul dubio apparet non esse, qui causam dedit homicidio. Quod, cùm ab omni humanitate alienum sit, in clericis monstrum, ac prodigium est, quorum partes sunt à sanguinis effusione penitus abhorrere: Virum enim sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus, ait c Propheta. Quicumque igitur in numerum clericorum ascitus, non solum casualem, sed & voluntarium homicidam, metu pœnæ præsertim, domi suæ delitescentem, detulerit, aut indicauerit, siue, vt indicaretur, operam dederit ita, vt in illum vltimo supplicio animaduerteretur, is, quasi homicidij reus, infamia notetur, ab omnique beneficio,

a c. 1. §. illi etiam extra eod.

b l. nihil ff. ad l. Corn. de sicar.

atque

atq. officio eccleſiaſtico, ſuſpendatur, donec à ſummo Pontifice in integrum reſtituatur.

CAP. III.

a l. 2. ff. & C. de his, qui parent. vel fil. occid. l. ſi quis necandi, vbi not. omnes C. ad l. Corn. de ſicar.

PArricidij rea habetur [a] mater, quæ partum celauit, qui poſtea mortuus repertus eſt, quamuis non conſtet, ipſum viuum editum fuiſſe, niſi probet editum mortuum: non enim poteſt videri filij iam defuncti parricidium admiſiſſe, quemadmodum [b] nec tenetur de homicidio, quæ partum nondum animatum abegit, licet abigens aliqua [c] debeat pœna mulctari.

b Thef. deciſ. Pedemō. 22. num. 4.

c arg. l. diuus 8 de ritu & extraor. cogn. l. ſi mulierem ff ad l. Corn. de ſicar. l. Cicero 9. ſed &, in qui ff. de pœn. Thef. d. deciſ. 22. nu. 13. & deciſ. 23. nu. 2.

CAP. IV.

SVnt aliquando inter prægnantes, quæ, licet ſtuprum paſſæ ſint, virgines tamen exiſtimentur, quoniam nuptias adhuc non contraxerint, quæque, ne per partum amiſſæ pudicitiæ probrum ſubire cogantur, vel, quem in ventre gerunt, per incantationes, ac veneficia extinguere, vel iam editum abigere, aut ſuffocare nitantur. Quod, cùm maximè deteſtabile ſit, ij, quibus animarum cura incumbit, ſi aliquid huiuſmodi in eorum parochijs accidere poſſe ſuſpicati fuerint, prægnantes ſecretò conueniant, moneant, à tantoq. ſacinore deterrere enixiſſimè ſtudeant; grauiſſimo nempe, atque atrociſſimo; placidis primùm verbis, niſi aſperitate opus ſit, deinde, ſi res ita poſtulare videatur, minis quoque additis, propoſitisq. pœnis, & infamiæ perpetuæ, & quandoq. vltimi ſupplicij, quibus in delinquentes, illarumq. matres (ſi delicti participes deprehendantur) humanæ leges inuehi è re publica eſt.

§. 1.

a Dec. conſ. 315 Bott. q. 216. num. 10. Thef. d. dec. 22. num. 12. b Gramat. vol 20.

Etenim, ſi mater, dato filiæ poculo, animatum fœtum peremerit, non [a] eſt dubium, quin, ſecuto [b] abortu, iuxta leges ciuiles tantum crimen capitali pœna luere debeat, præſertim, ſi id pluries tentauerit. Qua pœna, & filiam abortus participem plectendam eſſe cenſent iurisperiti, ſi, pecuniæ affectu eam deliquiſſe conſtiterit: fuſtigandam [c] verò, ſi de largitione nihil probetur.

c ex d. l. Cicero in prin. Menoch. conſ. 357. de arbitr. iud. li. 2. conſ. 4. Thef. d. dec. 22. in fine.

§. 2.

Qui autem voluntarie, vel poculis, vel alio modo, abortui cauſam dederit, ſi humilioris conditionis ſit, ad perpetuas triremes damnetur: ſi honeſtioris, perpetuò exilio mulctetur. Fœmina verò, quæ huiuſcemodi flagitio conſenſerit, prius fuſte correcta, alicui [d] xenodochio inſeruire compellatur. Si tamen, approbantibus medicis, datum ſit poculum, vt, ſcilicet, mulier in vitæ diſcrimine poſita, ob fœtum in vtero exiſtentem, periculo liberetur, quamuis abortus ſequatur, nemo ex ea cauſa in iudicium trahatur. Sed, ſi [e] abſq. conſilio medicorum id factum ſit, licet ex miſericordia, ac ſine dolo, qui id auſus fuerit, temporario exilio, vel ſimili alia pœna, temeritatem ſuam luere cogatur.

d arg. § qui abortionis l. ſi quis aliquid ff. de pœn. Thef. d. dec. 22. nu. 3. poſt Socin. & Felyn. ad c. 21 aliquos ext. eod. tit. & ex l. 3. ff. ſed ex S. C. ff ad l. Corn. de ſicar.

CAP. V.

QVi mulierem prægnantem pugno, aut calce, aut alio modo ita percuſſerit, vt partum inde abigi, vel eijci, contingat, iure ciuili vltimo ſupplicio dignus videtur [a]; nos, quamuis partus ille animatus fuerit, niſi matris quoque ex eo ictu mors ſequatur, temporario [b] tantum exilio in percutientem animaduerti volumus.

a Clarus ſe prax. crim. q. 68. verſ. abortà in fi.

b ex d. l. ſi quis aliquid §. qui abortionem.

§. 1.

Clericum, qui, ſiue ex propoſito, ſiue cum muliere prægnante ludens, abortui cauſam dederit, ſi fœtum animatum fuiſſe conſtet, ab altaris [c] miniſterio abſtinere debere iure cauetur, donec ex ſummi Pontificis diſpenſatione in priſtinum ſtatum reſtituatur.

c c. Moyſes 21 q. 1. cap. ſicut 2. ext. hoc tit.

§. 2.

Viuificatus, ſeu animatus, non dicitur ex doctrina Hipocratis [d] fœtus maſculinus in materno vtero ante trigeſimum diem, nec femininus ante quadrageſimum ſecundum.

d lib. de nat. puer. & lib. de ſeptimeſtri parto paulò poſt prin.

De torneamentis. Tit. XII.

CAP. Vnicum.

LVDICRA certamina, & pedeſtria, & equeſtria, vulgò torneamenta nuncupata, quæ inſtitui ſolent, vel victoriæ, vel nuptiarum, vel magnorum virorum aduentu, vel etiam exercitationis gratia, ſcilicet, vt iuuenes ad bellum acuantur, ac durentur (dum extra vitæ periculum ſit) laicis [a] permittimus, ne de publica lætitia, ac commodo, male mereri velle videamur. Clericos verò, cuiuſcumque conditionis, ac prærogatiuæ fuerint, qui, aut armati, aut perſonati, huiuſmodi ludis ſe immiſcuerint, excommunicamus, eorumque abſolutionem à cenſuris nobis reſeruamus. Et, ſi ſpectaculorum occaſione, quibus ipſi cum armis, aut veſtibus hiſtrionicis, vt ſupra, ſe immiſcuerint, aliquem ex ludentibus mori contingat, ab exercitio omnium ordinum, presbyteratu minime excepto, talia auſos ſuſpendimus, quin & beneficijs priuatos ad alia obtinenda inhabiles declaramus.

a Innoc. Bertrand. conſil. 22. cod. tit.

De pugnantibus in duello. Tit. XIII.

CAP. I.

EOVSQVE de nominis fama, atque exiſtimatione per duellum ſuſtentanda, proceſſit vaniſſimorum hominum proteruia, tamq. altas in eorum animis is abuſus egit radices, vt, quamuis ſeueriſſimis [a] legibus [b] interdictum ſit, prorſusq. damnatum ſingulare illud certamen, quo humana ſtultitia ad vmbratilem hanc gloriam propagandam abuti conſueuit; hæc tamen peſtis, exitialisque conſuetudo, qua, ſeu fortitudinis oſtentandæ, ſeu iniuriæ vlciſcendæ, ſtudio, petulantiſſimi homines impia mortalis vitæ profuſione immortalitatem amittere non exhorreſcunt, in nonnullis Chriſtiani orbis Prouincijs (inter quas, & noſtram numerari dolemus) zizania ſeminante diabolo, adhuc vigeat, & graſſetur. Quod, cùm ad animarum ſalutem æternam permagni intereſſit, vtpote euangelicis præceptis contrarium, ſacri Tridentini [c] Concilij, Romanorumque Pontificum Gregorij [d], ac Clementis [e] conſtitutionibus inhærentes, monomachiam, ſeu duellum, penitus abolemus, execramur, atque ex noſtra iuriſdictione eijcimus, confeſſarijsq. omnibus, ſiue regulares, ſiue ſeculares ij fuerint, interdicimus, ne homines iſtos nefarios, vel potiùs homicidas, qui in duello pugnauerint, eorumq. patrinos, quos vocant, eiſque conſilium, aut fauorem, aut arma, aut locum, aut quodvis auxilium, ſubminiſtrantes (niſi in mortis euidenti periculo) ab hoc crimine abſoluant, quod etiam de ſpectatoribus, ac ſocijs, dicimus: alioquin a confeſſionibus audiendis, ſacramentiſq. omnibus tractandis, ac miniſtrandis ſuſpendantur.

a Conc. Triden. ſeſſ. 25. cap. 19.
b can. monomachiã 2. q. 3. c. 1. & tot. tit. extr. eod.
c d. cap. 19.
d quæ incipit. Adabolendam deteſtabilem.
e quæ incipit Nefariã diaboli.

CAP. II.

BEneficium obtinere abſque diſpenſatione Apoſtolica non poteſt clericus [a], qui, cum laicus eſſet, vel ſolus, vel cum ſocijs, in eo duello pugnauerit, in quo, aut mortuus [b], aut membro aliquis ex pugnantibus mutilatus fuerit. Ex noſtra [c] tamen diſpenſatione poterit obtinere beneficium, quamuis fraternum ſanguinem fuderit, ſi in eo certamine, nec mortem, nec mutilationem ſecutam fuiſſe conſtiterit, fueritq. ipſe ab excommunicatione monomachiæ [d] cauſa inflicta, Romani Pontificis auctoritate abſolutus.

a Rot. decis. 67. diuerſ. part. 2. lib. 1.
b Rota dec. 64 eod li. 2. videat dec. 99. lib. 2. eadem par. 3.
c cap. 1. extr. eod. tit.
d d. conſtitut. Gregor. & Clement.

De adulterijs, & ſtupro. Tit. XIV.

CAP. I.

CASTITATIS quidem præconio præ cæteris maxime conſpicui ſunt, qui mundo, ac propriæ voluntati nuncium remittentes, ſub moderatoris arbitrio clauſtralis inſtituti auſteritatem amplectuntur, virginitate ſolemniter Deo conſecrata. Sed & [a], qui à conſuetudine mulierum alieni cœlibatum eligunt in ſeculo, non parua continentiæ commendatione digni videntur, quaſi, terreni cùm ſint, cœleſtium vitam æmulentur, nec tamen reprehenduntur, immo, ſi continere nequeant, laudantur, qui pudico animo, impollutaq. mente, tori legitima conſorte adhibita, ſine carnis periculo carni ſatisfaciunt. Cuius vinculi prope diuina fides, vtpote in terreſtri [b] paradiſo ipſius Dei ore ſanctificata, ſi per adulterium violetur, & prolis incertitudinem affert, & in alias grauiſſimas calamitates maritalis puritatis contemptores impellit, cum, ſcilicet, ſiue vir, ſiue vxor, proſtituit corpus ſuum, quod alieni iuris eſt, teſtante Apoſtolo [c], non minus virum in poteſtate vxoris eſſe, quàm ſit vxor viri, cùm neuter eorum ſit corporis proprij dominus, ſintque, quaſi mutuo ſeruitutis nexu, ita vicißim coniuncti, vt duo in vna carne eſſe cenſeantur, vniuſq. voluntatis. Qui adulter eſt, ait Salomon [d], propter cordis inopiã, perdit animam ſuam, & ignominiam, & turpitudinem congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur. Huius flagitij magnitudo, quanta ſit, oſtendunt ſeuera ſupplicia de adulteris ſumpta in vnaquaq. bene inſtituta Republica. Apud [e] Hebræos lapidibus obruebantur. Romani, Græci, alijque populi, vel morte [f], vel oculorum priuatione [g], vel alijs pœnis, in coniugales fœderis violatores animaduertebant, adeoq. odioſum fuit olim adulterium, vt patribus [h] etiam occidendi filias in adulterio deprehenſas leges poteſtatem dederint. Quapropter, quoniam in ſacris litteris [i] legimus, ob vnius tantùm hominis libidinem Sichimorum ciuitatem fuiſſe deletam, vt tot pericula à noſtrorum ſubditorum ceruicibus depellamus, præterquàm, quòd pœnas iure canonico contra adulteros ſtatutas renouamus, confeſſarijs inſuper omnibus, ſiue Regulares, ſiue ſeculares ij fuerint, prohibemus, ne publicos cõcubinarios, nobis inconſultis, ab huiuſmodi peccatis abſoluant. Quod, & frequenter inter Miſſarum ſolemnia publi-

a S. Thom. 2. 2. q. 152. & de virgin. q. 152.
b Geneſ. c. 2.
c epiſt. 1. ad Corint. c. 7.
d Proverb. cap. 6.
e Leuit. c. 20. Ioan. c. 8.
f tot tit. ff. ad l. Iul. de adulteriis.
g vt de Seleuco Syriæ Rege tradit hiſtorici.
h l. nec eſſ. ad l. Iul. de adulter. Geneſ. c. 34.

publicari in parochijs volumus, vt ſceleris turpitudine, pœnarumq. timore, homines ab hoc facinore deterreantur.

CAP. II.

ATtamen prætextu adulterij, quod ab altero coniugum commiſſum fuiſſe videatur, altero non accuſante, non poteſt procurator fiſcalis, ſicut, neque [a] pater auctoritate patriæ poteſtatis, vllo modo turbare matrimonium. Verùm, ſi mulier, abſente viro, adeo corpus ſuum vulgauerit, vt etiam [b] filios cum iniurja matrimonij eam ſuſcepiſſe manifeſtum ſit, diffamato [c], ſcilicet, ac tam publicato adulterio, non prohibetur procurator, quin eo caſu rem in iudicium deducat; immo, ne conceptum in populo ſcandalum, vlterius bonorum oculos offendat, vt legum honor conſeruetur, quàm diligentiſſimè curet, quo vnius [d] peccantis pœna multorum innocentium terror ſit. Si autem ignoretur adulter, de illo inquirere, vt puniatur, neminj, niſi ſoli [e] marito, liceat, ad quem etiam pertinet accuſare. Inquirat ſecreto parochus, criminiſq. compertum adulterum de proprio periculo benignè admonere non deſiſtat, donec eum à propoſito deterreat: ſed, ſi nihil ſe proficere cognouerit, nobiſcum negotium communicet, vt, opportuno remedio adhibito, & publicæ, & priuatæ vtilitati, quoad eius fieri poterit, conſulamus.

a l. 1. §. vlt. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. iur. & l. quamuis C. ad l. Iul. de adulter.

b vt in Liſiâ cum demnatus ff. d his qui ſunt ſui vel alien. iur.

c ad l. Iul. de adulter.

d Leum ſeruum in h. C. de ſer. fugit. l. aut tamen §. vlt. ff. de pœn. l. 3. omnes C. d defenſor. ciuit. & d. l. quamuis.

CAP. III.

SIcut alienas vxores ſolicitare, ac matrimonia inuadere, quamuis praua voluntas ad effectum non perducatur, propter perniciosam libidinem, delictum leue non eſſe cenſuerunt humanæ [a] leges, ita & in foro pœnitentiario, mentalis [b] alieni tori violatio adulterium eſt, licet actu conſummatum non ſit. Committitur enim peccatum, non tantum re, ac corpore, ſed & intentione, & animo, cum quis fœminam ex aſpectu concupiſcit, fitq. adultera mens, ſi, vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit. Mens quippe eſt ea, quæ peccat, ait Lactantius [c], quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione cõplectitur. In hac crimen eſt, in hac omne delictum: nam, etſi corpus nulla eſt labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt, nec illibata caſtitas videri poteſt, vbi conſcientiam cupiditas inquinauit. Quare apud Matthæum [d] legitur: Qui viderit mulierem ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Et ſanctus Bernardus: Intueri, inquit [e], & alloqui fœminas bono adoleſcenti vetitum eſt, non, vt execretur ſexum: ſed, vt fugiat vitium. Tanti itaque criminis grauitate conſiderata,

a l. 1. in principi ff. de extraord. crim. b c. non ſolùm 32. q. 7. c. lex illa 36. q. 2. l. inter §. 2. ff. hoc tit. l. inter ſtupru ff. de ver. ſign.

c lib. de ira.

d cap. 5.

e ſer. de doctrina puer.

vigilent confeſſarij in animarum ſibi commiſſarum non contemnendo periculo, opportuniſq. remedijs, atque exhortationibus, deprauatas confitentium cupiditates coercere, ad ſalutisque viam reuocare, ſumma animi contentione ſtudeant.

CAP. IV.

PIget nos ſanè, & maximè pudet referre, quæ in nonnullis noſtræ iuriſdictionis pagis, & villis à petulantiſſima iuuentute fieri nõ ſine magna admiratione accepimus, licet prædeceſſores noſtri prauam eam conſuetudinem abolere, ac tanquam herbam venenoſam, radicitus euellere ſeueris edictis, ſummaq. induſtria, nixi fuerint. Ea verò talis eſt. Solent ruſticani adoleſcentes ſabbato, diebusq. feſtis, quibus à laboribus [a] quieſcere, & ſoli Deo vacare mos eſt Chriſtianis, poſtquam cum nubilibus puellis ad multam noctem vigilauerint, eo colore, quòd longe à ſuis domibus abſint, ab illis cubitum diſcedere volentibus dari ſibi hoſpitium petere, quod vulgò ALBERGER dicitur: Quod quidem illæ, pacto de pudicitiæ incolumitate priùs inito, earum parentibus minimè abnuentibus, non recuſant, ſed ſingulæ ſingulorum iuuenum fidei ſe ſe in eodem cubili, ſubucula tamen retenta, ſtultè committunt, vbi, cum, furente venere, fruſtraque reluctãte ſubucula, & ridicula pacta, & virginea clauſtra perfringi, fieriq. mulieres, quæ paulo ante virgines fuerant, frequentiſsime eueniat (quid enim ex amantium eiuſmodi nocturno congreſſu in ſumma ſolitudine expectandum eſſet?) ſtupri turpitudo nuptiarum nomine excuſatur, vtque matrimonium clam contractum in facie Eccleſiæ perficiatur, non erubeſcunt impudentes mulierculæ concubinos ſuos, ſi tergiuerſentur, etiam in iudicium vocare. Quem deteſtabilem abuſum, vt ſatanicum inuentum, Chriſtianiſq. auribus abſonum, & in ſocietate humana ipſis etiã ethnicis intolerabile, nos extirpare cupientes, ne, ſcilicet, ex peccato initium habeat ſacramentum matrimonij, cuius virtute peccata remittuntur, prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones contra huiuſmodi corruptelam promulgatas approbamus, ac confirmamus, declarantes inſuper, excommunicatos eſſe, non ſolùm inferentes, & patientes ſtuprum: ſed, ſi id ſciant, ac permiſerint, etiam eorum parentes, quorum abſolutionem nobis reſeruamus, omnino negaturi ijs, qui puellas deflorauerint, niſi eas, aut vxores duxerint, aut boni [b] viri arbitrio pro perſonarum ſtatu, atque facultatibus dote æſtimata, illatum damnum reparauerint.

a Seuer. li. 8 tranq. virtu. c. vlt. Symmach. li. 4. ep. 8.

b Caſa c. 26. Clar. §. ſtuprum n. 3.

CAP. V.

SI autem quæſtio oriatur de puella, quæ paſſa ſit ſtuprum, an, ſcilicet, virgo fuerit, ac conſequenter, an dotari debeat, nec ne, in dubio præſumẽdum [a] eſt, etiam abſq. [b] iuramento, eam fuiſſe virginem eo [c], quòd honeſtè vixiſſe exiſtimetur. Si autem, qui eã deflorauerit, ab alio homine compreſſam fuiſſe probare voluerit, ad [d] probandum admittatur. Quòd, ſi non plene probauerit, eam, vel vxorem ducere, vel arbitrio boni viri, vt diximus [c], dotare teneatur.

a d.c.1.& ſ. ext. hoc tit.
b Clar. ſ. ſtupri ver. ſed pone, quę ci tat. & ſequit. Thef. in deciſ. Pedemont. 3.n.2.
c Parif cõſ. 100.n.14 Ia. Cla. d. ſ. ſtuprum no. 3 verſus fin.
d Alex. cõſ. 157.vol. 3.lib. 1. ſ. Thef. decii. 3. n.4. verſ. ſecundum regulã etiã &c.
e ſup.c.proxim.

De raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum. Tit. XV.

CAP. I.

EA eſt raptus cõditio, vt inter [a] raptorem, & raptam, quãdiu ipſa in poteſtate raptoris fuerit, nullum poſſit cõtrahi matrimonium, niſi rapta, à raptore ſeparata, atque in tuto, ac libero loco poſita, cum eo maritali vinculo iungi conſentiat: quo caſu valere matrimonium definiuit ſancta Tridentina Synodus, ſimul ſtatuens, non ſolum raptorem, ſed & conſilium, atque auxilium raptui dãtes excommunicatos, perpetuò infames; omniumq. dignitatum incapaces eſſe; ac, ſi clerici fuerint, proprio gradu deijci debere. Quam conſtitutionem hactenus temporum iniuria neglectam reſtitui, ac obſeruari volumus; prohibentes parochis noſtris, ne eiuſmodi illegitimis nuptijs fauere, aut vllo modo intereſſe audeant, alioquin excommunicationis gladio feriantur, beneficijs priuentur, ad aliaq. obtinenda perpetuò inhabiles noſtro arbitrio vlterius etiam multentur.

a ſeſſ.24 de refor. matr. cap.6.

CAP. II.

RApta etiam dicitur, quæ, non vi, ſed per illecebras, ac [a] blãditias à paterna domo, aliouè honeſto loco, volens, ſe abduci conſenſerit, dum carnalis [b] commercij cauſa factum id eſſe probetur. Si quis tamen virginẽ ſub curatoris cuſtodia exiſtentem, eo ignorãte, vel inuito, conſentientibus præſertim proximis agnatis, abduxerit, vt vxorem ducat, neque crimen committit, neque raptor appellandus eſt. Etenim, cùm filiafamilias adulta, & Pontificio [c], & diuino iure, etiam ſine parentum cõſenſu, licitè nubat, nec ideo priuari hæreditate [d] poſſit (nulla ſcilicet, apparente ingratitudinis cauſa, ex ijs, quas recenſet Iuſtinianus [e]) eam ſine auctoritate curatoris nubere poſſe, non eſt dubiũ, cuius, quoad hoc, magis ſuſpecta fides videtur, quã neceſſarius conſenſus, cùm probabile ſit, ipſum, vt occaſione matrimonij curæ ſolicitudine liberetur, ſibi creditæ adoleſcentulæ, etiam parum vtiles nuptias minime improbaturum. Quamobrem, nec poteſt curator ſuæ curæ commiſſam puellam abſque agnatorum conſenſu nuptui tradere, non ſolùm, quia illa ab inteſtato in eorum bonis ſuccedendi ius habet, verùm etiam, quia licet matrimonium cum indiuidua perſona contrahatur, attamen cum integra familia [f], ac gente eius, cum quo contrahitur, contrahi videtur.

a Clar. in ſ. raptus n.3.
b Idẽ Clar. ibid.n.7.
c vlt. ſeſſ.24 de refor. Cõcil. Trid. late Aud. Animaduer. lib.2 cap.11.
d Aud.d.lib. 2. cap.
e Nouel. 115 Vt cli. de Appell. cognit. ſ. aliud quoque apponi

f arg.cap.2. verſ. expedit ſup de conſang. & affi.

CAP. III.

CVm & in virginis nondum viripotentis corruptorem, & in iudicem, qui crimis apud ſe ream mulierem cognouerit, capitali ſupplicio animaduertendum eſſe cenſeãt iuriſperiti [a], quia rapuiſſe potius, quàm ſtuprum intuliſſe videantur, pronunciamus & nos, grauius peccaſſe talia committentem, quàm, qui virginem ſimpliciter compreſſerit, ideoque ſeuerius puniendum eſſe. Quod ob oculos confeſſariorum ponimus, vt [b], lepram à lepra diſtinguentes, & facilius confitentiũ conſcientias purgare, & in diſquirendis propriæ ſalutis periculis eos cautiores reddere, ſtudeant, impetratis ſimul plenioribus ſatisfactionibus [c], quo delictorum atrocitas pœnarum rigore compenſetur, mandantes præterea procuratori noſtro fiſcali, vt contra huiuſmodi delinquentes, eiſque conſilium, aut auxilium præbentes, nec non contra eos, qui, cùm impedire poſſent, hoc fieri permiſerint, diligenter inquirat, & procedat, vt tanti facinoris conuicti, arbitrio noſtro, ſeu Vicarij generalis noſtri, ſeuere puniantur.

a Ia. Faber ad ſ. ſed lex Iulia poſt n. 7. Inſt. de pu bl. iudic & aliquos ci tat Clar. d.ſ. ſtuprum n.9
b Dam. c.19
c l.cum reis. C. de pœnis.

CAP. IV.

RAptoribus, violatoribus, rerumq. Eccleſiaſticarum incendiarijs, cùm ſint ipſo iure [a] excommunicati, niſi ablata bona viuentes reſtituerint, aut illata damna integrè reſarciuerint, vel de reſtitutione, aut refectione cauerint, deneganda eſt ſepultura. Sed, ſi in mortis articulo conſtituti, manifeſta pœnitentiæ ſigna oſtenderint, fuerintq. à criminibus abſoluti, in cæmeterijs eos ſepeliri poſſe permittimus, quandocumque hæredes pro eorum [b] facultatibus vbicumque opus fuerit, ſe ſatisfacturos promiſerint; quòd, ſi intra terminum ſatisfactioni præſcriptum id minime præſtiterint, hæredes excommunicationis mucrone feriantur, qua liberari non poſſint, niſi eos pro viribus hæreditarijs Eccleſiarum indemnitati plene conſuluiſſe conſtiterit.

a c.1. & ſ. eam. eod. tit.
b c.1.eo.tit.

CAP.

CAP. V.

QVamquam autem, cùm ſacrilegia ſint, quæ ſuperiùs crimina [a] recẽſuimus, ab Eccleſiaſtico tãtùm iudice [b] cognoſci debẽt, attamen, quia in [c] noſtra Prouincia etiam iudex laicus de ijſdem criminibus cognoſcit, abſque dubio [d] locum habet præuentio, ſicut & in ſimilibus, quæ mixti fori [e] appellantur, vt adulteria, concubinatus, vſuræ, ſortilegia, quorum iudicium ſolius præuenientis ſententia terminatur, ne, ſcilicet, pro eodem delicto duplicem, aut abſurdam condemnationẽ, ob variorum iudicum opinionem, fieri cõtingat: quod [f] omnino vitandum eſt. Sed, ſi de clerico reo agatur, is vtique à ſolo [g] iudice Eccleſiaſtico iudicetur. Si verò de clerico, ac laico coniunctim, (quamuis iudex laicus præuenerit, ne cauſa diuidatur, vtque magis dignum, prout iuris eſt [h], trahat ad ſe minus dignum) & laici, & clerici iudicium ad forũ Eccleſiaſticum tranſmitti oportet. Intereſt [i] namq; Reipublicæ, lites, quam minimo ſumptu, & quàmcitiſſime expediri: quod quidẽ veriſimile eſt, facilius fieri poſſe, ſi plures cauſæ ab vnico iudice cognoſcantur, quàm, ſi vnaquæque cauſa particularem cognitorem habeat.

a ſu. c. proœm.

b c. 1. ext. de off. ord. c. cũ ſit generale, & c. cum ſit generale, & c. conqueſtus extra de foro compet. c A Faber i C Fab. tit. 8 num. ſacril. decis. 1. & in omnibus ſuis aliis quibuscũq; locis Clar. in Prac. cri. q. 37 n. 6. & in §. ſacrilegium n. 1. & ſeqq. & Matthæus de Afflict. in ſuis Conſt. Neapol. tit. 80. Clarus d. n. 6. e Clar. d. q. 37.

f l. ſingulis ff. de excuſationibus reorum tutel.

g c. 3. & 4. ext. de iudic. cap. 4. & 13. ext. de foro compet.

h l. 11. eodem ff. quemadmodum teſtamenta aperiuntur. Salutiæ ver. ridiculum, l. ult. de rer. diuiſ.

i vt dictum eſt ſup. c. 4. de iudic. & infra de lite conteſt.

De furtis. Tit. XVI.

CAP. I.

LEGALIVM præceptorum tranſgreſſores pro criminum menſura puniendos eſſe plane conſentaneum eſt. Itaque, licet furum, & latronum eadẽ penè conditio videatur, attamen, quoniam [a] leuius eſt furtum, quam latrocinium, grallator ex legum [b] ciuilũ præſcripto mortis ſupplicio, fur verò fuſtigatione, aut, ſi inſignis fuerit, perpetuo [c] triremium remigio, aut ſimili pœna, mulctatur; quando [d] propter loci conſuetudinem, aut ex delicti atrocitate [e] boni publici reſpectu grauius in eum animadvertendum non ſit. Sic, & in foro Eccleſiaſtico, quamuis furi æque, ac latroni, quos in actu furandi, vel grallandi, interfici eueniat, denegentur [f] omnia Eccleſiæ ſuffragia, niſi adhuc viuentes, venia ſuorum [g] peccatorum petita, veræ [h] contritionis ſigna dederint: Hoc tamen differunt, quòd fur non manifeſtus, poſtquàm rem ſubtractam reſtituerit, ſacramentalemq. ſatisfactionem ſibi à confeſſario imperatam peregerit, ad ſacros [i] ordines promoueri poteſt, quod, nec furi manifeſto, nec latroni, conceditur. Quapropter curam animarum habentes, ac confeſſarij, lepram [k] à lepra diſtinguere meminerint, vtque [l] pœna crimini reſpondeat, cum fure mitius agant, quàm cum latrone.

a l. 1. cũ duob. §. damna ff. pro ſocio. l. capitalia §. famoſos. ff. de pœnis

b d. §. famoſos.

c Clar. §. furtum nu. 7. & ſeq.

d d. Clar. ib.

e arg. l. vlt. ff. de offic. aſſeſſ. l. 11 ſocietat. §. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu. l. aut facta ff. de pœnis. f cap. 2. ext. eod. tit.

g d. c. 2.

h arg. c. à nobis ead. de ſent. excom.

i c. vlt. ext. eod. tit.

k Deut. 17.

l arg. d. l. vlt. alijs ead.

CAP. II.

PRobationes planè omnes, vnde ſtatus cauſarum, qualitaſq. delictorum exploranda eſt, certiſſimas præſertim à quæſtione criminali, ac clariſſimas eſſe oportet, maximeq. cauendum eſt, ne ex [a] præſumptionibus, aut coniecturis, aut iudicijs, niſi manifeſtiſſima fuerint, adeo vt vim probationum habeant, vllus vnquam condemnetur. At verò, ſi, Thoma clerico Petri item clerici domũ familiariter frequentante, Petri pecuniam furripi contigerit, fueritq. obſeruatum, Thomam in poteſtate ſua pecuniam plurẽ, quàm conſueuerit, habuiſſe, neque, vnde ei obuenerit, cõſtitiſſe, præterea, eum emiſſe aliquid, cuius pretium ſurreptæ pecuniæ ſummam, aut æquaret, aut ad eam proximè accederet, item ludendo, ſimilem ſummam expoſuiſſe, vel perdidiſſe, quam ſibi ablatam fuiſſe Petrus conqueſtus fuerat, ſitque tandem pauper Thomas, ac malæ famæ; dicimus, ex hiſce [b] indicijs Thomam de furto in quæſtionem poſſulari, ac ſi conuictus fuerit, vt furem, legitimè condemnari poſſe, ita tamen, vt de furto, hoc eſt, de [c] corpore delicti, nequaquam dubitari poſſit.

a l. vlt. C. de probat.

b l. 1. §. tormenta ff. de quæſt.

c l. 4. & vlt. ff. de confeſſ.

CAP. III.

QVamquam criminis probatio non eſt ſumenda ex affirmatione accuſatoris, neque eius [a] domeſticorum, ſicut, neque [b] ex domeſticis illius, qui accuſatur, ſed ex teſtiũ depoſitione ex [c] vrgentibus præſumptionibus, atque ex confeſſione rei, nihilominus ea confeſſio non [d] probat crimen adeo, vt, niſi [e] aliunde conſtet de corpore illius delicti, accuſatus poſſit condemnari. Quare, ſi, exempli gratia, Symon presbyter Eugenium diaconum accuſauerit, quòd ſibi aliquid furripuerit, ac poſtea confeſſus fuerit, ſe rem ſurreptam recepiſſe, & credi poſſit, reddita, probandum eſt, fuiſſe ſurreptam, alioquin Eugenius abſoluendus eſt, etiam inuitus, cũ [f] perire volenti leges minime ſuffragẽtur.

a l. pen. ff. de teſtibus.

b l. de mino re 1. tormenta ff. de quæſt. cum ſup. c. prox.

d d. l. 1. §. D. Seuerus ff. de quæſtionib. e l. 4. & vlt. ff. de confeſſ.

f l. non tantum in fi ff. de appell.

CAP. IV.

VT quis verè fur dici poſsit, non ſufficit, rem furtiuam in eius poteſtate reperiri, niſi [a], ipſum eam ſurripiendi, ac celandi animum quoque habuiſſe conſtiterit; qui [b] quidem animus præſumi non debet, ſi rei [c] reſtitutio non grauate offeratur, quæ fortaſſe, aut domeſticorum errore, aut calumniatoris calliditate, aut etiam inimici malitia apud innocentem reperta fuerit. Itaque, niſi [d] delictum clarius probetur, ex hoc indicio neminem condemnandum eſſe pronunciamus.

a §. placuit, Inſt. de obli. quæ ex delict. nascunt l. falſus §. qui alienã l. qui eam me. ff. hoc tit.

b l. meritò ff. pro ſocio.

c arg. l. 2. C. hoc tit. d d. l. vlt. C. de probat.

De usuris. Tit. XVII.

CAP. I.

INIQVVM planè, ac maximè odiosum est, lucrũ ex fœnore, siue vsura, existens, nec solum [a] ciuili, ac Pontificio [b], sed & diuino [c] iure interdictũ æque, ac homicidium, cùm fœnerator; dum pauperis pecuniam corradit; fratrem occidere videatur iuxta illud Augustini [d]: An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quàm, qui trucidat pauperem fœnore? Quod alijs verbis innuit Ambrosius [e], dicẽs: Sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat: & Basilius [f] fœneratores cum viperis maternum ventrem rodẽtibus comparat his verbis: Fœnus ex fœnore malorum parentum praua soboles. Ferunt, viperas, materno vtero perroso, partum edere: pari ratione etiam fœnus, erosis, ac consumptis ædibus, generatur. Interrogatus [g] aliquando Cato Censorinus, quid esset fœnerari, respondit, esse hominem occidere. Idcc maiores [h] nostri hanc pestem seueritsimis poenis, atque edictis, insectati sunt. Quibus nihilominus neglectis, subditos nostros palam fœnerari non sine lachrymis accepimus, nec tolum laicos, sed clericos quoque, nec non ipsa collegia, ipsas Vniuersitates, id nimirum sibi licere existimantes ex locorum consuetudine, ex magistratuum connitentia, ex [i] Principis quadam constitutione, seu edicto: Quod Dux Emanuel Philibertus animadertens, in hac præterrim Prouincia, licitas quatuam emptionum species frequentari, quæ in vsurarios contractus desinerent, numeros vltras egnasit, vt maiores ex hominum commercio exterminaret: quod [k], & boni publici [l] respectu alios Principes nonnullos facitasse non ignorabat. Verùm, licet huius edicti auctoritate fœneratores ab omni secularis fori periculo tuti sibi esse videantur, meminerint tamen, se, nec canonicis, nec diuinis pœnis ideo exemptos esse, quæ sanè enormes sunt, vt fame [m] perire prasset, quàm fraternas substantias per vsurarum quastum exhaurire, cum fœnori, hoc est pecuniæ ex pecunia multiplicandæ operam dantes, non solum rapinæ, letalisque peccati rei sint, sed & quodcunque ex eo contractu conquisiuerint, tanquam male partũ, restituere [n], vel de eo restituendo ita cauere [o] debeant, vt, nisi viuentes æs alienum dissoluerint, eorum hæredes [p] onus illud subire legitimè teneantur.

a ff. & C. eo. tit.
b c plerique n. Vsura 14. q. 3. & seq. c. 47. fere g tot extan. d. & Clem hoc tit.
c Exec. cap. 18 Luc. c. 6. Exodi c. 22. Leuit c 25. Deut. c. 23. Psalm. 14. Prouerb. c. 28 Hier. c. 15. ad ep ad Macedon 30. q 1. de Tobia c. 14
f in oratione de vsuris
g Cic. lib. 2. de off in fi.
h to tit. eo. in 6 Clem. & decretal.
i de quo An. Faber in hoc cod. tit. 6 hoc tit. Clem. vsur.
k ex constit. Pomil. Leonis 6.
l Faber de h. a. cod.
m d cap. 18. Exec. Luc. 6. & alijs sup. citatis.
n S. Th. 2. 2. q. 78. Theologica Summula in ver. Vsura. o ex his lib. 6. cod. tit.
p c. 9. ext. cod. tit.

§. 1.

Ne igitur cum certissima animarum pernicie subditorum nostrorum facultates huius viperini dentis venenum vlterius experiãtur, constitutiones omnes aduersus vsurariã prauitatem promulgatas, quamuis in desuetudinem abijsse, ac temporis vetustate forsitan antiquatæ videantur, ad pristinum robur, viridemq. obseruantiam reuocamus, atque innouamus ita, vt quicumque, siue ex mutuo, siue ex alicuius fundi emptione, locatione, traditione, alioue huiusmodi contractu, lucrũ sibi vsurarium quæsierit, seu stipulatus quoquomodo fuerit, si laicus [q] sit, ipso iure excommunicatus, si clericus, atque admonitus, in errore perseuerauerit, ab omnis [r] etiam officij, ac beneficij administratione suspensus esse intelligatur. Collegia verò, vel Vniuersitates, quæ in fœnebri contractu nomina dederint, Ecclesiastico interdicto subiaceãt, quamdiu propositum fœnerandi pertinaciter retinuerint. Notarij [s] insuper, quivè chirographa confecerint, eadem poena, qua contrahentes, plectantur, à qua neminem delinquentium absolui volumus, priusquam male perceptos fructus, aut restituerint, aut libere eos sibi remitti à creditoribus impetrauerint.

q c. 7. eod.
r d. cap. 7.
s c. 1. eod. lib. 6.

§. 2.

Manifesto [t] fœneratori, non solùm altaris sacrosancta communio, sed & Ecclesiastica sepultura denegetur: quin, & ab oblatione repellatur, nec quamuis sacramentali confessione, signisq. cõtritionis haud obscuris peccatorum suorum poenitentiam exhibuerit, in sacro loco sepeliatur, nisi, quod ex illicito quæstu corraserit, aut restituat, aut [u] de eo restituendo adeo idonee caueat, vt, si eius hæreditas soluendo fuerit, ab hæredibus [x] exigi possit, quod ab ipso viuente solutum non fuisse constiterit.

t cap. eod.
u c. 6. eod. lib. 6.
x cap 9 eod. tit.

§. 3.

Locus admonet, vt, quæ ad diluendum, seu extenuandum tantum crimen in medium proferuntur, pro rei occasione breuiter recẽseamus. Porrò clerici, collegia, atque Vniuersitates teterrimi huius quæstus culpa in paupertatem reiecta, etiam illicita sibi licere existimant, factique in periculo audaciores, fœnebre commercium his ferè rationibus adumbrant, quod, scilicet, agri, vineæ, bonaque omnia immobilia, vectigalibus, portorijs, aliisque laicorum impositionibus eò vsque in dies onerentur, vt fructus fundorum alimentis, ac vitæ necessitatibus sufficere nequeant. Quam ob rem, si in angustijs positi, alibi pecunias suas collocare cogantur, neque auaritiæ stimulari, neque in fœnerantium numero censeri debere dictitant, clerici

clerici ſpeciatim, quibus, cùm ex præcepto Apoſtoli [a] negotia ſecularia penitus interdicta ſint, ſi canonicis ſubſidijs deſtituti, Eccleſijs deſeruire teneãtur (dignus [b] eſt enim operarius mercede ſua) vtique abſurdum non eſt, eos, dum ſpiritualia ſeminant, teſte eodem Apoſtolo [c], temporalia metere poſſe. Hæc ſunt, quæ molliores animos de Chriſtiana via ad vſurarios tramites deflectere faciũt; quos tamen fortioribus rationibus, atque argumentis, de ſententia dimoueri poſſe non diffidimus. Etenim negamus, laicorum exactiones ita graues, ac moleſtas eſſe, vt emere fundos non expediat, præſertim clericis ſeculi poteſtate diuino priuilegio exẽptis: deinde dicimus, pecuniæ collocandæ loca non deeſſe, ac forſitan vberiore fructu, quàm, ſi fœnori daretur, ſpeciatim in cenſibus, quorũ obuentiones licitæ ſunt, dum iuxta conſtitutionem ſummi [d] Pontificis Pij Quinti collocentur: ſed, vtcumque ſit, cùm fame perecundum ſit potius, quàm foenerandum, vaniſſimi, atque infidelis hominis eſt, terrenum lucrũ cæleſtibus diuitijs anteferre. Quid enim [e] prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

a ep. ad Timoc. c. 2. to. cit. ne cler. immi ſe negſecul.

b Lucæ c. 10 e. cum ſecũdum ent. de prædendit. c epa. ad Corinth. c. 9.

d de qua c. 2 ſup. de empt. & vendit.

e Matt. c. 16 Mar. 8. Luc. 9.

CAP. II.

SEd, quoniam vſurarum nomine etiam legitimi fructus comprehenduntur, operæpretium erit de natura vſurarum ſummatim diſſerere. Quas [a] igitur, & diuino, & humano iure, damnari diximus, eas eſſe intelligimus, quæ hominum ſubſtantias iniuſtè abſorbeant, notamque [b] auaritiæ earum petitoribus inurant, non autem eas, quæ [c] propter moram in ſoluendo interpoſitam à debitore exigi licitè poſſint, quantùm creditoris iure intereſſe conſtiterit, vt, cum promiſſa, nec ſuo tempore tradita dote, debentur [d] vſuræ marito propter onera matrimonij, vel, cum, accepta rei emptæ libera poſſeſsione, vnde, & fructus percipit [e], vel percipere potuit, retẽtoque pretio vltra tempus legitimũ, emptor vſuras præſtare cogitur venditori, etiam non interpellanti [f]; neque enim eodem tempore habere poteſt rem [g], & pretium, niſi forte, quia venditor ex [h] legum præſcripto de euictione non ſatisfecerit, quo caſu, ad vſuras ſoluendas emptor compelli non poſſe [i] videtur: quod quidem nobis non probatur, ſi rem poſsideat, ex eaq. fructum percipiat: ſecus [k], ſi rei pretium deponat. ſi verò pars pretij ſoluta ſit, emptor pro rata eius, quod ſoluit, iure dominij fructum lucratur: partis autem non ſolutæ vſuras venditori repræſentare tenetur.

a cap. penult. ſup. in prin.

b c.ſi. & paſtor ext. de uſur. cod. tit.

c Io de Anania, & alij ad c. coqueſtus, & c. ſalubriter ext. eod. d. d. cap. ſalubriter.

e l. euictbit C. de empt. & vend l. 2. C. hoc tit.

f l. 3. C. de interg. reſtitut. l. 3 item ſcio 6. vſuras ff. de leg. 2. § d. l. curabit l. exẽpto 9. vlt. l. bonafides ff. de act. empti, & vend. Bal. ad l. ff. de iudic. Alex. cõſil. 121. col. 4 h. de qua in Lib poſſ C. d euictio.

i Aſſic. dec. 20. n. 5 poſt Bal ad l. C. de bon. mat. & arg. l. 4 g te nõ ſtat c l. acceptam C. hoc tit.

CAP. III.

SI pro rei emptæ pretio vſuræ ab emptore exhibeantur, venditorem nihil aliud petere poſſe ratione lucri ceſſantis, definitum eſt, etiam ſi ſolitus ſit negotiari, atque ex negotiatione lucrum [a] facere, niſi probet, res ſuas in eo ſtatu fuiſſe, vt certum, ac indubitatum commodum ex negotiatione tunc conſecuturus fuiſſet: hocque [b], quia fieri potuerit, vt ipſe ex eadem negotiatione nihil, aut parum lucraretur. Hæc autem locum habere dicuntur, cum venditor fidem emptoris ſecutus, ei rem tradidit, alioqui, nec dominium rei venditæ, quamuis emptori tradita fuerit, tranſire intelligitur [c] in emptorem, nec fructus inde prouenientes emptori acquiruntur, ad ſolum [d] namque, non ad ſemen referũtur.

a aliter ſentit Bar. ad l. 1 va C. d ſent. quæ pro eo, quod inter. probet.

b Aſſict. d. deci. 20. poſt Caſtr. ad l. 2 §. nãc de officio in gloſ. ibi. facere ſo letus ff. d eo, quod cer lo. ex l quemad modu § ſi na ure in fin. ff. ad l Aquil. & l. naturaliter § 1. ff. d acq rer. do. c in l quod vendidi ff. d coem. empt. d l. qui ſcit §. 1. ff. hoc ti. a arg l lega tum ff. d vſu, & vſufr. leg.

CAP. IV.

SI teſtator, aut pietatis, aut memoriæ [a] cauſa, ſuæ parochiali, vel alteri cuiuis Eccleſiæ, ducentos aureos nummos legauerit, vt aliquot Miſſæ, ſiue Anniuerſaria celebrentur, vel ſimile aliud fiat, ea adiecta conditione, vt duodecim nummi aurei quotannis pẽdantur eidem Eccleſiæ, donec ſine incommodo hæreditatis etiam ducenti legati perſolui poſsint, nequaquam dubitamus, locum illum legatarium abſque ſcrupulo, ſeu periculo foenoris, duodecim annuos aureos nummos ritè, ac rectè accipere poſſe, dum Miſſas, aut Anniuerſaria celebrari, ac [b] quodcumque iuſſerit teſtator, integrè perfici curet, quaſi eos [c] ille in ſingulos annos legauerit, & ducentos [d] nummos loco pignoris eſſe voluerit, poteſt enim de rebus ſuis diſponere teſtator ita, vt eius voluntas pro lege [e] habeatur.

b arg. c. ſalubriter ext. hoc tit. c l. cũ in annos ff. d ann. legat. d l. ſunduefi. de ann. legatis.

e diſponat in Auth. de nupt.

CAP. V.

NEquaquam ſçnebris contractus præterea dicitur, quo quis ſub pacto de retrouendendo vtilius rem vendidit, quàm vendere potuiſſet, ſi ſimpliciter vendidiſſet. Cui enim nocuiſſe [a] præſumitur ita vendens, ſi re ſua priuari noluit, qua procul dubio priuaretur, qui abſque conditione venderet, cũ [b] duos dominos vna res inſolidum habere non poſsit? Nec conſequenter quidquam peccauit emptor, cùm iuxta voluntatem venditoris licite ſtipulatus ſit. Etenim [c] licita eſt venditio facta ſub conditione retrouẽdendi, quæ, quoniam [d] pars pretij quodammodo eſſe videtur, facit, rem vilius vænire, quàm ſi libere, ac ſimpliciter vænierit. Vt verò contractus vſurarius dici poſsit, ſitque pœnæ legali obnoxius, quæ ſuperius [e] diximus, in eo concurrant integrè, vel ex parte, neceſſe eſt.

a arg l l ea ſa §. interdũ l ex cauſa in princ. ff. de minor.

b l. ſi vt certo § ſi duobus vehiculum ff. commod.

c l. 1. ff. à te C. d pact. int. empt. & vẽd. cap. illo vos, vbi not. Oẽ, ent. d pœn. Card. Pãor qu ff. 316. in princ.

d l. tundipactem ff. d cõt. empt. l. ſi ſic ritu § ſi ſtim ff. d act cap. & vend l. ſi venditor § 1 in fi. ff. de actu. export. e c. 1 top. de empt. & vend. dicone.

CAP.

CAP. VI.

a l. ex conducto § Papinian. alias l. ſi vno ff. locati l. licet certis annis C. eod.

SI fundi capitularis conductor (cui[a] ob ſanni ſterilitatem mercedis rigor remitti debeat) vel totam mercedem, vel talem mercedis partem, quæ remiſſionis æquitatem, ac modum excedat, eo colore retinuerit, quòd remiſſionis iudicium boni viri arbitrio faciendum adhuc pendeat, incertumq. ſit[b], quantùm ipſe conductor capitulo erogare debeat; contra verò ſyndicus capituli vſuras petat eius ſaltem partis mercedis, quæ ſit extra omnem controuerſiam, nec conductor quidquam ſoluerit, vel, etiam recuſante ſyndico, vt ſolueretur[c], depoſuerit; dicimus, conductorem pro retenta parte mercedis ad vſuras omnino teneri pro ratione damni paſſi, concurrentibus tamen iure requiſitis, & non aliter, ne eodem tempore, & fundi conducti fructus, & integræ mercedis commodum habeat: quod à bona fide alienum, atq. abſurdũ eſt, haud[d] ſecus, quàm, ſi apud emptorem, aut venditorem, res, & pretium remaneat.

b l. ſi libertus ff. de oper. libert. l. ſocietatem in fin. cum ſeq. ff. pro ſocio.

c l. obſignatio C. de inſtrumb.

d l. etrabis C. de empt. & vend. Lex emptio §. quæcunq. l. Iulianus §. verumtamen autem l. bona fid. l. liberalitatis §. … hoc eodem tit.

CAP. VII.

CLericus in mora[a] non conſtituitur eo ipſo temporis inſtanti, quo ad aliquid faciendum, vel tradendum, abſque temporis conditione alicui obligatur, ſecus, ſi promittat, ſe certa die id facturum, vel traditurum: tunc enim, adueniente die, niſi in vltimo[b] eius diei inſtanti factum, aut traditum ſit, quod promiſſum eſt, ſtatim mora contrahi incipit, quo caſu[c], vt debitor in mora conſtitutus dicatur, neceſſaria eſt interpellatio: ex illo verò contractu fructus minime debentur, niſi à die litis conteſtatæ, ſi nulla præceſſerit interpellatio: debentur tamen ex die in ſtipulatione præfixa, ſi in diem[d] ſtipulatio concepta ſit. Sed, & hoc caſu moræ purgatio admittitur, ſi actoris[e] nihil interſit. Si verò clerico debitori ex illius actionis, ſeu iuris ceſſione, legitimum damnum ſequi appareat, nulla debebit haberi ratio lucri, quod creditori cedenti inde peruenire poſſit, ne ex creditoris commodo aliquam debitori iniuriam fieri contingat, quod planè iniquum legibusq. veritum eſt, cùm nullus creditor, quomodocumque actionem ſuam, cedendo, in alium transferat, conditionem debitoris ſui deteriorem facere[f] poſſit.

a l. promiſſor. § 1. ff. de conſtit. pecun.

b l. qui hoc anno l. ad edictum ff. de verb. obligat. conſtat. l. ſi fundi eod.

c l. mora ff. ſoluta l. Titia hæres §. vnicus ff. de leg. 2.

d l. ſi fundi ff. de verb. obligat. e l. ſi ſtipulatus § Scæuola de ſtipulat. ff. de ver. obligat. l. & ſi poſſit res ff. ſi quis caution. non ob.

e l. … ff. de alien. iud. mut. cauſa fact. c. a. & ibi tex. tenent. de … alien. iud. mut. cauſa fact. a ſupra c. a. eod.

CAP. VIII.

ODioſiſſimum[a] conſequenter cùm ſit nomen ſœneris, vt diximus, humanæq. ſocietati pernicioſiſſimum, quamuis teſtis[b] ſingularis in iudicio nihil probet, quia, deficiente conteſte, deficit quoque ferendæ ſententiæ fundamentum, vnici tamen[c] teſtis depoſitio in cauſa fœnebri ſatis probat delictum, præſertim, ſi non agatur ad pœnam, ſed ad fœneris exercitium prohibendum, alijs concurrentibus adminiculis, cuius turpitudo tanta eſt, vt, cùm nemini[d] ſibi ius, aut teſtimonium dicere[e] liceat, nec ſumenda ſit probatio ex domo vel rei[f], vel accuſatoris g, nihilominus leges permittant, eummet[h], qui pecunias fœnori acceperit, atque etiam vſuras perſoluerit, poſſe contra ſuum fœneratorem legitime teſtificari, dummodo proteſtetur, ſe ex illa diſpoſitione nullum commodum quærere: tunc enim videtur in re aliena, non in propria deponere.

a l. … ff. de iuriſdict. omn. iud.

b l. nullus ff. de teſtib.

c l. de minore § 1. cornuta ff. de quæſt.

g l. penul. ff. de teſtibus c. 3. ſuper. tit. proxim.

h Bald. vbi ſupra.

De crimine falſi. Tit. XVIII.

CAP. I.

STYLVS ille, quo, & noſtra Prouincia[a], & tota Gallia vtitur, vt, ſiue agatur de falſo, ſiue excipiatur, criminaliter, non autem ciuiliter, diſceptetur, atq. ab accuſatore in crimen ſubſcribatur, mirum in modum nobis probatur, vt, ſi quis per publicam, vel priuatam ſcripturam ſuſpectam[b] in iudicio exhibitam aliquid moliatur, niſi probet, eam eſſe veram, tamquam falſarius, coerceri poſsit, eodemque tempore, & nefarij homines à falſis accuſationibus ſubſcriptionis periculo deterreantur[c], & probationes, quibus veritas conſtat, ab impoſtorum calumnijs vindicentur.

a Arr. Fab. in ſuo C. de fin. t. 2. & l. Corn. de falſis.

b l. 1. in fin. C. de probation.

c l. ſi cui crimen ff. de accuſ. & inſcription.

CAP. II.

CVm ſcriptura priuata fidem faciat æque, ac publica, præſertim[a] contra ſcribentem, qui priuatam ſcripturam ab aduerſario productam falſi arguere intendit, ſolemni ſubſcriptione accuſationem inſtituere compellitur haud ſecus, quàm, ſi publicam impugnare velit. Id enim delicti qualitas, ac ratio[b] poſtulat.

a l. ſcripturas C. qui potior in pign. habean. l. vlt. C. de … probat. l. cùm tabernæ § 2. ff. de pign. l. cum hic ff. ad l. Corn. de falſ.

b de quæſtion. § proxim.

CAP. III.

TEſtes, quia non minus inſtruunt[a] cauſam, quàm inſtrumenta, ſuntq. illorum dicta eiuſdem ponderis, cuius & ſcripturæ, ſi falſum depoſuerint, grauiter puniendi ſunt, ac multò grauiùs, ſi, verum ſe dicturos iurauerint, vt, qui, non ſolùm proximum læſerint, ac iudicem eludere voluerint, ſed & Deum[b] ipſum contempſerint, cuius nomen in vanum inuocare piaculum eſt. Legitur enim in ſacris litteris[c]: Non facietis furtum, nec mentiemini, nec decipiet vnuſquiſq. proximum ſuum: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Et alibi[d]: Non loqueris contra proximum falſum teſtimonium. Sed, quoniam pro veritate præſumendum

a c. 10. ext. de fide inſtrum.

b c. 11. extra eod.

c Leuitici cap. 19.

d Exodi c. 20.

dum eſt, ſi teſtes ſint bonæ opinionis, ac famæ, in dubio non præſumantur falſi, nec, ſi accuſentur, eorum depoſitiones in quæſtionem veniãt, niſi, qui eos accuſauerit, in obiectum crimen ſubſcripſerit: quod ea de cauſa faciendum eſt, vt, ſi falſitas non probatur, qui eam obiecerit, talionis pœnam ſubeat.

CAP. IV.

a Iuliomin §. 2. de reqq. ff. d cõtrah. empt. l. ſi cũ aurum ff. de ſolution.

QVod dicitur iure permiſſum contrahentibus, vt, ſcilicet, ſe ſe [a] inuicem decipiant, non extendi ad ſubſtantiam contractuum manifeſtum eſt, ne commercium iniquitatis ſit, quod legum auctoritate ab iniquitate vindicatur. Ideo, qui de induſtria falſam monetam vilius comparat, ac, vt, tanquam bonam, cariùs vendat, publicè exponit (vnde, & fides publica ſuſpecta redditur, & populus decipitur) nullo iuris patrocinio

b l. 2. C. de falſ. mon. Iul. Clar §. falſa mo. 4.

ſubleuetur, quin in foro exteriore puniatur [b], ac, ſi falſam monetam cudiſſet. Sic & in foro pœnitentiario, non ſolùm cudentes, ſed & falſam monetam diſtribuentes, abſolui nolumus, niſi prius ablatũ integre reſtituerint, vel, ſi ſoluendo non fuerint, de reſtituendo, aut cauerint, aut ſaltem fidem dederint, ſi ad

c arg. c. qui aut ex dict. Pont. excom.

pinguiorem [c] fortunam peruenerint.

§. Vnic.

Dubium quoque non eſt, peccare eũ, qui falſam monetam, quam imprudens accepit, putans eſſe bonam, impendit, quamuis non, vt commodum capiat: ſed, vt incommodum euadat, id facere videatur. Mitiùs tamen cum eo agendum eſſe exiſtimamus, qui, non lucro captando, ſed damno vitando intentus,

d vt ea. ſup. dixit prou. c. 1. vb. §. ſin vero creditores C. Iuſt. de libe. l. quã non §. ſimili modo eiusmodi ff. qui à fruc. credit. l. 4. §. ſi cum legitima cũ ſeq. ff. de dolo ma. excepit. Hocque ſenſiſſe Ampar. tum refert. Cic. li. 3. off.

quodammodo fauorabilius [d] peccat: excuſatione enim dignus eſt interdum, qui pro indemnitate [e] propria laborat.

e Ioan. Andr. in addit. ad Spec. in tit. de inſtrum. edit. §. nunc videndum.

De ſortilegijs. Tit. XIX.

CAP. I.

TAETERRIMVM planè, atque inter grauiora flagitia maximè execrabile eſt ſortilegiũ, tum, quòd ex fallaciſſimis obſeruationibus imaginatum, nihil, niſi mendacia, ſuis amatoribus dare poteſt, tum, quòd mendacij patrem diabolũ auctorem habet, cuius malitia, atque artibus, in nonnullis noſtræ iuriſdictionis locis deteſtabilia ſcelera in infantes, in iumenta, in agros, in ipſaque matrimonia, paſſim patrari, nõ ſine magna animi moleſtia, accepimus. Quocirca, vt, quantùm in nobis eſt, ſuperſtitiones, falſæ rerum futurarum coniecturæ, cæteræque ſatanicæ ſuggeſtiones, à finibus noſtræ Prouinciæ exulent, de ſortilegijs, incantationibus, omnibusque magicis diuinationibus, diligenter inquiri, ac quæſtionem haberi, mãdamus, vt, qui æterna ſalute poſthabita, in verba Belial iuraſſe deprehenſus fuerit, pro criminis menſura ſeuere puniatur.

§. Vnic.

Itaque, clericum nobis ſubditum, quicumque is fuerit, qui cum eodem humani generis hoſte, commercium huiuſmodi habuiſſe conuincatur, infamia notari, deinde, ſi monitus, non reſipuerit, deponi, atque in monaſterium iuxta ſacri Concilij [a] Lateranenſis tertij decretum, trudi, beneficijs inſuper, atque officijs Eccleſiaſticis omnibus priuari, volumus: laicos verò vtriuſque ſexus, præterquam, quòd pœnis contra ſortilegos, & canonico [b], & ciuili [c] iure promulgatis ſubijciuntur, etiam excommunicamus.

a cap. Loth. X

b c. Iſti eũ reqq. de. q. 3 c. 1. & tu ibi. extr. cod. c. 1. de cruc. C. de ma. leſic. Mathem. & ſortileg.

CAP. II.

FAmiliare vitium eſt muliebri ſexui, cum ægrotantibus maritis, aut filijs, aut charioribus perſonis, opem ferre cupiunt, cæleſti medico poſtpoſito, à quo precibus, ac pœnitentia, languentibus ſanitas paſſim impetratur, humanã etiam remedia negligere, quibus terrenorum medicorum diligentia grauiores morbi identidem curãtur, ad inſanaſq. incantationes [a], ac impia carmina confugere, chartulis etiam, ſeu breuibus, vt vocant, nec non characteribus ægrotorum collo appenſis, quaſi inanibus verbis plus tribuendũ ſit, quàm medicorum, ac medicamentorum virtuti, atque adeo ipſius Dei omnipotentiæ. Quod in equorum, boum, aliorumque id genus animalium morbis ab hominibus quoque fieri iampridem obſeruatum eſt. Nos igitur, in huiuſmodi prauo abuſu diabolicam induſtriam agnoſcẽtes, vt peſtifero hoc morbo laborantes ad ſanitatem reuocentur, anileſque ſuperſtitiones ex noſtrorum populorũ animis ſtirpitus euellantur, omnia incantamenta, atque diabolicas machinationes ad curanda corpora, ſeu hominum, ſeu aliorum animalium, adhiberi conſuetas, execramur, atque, ne quouis colore, etiam certiſſimi vitæ periculi, in poſterum fiant, omnino interdicimus, mandantes, vt, qui in errore pertinaces fuerint, à fidelium communione ſeparati, ex legum præſcripto vlteriùs ſeuere puniantur.

a c. nec mirũ §. hydromantici verſ. ad hæc ad q. 5. ea quæſtion. §. eſt peccatum diſt. 85.

CAP. III.

PRæter illos, qui magicorum [a] carminum potentia tempeſtates inducunt, elementa concutiunt, innocentes opprimunt, ac falſis mortuorum reſponſis ad extremam perniciem inimicos redigunt, etiam mulieres, quæ, ſeu vulgari pane, ſeu malo punico, ac perſico, aut alio fructu, aliquẽ faſcinauerint,

a l. mulier C. de maleficis. l. 3. §. 1. ff. de ſicar. can. nec quem §. ma gi ſtri ad q. 5

vel faſcinatum diabolicis artibus ſanauerint, anathematizamus, ac maledicimus, vtque alijs [b] legalibus pœnis [c] coerceantur, præcipimus.

b l. 1. & paſſim C. cod. & malefic.
c cap. illos 26. q. 2. can. illos 26. q. 5. can. 1. cum ſeqq 26. q. 4. & 5. c. hu. & toto tit. eius. cod.

§. vnic.

Maleficos, ſeu veneficos illos, qui matrimonij effectum impedire ſatanicis impoſturis, poculis, ac pharmacis, nituntur, efficiuntque, vt, ſponſis [d] coire nequeuntibus, maritalia quandoque coniugia incerta fiant, ijſdem pœnis addicimus, quodque contra huiuſmodi tranſgreſſores alibi ſancitum eſt, hac [e] conſtitutione confirmamus.

d can. pen. & vlt. 33. q. 1.

e c. 1. ſup de frig. & malefic.

CAP. IV.

GRauiſſime quoque plectẽdos maleficos illos cenſemus, quos fama [a] eſt, ſtatis diebus in hircis equitantes per aerem vehi ad quoſdam diabolicos nocturnos conuentus, ibique, abnegato baptiſmo, ſatanæ obedientiam exhibere, epulari, ludere, choreas ducere, fœminas etiam, quæ ſagæ vocãtur, cum eo concumbere, miraſque nocendi, ac ſanandi artes in animantium perniciem ab eodem magiſtro addiſcere. Quæ quidem, etſi diabolica illuſione per phantaſmata aliquando fieri poſſe, concedimus, in ipſis etiã corporibus vere, ac ſæpe, fieri non negamus: quamobrem, eos, qui cum immundo ſpiritu tale ſe commercium habere confeſſi fuerint, crudeliſſimis ſupplicijs excruciari, viuique interdum comburi conſueuerunt, certe non ſine magno animarum periculo, quaſi diuinam iuſtitiam ita irritauerint, vt, pereuntibus corporibus, non abſurdum ſit, eorũ quoque animas periclitari. Quod à pietate Chriſtiana alieniſſimum eſſe, vniuerſa profitetur Eccleſia, præſertim, ſi delinquentes commiſſi ſceleris verè pœniteat. Nos, quo animo in maleficos, ſortilegos, cæterosq. dæmonum ſatellites, inuehimur, eodem, & de ijs, qui huiuſmodi nocturnos congreſſus frequentauerint, diligentem quæſtionem haberi, ac, ſi propria confeſſione eius criminis conuicti fuerint, pœnas à ſacris canonibus ſtatutas ſumi mandamus.

a Paul. Ghirland.

§. Vnic.

Quando autem animantium corpora nonnullis morbis, quorum cauſæ artis medicæ peritos lateant, vexari contingat, aut vexata abſque medicorum ope curari, id ex diabolica officina prodijſſe ijs auctoribus ſuſpicari licet, quos maleficijs operam dare vulgi voces, ac querelæ teſtentur: quod, ſi per quæſtionem iudiciariam reorum confeſsione ita exprimatur, vt nullum de eorum culpa dubium remaneat, eos legitimis pœnis pariter ſubijcimus.

CAP. V.

REus, qui in tormentis obiectũ ſibi crimen minime confeſſus [a] fuerit, abſque nouo indicio eadem de cauſa iterum torqueri non debet. Sed, ſi [b], vel chartulas, vel breuia, quæ vocant, penes ſe habere deprehendatur; quibus ita munitur delinquentes, vt neque vi tormentorum ad delictorum confeſsionem cogantur; nouum inde, ac ſufficiẽs elici indicium, non dubitamus, vnde etiam ſemel tortus, ac non conuictus, eadem de cauſa iterum torqueri poſsit. Nec corporis ſui [c] ſalutem huiuſmodi chartulis committẽti veniam dandam putamus, quia vitæ periculo imminente, cuilibet capitis accerſito ex ciuilium legum indulgentia etiam accuſatorem ſuum corrumpere licet: pretioſior ſiquidem eſt anima, quàm corpus, quæ abſque dubio in certiſsimum diſcrimen adducitur, cum per ſuperſtitiones à diabolo quæritur, quod per humilitatem ab ipſo Deo impetratur. Chartulæ namque, præterquam, quòd iuſtitiæ fucum faciunt, tolerari etiam ſine peccato non poſſunt, cùm ſeparent creaturam à creatore, cui ex primo Decalogi præcepto omnem cultum, omnemque honorem tribuere docemur, Deo ipſo ſic loquente [d]: Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos corã me. Quos quidem habere videtur, qui diabolum conſulit, honoremq. ſoli Deo debitũ in illum transferre non exhorreſcit. Ipſe [e] etenim eſt Dominus Deus noſter (ait Dauid) & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius, nec ſunt [f] facienda mala, vt inde eueniant bona. Reum igitur illum, penes quem euidenter impiæ, ac diabolicæ chartulæ repertæ fuerint, etiam diluto crimine, de quo diffamatus fuerit, puniri iubemus ideo, quòd impia induſtria ſibi ipſi quodammodo vim inferre voluerit, vt aduerſaretur veritati: plerumque [g] enim deficit potius probatio, quàm ius, reique [h] publicæ intereſt, delicta non remanere impunita.

a Inſt. Clar. in prin. crimin q. 69 n. 46 per tot.
b Fab. C. de fi. C. de q.

c l. 1. in fi. ff. de bon. eor. qui ſibi mor tem conſci.

d Exod. c. 20

e Pſal. 99.

f cap. 1. per to. 29. q. 3.

CAP. VI.

VT inſipientium temeritas, atque improbitas retundatur, præcipimus, ne quis in diſputationibus, vel in concionibus audeat affirmare, hæreticum non eſſe, nec à Fidei Catholicæ puritate alienum, expectare dæmonum reſpõſa. Tranſgreſſores igitur excommunicationis gladio feriantur, alijſq. pœnis à legibus [a], ac ſacris canonibus ſtatutis [b] plectantur.

g l. duo ſunt Tauri ff. d teſtam. tutela. h l. 1 ita vul. nerat ff. ad l. Aquil. c vt ſumo 6. reſpondemus ext. de ſent. excommun.

a l. nemo ch ſeqq C. de malef & mathe & ſimil. b c. ex tuarũ ext. eod.

De

De colluſione detegenda. Tit. XX.

CAP. I.

SEQVESTRATIO beneficij, fructuumq. beneficialium, quãuis iniuſta, non reuocetur, niſi audiatur, qui eam obtinuit, ſaltem, quia ex auctoritate iudicis iuſta eſſe videtur, cuius quidem ratio aliqua habenda eſt, licet ille, nullo iure [a] ſuffragante, ſequeſtrationem conceſſerit, quæ, cùm fiat, vt res creditoris, quantum eius intereſt, in tuto ſint, (quod vtique præſtat [b] idonea cautio) ſi debitor, contra quem conceſſa fuit ſequeſtratio, eam reuocari petat per modum (vt aiunt prouiſionis, oblata idonea ſatisdatione iudicatum ſoluendi, quæ maxime confert ad tollendam ſequeſtrationem, non tamen, niſi citato creditore, reuocari debet. Sed, ſi inter condemnatum clericum, & eum, qui ſequeſtrationem impetrauit, colluſionem interceſſiſſe conſtiterit, nullam ſequeſtrationis rationem haberi oportet. Quæ enim per colluſionem fiunt [c], pro infectis habentur. Colluſionis verò ſuſpicio ceſſabit, ſi clericus debitor condemnatus pecuniam, qua de agitur, depoſuerit, vt victoriam à iudice reportanti tradatur. Etenim colluſio, ſicut per coniecturas, ac præſumptiones purgatur, ita, & contrarijs coniecturis, & præſumptionibus probatur adeo, vt non tantum probatione, ſed & [d] fortiore præſumptione euacuetur.

a l. ſeruo §. cum Prætor ff. ad S. C. Trebel. cum ſimilibus.

b l. 5. §. 1. ff. vt legat. non cau.

c l. ſi ex precio C. ſi certum petat l. ſi pupillo §. 1. ff. de appell. l. cũ ea C. de tranſact. l. 3. & 10. tit. C. quod. de colluſ. detег. d l. ſi. 1 princ. ff. quod met. cau. l. nupta in fi. ff. de ſu. doc. l. 6 chirogra. cũ ſeq. §. 1. ff de probat. l. Dius ff. de in integ. reſtit. l. penul. circa princ. ff. de interrogat. l. vlt. §. lin autem patre vecuſſatur C. de bon. quæ liber.

CAP. II.

QVandoquidem hæreditati iacenti curator [a] dari poteſt, ſi contra huiuſmodi curatorem pro clerico creditore defuncti iudicatum fuerit, non eſt dubium, id nocere poſſe cæteris creditoribus, omnibusq. alijs ex hæreditatis viribus ius ſuũ metiẽtibus æque, ac ſi contra defunctum pronunciatum eſſet, nam, veluti [b] hæreditas, ita & hæreditatis curator defuncti perſonam ſuſtinet, ac repræſentat. At verò, ſi clericum creditorem colluſiſſe cum curatore contingat (quod tamen probandum eſt, quia colluſio [c], cùm delictum ſit, non præſumitur, niſi probetur) iudicatum creditoribus minime nociturum dicimus perinde, ac ſi iudicatum non eſſet: nam quod per colluſionem, ac ſimulationem, factum eſt, pro infecto habetur, ſicut id [d], quod cum non iuſto contradictore actum eſt. Nemo etenim alteri competentem, ſiue actionem, ſiue exceptionem [e], adimere poteſt, ſed integrum debet eſſe vnicuique de iure ſuo libere experiri.

b l. hereditas ff. d. acq. rer. dom. l. nõ minus §. 1. ff. de hæredib. inſtituen.

c l. 6. & tot. tit. C. eo. 6. d. tot. tit. ext. eod.

d l. 3. & to. tit. C. eod.

e l. Gemina §. penul. ff. de fideicom. l. vlt. ff. de pactis.

Acta Eccleſ. Tarantaſ.

De delictis puerorum. Tit. XXI.

CAP. I.

QVOD de adulto, ac pubere prima tonſura initiato circa priuilegium fori ſtatuit [a] Tridentina Synodus, idipſum in clerico impubere locum habere declaramus, vt, ſcilicet, niſi beneficij Eccleſiaſtici prærogatiua muniatur, aut ex mandato noſtro alicui Eccleſiæ inſeruiat, aut in ſeminario clericorum, ſiue ſchola, ſiue vniuerſitate, auctoritate item noſtra moribus formandis, litteriſq. ediſcendis incumbat; veluti ad maiores ordines tranſiturus; fori priuilegio iuuari non poſſit: quin, ſi criminis poſtulatus pro ætatis [b] capacitate corrigendus ſit, à ſeculari magiſtratu iudicetur.

a ſeſſ. 23. c. 6 de reform.

b c. 2. & 2. ext. eod.

CAP. II.

SI ex ſummi Pontificis diſpenſatione minor quatuordecim annis beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, ac delictum commiſerit, ex quo beneficio priuandus ſit, quoniã ætas [a] errantes [b] excuſat [c], ac pro non facto [d] cenſeri debet, quod à puero imprudenter, atque incaute factum fuiſſe videtur, dubium eſt, an legitime priuari poſſit. Nos, ſi delinquentem pubertati proximum, doliq́ue capacem, ac malitioſe deliquiſſe, conſtiterit, eum legali pœnæ omnino ſubijcimus, memoria repetentes, quod ait Imperator [e], minoribus errantibus, non autem fallentibus, iura publica ſubuenire.

a d. c. 1. & l. 8. quis §. dolus ff. de in rifd. omn. iud. l. 2. §. 1. & ſi quem iuuvoc. nomen it. l. 1. §. vlt. ff de eden. l. 1. §. vlt. ff. ad Sven. inipc. l. 3. & 6. & ſi furiẽ ff. de iure fiſci. c. l. 1. C. de fal. moneta. d l. 1. §. 1. ff. de his, qui in teſt. dele. e l. 2. C. ſi mi nor ſe maior. dixer.

De clerico venatore. Tit. XXII.

CAP. I.

VENATIONEM, atque aucupiũ, & Epiſcopis, & clericis ſacri [a] canones non iniuria interdixere. Quid enim commune habet beſtiarum perſecutio, cum Religionis manſuetudine? quid clamores cum orationibus? quid corporis exagitatio ſuſcepta, vt venter paſcatur, cum mentis quiete ſpiritui neceſſaria, vt contempletur. Altaris miniſter venari, aucupari, ex inſidijs intercipere diſcat, non feras, ſed animas, hoc eſt, morum ſanctimonia ſe ipſum virtutum exemplar imitandum proponere, ne, qui, ſe capi ab impio venatore diabolo patitur, vt de feris, vel auibus triumphet, cum terrena voluptate cæleſtes delicias commutaſſe videatur. Sic venatus Ioannes Baptiſta, cum factus vox clamantis in deſerto, dirigi vias Domini, prædicauit: Sic Apoſtoli, cum Euangelicam doctrinam proſeminando, idolorum cultores ad veri Dei cultum tra-

a c. 2. 34 d. c. 1. & to. tit. ext. eod.

duxerunt: Sic Stephanus, cùm lapidibus petitus, veram prædam, cælos ſcilicet apertos, ſuis lapidatoribus indicauit: Sic denique cæteri martyres, cum per gladios, cruces, equuleos, ad Chriſtianam fidem infideles conuerterunt. Hos prælati, hos clerici æmulentur, cum his de præda contendant: ab his venandi præcepta inueſtigent, ne cum illis venatoribus adnumerentur, quorum neminem ſanctum fuiſſe ſuſpicatur B. Hieronymus [b], quoſque de beſtiarum præda ſolicitos, beſtias fieri his verbis queritur Propheta [c]: Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus: Siquidem beſtiarum nomine digni ſunt, qui more ouium procul à paſtorum vocibus errantium, illecebris voluptatum irretiti, dum rationis expertibus creaturis inſidias ſtruunt, ipſi rationis præſidio muniti, æternæ mortis laqueos effugere neſciunt. Hi ſunt clerici venatores, quorũ animas venatorum vaferrimus ſatanas acerrimè inſectatur, vt, quos per mundanas vanitates à Deo abalienauit, eoſdem per infernales cruciatus ſibi coniungat. Iraque clerici, cùm de ſorte [d] Domini ſint, abijciant retia, venabula, ac viſcum, non paſcant canes, nec falcones, omnibuſq. venaticis inſtrumentis nuncium remittant, vt liberati à laqueo [e] venantium, tentationes ſuperare, proprioſq. affectus ſuppeditare, addiſcant. Quocirca, qui ex ſubditis noſtris venationi operam dederit, ſi ſacerdos fuerit, ad duos menſes à fidelium communione ſeparetur; ſi diaconus, aut ſubdiaconus, ab omni officio ſuſpendatur, ſi in minoribus ordinibus conſtitutus, ac ſemel, aut bis admonitus, non reſipuerit, ad maiores ordines non aſcendat.

b d. c. 9.

c Pſal. 48.

d Pſal. 15.

e Pſalm. 90. vbi S. Bernar. ſ.

CAP. II.

IAm, ſi clericus, vel recreationis, vel neceſſitatis cauſa, venatum ierit, ac, dum beſtiã, vel auem ſclopetti glande ferire nititur, fortè tranſeuntem hominem imprudens vulnerauerit, quamuis mors inde ſequatur, non videtur [a] homicidij reus, cùm non voluptatis, ſed valetudinis confirmandæ, aut corporis ſuſtẽtandi gratia, lege [b] permittẽte, rei licitæ operam dederit, nec ſclopettum exploſerit, vt hominem occideret. Eum tamen in pœnam homicidij incidiſſe non dubitamus, non, quia venando deliquerit: ſed, quia illicito teli genere in venatione vſus fuerit. Mitius [c] tamen cum ipſo agendum putamus, quoniam volũtatem occidendi non habuit, ideo pœna extraordinaria contenti, ab ordinis exercitio illum ſuſpendimus, quamdiu ſummi [d] Pontificis diſpenſatione fuerit in integrũ reſtitutus.

a gl. ad c. 1. verſ. voluptatis hoc tit. can. nunquam de cohſec. d. p. b l. Graeci 8 C. ad l. Iul. d adult.

c Iul. Clar. §. homic. n. 4

d c. 7. 8. 11 ext. de hom.

De clerico percuſſore. Tit. XXIII.

CAP. I.

CLERICVM, qui furore percitus, apparitorem mandata Vicarij noſtri generalis exequentẽ, percuſſerit, puniri nõ debere ratio ſuadet, cum furore [a] ſuo ſatis puniatur. Sed, ne alicui amplius iniuriam inferat cum ſacri ordinis dedecore, à parentibus, ſi adſint, ita coërceatur, vt amentia ſua nemo amplius lædatur. Si abſint, à neceſſarijs, ac magis propinquis, quando [b] id commode fieri poſſit, eorumq. ſumptu, ſi ille nihil habeat, alatur. Quod, ſi & neceſſarij deſint, aut, ſi, nec facultates, nec modum habeant, quo furioſum cuſtodire, ac cohibere poſſint, in publicis carceribus aſſeruetur ad cuſtodiam [c], ac de fiſco noſtro ſumat neceſſaria. Inde verò, nec exire, nec ordinis functiones exequi permittatur, niſi plena mentis ſanitate recepta.

a l. Infame ff. ad l. Corn. de ſicar.

b l. cõgruit §. furioſi ff. de off. Præſ.

c d. § furioſi cap. illud §. mira verò 15. q. 6.

CAP. II.

CLericus, quamuis abſque animo occidẽdi hominem percuſſerit ita, vt dié extremum obeat [a], reus erit homicidij. Si autẽ in euidenti vitæ periculo conſtitutus, cum [b] moderamine inculpatæ tutelæ ſibi vim inferentem occiderit, vel ex primo iræ motu hominem letifero vulnere affecerit, dummodo [c] rixæ auctor non fuerit, iuſtamq. [d] cauſam iraſcendi habuerit, venia dignus cenſetur, quaſi id caſu commiſerit. Sed, cùm factus ſit irregularis, ad [e] altaris miniſterium, niſi ex diſpẽſatione Apoſtolica, nequaquam admitti debeat. Meminerit verò interim, non impœnam perpetrati [f] homicidij, ſed ex Chriſtianæ charitatis officio, aſſiduis precibus interfecti fratris animam Deo commendare.

a Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de reform. b vt dicitur l. ſup de homicid. vers. cæterũm ac ſcit. exc. c. naturale diſt. 1.

c l. quoniam C. ad l. Iul. d vi publ. d l. 1. C. d. hom. Iul. Clar. in prac. crim. q. 60 n 6.

e c. clerico cum ſeqq. d. 50.

f Iul Clar. §. homic. n. 33.

CAP. III.

SI à clerico ebrio hominẽ occidi cõtingat, dummodo de eius ebrietate ita cõſtet, vt nullo modo rationis compos fuiſſe probetur, cum homicidiũ perpetrauit, beneficio priuari non debet: Sed, ſi in ipſa temulẽtia ita ſobrius viſus fuerit, vt irã cõpeſcere, ac quid ageret, ſcire potuerit; dicimus, eum beneficio priuari debere, aliiſq. pœnis affici, quibus iure canonico homicidæ plectuntur, ac præſertim [a] ab altari auelli, licet verè ebrius fuerit, non ſolũ culpa ſua, ſed & aliena, etſi ſolitus ſit inebriari, & furere, & circũſtantes moleſtia afficere, tunc [b] peccat, quia ebrietas diuino præcepto damnatur, & quia homo ebrius, tanquã amẽs, in omnia mala prorumpit. Si verò non ſolitus inebriari, ſine culpa in ebrietatẽ inciderit, non

a c. 1. ext. d homic. Conc. Trid. ſeſſ. 14 c. 7. & refor. b 2. 2. Th. a. q. 150 ar. 4. Cai. c. i verb. ebrietas vbi & Syl. Tol. in ſumma & ſæpe pecc. c. 6 1 verſ. alqñ dubium.

non peccat: ſed, ſi ſua culpa, hoc eſt ex bibacitate, nulliuſq. opera, aut induſtria, aut fraude, puniendus eſt [c], quòd dignitatis ſuæ oblitus, mero ſe tam turpiter ingurgitauerit. quod etiam apud ethnicos vituperatione minime caruit. Pittacus enim iniurioſos ebrios ſeuerius plecti mandauit, quàm ſobrios, cum (vt ait [d] Ariſtoteles) frequentiora damna à madidis imminere exiſtimaret, quàm à ſiccis. Quomodo [e] itaque vitiorum fomes, ac nutrix ebrietas in clericali charactere inſignitis tolerabitur, ſi in ſecularibus hominibus reprehenditur?

c can. Pſs. & fere per tot. d. 35.

d lib. Pol. 2. cap. vlt.

e cap. vlt. end. d. 35. c. ſane 15. q. 3.

De maledicis. Tit. XXIV.

CAP. I.

SICVT magnopere laudãdus eſt, qui rerum omnium parentem Deum ſumma animi contentione veneratur, ac colit, eique non minores gratias [a] pro aduerſis, quàm pro ſecundis ſucceſsibus agit iuxta Pſalmographum dicentem: Benedicam [b] Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo; ita acerrima reprehenſione, ac ſupplicio dignus eſt, qui eius nomen contemnere, lacerare, ac blaſphemare audet. Quod quidem, etſi omnium flagitiorum grauiſsimum eſt, nonnullis tamen Chriſtianæ Religionis impijs cultoribus adeo familiare, ac frequens factũ eſt, vt blaſphemia, quaſi iracũdiæ ſolatiũ, excuſabile, ac quodãmodo neceſſariũ peccatum, videatur. Quare, cùm ſcriptum ſit [c]: Non habebit inſontem Dominus eũ, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra: vt, quos culpæ horror non coërcet, eoſdem pœnarum formido à peccãdi licentia deterreat, mandamus, eum, qui in Patrem, Filium, aut Spiritum ſanctũ, aut Beatiſsimam Virginem, aut Sanctos cum Chriſto regnãtes, blaſphemias, aut maledicta coniecerit, viginti quinque nummis aureis mulctari, quinquaginta verò, ſi iterum, ac centum, ſi tertiò in eodem crimine deprehenſus fuerit, ſed & infamia notatus, perpetui triremiũ remigij pœna plectatur. Quòd, ſi pauper ſit, nec pecuniariam mulctam ſoluere poſsit, primo, vinctis poſt tergum manibus, dominico, aut alio ſolenni die, ante fores Eccleſiæ maioris à mane vſque ad veſperam ſtare cogatur: Si iterum blaſphemauerit, per frequentiſsimas ciuitatis vias ductus, virgis cædatur: ſi tertiò, vt cæteris exemplum ſit, poſtquàm ei fuerit lingua publicè perforata, ad triremium item perpetuam pœnam trudatur.

a Pſal. 102. Iob c. 1. 2. & 42.

b Pſal. 33.

c Exod. 20. Iob 3. Sap. 1

CAP. II.

IAm verò, cùm maximè deteſtabile ſit blaſphemiæ peccatum in profanis, quid erit in ſacris hominibus, clericis, inquam, ſanctis altaris miniſtris, quos B. Petrus genus [a] electũ, regale ſacerdotium, gentem ſanctam appellat? Ipſi [b] enim de ſorte Domini ſunt: ipſis Dominus pars hæreditatis eſſe non dedignatur: ipſos demum, vt res cum nomine cõſentiat, veriq; Dei ſerui dici poſsint, ſanctos eſſe oportet. Quod procul dubio non aſſequitur, qui conuitijs, ac contumelijs, diuino honori per ſummum ſcelus inſultat. Quare, cùm pœna [c] pro delicti menſura irroganda ſit, ne liceat huiuſmodi perditis monſtris diutius in malitia ſua gloriari, clericos omnes, qui ſe in tantum facinus præcipitauerint, vt, quaſi Dei hoſtes, ſanctiſsimo eius nomini maledixerint, iuxta tertij Lateranenſis Concilij decretum, (quod, cùm in deſuetudinẽ abijſſet, Pius Quintus [d] ſummus Pontifex ad obſeruantiam reuocauit) puniri mandamus, vt, ſcilicet, qui ſemel blaſphemauerit, fructibus vnius anni omnium beneficiorum; qui bis, ipſis beneficijs; qui ter, etiam dignitatibus, atque exilio, mulctetur. Si verò ex blaſphemis clericis ſit, qui nullum poſsideat beneficium, primò pœnam pecuniariam, vel corporalem, ſubeat; deinde, ſi iterum deliquerit, carceribus mãcipetur; ſi autem tertiò, degradatus [e] ad triremes condemnetur, nec iuuari quiſquã poſsit loci conſuetudine, quæ, quandocumque peccandi occaſionem præbeat, nequaquam [f] eſt admittenda.

a 1. ep. 2. Pet. 2

b Pſ. 15. 2. & 32.

c l. ſancimus 22. C. de pœn. c. vlt. §. qd vero ext. de exceſſib. Prælat.

d conſt. quæ incipit: Ad tollendum nefarium.

e de qua c. 3. in princ. d. pœn. lib. 6.

f Iul. Clar. §. blaſphemia in fi.

§. 1.

Eadem ratione eum, qui in Sanctos viſione beatifica fruentes, impia, aut iniurioſa verba effuderit, pro perſonæ, loci, ac criminis qualitate, plecti mandamus. Nam, ſicut Deus in Sanctis laudatur, hoc eſt, ſicut diuina opera laudantur, ac beneficia, quæ ipſe Deus in humanum genus confert per Sanctos, ita etiam eius nomen vituperatur in Sanctis per blaſphemiam, quia redundat in Deum, dum per eam eius bonitati detrahitur, atque iuſtitiæ, qua ſanctificantur diuinæ legis ſeruatores.

§. 2.

Denique, ſi quis clericus, aut laicus, blaſphemijs hæretica verba immiſcuerit, tanquã de hæreſi ſuſpectus, canonicis ſanctionibus ſubiaceat: quod & extendi volumus ad eos, qui Dei, Beatiſsimæ Virginis, Sanctorumque venerandas imagines violauerint, conſpurcauerint, fregerint, irriſerint, vel quauis ignominia, vel iniuria affecerint.

CAP. III.

QVoniam verò publica peccata grauiora ſunt, quàm occulta, mitiùs agendum [a] eſſe dicimus cum eo, qui priuatim, quàm cum eo, qui publicè, hoc eſt, in loco publico, maledixerit, ſeu blaſphemauerit: idem [b] enim ſunt blaſphemare, ac maledicere. Publicæ ſunt Eccleſiæ, viæ, tabernæ, cauponæ, compita, fora, ac, ſi quis alius locus eſt, vbi orationis, aut negotij, aut colloquij, aut recreationis cauſa, homines publicè conueniant. Si quis verò alibi, duobus teſtibus præſentibus, blaſphemaſſe conuincatur, eo quòd in loco priuato deliquerit, leniùs puniatur. Qui [c] in conuiuio, ſermone, ludo, aliouè opere, aut actu, aut materia continua, pluries blaſphemauerit, tanquam vnius delicti reus, vnica tantùm pœna mulctetur, ne de eadem re plures confici accuſatorios libellos, ſiue proceſſus, oporteat, grauius tamen puniatur, quia culpas multiplicando, acrius diuinam iuſtitiam irritauerit. Eum tamen, qui calore iracundiæ blaſphemauerit, ſtatimq. reſipiſcens, pœnitentiæ ſigna dederit, nequaquam accuſari permittimus, cum [d] primi motus non ſint in noſtra poteſtate.

a can. nemo 33.q.4.

b Soc. conf. eos. col. 3.

c l. 2. §. 8. 2. comment. in princ. ff. de verb. oblig.

d vt c. ſæp. de celebr. Miſſ. extra de cler. pugn. cell.

De clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto, miniſtrante. Tit. XXV.

CAP. I.

CLERICVS excommunicatus, cuiuſcumque conditionis, prærogatiuæ, ac dignitatis, ſit, quandocumque Miſſam celebrare, baptizare (exceptis neceſſitatis caſibus) confeſſiones pœnitentium audire, auditos à peccatis abſoluere, infirmos vngere, aliumvè actum, etiam minorum ordinum, exercere, auſus fuerit, illico [a] eſſe irregularis intelligatur, quin [b] & acta, ac ſententiæ illius nullam habeant auctoritatem; ſi fuerit publicè denũciatus, ſin minus, quodcumque ab eo ad fauorem alterius iudicatũ, aut geſtum fuerit, vt publici officij ratio habeatur, valid um cenſeatur [c], quamuis ille, cũius id valere intereſt, iudicem occultè excommunicatum eſſe non [d] ignorauerit, ex Martini Quinti conſtitutione [e], qua communicãtes cum excõmunicatis excommunicari vetuit, niſi illi denũciati fuerint, aut in clericos violentas manus inieciſſe, conuincantur.

a l. 1. §. medicinalis 3. frater eccom. vbi gl. hoc aut non tenet. d. l. cum clericus. c. cum inter eccom. c. Anno. au. d. c. ad probandũ. de test. arg. l. Barbar. ff. de off. Pref. d. Cal. eccom. ad

b c. 41. de do. & contum. per c. fi. extr. de procurator. c. qui incipit. Act. cũ da ſcandala quam citat. S. Aucm. p. 3. tit. 26. c. 1. Ang. excom. v. 1. 2. Sot. in 4. d. 25. q. 2. ar. 4. & Toletus in ſumma lib. 1. c. 22. in princ. c. accedẽs 30. d. cadauero gato de pœnis lib. 6.

c c. Ffus 11. q. 1. c. ex antiquis 54. d. c. ciclum 81. d. c. clerici 23. q. 8.

CAP. II.

SAcerdos ab ordine [a] legitimè deiectus, nec reſtitutus, ad priſtinum officium non admittatur [b], quamuis enim characterem in anima impreſſum, atque [c] indelebilem ſactũ, non amiſerit, attamen, quia [d] depoſito, ſeu degradato, auferetur ordinum exercitium, quicumque ordines ſibi interdictos exercere præſumpſerit, abſque vlla [e] reconciliationis ſpe ab Eccleſia ſeparetur: ſi verò monitus in errore pertinax fuerit [f], tradatur foro ſeculari. Interim tamen, quãuis clericalibus priuilegijs mulctatus fuerit, & canonicas [g] horas recitare, & iuxta [h] Eccleſiaſticas Regulas viuere teneatur.

c can. licet 33. q. 7. can. oſtenditur d conſec. d. 4. vbi gl. S. Th. 3. p. q. 65. ar. 5. & ad 4. d. 4. q. 1. & ad Rom. c. 7. Martin. §. 5. Nauar. in 4. d. 1.

d S. Thom. p. q. 40. ar. 2. & ad 3. d. 13. a. 1. q. 4. Caiet. hic. Sapien. non Miſſa. & Ioan. Andr. addit. c. depoſitio. c. cum ſi quis ipſe 9. 3. c. 1. extr. hoc tit.

e c. 2. eo. tit. g. Arc. Car. Alex. & alij. ad can. preſbyteri. d. d. priuatur ex cap. decreta extr. de celeb. Miſſar. Ioannes Andr. d. Ant. Duran. in 4. de cõſ. d. quod ad §. 1. verſ. a nam in tr. ẽ gularitatis. 3. defectus. occaſio pœnitentia. bur ex Cor. Iuſt. cap. 4. tenet 24. cauſa ſpecialis.

f c. 1. de ſent. excom. in 6. c. cum qui 5. in vero cod. tit.

g gl. ad d. c. in cui Toler. in ſumma li. 1. c. 22. in fi.

De clerico non ordinato, miniſtrante. Tit. XXVI.

CAP. I.

QVONIAM Miſſam celebrare, ac ſacroſanctã tractare Euchariſtiam [a] ad ſolos ſacerdotes rite ordinatos pertinet, procul dubio audax eſt, ac temerarius, qui (vt ait S. Dionyſius [b]) ea ſibi ſumit, quæ ipſorum ſacerdotum ſunt propria, nec metu, nec pudore, ac diuinorũ tractatione præter captũ, & meritũ, deterretur. Cui cõſonum eſt, quod [c] ſanctæ Nicænæ Synodi Patres his verbis protulerũt: Peruenit ad noſtrã Synodũ, quòd in nõnullis locis, & ciuitatibus diaconi dãt preſbyteris Euchariſtiã, quod neque canon, neque conſuetudo tradidit, vt, qui offerendi poteſtatem non habent, ijs, qui offerunt, dent corpus Chriſti. Quem abuſum à noſtræ iuriſdictionis finibus quàm longiſſimè exulare cupientes, diaconum, ſeu ſubdiaconum, qui huiuſmodi ſacerdotale munus ſibi arrogauerit, non ſolum irregularem, ad maioreſque ordines inhabilem, ſed [d] & ab ordinibus legitimè ſuſceptis, quantum nobis videbitur, ſuſpenſum, ac, ſi delictum [e] publicum fuerit, dispensationis noſtræ inca-

a can. 1. Apoſtol. c. 1. cena h. ext. de ſum. Trin. & fid. Ca. h.

b in epiſt. ad Demophilum monach.

c cap. 18.

d c. ex. eod.

e Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.

pacem

pacem eſſe, pronunciamus. Non tamen, diaconum iuſſu Epiſcopi, vel presbyteri, vrgente neceſſitate, Euchariſtiam miniſtrare poſſe, negamus.

CAP. II.

IN nonnullis iuriſdictionis noſtræ eccleſijs vſu receptum eſſe audiuimus, vt, qui, nec diaconi, nec ſubdiaconi ſunt, cantent in Miſſis Euangelium, atque Epiſtolam, ac prima tantùm tonſura initiati ſpectantia ad clericos minorum ordinum exerceant. Quod, cùm eccleſiaſticis moribus, ipſiq. iuri canonico aduerſetur, eos, qui ſacrarum huiuſmodi functionum ordinem perturbauerint, irregulares [a] eſſe, nec ad maiores ordines promoueri poſſe abſque diſpenſatione Apoſtolica, declaramus, &, ſi fuerint maiorum ordinum præroga tiua inſigniti, in illis miniſtrare non poſſint, quouſque nobis aliter fieri videatur. Si verò conſuetudo loci ſit, vt Euangelium ſine ſtola, ac manipulo recitetur, Epiſtola verò ſine manipulo, quoniam intelligi poteſt, id non fieri ex diaconali, vel ſubdiaconali officio, periculum [b] irregularitatis ceſſare dicimus, ſcientes, laicos [c] quoque, atque in minoribus ordinibus poſitos, alicubi idem facere conſueuiſſe. Attamen, quia hoc; vbi non eſt conſuetudo; ſine peccato [d] fieri non poteſt, ne pernicioſos abuſus fouere videamur, talia committentes ab ordinum exercitio ad tempus, à nobis præfigendum, ſuſpendimus, Parochosq. id in ſuis eccleſijs fieri permittentes, quinq. aureis nummis, in vtilitatem earumdem eccleſiarum conuertendis, multari, mandamus.

a c. 9. extra hoc tit.

b c. vt quiſq. que poeſſit. extr. de vit. & honeſt. cler. c Panormit. ad d. cap 1. S. Thom. in 4. ſent. diſt. 34. 3. Iſuell in Ver Irregularitas §. 14. Tolet. in ſum. lib. 1. c. 46. in princ. & Tolet. in inſtr Sacerd. lib. 1. c. 72. nu 1. impreſſionis Romanæ anni 1608

De clerico per ſaltum promoto. Tit. XXVII.

CAP. I.

SVBDIACONVS, qui ordine diaconatus prætermiſſo, ad presbyteratũ promoueri paſſus fuerit, neque in ſuſcepto ordine miniſtrare, nec omiſſum ſuſcipere, permittatur abſque diſpenſatione, quam [a] olim Epiſcopis vetitam (exceptis caſibus in iure expreſſis [b], in quorum numero non eſt hic, de quo agimus) hodie Concilij Tridentini auctoritate concedere poſſumus [c] etiam, ſi ita promotus, ſe per ſaltum ordinatum non ignorauerit [d], dummodo in ſuſcepto ordine nõ miniſtrauerit. Quod quidem locum habet etiam in foro exteriore [e], quamuis peccatum publicum fuerit, ſi quidem, quoad forum interius, ſi fuerit occultum, etiam ſi miniſtrauerit, poſſumus [f] cum peccante diſpenſare. Neceſſaria eſt igitur diſpenſatio, vt Diaconatus omiſſus ſuſcipi, ac Presbyteratus per ſaltum ſuſceptus exerceri poſſit: eadem ratione promotus ad Diaconatum, omiſſo Subdiaconatu, ad maiorem [g] ordinem, hoc eſt Presbyteratum, aſcendere prohibetur. Quin, ſi diſpenſatio conceſſa fuerit, vt promotus ſuſcipiat ordinem omiſſum, & miniſtret in ſuſcepto, alia [h] diſpenſatione indiget, vt, ſcilicet, ad maiores poſſit ordines promoueri.

a c. diſectus vbi gloſ. in verpermiſſa extr. de tẽp. ordin.
b c. ſolicitudo diſt. 32. c ſeſſ 23. de reform. c. 14. d d.c ſolicitudo c. vn. vbi gloſ Panorm & alij extr. eod. gl. ad c paſtoralis extr. de facram. non iteran. e Tolet. in ſum. lib 1. c. 50 verſicul. quod ad ſuſpenſionem ibi, hoc intelligo.
f Conc Trident. cap. 6. ſeſſ. 24. de reform.
g Gemin. & Præpoſ. ad d cap. ſolicitudo.
h Geminiã. ibid. Tolet. d verſ. hoc intelligo in fine.

S. VNIC.

Opinio autem exiſtimantium [i], promotum per ſaltum ipſo iure nequaquam ſuſpendi, ſed ſuſpendendum eſſe, nobis minime [k] probatur. Nam, ſi id verum eſſet, ſequeretur, miniſtrantem ante diſpenſationem non effici irregularem, quod ſanè [l] Tridentini Concilij decreto omnino repugnat, cuius auctoritate, vt Epiſcopi diſpenſandi cum promotis per ſaltum, qui in ſuſceptis ordinibus non miniſtrauerint in vtroq. foro poteſtatem habent, ita cum ijs, qui miniſtrauerint, diſpenſare non poſſunt: vnde ſequitur, promotos ſtatim, atq. ordinem exercuerint, irregularitatem contrahere, nouumq. ſibi ſtruere impedimẽtum. Quod etiam hinc confirmatur, quòd, ſi conferatur beneficium clerico per ſaltum promoto, antequam omiſſum ordinem ſuſcipiat, quoniam ipſo iure ſuſpenſus eſt, nulla [m] eſt collatio. Suſpendatur autem, qui malitioſè peccauerit: qui verò per probabilem ignorantiam ordinem prætermiſerit, non ſuſpendatur, ſed, poſtquàm, ſe peccaſſe cognouerit, ordinis [n] prætermiſſi exercitio tantummodo interdicatur, etenim locum non habet pœna [o], vbi non eſt delictum, nec delictum [p] ſine dolo eſſe poteſt, qui quidem dolus in ignorantem non cadit.

i Innoc. ad c. ſi celebrat de cler. excommun. mil mit. Archid. Gemin. Præpoſ. Turrecrem. ad d. c ſolicitudo diſt. 32. Tabiena in verb. Irregularis. q. 8. a.
k Hoſtien. in ſum. hoc tit. Iſuell. in ver. Irregularitas §. 13. Tolet. d. c. 50. verſ. dico ſimul.
l d. cap. 24. ſeſſ. 23.
m ita eſſet Gemin. vbi ſup.
n Vgo ciẽ. tus & Turrecrem. ad d. c. ſolicitudo.
o l Graech. C. ad l. Iul. de adulter.
p Iul. Clar. in prad. crimen. q. 14.

CAP. II.

SI autem laico, vel clerico in minoribus ordinibus conſtituto, conferri ſacerdotium contingat, non eſt dubium, quin character in vtroq. imprimatur, ac conſequenter, quin vterq. virtute characteris conficiat corpus Chriſti, cum ordo ſuſcipiendorum ordinum ſeruandus ſit ex neceſſitate præcepti [a], non ex neceſſitate ſacramenti: omnes enim [b] ordines inferiores in ſuperiore ordine virtualiter continentur. Quamobrem ille, cui ſuperior ordo collatus fuerit, ea omnia facere poteſt, quæ poteſt inferiorem ordinem habens, licet, ſi illegitimè faciat, mortaliter peccet, quia irregularis eſt. Sicq. facere poteſt, quod non debet: virtute ſacramenti poteſt, quod auctoritate præcepti auerſari debet. Si verò non baptizato collatum fuerit ſacerdotium;

a Archid. Gemin Præpoſ. ad can. ſolicitudo diſt 32. & ibi gl. Panor. ad c vn extr. eod. vbi dicit. cẽ. cõmunem opinionem S. Thom. in 4. ſentent. diſt. 24. q. 1. art. 3. & q. 4. S. Bonau. diſt. 24. quæſt. 1. b idẽ S. Th. in 4. ſentent. diſt. 24. q. 1. art. 2. in reſponſione ad prima quæſtiunculam.

quia baptiſmus eſt ſacramentorum ianua; in eo non imprimitur ordinis character, nam per baptiſmum populus fidelis, non [c] ſolum ab infideli diſtinguitur, ſed & ad alia ſacramenta percipienda idoneus redditur. Quare, ſi non baptizatus ad ordines promoueatur, poſtquàm baptizatus fuerit, iterum [d] ordinandus eſt.

c 3. Th. 3. p. q. 63. art. 2.

d vt dicitur ſup. c. vn. de presbyt. non bapti.

De eo, qui ordinem furtiuè ſuſcepit. Tit. XXVIII.

CAP. Vnicum.

VARIIS quidem modis dicitur quis ordinem furtiuè ſuſcipere, nempe, ſi ſubdiaconatum, ac minores ordines, aut duos [a] ſacros, vna, & eadem die acceperit, ſi fuerit excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, ſpurius, infamia notatus, aut alio quouis modo iuris auctoritate incapax declaratus: Item, ſi abſque litteris dimiſſorialibus ſui [b] Ordinarij, vel Superioris (ſi Regularis fuerit) ordines ſuſceperit. Si non fuerit deſcriptus, examinatus, approbatus, ac nominatus. Quamuis in baptizato furtiuè ordinato character imprimatur, efficitur tamen irregularis, nec in ſuſceptis ordinibus miniſtrare poteſt, non vtiq. ex imperfecta ordinum collatione, ſed ex vitioſa promotione, cui, vt obuiam eatur [c], non ſolet fieri ſolemnis ordinatio, niſi præmiſſo edicto, quo interdicuntur, & maledicuntur ad ordines accedentes, niſi deſcripti ſint, &c. aut, ſi excommunicati ſint, &c. ne, ſi promoueantur, irregulares fiant, etſi cum ipſis diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi [d] peccatum fuerit occultum, vel etiam, ſi publicum, dummodo [e] in ſuſceptis ordinibus non miniſtrauerint: quòd, ſi eos miniſtraſſe conſtiterit, præſertim [f] in duobus ſacris eodem die ſuſceptis, diſpenſatione Papali indigent. De ſubdiaconatu verò, ac minoribus ordinibus eadem die ſuſceptis, cùm [g] Tridétina Synodus duos tantùm ſacros ordines eadem die conferri prohibeat, etiam Regularibus, nec de alijs mentionem faciat, ex iuris vulgata regula [h]: Qui vnum dicit, alterum excludit; permittere videtur, ſubdiaconatum, ac minores ordines eadem die conferri poſſe. Sed, quoniam [i] minores quoq. ordines temporum interſtitia poſtulant, nec poteſt, qui eos ſuſceperit, ad [k] ſacerdotium ordinari, niſi poſt annum à ſuſceptione vltimi computandum, nequis ſubdiaconatum, aut minores ordines eadem die ſuſcipiat, ſub excommunicationis pœna prohibemus.

a c. e. d. 3. ext. eod. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 13. in fin.

b c. vlt. in fin. ſeſſ. 6. de refor Conc. Trid.

c in Pontificali de clerico faciendo fol. 5.

d c. 6. ſeſſ. 24.

e arg. c. 2. in 8. ſeſſ. 23.

f d. c. 3 eiuſd.

g d. c. 17. in fin. ſeſſ. 23.

h Là procuratore C. de procurat.

i cap. 12. in princ. eiuſdem ſeſſ. 23.

k ibidem in fin.

De exceſsibus prælatorum, & ſubditorum. Tit. XXIX.

CAP. I.

NE iure nobis obijci poſſint, quæ Chriſtus de Prælatis Iudæorum dixit [a], quòd, ſcilicet, dicerent, non facerent, oneraq. grauia in humeros hominum imponerent, digito autem ſuo nollent ea mouere; quantum per humanam fragilitatem licet, vt paſtoris [b], non percuſſoris, titulo digni videamur, operam damus. Præcepta ſiquidem, legeſq. noſtras ex ipſis moribus noſtris metientes, ea moderatione vtimur, atq. ita in ſubditos dominamur, vt palàm ſit, nos potius prodeſſe, quàm præeſſe velle, filiorumque loco habere, quos paternis noſtris officijs reſpondere, ac pro religionis honore, fideliuuq. animarum ædificatione laborare, animaduertimus. Ideo iniuſtis eos exactionibus, & oneribus vexari non permittimus: quin, ſi iudicum [c] imperitia, ſiue temeritate, damnum patiantur, vt appellationibus, alijsque legalibus ſuffragijs ſubleuari poſſint, abſque vlla tergiuerſatione concedimus. Sed, cùm [d] duo luminaria, Sol [e], & Luna, ſpirituale, terrenamq. poteſtatem deſignent, ſintq. dignitate, ac virtute diſtincta, ſacra pariter a profanis diſtingui oportere, etiam ipſos ethnicos ſenſiſſe, memoriæ [f] proditum [g] eſt. Aliud eſt enim ius ſacrorum, aliud politicorum: aliud ſacerdotale, aliud regale imperium. Huius ſubiectum ſunt: viliſſimarum rerum maſſa, vmbratiles diuitiæ, breuis felicitas: illius, inæſtimabile bonum, ſolida poſſeſſio, perennis gloria ita, vt ſpiritualia tantùm præſtent ſecularibus, quantum diſtat cœlum à terra; qua de cauſa non ſolùm iudicia diſtingui, ſed & ſacra ædificia à regalibus domibus ſeparari voluit Deus, vt eſt apud Ezechielem [h], vbi de regibus Iuda ſic loquitur: Fabricati ſunt limen ſuum iuxta limē meum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, & murus erat inter me, & eos, & polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod conſumpſi eos in ira mea. Quod, & in Ochoziæ [i] atque Ozæ [k] repentina morte non obſcurè declarauit. Itaque, ſi quid à nobis, vel noſtris iudicibus, peccatum fuerit, quo ſubditi noſtri grauentur, caueant, ne ad tribunalia laicorum confugiant, cùm appellare poſſint ad iudices à ſancta Sede Apoſtolica vbiq; terrarum orbis chriſtiani collocatos, vt populorum querelis remedia adhibeantur, Nuncios præſertim ad

Princi-

a Matth. c. 23.

b vt c. vlt. ſup. de vita & honeſt. clericor.

c vt c. 10. in fin. ſup. de iudic.

d Geneſ. 1. cap. 1 est dies maior. & obed.

e c. 2. dno ſume 21. q. 1.

f Virg. Aeneid lib. 6. procul o procul eſſe profani.

g Caiph. eglog. 1 ne procul. itaque eſt locus ante profani.

h cap. 43.

i 3 lib. 1. Paralip. c. 22.

k lib. 2 Regum c. 5.

Principes delegatos, inter quos eſt, qui Auguſtæ Taurinorum prò Subalpinorum, atque Allobrogum neceſſitatibus reſidet, hoc enim, & ipſi Cæſares non ſolùm permiſerunt, ſed, lege lata, fieri iuſſerunt. Conſtantinus ſic locutus eſt ad ſacerdotes [l]: Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti: Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite: nobis non licet Deos iudicare. Theodoſius [m], ac Valentinianus: Fas, inquiunt, non eſt, vt diuini numinis miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Archadius [n], & Honorius reſcripſerunt ſic: Quoties de religione agitur, Epiſcopos conuenit agitari. Et alibi [o]: Quibuſcumq. mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit ſub eo iudice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium ſacerdotum. Item Martianus Imperator lege cauit [p], vt, ſi quid circa morem, ritumq. ſacrorum, & priſtinos canones, quod interpretatione indigeret, oriretur, à ſacerdotibus cognoſceretur, quorum iudicio crucis quoque, ac reliquiarum martyrum collocationem reſeruauit Leo. Iuſtinianus [q] laicis [r] interdixit litanias, hoc eſt, ſupplicationes abſentibus clericis, ſed & omnia [s], quæ ad eccleſiarum ſtatum pertinent, iuſſit nota fieri Romano Pontifici, quem & caput eccleſiarum appellat. Idem Iuſtinianus [t]: Maxima quidem, ait, in hominibus ſunt dona Dei à ſuprema collata ſapientia, Sacerdotium, atque Imperium: Illud quidem diuinis miniſtrans: hoc autem humanis præſidens: Idem fecerunt rerum domini Romani, de quibus Tacitus [u] de Tiberio ſermonem habens, ait: Quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper reſponſum aduerſus Seruium Maluginenſem Flaminem Dialem prompſit Cæſar: recitauit decretum Pontificum. Lampridius [x], de Alexandro loquens, ait: Pontificibus tantùm detulit, & Quindecimuiris, atq. auguribus, vt quaſdam cauſas ſacrorum à ſe finitas iterari, & aliter diſtingui pateretur. Plinius [y] quoq. rerum ſacrarum adminiſtrationem ad Pontifices pertinere affirmat, nullumq. ius in eas Principes habere. Teſtatur etiam Dionyſius Halicarnaſſæus [z], Pontifices in contemptores religionis pro delicti qualitate animaduertere ſolitos, cùm ipſi nulli, aut populi, aut ſenatus poteſtati, eſſent obnoxij. Vnde liquidò conſtat, Principibus ſeculi imperium in res ſacras fuiſſe omnino à Deo negatum, ſolisq. [a] ſacerdotibus reſeruatum. Quicumque igitur ex clericis noſtris ſuæ dignitatis oblitus, contra diuinas [b], atque humanas [c] leges [d] ad ſeculares magiſtratus prouocare auſus fuerit, primum ab ordinum miniſterio ſuſpendatur, deinde, ſi iterum deliquerit, excommunicetur, ſitque perpetuò inhabilis ad beneficia obtinenda.

l Sozomen. lib. 2. cap. 2.

m l. vlt. C. Theodoſ. de epiſ. & cler.

n l. 2. C. eodem de relig. et o l. vlt. C. eod de epiſ. iud. & ſi. 2. q. 2.

p l. 3. C de ſum. Trin. & fid. Cath.

q l. 25. C. de ſum. Trin. & fid. cath. r Nouella 123. §. omnibus. s l. 16. C. de ſum Trin. & fid. cath. t Nouel 3. ſub tit. quèadmodum oportet epiſcop. &c.

u lib. 3. Annalium.

x In vita Alex. Imp.

y lib. 20. cap. 23. z lib. 2. a c. 13. ſext. de indic. b c. 2. & 8. eod. c. 1. 4. 22. & 28 extra de foro comp. c c. 3. diſt. 20 c. 1. diſt. 22. c. 12. diſt. 96. c. 21. 22. q. 1. c. 4 extr. de immunit. eccleſ. c. 6. extr. de malor. & obed. c. 4. de cenſibus. lib. 6. Auctor de ſacr. immun. c. 4. §. 12. d in legibus ſup. citat.

CAP. II.

QVodcumq. in capitulo eccleſiæ noſtræ coràm nobis congregato à maiore, ſaniore q. capitularium parte definitum, decretumue fuerit, præſertim circa ea, quæ ad diuinum cultum, diuinorum miniſterium, eccleſiæ decorem, morumq. correctionem pertinent, id (quauis contraria conſuetudine non obſtante) etiam antiquiſſima, quam corruptelam cenſemus, ratum, & firmum eſſe, atq. inuiolabiliter obſeruari, volumus. Quòd, ſi poſtea conueniant canonici, quod abſit, ac ſine auctoritate noſtra, nobisque abſentibus, aliquid definiant, prioris capituli ſtatutis contrarium, à diuinis ſuſpenſos ſe eſſe intelligant, quamdiu declaratum fuerit, irritum eſſe, ac nullum, quod in poſteriore conuenticulo actitatum fuiſſe apparebit. Auctores inſuper huiuſmodi furtiuæ conſultationis, non ſolùm ſuſpenſi intelligantur, ſed & pecunia arbitrio noſtro mulctentur.

De noui operis nunciatione. Tit. XXX.

CAP. I.

ADMINISTRATORES ſocietatis ſanctiſſimi corporis Chriſti huius ciuitatis, quos Pœnitentes vocant, Oratorij fabricandi à nobis facultate impetrata, altius, quàm putabatur, ædificium ſuſtulerunt ita, vt eccleſiæ ſancti Martini luminibus officeretur. Quamobrem Prior eccleſiæ, quem ſurgentes muri mirum in modum torquebant, lege [a] concedente, operis noui nunciationem fieri, ſiue iure, ſiue iniuria id factum ſit, ædificantibus inhibuit, ne vlterius procederent: quibus nihilominus ab opere nequaquam deſiſtentibus, Prior, nulla præmiſſa operis menſura, ante nunciationem facti, inſtabat, vt, quodcumq. [b] poſt nunciationem ſuperædificatum fuiſſet, deſtrueretur, quamuis neſciret, quid illud eſſet, quod deſtrui petebat. Quocirca, cum, quod ante nunciationem conſtructum fuerat, iure deijci non poſſet, magisq. fauendum ſit in dubio ædificanti, quàm nuncianti, vt, ſcilicet, ciuitates nouis ædificijs augeantur; cumq. nouum illud opus Oratorio plurimum prodeſſet, parum autem obeſſet eccleſiæ, ac denique, ne tot impenſæ à pio loco factæ perirent, licet [c] etiam eccleſia pius locus eſſet, nos, quod [d] magis vrgere videbatur, attendentes, tum quia

a l. Prætor in princ. & l. 3. §. 8. quis forte, & fere per tot. ff. ſi quid in loco publ. &c.

b d. §. ſi quis forte.

c arg. l. verum §. penult. de minor. ibi priuilegium admittitur priuilegiatum, & vtitur priuilegio.

d arg. l. 6 de Butera ff. de indic.

quia de menſura operis controuerſi non conſtabat, tum etiam, quia modicum apparebat damnum eccleſiæ ſancti Martini, Priori ſilentium imponi mandauimus, ac menſuram noui operis neceſſariam eſſe declarantes, vt iudex damnum nunciantis plene cognoſcat, huiuſmodi nunciationem, nec fieri, nec admitti, volumus, niſi ſeruatis ſeruandis, ac præſertim, niſi nuncians menſuram operis præmiſerit.

CAP. II.

HAcres eius, qui in area cœmeterio eccleſiæ ſanctæ Mariæ contigua ab eadem eccleſia ſub annua pecuniæ penſione accepta domum ruinam minantem reædificare cœperat; verùm, capituli procuratore nouum opus nunciante, ad Vicarij tribunal vocatus, ſe non facere nouum opus, reſpondit, ſed veteri reficiendo incumbere, nec tamen, vt ædificare licite poſſet, ſatisdationem obtulerat, aut præſtiterat, quam, niſi à iudice [a] remittatur, negare non poteſt, qui, non obſtante noui operis nunciatione, inſtitutam ædificationem proſequi velit: Vicarius, cui adhuc non conſtiterat, eſſet ne opus nouum illud, an vetus reficeretur, hæredi inhibuit, ne in ædificatione pergeret, accepta ſimul per procuratorem ſatisdatione pro ædificantis indemnitate, ſi inhibitionem [b] ſine cauſa impetratam fuiſſe, aliquando probari contingeret. Verùm, hærede [c] nobis ſatisdationem exhibente, dum penderet inhibitio, controuerſiæ locum adiuimus; vbi, poſteaquàm illud non eſſe nouum opus, ſed de veteris neceſſaria, ac celerrima reparatione agi, animaduertimus, ne ædificationi impedimentum afferretur, decreuimus, tum, quia [d] remedium nunciationis aduerſus futura, non aduerſus præterita, inductum eſt, tum etiam, quia procuratori de operis demolitione ſatisdatum fuiſſet, quandocumq. illud iniuſte factum legitime conſtitiſſet: quod ſecimus etiam, ne ciuitatis facies cadentis domus ruina deformaretur, quando [e] nouis ædificijs potiùs exornari deberet. Quod in ſimili caſu deinceps ſeruari, mandamus.

a L. 1. ff. de remiſſion. l. de pupillo. §. ſi is cui ff. hoc tit.

b l. 5. & 6. ff. de petit. hæredit.

c l. 1. §. 1. ff. hoc tit.

d l. Prætor. §. hoc interdict. ff. e. d. l. vlt. ff. ne quid in loco publ.

e vt ſup. e. prou.

CAP. III.

QVamuis in noui operis nunciatione id potiſſimum obſeruari ſoleat [a], vt is, cui nunciatum fuerit, de operis iniuſtè facti demolitione ſatisdet, permittendum tamen non eſt, vt, quicumque ſatisdationem obtulerit, ſuperædificare poſſit: nam, ſi grauamen, aut [b] damnum inde ſentiat, qui nunciauit, cauſamq. ſuæ nunciationis, ſiue ſtatim, ſiue intra tres menſes, iuxta Gregorij [c] Noni conſtitutionem, legitimè probauerit, ita audiendus eſt, vt interea ædificatio illa omnino ſuſpenſa eſſe intelligatur, eo magis, quo [d] trium menſium terminus, modicus cùm ſit, non præſumitur ædificare volenti notabile damnum afferre, cui, ſi iniuſtè, ac ſine cauſa, nunciatum ſit, in id, quod eius intereſſe conſtiterit, nunciatum fuiſſe, temere nunciatum condemnari iubemus, ne, ſcilicet, ciuitates ædificijs [e], quibus maxime illuſtrantur, improborum hominum arbitrio defraudẽtur.

a l. 1. & tot. tit. ff. eod.

b l. non debet 76 ff. de reg. ior. l. 1. ff. de iudic. mut. cau. fac.

c c. 1. extra hoc tit.

d l. ſi debitoris ff. de iudic. l. vn. vbi gl. C. hoc tit.

e l. Prætor. §. hoc interdictum prohibitorij ff. hoc tit.

De priuilegijs, & exceſsibus priuilegiatorum. Tit. XXXI.

QVONIAM Regulares ſuorum priuilegiorum prætextu plura, quæ iure non poſſunt, ſe facere poſſe arbitrantur, ſicut contrà non pauca, quæ iure tenentur facere, plerumq. recuſant, ſub pœnis [a] aliàs ad eandem rem à nobis ſtatutis, infraſcriptas conſtitutiones Concilij Lateranenſis tertij, niſi eis fuerit à ſancta Sede Apoſtolica ſpeciatim derogatum, ad [b] amuſſim obſeruari mandamus.

a ſup. de regular. c. 2.

b c. ex parte cit. de cap. priuil. monac.

Leo Papa Decimus.

In Concilio generali Lateranenſi ſeſſ. 11. vbi de Regularibus tractatur.

CAP. II.

REgulares à Prælatis ad Proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca ſuburbana vltra vnum milliare à ciuitatibus reſpectiuè non ſint remota, accedere omnino teneantur, *& paulò poſt*: Ipſiq. fratres forenſium confeſſiones audire valeant: laicos tamen, & clericos ſeculares à ſententijs ab homine latis nullatenus abſoluere poſſint.

§. vnic.

Euchariſtiæ verò, & extremæ vnctionis, aliaq. eccleſiaſtica ſacramenta illis, quorum etiam infirmorum, ac decedentium confeſſiones audierint, dicentibus, proprium ſacerdotem illa ſibi dare denegaſſe; dare nequeãt, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coràm notario publico facta, doceretur.

Idem in eodem.

CAP. III.

REgulares miniſtris quibuſcumq. obſequio ipſorum inſiſtentibus ſacramenta huiuſmodi (*Euchariſtiæ, ſcilicet, Extremæ vnctio-*

unctionis, & alia ecclesiastica sacramenta) nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

CAP. IV.

PRiuilegia item, atque exemptiones, quæ sub varijs formis, ac titulis, conceduntur, quoniam Episcopalem iurisdictionem perturbare, & reipublicæ damnum afferre dignoscuntur, constitutionem [a] summi Pontificis Innocentij Quarti à sacra [b] Tridentina Synodo confirmatam, & auctam [c], vt, scilicet, in causis mercedis, ac miserabilium personarum, clerici seculares, & Regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti, etiam, si certum iudicem à sede Apostolica in partibus habeant, alibi verò, si non habuerint, coràm Episcopis, tamquam eiusdem Sedis delegatis iudicibus, conueniantur, ad debitaque soluenda (priuilegijs quibuscumque, aut Conseruatorum inhibitionibus, non obstantibus) compellantur, nisi eidem decreto Pontificia auctoritate derogatum sit; omnino seruari debere decernimus.

a de qua c. 1. hoc titul. b sess. 7. c. 14 de refor. c ibidem.

CAP. V.

PRiuilegium, quod nostra Metropolitana ecclesia habere, bellorumq. calamitate, ac temporum iniuria deperditum esse, dicitur, vt, scilicet, quattuor canonici cantores, dum Archiepiscopus solemnem Missam celebrat, cum magno baculo argenteo mitram episcopalem coloris tempori conuenientis, loco quatuor Suffragancorum olim Archiepiscopo subiectorum ab immemorabili tempore deferant, approbamus, ac; quatenus opus sit; confirmamus.

CAP. VI.

INualida, ac nulla esse pronunciamus priuilegia hominibus, arq. Vniuersitatibus, etiam in temporalibus, nobis subiectis, à prædecessoribus nostris concessa, nisi exhibeantur ita, vt à nobis diligenter examinari possint: quare, nec à Magistratibus nostris ea admitti volumus, antequàm auctoritate nostra approbentur, vt, quæ ex causa concessa sunt, si causam cessare compertum fuerit, abrogétur [a]; quæ verò, durante causa, speciali prærogatiua digna videbuntur, confirmentur.

a l. 1. ff duss alias l. sthlexæ § gentium ff. de exculat. tutor.

§. vnic.

At enim priuilegium illud, si quod extat, quo conceditur, ære alieno obstrictos, ex aliaue ciuili causa debitores ad carceres trahi non posse, nullum esse declaramus, cum absq. magno creditorum detrimento nequeat vllo pacto sustineri: neque enim [b] priuilegium cum alterius damno concedi debet, nec intelligitur concessum, vt [c] noceat, aut alteri [d] sit captiosum.

b l impuberi ff. de administrat. & peric. tut. c l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publ. d l. Paulus ff de pretor. stipulat.

De purgatione canonica. Tit. XXXII.

CAP. I.

PVRGATIO canonica iuramento perficitur, quod quidem probis tantum, religiosisque viris deferendum est, quorum, scilicet, fama, atque existimatio, apud homines integra, nullamq. passa sit diminutionem, vel detrimentum. Forma autem huiusmodi purgationis, vt à summis Pontificibus definitur, hæc est. Qui infamia [a] facti notatur, attributam sibi culpam, nec commisisse, nec, vt committeretur, mandasse, aut consensisse, tactis Euangelijs iurare debet. Cuius fides à compurgatoribus, vel, vt aiunt, coniuratoribus, qui, ad purgationem confirmandam inducuntur, probanda est simili iuramento, quo ab accusato, verum [b] iuratum esse credere se affirment. Nec tamen [c] quilibet ad compurgationem admittitur. Probos namq. viros, & bene audientes esse oportet compurgatores, atque accusato ita habitatione vicinos, vt, mores eius scire posse præsumantur [d]. Eorum numerus arbitrio Episcopi præscribitur, nempe iuxta personarum, ac criminum qualitatem.

a c. quoties c. pen. & vlt. ext. eod.

b d c. quoties & c de testibus eod. titul. c c cum P. c. cõsiteatur c. cum dilectus ext. eod. tit. d c. cum P. ext de accusat c. cum in iuuentute, vbi glos. eam hoc tit.

CAP. II.

SI in minoribus ordinibus constitutus à subdiaconatu reijciatur, quia ex damnata copula susceptus vulgò asseratur, videndum est, an ea natalium suspicio canonica purgatione tolli possit. Iam verò dicitur, quis esse illegitimus, vel, quia mater eum non ex iustis nuptijs, sed ex illicito coitu, in lucem ediderit, vel, quia filius non sit illius patris, cui eius mater nupta fuerit. Primo casu vti- que [a] probandæ sunt nuptiæ, quod, cùm non solùm difficile, sed etiam impossibile [b] sit, id vnici testis fide cum fama coniuncta rectè præstari posse, receptum est, dummodo alteri [c] matrimonio, quod antiquius esse contendatur, iniuria non fiat. Siquidem iure [d] ciuili vxor, non concubina, existimatur honesta mulier, quæ cum viro, etiam incerto marito, habitet, cùm iure [e] canonico concubinatus, sicut quilibet alius vagus coitus, damnatus sit, qua probatione omne de matrimonio dubium tollitur, nisi contrarium obijciens, (cui ex [f] huiusmodi præsumptione onus probandi incumbit) aliud probauerit. Secundo casu, quia non minus difficile fuerit [g] probare, cuius quis verè filius sit; quod incertum fuerit [h], coniecturis suppleri poterit, vt, scilicet (etiam nullo inter [i] parentes intercedente nuptia-

a l. filiũ ff. de his, qui sunt tui, vel alieni. b l. Lucius ff de condit. & demonst. c ad c. illud de præsumpt. & ad c. præterea de testib. gl not. ad cap. 1. de appell. & ad c. veniens de testib. c. Tolet. decis. 171. d l. 6 in libera ff. de ritu nupt. vbi Bald. l. fi. t. cuius C. de nupt. & d. l. filium. e Bartol. & alij ad l. 3. ff de cõcubin. Author Anonymi verſ. hi. c 11. f Palumeno C. de negot. gest. g d. l. Luc. h arg. l. non omnes §. à barbaris ff. de re milit. i Anton. de Butr. ad c. ex tua nũcia ext. qui filii sint leg. Decius cõsil. 292 num. 4. circa medium.

nuptiali contractu) ſola nuptiarum fama nuptiarum incertitudinem tollat, hactenus ſaltem, vt [k], ſi quid obijciatur, ab obijciente probetur. Indicia præterea, licet [l] recentia, non parum conferunt ad ſuſtinendum matrimonium, pleniùs verò, ſi antiqua ſint, & ex alienis negotijs per verba enunciatiua pateſiant: tunc multò magis, ſi plurium [m] inſtrumentorum antiquitate, & auctoritate fulciantur, cùm in antiquis [n] ſufficiat, quem eſſe nominatum filium. Sed omnium indiciorum efficaciſſimum fuerit, probari eum, qui filius illius patris cenſetur, eſſe in poſſeſſione eius ſtatus, quem vulgus filiationem appellat, hoc eſt, quod à matris marito, cuius filius dicitur, vt filius, habitus, & tractatus ſit, quodq. ipſe illum, viciſſim, vt [o] patrem, coluerit, atque obſeruauerit: qua poſſeſſione [p], cum deijci iure non poſſit, quamuis contraria de eius ſtatu fama poſtea diſſeminetur, nullum inde [q] damnum ſentire poteſt. Si verò, nec teſtibus, nec publicis, aut priuatis documentis, nec fama, nec indicijs, in minoribus ordinibus conſtitutus iuuetur, niſi natalium ſuſpicionem purgauerit, non ordinetur. Purgatio quidem fiat, ſi, vt filium habitum ſe, nominatum, ac tractatum fuiſſe ab eo, qui pater eius vulgò exiſtimetur, & illius eſſe filium ſe credere iurauerit; cuius iuramenti virtute, ſi compurgatores quoque, eum ſe credere verum iurare [r] iurauerint, admittatur purgatio. Si verò iurare voluerit, ſibi patrem eſſe matris ſuæ maritum, non eſt audiendus, ne ex re incerta diuini nominis maieſtas otioſi, ac falſi iuramenti periculo exponatur. Itaque ſingulare eſt in purgatione, vt, vbi certa ſcientia de huiuſmodi re haberi non poteſt, iurata [s] ſuppleat opinio.

[k] Fulgoſ. conſ. 38 vbi citatur ad cap. per tuas extr. de probat. Alexan. cõſ. 93. col. 3. lib. 6. m Cravetta de antiquit. temp. par. 1. verſ. ampliatur nunc nat. & ſeq. n Rebuff. in Tractat. de Nomin. b in princ. verſ. Primò fallit.

[l] Abb. ad c. inter ſolicitudines n. 6. extr. de ſimonia. [m] Ita negat Gell. c. in noſtra extra de ſimonia.

[n] l. 9. ff. vbi Bart. ff. de quæſt. & ad l. non nudis C. de probat. & paſſim alibi. [o] l. mouetur. C. inter eos per ven. [p] Arib. ad c. accedentes n. 6. hoc tit.

[q] idē Abbas ibid. eum ſ. c. qui tres de teſtibus ex hoc tit. [r] de inceſtis cap. nec eam 35. q. 5. l. 3. ff. ad l. Iul. de adult. Lapis adulterium cum inceſto ff. ad l. Iul. de adult. Lapis adulter. & Auth. inceſtas C. eodem. [s] Couarr. in 4. decretal. par. 2. c. 6. §. 8. & c. 9. §. 10. num. 19. cum ſeq. Clar. in §. in cauſa 4. q. 5. fall. 2. & fall. adel. tertium. d de credendis, vbi glo. in ver. in ſecunda cauſa hoc tit. e Duen. ad l. empſione C. ſi qua alteri, vel ſibi. f c. vt famæ ext. de ſent. excommun. g l. certiſſimæ §. ſi verò quis de cenſu ibi per omnē C. de Epiſcopali audien. h gl. not. ad c. appellans ext. de appellat. Gonſ. Papæ q. 221. num. 4.

Clericus contra canonicas [a], aut ciuiles [b] leges inceſtum committens, cui coniunctum non ſit adulterium, vel ſtuprum, vel ſacrilegium, licet mitius puniendus ſit, quàm, qui cum aſcendente, ſiue deſcendente conſanguinea, rem habuerit, ſuæ [c] tamen incontinentiæ pœnas luat, ſi publicum [d] ſit delictum, atq. etiam, ſi occultum, dum ex teſtibus, ac legitimis præſumptionibus ad eruēdam [e] veritatem idoneis, eluceſcere poſſit, quæ quidem, ne [f] delicta remaneant impunita, huiuſmodi [g] probationes maxime fauorabiles faciunt. Si verò non probetur inceſtus, nec ſit notorius, vnde [h] probationis neceſſitas ceſſet, ſed ex vulgi rumoribus magnum inde excitatum ſit ſcandalum, clericus ad purgationem compellatur, ac, ſi ſuccumbat, arbitrio noſtro ab officio ſuſpendatur: etenim, cùm præſumptiue [i], non autem verè, conuictus ſit, beneficio, ſi quod impetrauerit, priuandus non eſt.

[a] c. 1. & 10. tit. eod. c. ex tuarum ext. de purgat. canon. [b] c. Mendā 2. q. 5.

[c] l. 5. de adulteriis in fin. iunct. d c. 11. de vxr. hiſtor. e l. Acneas. 9. ff. lib. 24. [d] l. 3. §. c. 19.

De purgatione vulgari. Tit. XXXIII.

CAP. Vnicum.

FVIT & alia purgatio vulgaris nuncupata, ſemperq. iure Pontificio [a] vetita, ſicut canonica ſemper probata. Vocabatur autem vulgaris, quia, ſuggerente [b] Sathana, vulgi ignorantia non paruam auctoritatem ſibi comparauerat. Fieri verò ſolebat, cum per duellum, vel ignitum ferrum, vel frigidam, vel feruentem aquam, rei dubiæ certitudo quærebatur: cuius prauum vſum apud nonnullos ſubditos noſtros adhuc durare, ita, vt ſuperſtitioſæ huic purgationi fides adhibeatur, potius, quàm canonicæ, ægerrimè ferimus, vt, quæ infidelitatem ethnicorum redolerat, qui veræ fidei luce orbati, rerum incertarum notitiam per incertiora experimenta exquirebant. Ita enim, præter Ariſtotelem [c], Leonicum [d], Virgilium [e], ac Silium [f] Italicum, ſcribit Macrobius [g] de lacu Palicorum: Cum furti negati, vel eiuſcemodi rei fides quæritur, & iuſiurandum à ſuſpecto petitur, vterq. ab omni contagione mundi ad crateras accedunt, acceptо priùs fideiuſſore à perſona, quæ iuratura eſt, de ſoluendo eo, quod peteretur, ſi addixiſſet euentus. Illic, inuocato loci numine, teſtatum faciebat eſſe iurator, de quo iuraret. Quod, ſi fideliter faceret, diſcedebat illæſus; ſi verò ſubeſſet iureiurando mala conſcientia, mox in lacu amittebat viram falſus iurator. De [h] Olachæ item fluminis Bithyniæ aqua loquitur Plinius, cuius gurgite periuri paterentur, velut flammam vrentem. Et Philoſtratus teſtatur [i], quamdam aquam epotam oculos, pedes, ac manus peierantis corripere, & aqua intercute, ac tabe, totum corpus inquinare. Quo ſane experimento, licet illius, qui cuiuſcumq. criminis poſtuletur, ſi ex tali purgationis periculo illæſus euadat, innocentia in tuto collocati videatur, attamen [k], quoniam tentatur Deus, nec propterea veritas manifeſtatur, cum, nec duellum, nec candens ferrum, nec bulliens, ſeu frigida aqua, efficere poſſint, quin aliquando innocentes [l] puniantur, & delinquentes ſcelerum pœnam effugiant, excommunicationis ſententiam ſubire volumus eos, qui pernicioſæ huic ſuperſtitioni operam dederint, à qua, niſi à nobis, aut à ſummo Pontifice (ſi in duello pugna-

[e] Lib. de admiranda natura. [f] de vat. hiſtor. [g] Acneid.

[h] h. h. ſ. c. 10.

[i] li. 1 in vita Apollonij Tyanei. Auctor lib. 1. c. 6. vſque ad c. ſequ. de ſacror. immun.

[k] c. vlt. ext. eod.

[l] c. 2. eod.

pugnauerint [m]) excepto mortis articulo, abſolui non poſſint.

m c.vn. ſup. de pugn. in duello.

De iniurijs, & damno dato. Tit. XXXIV.

CAP. I.

RE [a], & verbis ſit iniuria. Quæ ex verbis eſt, etiam verbis deleri, ac deſtrui poteſt; cùm nihil [b] tam naturale ſit (ait Vlpianus) quàm eo genere quodq. diſſolui, quo ligatum eſt. Quæ re infertur iniuria, facto, vel opere ipſo, tollenda eſt, non verbis tantùm, niſi verba effectum habeant [c], quandoquidem ita accipi debent, vt aliquid operentur, licet Terentianus [d] ille dixerit; verbo nequaquam ſatisfieri poſſe, cui re male factum ſit. Quod quidem intelligendum eſt de nudo, ac minime efficaci verbo. Itaq. iniuria per extortam, licet veram, pecuniæ ſolutionem, Petro presbytero facta, niſi [e] reddita pecunia, tolli non poteſt.

a l.1. §.1. ff. hoc tit.

b nihil tam naturale ff. de reg. iur. l. prout 80. ff. de ſolution.

c l. fundus ff. de reſcind. vend. l. 2. §. vlt. ff. quod quiſq. iur. l. pen. §. docere ff. ne quis eis, qui in ius voc. eſt vi eam. d Terent.

e d.l. prout 80.

CAP. II.

NOn leui iniuria afficitur, qui, quo tempore in ius vocari [a] nequit, eadem de cauſa in carcerem truditur. Quamquam enim legitimo creditori ita proſpiciendum eſt, vt, quoad [b] eius fieri poteſt, actionem ſuam ſuſtineat, non licet tamen, ſententiam contra quemuis latam executioni mandari die dominico, quo omnis executio interdicta eſt, ceſſatq. omnis ſtrepitus, ac [c] figura iudicij, quandoquidem, non factum eſſe intelligitur [d], quod contra legem factum eſt, legiq. tranſgreſſor in id, quod intereſt eius, cui tranſgreſſio nocuerit, condemnandus [e] eſt, ne, ſcilicet, iniuriarum [f] occaſio ſumatur, vnde iura proficiſcuntur. Quæ quidem iniuria, ſi clerico fiat, multò maior, ac publica erit, vtpote ſacræ perſonæ illata, ac religioni, cuius ratio [g] ſemper ſumma fuit, publicæq. [h] vtilitatis reſpectu priuatæ iniuriæ præferri debet. Ideo, non ſolùm, nullam eſſe talem executionem pronunciamus, ſed & officio, aureiſq. viginti nummis executorem mulctari iubemus. Creditor verò, ſi clericum ad carceres rapi vrgeat, contemptæ religionis arbitrio noſtro pœnas luat.

a l. fi creditor ff hoc titul 14 §.1. ff. qui iuriſd. cogant.

b l. pro ſocio ff pro ſocio l.5.§.1. ff. vt leg. aut fideicomm. ſeruet. cau. non. cau.

c l. 1. 2. & vlt. C. de temp. & reſt. tit extra ceſſ.

d l. non dubium C. de legibus.

e l. conſtitutionib. C. hoc tit.

f l. meminerint C. vnde vi.

g l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun. h l. ita vulneratus §. vlt. ff. ad l. Aquil. Authent. Reſique C. comm. de legat.

CAP. III.

CLericum, qui calore iracundiæ verbis contumelioſis diacono iniuriam fecerit, pœnitentia, ac voluntatis contrariæ declaratione, iudicium iniuriarum euadere poſſe vſque ad litis conteſtationem, ſentimus. Nam licet [a], qui iniuriam facit, infamis eſſe videatur, nos tamen, ſi linguæ lapſu, aut calore [b] iracundiæ potiùs, quàm ex animi ſententia, ea iniuria illata ſit, infamem eſſe inferentem nequaquam putamus, ſicut, nec condemnatum propter leuem iniuriam actione iniuriarum: quamuis [c] non deſint, qui aliter ſentiant. Si autem in foro criminali ea de re diſceptetur, cùm nulla ibi requiratur litis conteſtatio, ſed reſponſiones rei conteſtationis vicem ſuppleant, poteſt iniurioſus clericus, dum [d] ad interrogationes ſibi de obiecto crimine factas, reſpondet, illatam verbis iniuriam, contrarijs verbis delere, aliàs durum [e] videretur, huiuſmodi pœnitentiâ nõ admitti, cũ primi [f] motus non ſint in noſtra poteſtate.

a l. 6. §. aduerſus ff de dol. mal. except.

b l. quiſquid in calore 49. ff. de reg. iur.

c Iul. Clar. in §. iniuria num. 8.

d Idē Clar. in prad. crimin. q. 4. n. 21. & q. 65. num. 2. e l. 1. item ff. §. hoc ratē ff. ad l. Iul. maieſt f c. 1 ſup. de cler. percuſſ.

CAP. IV.

SI laicum hominem verbis contumelioſis in ſacerdotem graniter inſultaſſe conſtet, fuiſſeq. iniuriam remiſſam, ac poſtea iniuriarum actionem contra offenſorem in foro criminali intentatam, ſacerdotem audiri non debere conſtanter definimus, non ſolùm, quia id rationi, bonisq. moribus conſentaneum eſt, ſed, quia [a] ethnicis quoq. iuriſprudentibus, actionem iniuriarum (quod ex bono, & æquo ſit) ita aboleri, diſſimulariq. placuit, vt ſemel remiſſa iniuria retrahi pœnitentia, aut reuiuiſcere non poſſit: æquitati enim iniuriam facit, qui oblitteratam iniuriam ad memoriam reuocat. Ideo aduerſus iniuriæ remiſſionem, neq. [b] minori datur in integrum reſtitutio, quaſi nihil eius intereſſit, & conſequenter reſtituendus non ſit: reſtitui namq. non debet, niſi [c] cuius reſtitui intereſt, nec ea querela eſt admittenda, quæ cor [d] indurat, animumq. ad vltionem accendit, quod chriſtianum præſertim ſacerdotem maximè dedecet, cuius partes [e] ſunt proximum diligere, ac, quamuis inimicum, beneficio afficere.

a Vlpian. in l. non ſolum §. 1. ff. hoc tit. l. Seruus ea lege ff de ſer. expor.

b l auxilio ff. de minor.

c l. 2. ff. de in integr. reſtitut. d l. ſi vendidit in fin ff. de ſerm. exſport. e Matth. c. 3. circa fin.

CAP. V.

VErùm, ſi iniuriam pecunia aboleri oporteat, neutiquam ſtandum iudicio, aut voluntati eius, qui iniuriam paſſus fuerit, ſed arbitrio iudicis relinquendum eſſe totum negotium, dicimus: cuius quidem excuſſio, cùm ex cauſa, perſona [a], ac loco, non autem ex certa pœna, pendeat, delicta cò grauiora, aut leuiora eſſe contingit, quo magis, aut minus vrgent circumſtantiæ [b], tam loci, aut ſacri, aut publici, vel, ſi in domo Principis, vel magiſtratus perpetrata ſint, quam perſonæ, & cauſæ: quod quidem in iudicis poteſtate, ac probitate ſitum eſt, vt pœnæ delictis reſpondeant, quod in [c] primis ſemper curandũ eſt.

a l. vlt. ff. hoc tit.

b l. aut ſacra §. locum ff. de pœn. l. Prætor. §. vlt. ſed & quæſtionis 6. ſed ſi in theatro ff hoc tit. c l. ſanctimus C. de pœnis c. vlt. §. quia verò exe. de excuſſ. Prælator.

CAP. VI.

SI autem iniuriam paſſum ante latam ſententiam mori contingat, non prohibetur hæres, quin litem proſequi poſſit, cùm pœnæ

perſecutio, poſtquam [a] lis fuerit conteſtata, offenſore [b] in iudicio interrogato, minime finita eſſe intelligatur, niſi, iniuriam à defuncto remiſſam fuiſſe ab eo, qui id affirmauerit, plene probatum ſit. Nam, licet veriſimile ſit, fuiſſe remiſſam ab homine chriſtiano, maxime [c], ſi confeſſus, ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ viatico munitus, diem extremum obierit, attamen, quia conſiderandum eſt potiùs, quid factum ſit, quàm, quid fieri debuerit, & remiſſio iniuriæ ſit quid facti, non præſumitur remiſſa, niſi probetur [d], vel Parochi, vel alterius confeſſarij probati viri teſtimonio conſtet, defunctum iniuriam remiſiſſe; quæ etiam remiſſa intelligitur diſſimulatione, hoc eſt, ſi per annum ſuppreſſa aut conuerſatione offenſi cum offenſore quodammodo oblitterata fuerit: tunc [e] enim, cùm nullum agendi ius ſuperſit, iniuria remiſſa videtur. Quod in tribunali noſtro ad vnguem obſeruari volumus.

a l. 1. omnes penales l. cõſtitutionibus l. ſciendum ff. de offic. & obligat. l. vlt. ff. de ſidecomm. l. vn C. ex delict. defunct.

b vt cap 1. ſup. hoc tit. & arg. l. ſi venditor ff. de ſerv. exp.

d vt c. 1. de cõſtitut. li. 6.

e Clar. in d. §. munitarij num. 9. cum ſeqq.

CAP. VII.

CAnonicus, qui ardente propria domo, vt ignem arceret, vicini canonici ædificium demolitus fuerit, quamuis damnum iniuria [a] minime dediſſe videatur, attamen [b] damnum ex illa ruina eius cauſa ſequutum reparare tenetur, niſi incendium eò peruenerit, vt ædes vicini conſeruari non potuerint, quo caſu, cùm perituræ eſſent, nullum vicino illatum damnum dicendum [c] eſt. Qui occaſionem quoq. incendij præbuerit, vnde ædes vicini conſumptæ ſint, iacturam pariter refarciat, ac, ſi ſoluendo non fuerit, iuret, ſe, quandocumq. ad pinguiorem deueniat fortunam, plene ſatisfacturum.

a l. 50 § vlt. ff. ad l. Aquil. l. 3. § pen. ff. de incend. ruina. naufr. b c. 1. & 3. eod. hoc tit.

c l. ſi alius § 1. & alia ff. quod vi aut clam.

CAP. VIII.

SI rem corrumpi, aut vaſtari, eueniat, priuſquàm ad naturalem ſuam perfectionem creſcat, quò, ſi peruenilſet, pluris valitura præſumeretur, quàm valeret imperfecta, vt, ſi immaturæ ſegetes diſſiparentur, ſi viuæ arbuſculæ cæderentur, ſi equini, vel bubuli pulli necarentur, qui grandiores facti, abſq. dubio cariùs vendi potuiſſent, in damni æſtimatione poſſibilis perfectionis diſſipatæ rei tempus ſpectandum eſſe cenſemus, deductis ſimul expenſis in re ad maturitatem perducenda neceſſariò faciendis, ac periculorum rebus creſcentibus impendentium habita ratione: non, quia pericula certa ſint, ſed, quia euenire poſſunt, caſuum namque [a] poſſibilitate conceduntur, quæ alias non concederentur: &, ſicut pro temporum varietate rerum pretia mutantur [b], ita & [c] damnorum æſtimationes arbitrio [d] boni viri variandæ ſunt. Si vero malitia damnum [e] illatum probetur (cùm pluris, quàm periculum valeat) aliquantò largior faciendæ eſt reſtitutio: ſed, ſi caſu [f] fiat, quantùm pericula, atque expenſæ poſcunt, idq. in vtroq. foro.

a l. 2. C. de pæd. l. fideicõmiſſa C. de testamẽt. l. 1. part. C. de caduc. tollen. l. olea C. de vſur. l. pen. C. de ſolution.

b l. 1. pretia rerum l. 2. l. Falcid. l. verum §. ne nõ reſtituere cum ſeq. ff. de minor. c l. ex cõdũcto §. rapinam l. ſi vno annorũ ff. locati. d l. 6 libertus a d. de oper. libert. l. Societatum in fin. cum ſeq. pro tuto ff.

e Sot. ad 4. ſentent. q. 6. art. 3.

f Tolet. in ſumma li. 5. cap. 24. verſ. alterum autem in fine.

De pœnis. Tit. XXXV.

CAP. I.

ALEXANDRINAM conſtitutionem ab Alexandro, ſcilicet, Sexto ſummo Pontifice ad fauorem litigantium in Romana curia promulgatam, in noſtræ quoq. iuriſdictionis locis obſeruari debere operæ pretium duximus. Eius tenor eſt, vt, quicumq. ſiue actor, ſiue reus, litẽ habens, aduerſarium ſuum, aut pro illo litem ſuſtinentem, ſiue aduocatum, ſiue procuratorẽ, iudicem, notarium, teſtem, aliumue in illius cauſæ diſceptatione inductum, minis, verbis, conuitijs laceſſere, mutilare, vulnerare, occidere, etiam per aliam perſonam, quoquomodo auſus fuerit, quamuis inde mors non ſequatur, cauſam, actionem, iuſq. quomodocumq. ſibi competens, omnino amittat. Si verò quis, vel mutiletur, vel occidatur, qui id commiſerit, quique, vel pretio, vel alia de cauſa, tanto facinori operam, vel conſilium, vel fauorem, quoquomodo præſtiterit, fidelium inſuper communione, dignitatibus, honoribus, officijs, ac beneficijs, nulla etiam præmiſſa ſententia, priuari volumus.

CAP. II.

SI occaſione litis alter litigantium, vel eius defenſores, contra Alexandrinam conſtitutionem iniuria afficiantur, certumque ſit, id ab aduerſario minime perpetratum fuiſſe, ſed, nec mandatum ab illo appareat, ſit tamen in quæſtione de illata iniuria inſtituta, qui, ſe eius mandato illud commiſiſſe confiteatur, nos, quoniam mandans eadem pœna plectendus eſt, qua mandatarius, ſi mandatum [a] exequatur, eam confeſſionem tanti non facimus, vt infami homini [b] propriam turpitudinem detegenti fidem adhibendam eſſe arbitremur, niſi ex alia præſumptione, vel coniectura, vel indicio, vel [c] vrgente ſuſpicione, idipſum probabile videatur. Indicia facient, quòd [d] ante delictum aduerſarius minis, ac verbis iracundis contra iniuriam paſſum animi hoſtilis ſigna non obſcura dederit: quòd cum reo familiariter loqui, & conuerſari vſus fuerit: quòd de huiuſmodi [e] facinoribus aliàs conuictus, ſiue diffamatus fuerit: & contrà, quòd inter reum, & iniuriam paſſum odia, lites, rixæ, contentiones, inimicitiæ interceſſerint, quodque idem

a vt ex Bartolo, atque alijs cõcludet. Clar. in prac. crim. q. 85. nu. 1.

b l. ſi ſtupri 13. vbi notant omnes ff. de verb. obligat.

c quæ eſt minor indicio teſtimonio Clar. ibidem q. 41. num. 12.

d vt in cõſu. quem refert Roerus dec. 166 n. 5 & arg. c. ſecundo malum de reg. iur. in 6.

reus

reus ad illud delictum perpetrandum promiſſis, aut muneribus induei potuerit, cùm credibile non ſit, illatam fuiſſe iniuriam, præſertim grauiſſimam, abſque cauſa.

CAP. III.

Licet reo [a] vita functo pœna criminis ab eo luenda, ſi viciſſet, ad [g] eius hæredem non tranſeat: attamen, ſi ante finitam cauſam criminalem, aut etiam poſt latam ſententiam, pendente appellatione, hoc eſt, abſoluto iudicato, reque ipſa ad terminos, vt aiunt, litis conteſtatæ reſtituta, clericus criminis poſtulatus diem ſuum [d] obierit, nihilominus ferri ſententiam oportet, vt accuſatori, ſi vicerit, reſarciantur damna, quæ reus defunctus, ſi viueret, reſarcire deberet [e] cum litis [f] expenſis.

a l. defuncto, vbi Bartol. ff. de publ. iudic.
b l. fin. qui C. ſi pend. appell. mors interuen. l. vn. ibi quibus pendente ff. eod.
c l. ſuper §. t. ff. de his, qui not. infam. l. 1. §. vlt. ff. ad S. C. Turpillian.
d de quo extat tit. C. ſi appellat. pend. mors interuen.
e d. l. vn. ibi ſi verò hîc intereſſ.
f l. qui ſolidum §. etiam ff. de leg. 2.

CAP. IV.

QVamuis iudicium de appellatione deſerta pœnale ſit [a], ſi, eo pendente, clericus, qui appellauerat, mortuus fuerit, lite iam conteſtata, vniuerſam eam actionem contra eius hæredem dirigendam, eumque [b] in quacumque inſtantia contra defunctum moueri cœpta, conueniendum eſſe definimus, ferriq. ſententiam poſſe in procuratorem à defuncto conſtitutum, tamquam [c] dominum litis effectum, ab ipſo die conteſtationis, ſiquidem [d] conteſtata lite cum defuncto delicti poſtulato, pœna pecuniaria, qua ille mulctatus fuerat, tranſit in eius hæredem, (cùm alias [e] ab hæredibus pœnæ ineipere non debeant) ſed & lite non conteſtata, hæres, quantùm valent bona hæreditaria, damna ex delicto defuncti emergentia reſarcire teneatur, ne, quem ex alieno [f] flagitio, aut g iactura, locupletem fieri contingat.

a Iul. Clar. in Pract. criminal. q. 85. num. 11.
b l. penult. ff. hoc tit.
c Clar. ibid.

d l. inter poſtquam ff. de re iudic.
e arg. l. 1. & toc. tit. C. de ſen. paſſ. & reſtit.

CAP. V.

QVoniam carceris vſus regulariter ad cuſtodiam [a] eſt, non ad pœnam, cuius [b], niſi ex crimine, ratio vtique haberi non poteſt, ſi Valerius diaconus, licet grauioris culpæ reus, ad mulctam tantum pecuniariam, ac publici iudicij ſarciendas expenſas condemnatus, pœnalem ſoluat pecuniam, & expenſæ adhuc taxatæ non ſint, in carcere detineri non debet, cùm iniquum videatur, pro debito non liquido, atque incerto, certum incommodum ſubire debere eum, qui etiam, ſi maxime cupiat, dubiam pecuniæ ſummam repræſentare non poteſt, quamquam, ſi velit aliquid hoc nomine erogare, non prohibetur. Is tamen diaconus ea conditione dimittatur, vt intra dierum terminum à Vicario noſtro præſtituendum, de ſoluendis expenſis nondum taxatis, poſtquàm taxatæ fuerint, ſatisfaciet [c]. Quòd, ſi ea taxatione ſe grauatum aſ-

a l. ſeruus §. vlt. ff. de ſtatu lib.
b c. & humanis c. de viro ta. q. 2. c. reuertimini 16. q. 1. c. literas §. vl. & c. ſeq. ead. de tempor. ordin.
c arg. l. reſcripti ff. de his, quib. vt in d. gen. l. Paulus ff. ad l. Falcid.

ferens, appellauerit, ad ſoluendam ſummam à Vicario taxatam non cogatur, ſed, quam iudex appellationis taxauerit (ſiue is Nuncius Pontificius, ſiue Auditor Cameræ Apoſtolicæ, ſiue alius à Romana Signatura iudex conſtitutus fuerit) aut ſoluere, aut de ea ſoluenda idonee cauere, tenetur.

CAP. VI.

SI clericus ad triremes condemnatus, morbo incurabili ſuperueniente, ad eam pœnam luendam idoneus non ſit, ne delicta remaneant impunita, commutetur [a] ei pœna, quæ tamen lenior ſit, tum, quia molliendæ, non [b] exaſperandæ ſunt pœnæ, tum etiam, quia per reum non ſtetit, quin irrogata [c] pœna iuxta intentionem iudicis locum haberet. Pœna verò, quæ à Vicario condemnante legitimè commutari poterat ante ſententiam, lata ſententia, quia [d] iam functus intelligitur officio ſuo, noſtro [e], vel alterius iudicis ſuperioris arbitrio, reſeruanda eſt.

a l. mortem eſt ff. hoc tit. l. 1. §. penul. ff. de off. Præſ. Vrb. l. puto autem ff. de poſtulando.

CAP. VII.

QVandocumque Archiepiſcopalis noſtræ curiæ ſcriba, quem cancellarium, vel grepherium, vocant, ob delictum ab officij adminiſtratione, vel ad tempus, vel in perpetuum, ſuſpendendus ſit; prout res ipſa diligenter conſiderata poſtulare [a] videbitur; ſitque ipſe etiam notarius publicus, cauſarumque procurator in vtraque arte peritus, prohiberi non debet, quin, etiam apud tribunal noſtrum, litigantium patrocinium ſuſcipiat, ea, ſcilicet, de cauſa, quòd delinquens [b] puniri non debet, niſi, quantùm deliquerit, vt pœna crimini [c] reſpondeat, ne iuſtam aliquin cauſam habeat appellandi. Si verò, ita eum deliquiſſe conſtet, vt acriùs puniendus ſit, arbitrio officialis noſtri principalis id decernendum relinquimus.

a l. ſtipulationes ab vtrumque §. Celſus ff. de verb. oblig. b l. vl. ff. de præſcr. ſtipulat. §. vlt. Inſtit. eod. de ver. obligat.

CAP. VIII.

AD tollendas cauillationes, omneſque odioſas executiones antiquis iuris magiſtris viſum eſt, vt, cum quis ad factum, hoc eſt, ad præſtandum, quod promiſit, cogi debet, niſi impleat, quod ſtipulatus eſt, cogatur ad ſupplendum [a] id, quod intereſt. Sed, quoniam plerumque etiam difficilis [b] eſt probatio, quanti cuiuſque intereſſit, non præſtitum fuiſſe, quod præſtari debuit, longe conſultius fuerit, quotieſcumq. aliquid nobis neri ſtipulamur, ſi certam ſummam comprehendamus, videlicet, ſi quod promiſſum eſt, factum non fuerit, centum, verbi gratia, pœnæ nomine dari ſpondeantur. Ideo Syndicus, cùm ſtipulatus ſit, ſibi domum ruſticam pro ſui collegij commodo ædificari, ac, niſi ædificata fuerit, exempli gratia, ante calendas

Auguſti, pœnæ nomine centum ſolui debere, elapſo calẽdarum die, ſi ea minime ædificata fuerit, pœnam in obligationem, aut conuentionem deductam non temerè exigi poſſe putabat. Nos tamen, neque pro ipſo fiſco eam exigendam eſſe cenſemus, niſi cognitum ſit, ac pronunciatum, ſtipulantem [c] in pœnam incidiſſe, cùm potuerint multa accidere, quibus pœna exigi non deberet, aut, ſi exigenda eſſet, ex æquitate remittenda videretur, vt, ſi [d] ſtipulantis id fieri nihil interfuerit, cùm omnes actiones æſtimandæ ſint, quantùm actoris intereſt, licet, ſi adijciatur pœna, quærendum non ſit, an, & quatenus [e] eius interſit. Sed, quia, non iuris ars, aut ſubtilitas ſpectanda eſt, dicimus, in primis cognoſci debere, an ſtipulans in pœnam inciderit.

c Lynda C. de contrah. & commit. ſtipulat. L. ſi pacto, quo pœnam cum ſibi not C de pact. Add. decret. 1. d arg. l. ſi ita quis 115. §. Sera in fin ff de verb. obligat. e l. ſtipulatio alta 38. §. alterius ff. de verb. oblig.

CAP. IX.

INter ea, quæ cœleſtis ſpiritus afflatu, piorumq. Catholicæ Eccleſiæ procerum conſenſu in ſacro Tridentino Concilio geſta ſunt, ſtatutum illud maxime enitet, ad ſanctæque Sedis maieſtatem propagandam apprimè opportunum eſt, quo feudorum, iurium, bonorumque omnium eccleſiaſticorum alienatio, atq. abuſus interdicitur. Quod cùm ſacræ paginæ, diuinoque cultui conſonum ſit, vt, quem debemus honorem, eiuſdẽ venerabilis Concilij decretis, quemadmodum [a] facimus, exhibeamus, eius exemplum de verbo ad verbum hic inſeri voluimus, vt in omnium oculis poſitum, animo ſubditorum noſtrorum facilius, atque arctiùs inhæreat, quoſq. legũ auctoritas aliquando non vrgeret, eoldem pœnæ rigor a prauo opere deterreat; anathema [b], ſcilicet, quo in Eccleſia nihil terribilius, nihil ad irritandam diuinam iram periculoſius. Hoc igitur tremendo vinculo ligatum ſe vnuſquiſq. agnoſcat, qui patrimonium eccleſiæ occupauerit, diſtraxerit, aut in proprium vſum conuertere auſus fuerit, vnde, niſi ſummi Põtificis poteſtate, ablatisq. [c] priùs integre reſtitutis, ſolui poſſit.

a præſertim c. 1. de conſtitution.

b Apoſt ep. 1. ad Corint. c. 5. con audiri can. omnis chriſtianus 11. q. 3.

c c. cu regula peccatum de reg. iur. lib. 6. Conc. Trid. ſeſſ 22. c. 11. de reform.

Ex Concilio Tridentino.

CAP. X.

SI quem clericorum, vel laicorum, quacunq. is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis, vel Regularis beneficij, Montium Pietãtis, aliorumq. piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſsitates conuerti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas, clericorum, aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumq. quæſito colore in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati randiu ſubiaceat, quãdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & reditus, quos occupauerit, vel, qui ad eum quomodocumq. etiã ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, eccleſiæ, eiuſq. adminiſtratori, ſiue beneficiato, integrè reſtituerit, ac deinde à Rom. Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd, ſi eiuſdem eccleſiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas, eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui neſãdæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens, fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat, nec non quibuſcumq. beneficijs priuatus ſit, & ad quæcumq. alia beneficia inhabilis efficiatur, & a ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

De pœnitentijs, & remiſsionibus. Tit. XXXVI.

Eugenius IV. in generali Concilio Florentino.

CAP. I.

QVARTVM ſacramentum eſt Pœnitentia, eiuſq. materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguũtur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſsio, ad quam pertinet, vt peccata omnia, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium, & eleemoſynam. Forma huius ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cum dicit: Ego te abſoluo: Miniſter huius ſacramẽti eſt ſacerdos habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſsione ſuperioris: effectus huius ſacramẽti eſt abſolutio à peccatis.

Leo Papa Decimus.

In generali Concilio Lateranenſi.

CAP. II.

REgulares laicos, & clericos ſeculares à ſententia excommunicationis ab homine lata nullatenus abſoluere poſſint.

Ex

ſeſſ. 13. de reform. c. 15.

Ex generali Concilio Tridentino.

CAP. III.

QVamuis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſecularium audire, nec ad id idoneum reputari, niſi, aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

Pius Papa Quintus.

CAP. IV.

DEclaramus, decretum Sacri Concilij Tridentini de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſecularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda, obſeruari debere etiam in omnibus Regularibus quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viuentibus, etiam, ſi ſint lectores, aut in Theologia, etiam de ſuperiorum ſuorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris generalibus, vel prouincialibus miniſtris ſecularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in ciuitate, & diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari. Ab Epiſcopo autē ſucceſſore pro maiori cōſcientiæ ſuæ quiete examinari de nouo poterunt.

CAP. V.

COeterùm, quod ad pœnitentiam attinet, quam vnum ex ſeptem [a] ſacramentis Eccleſiæ ſub anathematis [b] cenſura Chriſtiani omnes vnanimiter profitentur, quæcumq. ab eadem Tridentina [c] Synodo definita ſunt, ad vnguem obſeruari præcipimus, eoſque omnes, qui, pura hac, ſanaque doctrina neglecta, cum finitimis Geneuenſibus, omnium, quotquot fuere, nequiſſimis, alijsque Catholicæ Eccleſiæ perduellibus, dogmata communicare, vel aliter docere, aut ſentire, præſumpſerint, non ſolùm anathemate multari, ſed, tamquàm hæreſis reos, niſi reſipuerint, condemnari mandamus: ex quibus, ſi quis clericus fuerit (quod abſit) ac poſt multas pias monitiones in errore pertinax eſſe perſeuerauerit, actu ipſo [d] gradibus deiectus, curiæ noſtræ ſecularis arbitrio remittatur, vt, qui propriam famam, ſacriq. ordinis dignitatem contempſerit, ciuilium legum rigore temeritatis ſuæ meritas pœnas luat.

a c. 1. ſupra hoc tit.

b c. 1. ſeſſ. 24. de ſacrament. pœnit. c. d. ſeſſ 14. cap. 1. cum ſeqq.

d de qua le c. degradatio de pœn. lib. 6 cap. 1. ſeſſ. 13. de reform. cuſtod Conc. Trid.

Quod, ſi eum abeſſe contigerit, affixis monitorijs ad valuas metropolitanæ, & parochialis eccleſiæ loci illius, vbi, vel natus fuiſſet, vel beneficium, vel domicilium [e] habuiſſet, citetur, ac, niſi intra terminum peremptorium ei præſtitutum, ſe nobis ſiſtat, iterum proclametur, nec tamen reſpondens, ordine, dignitate, officio, ac beneficio [f] quocumq. deponatur, & tandem, ſi in poteſtatem noſtram deuenerit, & publice abiurare hæreſim recuſauerit, depoſitus eiuſdem curiæ arbitrio puniendus relinquatur.

e vt in capit. cum multor. de cleric. peregrin. lib. 6.

f vt in c. in fin. ſuper. eius priuil.

CAP. VI.

ADmiratione prorſus dignum videtur, eleemoſynarum quæſtores, cùm eorum vſum, ac nomen, tamquam reipublicæ moleſtum, & ſcandaloſum, eadem Synodus damnauerit, in noſtra Prouincia adhuc perſeuerare adeo, vt quotidie ex remotis etiam chriſtiani orbis partibus huc quotidie confluant, qui ſpecie pietatis à ſimplicibus perſonis pecunias corradant. Ideo nos, qui, neque eorum importunitatem tolerari, neque cupiditatem expleri poſſe, noſtrosq. prouinciales hoc morbo in dies grauiùs laborare, animaduertimus, quodq. à tot [a], tantiſque Patribus factum eſt, conſtanter obſeruari cupimus, eccleſiarum parochialium rectoribus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ne quæſtores huiuſmodi in eorum parochijs admittant, niſi expreſſam, atque annuam, ſubſcriptione etiam, ſigilloq. noſtro munitam, petendi eleemoſynas à nobis obtinuerint facultatem: quam quidem, niſi probatis perſonis, nobisq. ſubditis, aut, ſi extraneæ fuerint, ſatis notis, non concedemus, nec ſine ea conditione, quòd eleemoſynarum non ſint vllo modo participes.

a ſeſſ 5. de reform. cap. 5. ſeſſ. 21. de reform. c. 9.

§. 1.

Qui verò, nobis annuentibus, petere eleemoſynas poterunt, caueant, ne indulgentias publicare, verbum Dei prædicare, ſacras reliquias exhibere populis audeant. Qui ſecus facere deprehenſi fuerint, non ſolùm collectas eleemoſynas amittant (quas, ſi id commiſerint, pijs locis diſtribuendas adiudicamus) ſed quæſtoris officio perpetuò priuati per hebdomadam ſolo pane, & aqua temeritatis pœnam in carcere perſoluant.

§. 2.

Qui iam à ſancta Sede Apoſtolica quæſtum faciendi ſub quibuſdam conditionibus, vt moris eſt, peculiarem facultatem habuerint, eleemoſynas nullo pacto petere audeāt, donec Apoſtolicorum diplomatum tenore diligēter examinato, huiuſmodi quæſtores priuilegio abuſuros non eſſe, nō dubitauerimus.

CAP. VII.

SVmmis laudibus extollimus, atq. in Prouincia noſtra ad vnguem obſeruari quàm maxime cupimus Lateranenſis [a] Concilij ſecundi conſtitutionem, qua præcipitur medicis, vt, cum ad infirmos in lecto iacentes adhibentur, eos ad expiandas proprias conſcientias ſacramentali ſuorum peccatorum confeſſione hortentur, ac tertio die minime viſitent, niſi, parochorum teſtimonio id factum plene fuiſſe cognouerint. Quod quidem eo maiore cordis affectu facimus, quo ſanctiſſimum Pium Quintum [b] Romanum Pontificem, cũ hæc ſalutaris conſtitutio, non ſine maximo animarũ detrimento in deſuetudinem abijſſet, ipſam ad priſtinam obſeruãtiam reuocaſſe, mirum in modum gaudemus.

a qua ſcilicet: Cum infirmitas, de quo c. 13. extra hoc tit.

b conſtitu. incip. Supra ſtegem, &c.

§. 1.

Quam quidem conſtitutionem per verbi Dei concionatores ſubditis noſtris publicari curauimus, non ſolùm, vt medicis morem gereremus, ac, ne infirmi, quaſi in extremo vitæ diſcrimine deprehenſi, improuiſa hac monitione perterrefiant: ſed etiam, vt mortalium animis inſtillata, obliuionis periculum facilius euadat. Quapropter, ne à medicis negligatur, eos, qui omnia in ea contenta non obſeruauerint, anathemati ſubijcimus, artisq. medicæ exercitio perpetuò interdicimus, hortantes in Domino conſanguineos, familiares, & domeſticos ægrotantium, vt de eorum infirmitate parochis admonitis, quæcumq. ad confeſſionem, ac morientium ſalutem neceſſaria videbuntur, ſummo ſtudio, & charitate procurent.

§. 2.

Parochorum munus eſt infirmos ad patiẽtiam, ad mundi contemptum, ad æternæ gloriæ deſiderium, ad cordis contritionem inuitare, excitare, ſenſim traducere, ſimulq. docere, ſalutis ſpem, non in herbis, aut remedijs humana arte conquiſitis, non in veneficijs, aut dæmoniacis excantationibus; vt antiquitas vero lumine orbata perſuaſum habuit; ſed in remediorum potiſſimo fonte Deo poſitam eſſe, ad quem, vt certum præſidium, tutiſſimumque ſalutis portum [a], Chriſtiani diuerſa ratione confugientes, eum verum medicum, ac liberatorem experiuntur: terrenam vero medicinam ab eodem ſolo virtutum Domino virtutem habentem, vt eſt in ſacra pagina dicente [b]: Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam; tantum prodeſſe, quantùm eius creatori placuerit, adeo, vt graui reprehenſione dignus [c] ſit, qui incertorum medicamentorum fiducia, certam Dei opem negligit, ſicut maxime laudandus, qui in aduerſis eum, tamquam bonorum omnium radicem, agnoſcit, vt, & noui [d], & veteris Teſtamenti exempla demonſtrant, vbi Deum in perturbationibus inuocantes ſola oratione liberati ſunt, adſtipulante Propheta [f]; iuſtos, cùm clamaſſent, à Domino exauditos, ex omnibusq. ærumnis liberatos fuiſſe, contrà verò iuxta Euangeliſtam, peccatores [g] à Deo non exaudiri, eos, ſcilicet, qui in volutabro iniquitatum marceſcunt, cùm in [h] hunc mundum, vt peccatores ad pœnitentiam, non, vt iuſtos vocaret, venerit Chriſtus, ſaluoſq. eos [i] faceret, dicens per Ezechielem, nolle [k] ſe mortem peccatoris, ſed velle, eum conuerti, & viuere. Hæc, & ſimilia vnuſquiſque parochus languentibus inſinuare ſtudeat, vt criminum laqueis per fidelem confeſſionem ſoluti, & bene moriendi, & bene viuendi, ſi conualuerint, viam capeſſere addiſcant.

a Paralip. 2. c. 16 canillud, quod can qui ſine 26. q. 2. facit & can 26 licet 26. q. 2.

b Eccleſiaſt. 38.

c d. cap. 16. Paralip. & Hieremi. c. 9. & 46.

d Pſalm. in Euangelium liberis. e Genes 12. 14. 15. 17 28 31. 35. & 41. & lib. 2 Reg. c. 21. 22. & 24. f 1. Gal 11. g Ioan c 9.

h Luc. c. 5.

i Apoſt. ep. 1. ad Timot. cap. 1. k cap. 33.

§. 3.

Quòd, ſi ex ſocordia, vel, ne infirmis moleſtia afferatur, ſeu terror incutiatur, parochus de parochiani ſui ſtatu, cumprimum in lecto decumbere, ac multò magis, poſtquàm morbus conualeſcere cœperit, minime certior fiat, infirmus verò abſq. ſacramentali confeſſione animam efflauerit, omnes, qui eius curæ aſſiterint, præſertim ſanguine, aut familiaritate, aut famulatu coniunctiores, arbitrio noſtro mulctentur: ipſe verò defunctus, niſi proximè præteritu Paſchatis tempore, & confeſſus fuerit, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſumpſerit, vt cæteris exemplo ſit, a ſepultura eccleſiaſtica reijciatur.

CAP. VIII.

PRæterea, quoniam decretum eiuſdem Concilij [a] Tridentini de inſtituendo poenitentiario in eccleſijs matricibus, in noſtra metropolitana executioni demandatum non eſt, quamuis plurimæ ab eo tempore huiuſque vacauerint præbendæ in hac diœceſi, quæ pro loci qualitate huic miniſterio ſecundum Concilij intentionem percommodè applicari potuiſſent, nos, religioſiſſimi Concilij zelum venerabundi excipientes, ac magiſtrum in Theologia, vel Decretorum doctorem in noſtra eccleſia tandem aliquando conſpici mirum in modum cupientes, vel vnum, vel plura beneficia, quæ, ſiue in noſtris, ſiue in capitularibus menſibus in poſterum vacare contigerit, pœnitentiarij eligendi, eiuſque ſucceſſorum alimentis (quantùm neceſſitas ſuadebit) adiudicamus, atque applicamus: qui quidem ſacerdos bonæ vitæ, ac doctrinæ ſit non minor quinquagenario, eiuſq. tandem expectationis, quæ ad caſuum

a Seſſ 24. de reform. c. 8.

nobis

nobis reſeruatorum pondus, quandocumque opus fuerit, & ſuſcipiendum, & portandum, ſufficiat.

§. 1.

Quoniam non deſunt, qui, vel odio peccati, vel morum aſperitate, in pœnitentes, licet humiles, contritioniſque ſigna apertiſſima oſtendentes, rigidi, ac difficiles, turbido vultu, toruiſq. oculis, eos inauditos reijciant nõ ſine circumſtantium ſcandalo, ipſorumq. pœnitentium rubore, ac deſperationis periculo, id pluſquam ſemel à nobis obſeruatum, tanquam à Chriſtianis moribus diſſonum, ac penitus intolerabile, quàm maximè auerſamur, ſcientes, pertinere ad huiuſmodi iudices Saluatoris exemplo veniam petẽtes benignè excipere, errãtes reducere, afflictos, criminumq. mole grauatos, ſubleuare, erga ea, quæ contra diuina præcepta admiſſa eſſe audiuerint, faciem, ac verba ſic componere, vt [a] quamnuis turpiſſima fuerint, ſine admiratione, animiq. commotione, accepta eſſe videantur, ijs præcipuè, qui lacrymis, alijsvè exterioribus contritionis argumentis, pietatem ſuam probauerint: immo, ſi quem præ verecundia titubare, loqui non audere, ac confundi appareat, preſtò eſſe debere prudentem confeſſarium dicimus, vt hæſitantẽ confirmet, timẽti animos addat, tacenti ſanctè quodammodo blandiatur, vt, timore depoſito, communem ſibi cum alijs hominibus naturam corruptam, communem imbecillitatem, communem morbum eſſe intelligens, peccata ſua pandere minimè vereatur, pro certo habens, ſi cum oris confeſſione propoſitum non peccandi coniunxerit, perfugium diuinæ miſericordiæ ſibi nunquam defuturum, ſic loquente ipſo Deo per Ezechielem [b]: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur; & alibi [c]: Nolo mortẽ impij, ſed, vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Cui conſonum eſt, quod legimus apud Ioannem [d]: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus (Deus ſcilicet) vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. & paulo inferius [e]: Si quis peccauerit, (nullum ſcilicet peccati genus excipiens) aduocatum habemus apud patrẽ Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro peccatis noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Cũ quibus concordat illud Matthæi [f]: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Eadem ratione, ſi pœnitentem diffidere confeſſarius ſuſpicetur, nutantem erigat, validaque manu ad fiduciam, ſpemq. ſalutis certiſſimam ſub pœnitentię clypeo reuocare nitatur, obijciens Chriſti [g] reſponſum datum Petro interroganti, an peccatum fratri remittendum fuerit vſque ſepties; nempe; remitti debere, non tantùm vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Abſoluto autem confeſsionis negotio, non abre fuerit, ſi expediat, pœnitentem acriùs, ac liberiùs accuſare, vt animæ ſuæ periculum propiùs conſpicatus, tutiorem viuendi rationem in poſterũ faciliùs ineat, id tamen cautiſsimè fiat, ne, aut propter circumſtantes, ſi qui ſint, aliavè de cauſa pereat, vel noceat, quod maximè prodeſſe, ac viuere, optamus.

a cap. 3. ſup. eod. To. c. 20 ibi: quorum remaſerit, &c.

b cap. 18.

c cap. 33.

d epiſt. 1. Io. c. 1.

e epiſt. 1. Io. cap. 2.

f c. 4. & 9.

g Matt. c. 18

§. 2.

Quod quidem à ſacri [h] Concilij Tridentini patribus, animaduerſum fuiſſe res ipſa demonſtrat. Namque, cùm in multorum [i] hominum conſpectu peccantes coram corripiẽdos eſſe moneat Apoſtolus, fuerit q. id, quaſi diuinum præceptum, in Eccleſia diu obſeruatum (etiam [k] in occultis grauioribus culpis) vt, ſcilicet, publicis peccatis publicè expiatis, procliuiores ad malum occaſionem peccandi facilius vitarent, placuit tamen, hoc publicæ pœnitentię genus arbitrio Epiſcoporum in aliud ſecretum commutari poſſe, ne ex detegendi peccati neceſsitate confeſsionis integritas in diſcrimen æternæ ſalutis adduceretur. Id ipſum & pœnitentiarium capitularem iuxta facultates ſuas facere poſſe, declaramus.

h d. c. 8. in prine.

i ep. ad Tit. 3. de quo c. ſed illud 45. d. c. ſi peccauerit verſer 80 3. q. 1.

k Aug. lib. 3. de ciuit. Dei c. 26. & epiſt. 54 & homil. 49. & de verb. & ſal per tot c. 11. Tertul. lib. de 9 pœnit. paul. Amb. l. 1. de pœnit. c. 20. de quo in c. reperiuntur de pœnit. d. 3. 4 ypr. li. 2. de lapſ. & in d. 1. & penitentiam.

§. 3.

Pœnitentiarium verò capitularem, vt attẽtius, ac maiore fructu animarum munus ſuũ implere poſsit, dum audiendis confeſsionibus in Eccleſia operam dabit, quotidianas canonicas diſtributiones integrè lucrari debere iuxta eiuſdem [l] Concilij mentem declaramus, ac ſi in choro canonicas horas cum alijs recitaret.

l d. c. 1 in fi.

CAP. IX.

NOn tamen poteſt pœnitentiarius, ſicut, nec alij confeſſarij, qui ordinariam, vel delegatam poteſtatem clauium habent, ab omnibus peccatis pœnitentes indiſtinctè abſoluere, cùm ab antiquiſsimo tempore in more poſitum ſit in Eccleſia grauiſsimorum, piiſsimorumque patrum conſenſu, vt atrociora, magiſq. enormia delicta ſummis dominici gregis paſtoribus iudicanda relinquantur. Quamobrem [a] Romani Pontifices iure optimo, pro ea poteſtate, quam in vniuerſam Eccleſiam habent, cauſas nonnullas ſibi cognoſcendas reſeruant [b]. Quod & vnuſquiſ-

a c. ſi qui ſuadente 17. q. 4. illa quorumdam extr. de iudic. c. conqueſtus extr. de ſent. exc. c. quicunque eo li. 6. clem. 2 eod. c. ſi de minutis extr. hoc tit. c. ſolicitis de pœnit. lib. 6. & paſſim.

b Conc. Trid. c. 7 ſeſſ. 14 d. doct. pœnit.

que Epiſcopus facere poteſt, limitata ſuæ iuriſdictionis ſacerdotibus abſoluẽdi facultate.

S. vnic.

c cap. 33. Cùm autem per Ezechielẽ c dixerit Deus, velle ſe conuerſionem, ac vitam potius, quàm mortem impij, ſanctè admodum, ſponſo ſuo Chriſto ſuggerente, noluit Eccleſia in mortis articulo reſeruationem vllam locum habere, quin, imminente vitæ periculo, ſi ægrotus proprij ſacerdotis opera quoquomodo d d.d.9.in fi. vti nequeat, vnumquemque, ſiue ſeculare d, ſiue Regularem ſacerdotem, à quocumque peccato, vel ſummo Pontifici, vel Epiſcopo reſeruato, ab omnique excommunicationis vinculo illum abſoluere poſſe, declarauit, ita tamen, vt ſi ægrotus conualuerit, cum primũ commode poterit, ſe Epiſcopo e, vel ſummo Pontifici ſiſtat, vel etiam cuicumque excommunicationis abſolutio reſeruata fuerit, vt, poſtquam ex reſeruatione cognouerit, quoquomodo Eccleſiæ præceptis ſatisfaciendum ſit, quod ſibi impoſitum fuerit, humiliter, ac f vt habetur in c. eos ext. de ſent. excom. lib. 6. ſine mora, implere non differat, alioquin f eodem ſe nexu implicatum agnoſcat. Conſequenter, qui ad infirmum excommunicatum, atque in vitæ diſcrimine conſtitutum, acceſſerit, quem ceſſante eo periculo, abſoluere g vt in Cle. 2. de haret. non poſſet, eum nequaquam abſoluat, niſi g ille prius ijs ſatisfecerit, quorum cauſa excõmunicatus fuiſſet, vel, ſi id commodè fieri nequeat, niſi ſatisfiderit, vel ſe ſatisfacturum h l.fin.C.ad d. Cle. 2. §. Verum. verbo, de tunc. iurret, ſi conualuerit, vel alio h modo de plena ſatisfactione caueat. Sed, ſi temporis angustia neque id perfici poſſe, probabile ſit, attamen abſoluatur infirmus, cum ad impoſſibile i l. 3. princ. ff. ad S. C. Syllanian. l. impoſſibilium ff. ad reg. iur. i nemo teneatur.

De ſententia excommunicationis. Tit. XXXVII.

C A P. I.

a c. paſtoralis. 3 vt ext. de appellat. hoc eo. eo. tit. EXCOMMVNICATIONIS ſentẽtiam, etiam, ſi ab ea a appellatum fuerit, ſecum trahere executionem, non eſt dubiũ adeo, vt noua executione opus non ſit, quia ſemel facta executio, iterum fieri nõ poteſt, &, ſicut factum pro infecto non habetur, ita actum agi non oportet: ideo b excommunicationis ſententiam iuſtè, vel iniuſtè latam, timendam eſſe, definiit B. Gregorius. Si verò fulminata ſit excõmunicatio poſt interpoſitam appellationem, nullam eſſe dicimus, quaſi id factum ſit in odium, & contemptum appellationis, vtque appellans iuris cõmunis beneficio defraudetur, quod ſaluum, atque inuiolatum eſſe, maximè intereſt Reipublicæ, vt iudicum ignorantiæ c, vel malitiæ ipſarum legum patrocinio obuiã iri poſſit.

c l. 1. §. fatius ff. rẽ rat. hab. l. vlt. C. de ſen. præf. præt. l. 1. ff. de appell.

b c. 1. de c. nemo 10. q. 3.

C A P. II.

SI, vt eſt apud Auguſtinum, Dei operã quæ à magnitudine miracula vocantur; ſola frequentia, ac numero vileſcunt, tantò magis contemnetur excommunicationis gladius (quamuis Eccleſiaſticæ diſciplinæ neruus a ſit) ad continendos in officio populos plurimum ſalutaris, ſi paſſim, atque ex minima cauſa nimia iudicum facilitate educatur, quorum partes ſunt ſancti huius, Eccleſiæque neceſſarij iuris auxilij abuſum non admittere, etiam b Concilij Tridentini auctoritate damnatum, cui, cùm cenſuræ ex leui cauſa inflictæ minimè probarentur, præſertim, quæ ob res deperditas fulminari conſueuerant, ſic loquitur: Quapropter excommunicationes illæ, quæ, monitionibus præmiſſis ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, aut ſubtractis rebus, ferri ſolent, à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo, decernantur, & tunc non aliàs, quam ex re c non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ eius animũ moueat. Quod nos in noſtra quoque iuriſdictione ad vnguem obſeruari cupimus, & mandamus.

a c. dilecto hoc tit. lib. 6 cap. multi in princ. 3 qſt. 1. & vide in fi. tó q. 1. c. eos ripsuntur 24 q. 3.

b c. 3. ſeſſ. 25 de reform.

c cap. ſi c. nemo Epiſcoporum 1. qui bus ſacerdotio, & paſſim 21 q. 3. c. fo ro cod. tit. lib. 6.

§. 1.

Eam tamen concedi nolumus, niſi ſecundum regulam, quam vocant, Cancellariæ, à Romano Pontifice Pio Quinto præſcriptam, vt, ſcilicet; preces ad hanc excommunicationem obtinendam porrectæ reijciantur, niſi res, de qua agetur, eiuſque pretium nominatim, atque indiuiduè exprimatur, cui quidem conditioni obnoxiæ non ſint Eccleſiæ, locapia, & Vniuerſitates, quas, cùm probabile ſit, rerum deperditarum particularem ſcientiam non habituras, hoc iuris ſubſidio iuuari placet, dum, rerum non vulgarium verſimili d ratione generatim, ac diligenter collecta, apparcat, eas non minoris quinquaginta aureis nummis valere, totidemq. florenis Sabaudienſibus, ſi excommunicatio pro pauperibus concedenda ſit, de quorum inopia accuratè explorata, vt expreſſa mentio in litteris fiat, mandamus.

d arg. l vlt. ff. qũ met. cau. l. cum à indebito ff. de probat.

§. 2.

In cauſis item criminalibus abſtinendum eſſe à cenſuris, quandocumque executio contra rem, vel perſonam, commodè fieri poſſit, cum eodem Concilio c decernimus. Aliàs ſpiritualibus quoque armis (dummodo delictum id exigat) vti iudicem debere non negamus.

d c. 2. verſi. in cæteris quo que.

CAP.

CAP. III.

PVblicè excommunicatus, vt de propria ſalute magis ſolicitus ad ſanctæ matris Eccleſiæ omnibus patens [a] gremium diligentius redire ſtudeat, peccatorum ſuorum pœnitentiam ſubiturus, primo quoque cuiuſque menſis dominico die à parocho publicè denuncietur, ac, ne [b] conuerſatione ſua alios corrumpat, donec conuertatur, ingreſſu Eccleſiæ prohibeatur, eo præſertim tempore, quo Miſſæ, aut diuina officia celebrabuntur.

a l. inter cla ros in fi. C. de ſum. Trin. & fid. Cath. gl. ad c. abſolendam verbo: audientia, & ad c. pen. §. vlt. verbo. præhen. can. de haret.

b c. cccc autem 24. q. 3.

§. Vnic.

Quod, ſi obſtinato animo in cenſuræ periculo perſeuerauerit, ſanaſq. monitiones obfirmate reſpuere viſus fuerit, parochus illum nobis ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis omnino indicet, vt, tanquam de hæreſi ſuſpectus, iuxta eiuſdem ſacri [c] Concilij decretum, quæſtioni ſubijciatur.

c d. c. 3. in fi.

CAP. IV.

QVandoquidem Religioſo ſpiritualis fori inſtitutio maximè cõuenit exactè, cautèque geri, quæcumque Eccleſiæ auctoritate, ac nomine gerenda ſunt, Monitiones, ſiue Monitoria rerum ſurreptarũ reuelationi ſuffragantia, quamuis ad eruendam veritatem, ac [a] ſurripientium conſcientiam leuandam, decerni ſoleant, non tamen indiſtinctè, aut promiſcuè, etiam in cauſis ciuilibus, ſed annexa clauſula, quam vocant [b], *Parte, & conſilio exceptis*, poſt motam litem concedenda eſſe, pronunciamus, ne, qui antea de ſurreptione ſuſpectus eſſe non poterat, quia neſciebatur, quis futurus eſſet, poſtquam fuerit in iudicium vocatus, diffametur. *Pars autem, & conſilium*, reus, ſcilicet, eiuſq. aduocatus, à cenſuræ periculo iure excipiendi ſunt; quia, neque alter propriam prodere culpã, aut aliquid ſibi [c] damnoſum in iudicio exhibere tenetur, neque alterum ad manifeſtanda, quæ, vt cliẽtem ſuum defenderet, ſecretò acceperit, compelli boni mores patiuntur, niſi dehic in fraudem legis ad patrocinium vocatus fuerit, vt, ſcilicet, de clientis ſibi nota culpa teſtis eſſe non poſſit, quem, ſi quid ab eo doloſè commiſſum cognoſcat, ad corrigẽdum, quod peccauerit, enixè hortari, atque impellere ſtudeat, ac ſi in malitia pertinacem reperiat, à ſuſcepto patrocinio abſtineat, ne [e], dũ proterui clientis nequitiam fouere malit, ipſe quoque cenſurę vinculo irretitus improbi cõſilij pœnas luat. Multò minus autem, huiuſmodi monitoria abſque eadem clauſula in criminalibus quæſtionibus concedenda eſſe apparet, cùm [f] imminente infamia, aliàvè pœna [g] criminum indiuidua comite, probabile ſit, rem alienam ſic occupantes, non ſolum ad patratorum delictorum confeſſionem: ſed nec [h] ad reſpondendum, vt aiunt, criminoſis poſitionibus vnquam cogi poſſe.

a e. ſpeccauit de reg. iur. in 6.

b de qua c. Parte inf. de verb. ſignif.

c l. vlt. C. de eden. l. nimis graue C. de reſcind.

d ex l. procuratores ff. de do. ma. excep. Ant. Fab. de ff. 50. n. 3. tit. de prob.

e arg. l. non eſt §. 2 barbarius ff. de re mulit. Idem Fab. d. dñ 45

f l. 4 §. aduerſus ff. de do. ma. excep. l. probrum §. 1 ff. de ritu nup. g Nouel. 45 de mulie. rapt. paſſa.

h arg. l. Lege in fi. ff. de interdic. in ius facien.

CAP. V.

SAcerdos accuſatus; quòd confeſſionem abſque legitimis indicijs ſimoniæ diffamauerit, ſi litteras monitoriales cum clauſula [a], *Parte, & conſilio exceptis*, ſibi decerni petierit, licet non alia de cauſa, niſi, vt criminis fama probata, famam propriam à calumniæ ſuſpicione vindicet, attamen reijciẽdus eſt, ne accuſator ex talium litterarum publicatione, pluſquam ex verborum iniuria diffametur. Nam, quamuis accuſatum vincere poſſit, (quod tamen incertum eſt) ſimul poſsibile eſt, eius victoriam ad eorum aures non peruenturam, ad quos litterarum publicatio peruenifſet. Nec refert, quòd accuſatus obijciar, niſi exaudiatur, præberi anſam delictis, ſuamq. exiſtimationem probationũ inopia aliena culpa periclitari: ſed & ſibi fauendum eſſe, æque atque acculatori, ex regula [b] iuris, quæ eſt, vt fauore dignior ſit reus, quàm actor. Hoc enim caſu fauore dignior eſt accuſator, eo quòd accuſatus abſque legitimis probationibus eum diffamauerit, & conſequenter calumniatoris pœnam ſubierit, crimen obijciendo, quod probare non potuit. Siquidem accuſator illico, ac intentionem ſuam non probat, etiam [c], ſi de calumnia iurauerit, calumniatus fuiſſe præſumitur. Vt verò accuſato, quantùm per æquitatem licet, conſultum ſit, non prohibemus, quin per teſtes idoneos crimen ſibi obiectum probare poſſit, ac, ſi deponere nolint, accipiat monitorias litteras, quibus cenſurarum Eccleſiaſticarum auxilio, ad teſtimonium dicendum compellantur. Prohibenda [d] eſt igitur publicatio, non intimatio, vel ſignificatio. Quo ſanè temperamento vtrique parti conſultum putamus, quod à bono [e] iudice pro virili parte ſemper obſeruandum eſt.

a vt ſupe. c. prox.

b l. 1. ff. de reg. iur. l. Arrianus ff. de obl. & actio.

c Clar. lib. 5 ſeu §. 8. prax. crim. q 61. n. 6 & 7.

d An. Fab. de ff. 50. in tit. de prob.

e l. ea ijs in fi. ff. quæ ſit fran. credit.

CAP. VI.

SI litigator coram iudice à nobis dato agere recuſet, cauſa recuſationis allegata, eamq. iudex, vel aduerſarius, veram non eſſe contendat, non prohibetur recuſans, quin legitimis probationibus [a], actionem ſuam proſequi poſsit, ac quamuis ad eam rem expediendæ ſint litteræ monitoriales, (quæ, cum excommunicationis periculum ſecũ afferunt, facile [b] concedi non ſolent, niſi, deficientibus alijs probationibus in ſubſidium iuris) attamen concedendæ ſunt. Sed, ſi recuſationis cauſa, vel leuiſſima, vel parum honeſta ſit, vel etiam, ſi admiſſa [c] iudicis exiſtimationem magnopere læſura videatur, nolumus, moni-

a l. aperiſſimi c. de iud. e quod iuſpe dat 3. q. 1. c. cõmuner. vbi gl. ext. de excepc.

b cap. 1. ſup. hoc tit.

c vt c. 2. §. vlt. ſup. hoc tit.

tonas

toriasque litteras publicari: permittimus tamen, poſſe intimari [d], ſeu ſignificari iis tantummodo, qui in eo negotio ad teſtificandum propoſiti fuerint.

d vt è prox. ſup. cod. Faber de ſ. 5 cod. d prob.

CAP. VII.

MOnitorialibus litteris, vt plurimum cauſam dant eorum tergiuerſationes, qui a dicendo teſtimonio minimè alieni, eam tamen ſolennem veritatis confeſſionem ſtudioſè ſubterfugiunt, immò perſonali intimatione, atque ſignificatione, malitioſè nonnumquam declinata, vt coacti teſtificari videantur, litteras ipſas in Eccleſijs inter Miſſarum ſolennia frequentiſſimo populo publicari affectant, haud quaquam erubeſcentes, etiam coram ipſis partibus (quarum magis intereſt veritatem patefieri) diſertis verbis profiteri, ſe pro veritate non depoſituros, etiã religione, ac neceſſitate vrgente, quin & aliquãdo ex ſola improbitate, atque animi proteruia. Ea de cauſa domeſticorum, ac familiarium, teſtimonia, ſi monitorij Eccleſiaſtici terrore, aut conſcientiæ ſtimulo, ab inuitis, & renitentibus extorquenda ſint, non magis admittenda ſunt, quàm, ſi à ſubornatis, corruptisvè perſonis proferantur, ne [a], cùm probationes ex domo rei ſumi non debeant, fiat fraus legi, ad teſtificandum per monitoria [b] adactis ijs, qui alioquin ex rei domo producti, licitè reijci poſſunt. Itaque à monitorijs abſtinendum, quandocumque aliquid, niſi ex domeſticorum dictis [c], probari nequit.

a l. de minore ſ. ſi eorum. ff. de qq. b arg. l. 5. ſ. ſi pupillus. ff. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt. l. ſcire ſ. 2. ff. de leg. 2us. c l. conſenſu ſ. ſeruis C. ff. repud.

CAP. VIII.

COmmuni [a] ſapientum calculo receptum eſt, ſi teſtis interrogatus, ac iuratus, de eadem re variè deponat, ſtandum eſſe eius prioribus depoſitionis verbis. Sed, ſi monitorialium litterarum vigore depoſitio habeatur, poſteriora verba (licet alias, & fide carerent, & [b] periurij, falſiq. reos variantes teſtes efficerent) attendi debere, ac [c] multò magis, ſi verſimiliora videantur, alijſque admiculis confirmẽtur, lolent enim indicia, vt [d] probatio plenior ſit, cum dictis teſtium conferri. Quamobrem de commiſſi nobis gregis æterna ſalute ſoliciti, ne ſciſcitet, per diabolicas inſidias ſubditi noſtri ad peierandum miſerè adducantur, litteras huiuſmodi, & peractò, & cautiſsimè concedendas eſſe, pronunciamus.

a post Cou. in 2. variar. c. 23. nu. 8. Clar. q. 100. cren. q. 52. n. 15. & Bar. ad l. 3. in fin. Later. ff. de mil. test. & ad Auth. oc teſt. C. nihil aurem. Ant. Pelo. in ſuo C. de fi. q. & ſe de teſt. b l. eos l. q. falſa. ff. ad l. Corn. de falſ. Clar. d. q. 53. n. 10. cr. eq. c arg. l. vlt. ff. quemadm. teſtam. aper. l. cum nodum. ff. de pecun. lab. a. de fin. 34. d l. iuratis d teſt. l. dolum ff. de dolo.

CAP. IX.

QVoniam ad extorquendas occulti criminis probationes, litteræ monitoriales ſacræ [a] Tridentinæ Synodi decreto prohibentur, ſi eas in tribunali noſtro, quomodocumque ſubduci, aut impetratas ab aliquo ex noſtris parochis inconſideratè publicari contingat, ſuaque plurimum intereſſe quis duxerit intercedere, atque obſiſtere, ne effectum ſortiantur, quamuis coram noſtro ſeculari, vel alio quocumque iudice, lis vertatur, querelaue porrecta ſit, ad nos tamen, ſeu Vicarium noſtrum generalem, eam cognitionẽ ſpectare dicimus, cùm iudex [b] laicus abſque excommunicationis periculo hac de re [c], quoniam ſpiritualis eſt, iudicare non poſſit. Verum, ne delicta [d] remaneant impunita, ipſum laicum iudicem, hac interceſſione minimè obſtante, ad inquiſitionem, & litem coram ſe inſtitutam, vel breui inſtituendam, pergere poſſe non negamus, ne interea probationes intercidant [e], quas, quoad eius fieri poteſt, ſaluas eſſe oportet.

a c. 9. ſeſſ. 25 de reform. c. 2 9. ſeſſ. 24. huc t...

b c. ſi iudex laicus huc titulo lib. 6. c Ant. Iſab. cod. C. de ſs. 19. n. 8 cde. d Ioca vulgarium ff. ad l. Aquil.

e l. in lege ff. eod. ad l. Aquil. l. cæteri ff. d teſt.

De verborum ſignificatione. Tit. XXXVIII.

CAP. I.

ABORTVS dicitur partus immaturus, & ante tempus editus, quaſi idem, quod aborſus, à verbo aborior, vel, vt alijs placet, abordior, quod idem fermè ſignificat, quod abortus, niſi, quòd hic fœtus ſit iam grandiuſculi, vt Nonius interpretatur; ille non ita pridem concepti; & Paulus [a] iuriſconſultus aborſum vocat fœtum venenis, ac medicamentis eiectum. Ab eiectione autem differt abortus, quòd hic intra quadrageſimum diem contingat, illa verò grandioris fœtus ſit, ſed immaturi, de quo Gellius ſic [b]: Quod quidem faciunt (matres, ſcilicet, filios proprio lacte nutrire recuſantes) eadem vecordia, qua quibuſdam commentitijs fraudibus nituntur, vt fœtus quoque in corpore ſuo concepti aboriãtur, hoc eſt abortum patiantur: & Varro [c] verbo abortare vſus eſt; &, mulier abortiuit, alibi legitur [d]. Abortionem quoque pro abortu dixit idem Paulus [e]. Inde, & abortiuus, & abortiuum [f] facere, quod eſt abortum facere. Et abortiuus partus pro informi, & imperfecto accipitur. Suetonius [g] metaphorice Senatorũ, & coet: quos abortiuos vulgus vocabat, hoc eſt informes illo honore indignos.

a lib. 4. ſent. c. 9.

b lib. 12. c. 1

c de re ruſt. lib. 2 c. 4.

d ſicut ex lit teratæ exte. de homic.

e l. 8. ſi. aliquid ſ. quæ abortiua ff. de pœnis.

f c. Moyſes 32 q. 2. g in vita Auguſti c. 33.

CAP. II.

ANathematis vocabulo res, & perſona ſignificatur: res, cum [a] excommunicationem ipſam, perſona, cum [b] hominem excommunicatione maiore mulctatũ, dicimus. Eſt autem anathema Græcis idem, quod nobis deuotus, ſacer, maledictus, excommunicatus, (cum de homine loquimur) quaſi ſuſpenſus, ſeorſum poſitus, atque à fidelium com-

a cap. debent 11. q. 3. b ad c. ſicut dam 3. q. 4.

communione ſeparatus. Et, quamuis [c] inter maiorem excommunicationem, atque anathema nihil interſit, quo ad vinculũ, ſolemnitate [d] tamen inter ſe non minimum differunt: Fulminaturq. anathema ad terrẽdos, atque in officio continendos fideles, à quo [e] propterea abſolui difficilius eſt, quàm ab excommunicatione, cùm [f] ab inferioribus Epiſcopo remitti non poſſit.

[c] Abbas ad c. cũ ab Ilecclesiarũ n. 5. ext. de offic. Ord.

[d] c. debent.

[e] Abb. ad d. c. cũ ab Ilecclesiarum, & ad c. cum in cunctis §. inferiorem ext. de cleric.

[f] glo. coliter recepta ad d.c. cum ab Ilecclesiarum vbi & Abbas n. 1.

CAP. III.

ANimatus, ſeu viuificatus partus maſculinus dicitur ſecundum Hippocratem [a] ſeruato naturæ ordine, trigeſimum agens diẽ in materno vtero: Fœmininus verò, vt articulatus, & configuratus ſit, non minore, quàm duorum, & quinquaginta dierum ſpatio viuere creditur.

[a] lib. de natura pueri & lib. de ſeptimeſtri part.

CAP. IV.

BEneficiorum Eccleſiaſticorum alia reſeruata, alia affecta vocantur, licet, quoad effectum reſeruatio, & affectio idem ſint, ſed propriè reſeruari dicuntur, quæ in curia vacant, eorumq. reſeruatio clauſa eſt [a] in corpore iuris. Hinc communiter receptum eſt, vnicam eſſe reſeruationem, aliis contendentibus [b], plures eſſe. Nobis placet, reſeruata dici debere ea, in quorũ collatione ratio menſium habetur, reliqua omnia affecta: verbi gratia, ſi beneficium regulare commendetur, remanet enim perpetuò affectum Sedi Apoſtolicæ; vel, ſi in litteris prouiſionis poſitum ſit decretum de dimittendo obtento beneficio per reſignationem in manibus Papæ factam, per priuationem in curia ſequuram, & cum huiuſmodi clauſulis, quibus Romani Põtifices beneficiorum collationem ſibi reſeruare ſolent: ſed, vel reſeruationis, vel affectionis nomine cenſeantur, huiuſmodi [c] beneficia in curia, vel apud ſanctam Sedem, ſemper vacare intelliguntur, nec ab inferioribus collatoribus conferri poſſe, licet omnia [d] beneficia conferendi facultatem habeant, niſi [e] de reſeruatis, & affectis expreſſa mentio in litteris Apoſtolicis facta ſit.

[a] de qua c. 1 de pœn. li. 6

[b] Gome. preferum ad regulam de triẽn poſſ. q. 3. ver. ſecundus igitur ar. ticulus Aenea d Falco nib. in Trac. de reſer. q. 2 in prin. n. 12

[c] gl. ad Clemen. 1. Vide pen. Cal. cenſ. & de præb. Simo. Trad. de reſer. benef. q. 30 nu. 4. Lupus alle. 96. Aten. de Fab. ſpond. d. Trac. 2. effec. Au. ctor Tract. d Indultis §. 6 ex eo nu 3. cum ſeqq. d Rota dec. 3. de off legã nouis & alij plures, quos Auctor alleg. ib. de d. c. 1 vbi Frau. & alij in Martialib. 12. b 3 vice Clau dij c 20.

CAP. V.

CAelebs vocatur, ſiue mas, ſiue fœmina, qui extra matrimonium viuit, vnde cælibatus matrimonio opponi dicitur. Corrumpis ſine talione cælebs, ait ille [a], hoc eſt, cùm vxorem non habeas, quæ corrumpi poſſit, alienas vxores gratis corrumpis. Et Suetonius [b]: Confirmauit pro concione, quatenus matrimonia ſibi male cederent, permanſurũ ſe in cælibatu. Dictus eſt cælebs, quaſi cælo dignam vitam degens, vt interpretatur Beatus Hieronymus, nam, qui ſine vxore eſt, beatus, ac quaſi cæleſtis homo videtur, cum vxor [c] malum ſit neceſſarium. Ideo Apoſtolus [d] dicit: Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Cælibes etiam appellantur, qui per ſummam continentiam venereæ voluptati nuncium remittunt. Hos ſeruos ſuos Dominus: hos diſcipulos Magiſter agnoſcit: hi de terra triumphant Deo ſimiles, quoniam Dei virtutem capiunt; quos propter Regnum cælorum, ſe ipſos caſtrare teſtatur Saluator apud Matthæum [e]. De his dixit Ioannes [f], quòd cum mulieribus non eſſent coinquinati, cùm virgines eſſent, agnumq. ſequerentur, quocumque iret.

[a] Probeus & ſuperius. [b] cpiſt. 6. ad Cor. c. 7.

[c] cap. 19. [f] Apoc. c. 14

CAP. VI.

CEnſus olim [a] duplex fuit, ſoli, ſcilicet, & capitis, nam ſingulo quoque luſtro, quod quadriẽnij periodo claudebatur, vnuſquiſque pro capitibus, ac rebus ſuis publice profitebatur, hoc eſt, quodcumque poſſidebat, in tabulas publicas referri curabat, vt pro numero, ac qualitate perſonarum, & bonorum, quæ habebat, tributa ſolueret. Nobis cenſus [b] eſt penſio Epiſcopo de bonis Eccleſię debita, ac reſeruata, ne impoſitionibus, vel exactionibus [c] ſubditos oneret. Hodie cenſus quoque dicitur annuus redditus conſtitutus ſuper re immobili, vel, quæ pro immobili habeatur, ſitq. fructifera natura; videlicet, cum iuxta Pij Quinti [d]. conſtitutionem is emitur, exempli gratia, centum nummorum aureorum pretio, ita tamen, vt pœnes venditorem ea remanente, ipſe ſingulo quoque anno quinque, ſex, octo, vel ſeptem itidẽ nummos aureos, vel aliam ſummam rei emptæ fœcunditati congruentem, emptori repræſentare teneatur. Qui tamen cenſus, vel penſio, ſi rem fluminis impetu abripi, vel chaſmate [e] abſorberi, vel incendio, aliaue ca lamitate perire contingat [f], ceſſare intelligitur, vel, ſi res tota non perierit; pars illa penſionis, quæ cum fructu rei deperditæ proportionem habuerit. Cenſum verò ſic venditum venditori redimere ſemper licet: quamquam emptori pretiũ eius repetere ſemper illicitũ.

[a] to tit. ff. d cenſib.

[b] c. quoniã in fin. c. 9. §. ſed d cenſ.

[c] c. 1 & c. 3. prohibemus eod. d cenſib.

[d] ff qua ſup. c. 2. de empt. & vend.

[e] chaſma verbum Græcũ terræ hiatũ, ſeu voraginẽ ſignificans. [f] id. ſi de re iudic. vel ſeruitutib. vel cenſualib. vel emphyteutica decidum eſt Aa. Faber in ſuo Cod. de in emphyt. de fin. 30 cum ſeq. a l. dimiſſorias eod. ff d verb ſignific.

CAP. VII.

DImiſſoriæ [a] litteræ, olim vulgò nobiliore vocabulo dicebantur Apoſtoli, quaſi miſſæ, quia mittebantur a iudice, à quo appellabatur, ad eum, ad quem directa tollet appellatio, & per eas cauſa ad ipſum dimittebatur. Hodie dimiſſoriæ ſunt, non ſolũm, quæ propter appellationem dantur: ſed &, quæ commendatitiæ, ac teſtimoniales, vocãtur, quibus promiſcue, & indifferẽter vtimur. Sed magis placet, dimiſſorias dici eas, quæ, proprio Epiſcopo impedito, dantur cupientibus ab alieno ordinari: commẽdatitias verò, ſeu

[a] litteræ, olim vulgò nobiliore vocabulo dicebantur Apoſtoli, quaſi miſſæ, quia mittebantur a iudice, à quo appellabatur, ad eum, ad quem directa tollet appellatio, & per eas cauſa ad ipſum dimittebatur. Hodie dimiſſoriæ ſunt, non ſolũm, quæ propter appellationem dantur: ſed &, quæ commendatitiæ, ac teſtimoniales, vocãtur, quibus promiſcue, & indifferẽter vtimur. Sed magis placet, dimiſſorias dici eas, quæ, proprio Epiſcopo impedito, dantur cupientibus ab alieno ordinari: commẽdatitias verò, ſeu

ſeu teſtimoniales, quæ dantur iam ordinatis, vt in exteras diœceſes profecturi, à locorum ordinarijs [b] ad functiones Eccleſiaſticas admittantur proprij Epiſcopi litteris commendati, ſicut ad [c] ordines tantùm admittuntur, qui proprij parochi de ſuis natalibus ætate, ac moribus Epiſcopo litteras teſtimoniales exhibent. Vnde apparet dimiſſoriales [d] à ſolo Epiſcopo, teſtimoniales verò, etiam ab inferiore, concedi poſſe.

b c. tua fraternitas. de cler. peregrin. c ſanctorum 70. d. c. quis 21. q. 2. Conc. Triden. ſeſſ. 23. de reform. c. 16 l. 6. c. c. 5. eod. ſeſſ. 23. d. d. cap. 16. eod ſeſſ.

CAP. VIII.

EPiſcopi vox latinè reddita ſpeculatorem ſignificat, animarum certè regimini optimè congruens, cùm ex altiſſima charitatis ſpecula, creditarum ſibi ouium mores explorare, ac diligentiſſimè obſeruare ad Epiſcopũ maxime pertineat. Epiſcopos appellat Arcadius [a] iuriſconſultus eos, qui pani, rebuſque venalibus ad quotidianum victum neceſſarijs præerant: vnde Epiſcopos paſtores animarũ dictos eſſe crediderim [b], quòd ſcilicet de cæleſti pane, cuius alimẽto ſatiatur, ad Deumq. extollitur Chriſtiana anima, curam habeant: hoc enim Epiſcopi vocabulum vſque ab initio naſcentis Eccleſiæ fuiſſe teſtantur acta [c] Apoſtolorum. Ideo etiam ſuperintendentis [d] titulo inſignitum eſt ita, vt Epiſcopatus [e] onus potiùs, quàm honor videatur.

a l. vlt. ff. de mun. & hon.

b Auctor in Parat. tit. de temp. ord. & in tract. de Indul. 5. Epiſcopus n. 15.

c cap. 20. et c qui Epiſcopatum 8. q. 1.

d epiſt. 1. ad Tim. cap. 3. Apoſtol.

e epiſt. 1. ad Tim. cap. 3. Apoſtol.

CAP. IX.

FAlſitatis ſuſpicione caret roſa ſcripturæ, etiam, ſi verba, vel characteres eius ad rei ſubſtantiam pertinentes, conſumpti ſint, non item, ſi raſa appareat, cùm ſine hominis induſtria nihil radi poſſe præſumatur. Rodi [a] verò à moribus, alijsvè huiuſmodi beſtiolis, vt de tabulis teſtamẽtarijs diſſerit Vlpianus, quoniam extra hominis culpam eſſe, ac paſſim euenire manifeſtum eſt, ſcripturæ falſitatem excludit.

a in l. 1. §. vlt. ff. d bon. poſſeſſ. ſecun. tabul.

CAP. X.

FAlſi teſtimonij ſignificatione abſque dubio comprehenditur, quidquid etiam extra iudicium, etiam animi benefaciendi falsò aſſeritur. Sed perniciosũm, ipſiusque Dei verbo [a] damnatum eſt fallum teſtimonium in iudicio iuramento affirmatum, cùm ſcriptũ ſit: non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimoniũ. Ibi enim aſſertur teſtis mendacij Deus [b], qui veritas eſt, ideo periculoſum, ac prohibitum. Teſtium autem iuratorum tanta eſt auctoritas, vt, niſi manifeſta improbitatis nota fidem amiſerint, aut [c] legitimis exceptionibus excludantur, à iuſtitiæ miniſtris reijci non poſſint, dicẽte Domino [d]: In ore duorum, vel trium, ſtet omne verbum.

a Exodi 20. Leuitic. 19. 5. Thom 2. q. 110 art. 3. & 2. 2. q. 98. a. 1. b 1 turnitur. C. de teſtib. cap. quoties ext. eo. Cic. l. 3. offic. c l. quamvis 1 ſi. cũ ſeqq ff. eod. d Deuter. 19 Matt. 18. Apoſt. ep 2. ad Cor. cap 13. ep ad Hebr. 10 de quibus c. relatis extra de teſt.

CAP. XI.

FOenus à fœditate, vel à fœtore contractus nomen meretur: Gellio [a] ex Varronis ſententia dici placet à fœcunditate, ſiue à fœtu, hoc eſt à partu pecuniæ, quo, inſtante vſuræ ſoluẽdæ tempore, ita debitor vexatur, ita afficitur, vt [b] ea moleſtia à B. Baſilio doloribus parturientium appoſite comparetur. Peſsimum genus lucri eſt pecunia fœnore acquiſita, ac multò peius fœnus ex fœnore proueniens, malorum nempe parentum praua ſoboles, vt, quæ hominũ ſubſtantias paulatim deuoret, ferè, ſicut pullos viperarum non, niſi perroſo materno ventre, naſci, tradit Plinius [c]. Fœnus ſimulac generatur, parere, ac generare incipit, creſcitq. ſemper vſque in infinitum cõtra id, quod de alijs rebus experimur, quæ vbi ad iuſtam, ſibique propriã magnitudinem peruenerint, augeſcere deſinunt. De hoc turpi quæſtu, atque incremento, ita Ariſtoteles [d]: Fœnus ſe ipſum maius facit, vnde, & nomen inuenit, quoniam illa, quæ patiuntur, ſimilia ſunt gignentibus, pecunia, ſcilicet, pecuniam pariente.

a li. 16. c. 12.

b in orat. de diuitijs.

c li. 10. c. 60.

d li. Polit. 7. c. 6.

CAP. XII.

FOrnicari eſt rem cum meretricibus habere. Deducitur autem à fornice, loco cõcamerato, ſubobſcuro, occulto, vbi corpore quæſtum facientes mulieres habitare, ac proſtare ſolebant. Latius tamen patet hæc vox apud theologos, ac iuris interpretes, copulamq. illicitam veneream quamcumque deſignat, ſicut, & verbum mœchari quod, quamuis propriè adulterari ſignificet, extenditur tamen ad omnes veritas coniunctiones carnales. Animalia rationis expertia fornicari non dicuntur, ſicut, nec homines, dum ſine peccato coeunt: Ideo ſemper illicita fornicatio, ſemper letale peccatum conſtituit, etiam ſi ea ſit, quæ ſimplex appellatur, cum, ſcilicet, ſolutus cum ſoluta extra matrimonium commiſcetur, eſtque hæreſis [a] reus, qui aliter ſentit, clamante Apoſtolo [b], nullum fornicatorem habere hæreditatẽ in Regno Chriſti.

a Clem. ad noſtrũ de hær. b epiſt. ad Epheſ. c. 5.

CAP. XIII.

FVrtum definitur eſſe rei mobilis fraudulentam contrectationem lucri faciendi gratia, atque in [a] poſſeſsione conſiſtere, cùm rem alienam auferens poſſeſsionis furtum faciat. Fraus in eo eſt, quòd res aliena occupatur: ex contrectatione oritur poſſeſsio, ſi res [b] loco moueatur lucri cauſa, nam, ſi deſit animus lucrãdi, cõtractio non cõſtituit [c] furtum, nec, vt fur, puniendus eſt rem contrectãs.

a l. 1. § fi rẽ ff. ſi rẽ, qui teſt. lib.

b l 3. § fi rẽ ff. de acqu. poſſeſſ.

c l. falſus ff. qui alienam l. quo in mente ff. eod. § placuit. Inſt. de obli. quæ ex delic. naſcun. & paſſim.

CAP. XIV.

GRadus cognationis à ſcalarum, locorũque decliuiũ gradibus nomen ſumpſerunt,

runt, quos ita diſpoſitos videmus, vt de proximo ad proximum, hoc eſt ad illum aſcendatur, qui priorem immediatè ſequitur. Sic in ordine cognatorum gradus eſt [a] perſonæ ad perſonam proximam diſtantia in linea cõſanguinitatis, atque affinitatis, vſque ad communem parentem. Iure autem Pontificio, quo chriſtianus orbis vtitur; parentes non faciunt gradum, ſed conſanguinitatis, atque affinitatis principium conſtituunt, vnde gradus naſcuntur. Filij primum gradum conſtituunt, hoc eſt, fratres ex eodem parente nati, nepotes ſecundum, pronepotes tertium, abnepotes quartum, vltra quem [b] non extenditur contrahendi matrimonij impedimentum. Sed ſpiritualis [c] cognatio, ac [d] legalis, atque iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum ex ſacri Concilij Tridentini decreto primum gradum nullatenus excedit, ſicut, nec affinitas ex fornicatione contracta, ſecundum.

a l. 1. cum ſeq. §. vſque ad §. affinitatis ff. de grad. affinit.

b cap. non debet ext de conſangu. & affinit.

c cap. 2. §. 4 ſeſſ. 24. de reform. matrim.

d ſup. c. vn. de cognat. leg.

CAP. XV.

HOmagium, ab homine deduci vox ipſa demonſtrat, eſtque obligatio ſeruitutis à libero homine facta Principi, vel domino habente feudum, vel ius infeudandi per pactum, vel ſtipulationem, cum, ſcilicet, liber homo Principi, vel domino fidelitatem promittit, ſeque hominem, ac vaſallum ſuum conſtituit; ſicque idem videtur eſſe homagium, ac fidelitas, licet ſint [a], qui putent, homagium habere locum in profanis, ac temporalibus, fidelitatem verò ad ſacra, ac ſpiritualia reſtringi, pro [b] quibus promittitur etiam fidelitas, non autem homagium, cùm Romana [c] Eccleſia obligationem huiuſmodi pro re ſpirituali, tamquam ſimoniacam, omnino reijciat.

a ſpecul. de homag. lib. de feud.

b c. antiqua ext. de priuileg.

c c. vlt. ext. de reg. iur. in glo. ſta.

CAP. XVI.

IMmunitas [a] vocatur ea, quæ muneris vacationem præſtat. Sicut enim ciuilia munera trifariam diuiduntur, in perſonalia nempe, patrimonialia, ac mixta [b] ex vtriſque compoſita; ita & immunitas in tres partes diſtingui poteſt; in perſonalem, realem, ſiue patrimonialem, ac mixtam, vt de decimis dicitur, quæ itidem, aut perſonales, aut reales, aut mixtæ [c] ſunt. Conuenit verò immunitas etiã rebus inanimatis: ſacræ enim ædes, oratoria, aliaue loca religioſa, ea fruuntur immunitate, ac libertate, vt in [d] illis mercaturam tractare, tumultuſque iudiciales tolerare piaculum ſit, vnde [e] nec delinquentes inuiti ſine anathematis periculo extrahi poſſunt.

a l. immunitas. ff. hoc titulo.

b l. vlt. ff. de muner. & honor.

c c. 23. 24 ad 28. 29. ext. de decim. clemens. vn. eodem.

d c. 5. & poſtea ext. de immun. eccleſ. cap. 2. eod. in 6.

e c. eos dist. 87. c. 6. ext. eod. de immun. eccleſ. & ſup. eod. tit.

CAP. XVII.

INceſtum proprie dicitur committere, qui [a] mulierem conſanguineam carnaliter cognoſcit: ſed [b] & ad affines extenditur nonnunquam hoc vocabulum. Ideo, qui [c] cum conſanguinea, aut affine nuptias contraxerit, inceſtus reus erit. Hæc autem turpis commixtio inceſtus appellatur, quaſi fiat contra ceſtum, vel careat ceſto, iuſtarum nuptiarum ſymbolo, zona, ſcilicet, illa virginea, quam prima nocte vir nouæ nuptæ ſoluebat. In rebus quoque ſacris inceſtum fieri dicebat antiquitas.

a l. 1. §. 1. ff. de ritu nupt. c. 1. de inceſt. ſæc. nec can. §§. quæſt. 5. c. d. 1. ſoror. §. 2.

b l. 6. quæſtus l. 2. do primus cum ſeq. l. ſororem §. 1. l. inceſtus ff. de ritu nupt. c. 1. de inceſt. ſæc. nec can. §§. quæſt. 5. c. d. 1. ſoror. §. 2.

CAP. XVIII.

INcompatibilia ſunt, quæ vno, & eodem tempore in vno ſubiecto ſe inuicem compati, vel ſimul eſſe nequeunt, vt cum [a] quis duas habet dignitates, ſeu beneficia, quæ aſſiſtentiam, aſſiduitatem, ac reſidentiam, requirant, vtrique etenim intereſſe, ac [b] deſeruire eodem tempore, ob locorum diſtinctionem non poteſt, quemadmodum vnum [c], idemque dominium penes duos eſſe, ſicut duos vnum, & eamdem dignitatem, ac gradum obtinere [d], ac retinere ſimul non poſſe, dicimus.

a c. de multa ext de præbendis.

b quinetiam poteſt dominus ſeruire. 9 quaeſtio Macth. cap. c. l. 1. §. ſi duobus ff. cõmodati l. de hærede §. patet ff. cap. 2. poſſidem reuert. d. arg. legis cõm in teſtamento ff. de hæred. inſtit. l. 1. §. qui ſpreuit ff. de ſucceſſoro edict.

c vt in l. in perſona §. qui pecuniã verſ. ſi quis fideiuſſor, vbi glo. obſeruat ff. de pact. l. 1. §. Papinianus ff. de admin. & peric. tutor. b libro 8. c de legib. lib. 1.

CAP. XIX.

INterceſſionis verbum plura ſignificat [a]: ſed, quod ad rem noſtram attinet, intercedere eſt prohibere, opponere, obſiſtere, atque etiam publica auctoritate, ne quid fiat, impedire. Cæſar [b]: Quod ad Aricinos ſpectat, nihil intercedit, quominus Samniti populo pacis, bellique arbitrium ſit. & Cicero [c]: Quod quidem genus legationis ego cõſul, quamquam ad commodum ſenatus pertinere videbatur, tamen, approbante ſenatu frequentiſſimo, niſi mihi Leuinus tribunus plebis interceſſiſſet, fuſtuliſſem: minui tamen tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci. Interceſſio, vtcumque iniuſta, executionem impedit, ſi modò talis ſit, quæ ab executore admitti debeat: attamen is, ad cuius fauorem de beneficij poſſeſſione vindiciæ [d] dictæ ſint, ſi in iudicati executione habeat contradictorem, qui intercedat, nihilominus petere poteſt executionem (publicè namque intereſt, ſententiam quamcitiſsimè executioni mandari propter iudicis auctoritatem [e], præſertim in beneficialibus [f], ne beneficia diu rectore, ac poſſeſſore careant) niſi interceſſorem iam poſſeſſionem adeptum fuiſſe manifeſtum ſit. Nec refert, quòd de titulo, ac iure ſuo aduerſarius ad beneficij poſſeſſionem ſufficienter docear, cùm [g] aliud ſit habere ius ad rem, aliud in re: nec rei poſſeſſione prohiberi poteſt victor, niſi ab illo, qui eiuſdẽ rei poſſeſſionem occupat; ſicut fieri non poteſt, vt, qui non poſſidet, hoc ſolo poſſideat, quod intercedit, cùm interceſſionis natura ſit

a vindicias ſignificationẽ habes infra hoc tit. c. vindicia 42.

b l. ſeruo §. cum Prætor. ff. ad S. C. Trebell. f vt c. 1. in fine de requiſit. poſſeſſ. & infra.

g cap. 8. ibi abſente. de præbend. 16.

ius intercedenti competens conſeruare, non autem augere, aut nouum tribuere, præſertim poſſeſsionis, quoniam duo [h] naturaliter eamdem rem ſimul, & inſolidum poſsidere non poſſunt. Saluum igitur eſſe oportet ſemper ius intercesſionis, quoties intercedēs tertius eſt, nec dum condemnatus, ne (quod [i] naturæ, ac rationi repugnat) ſententia inter alios lata alij noceat. Ex ea [k] tamen cauſa rei iudicatæ executio retardari nequit, ſicque & is, qui poſſeſsione deijcitur, & quicumque ius ſibi in ea re competere arbitratur, intercedere non prohibetur.

h l. 3. §. ex contrario ff. de acqu. poſſ. & iup. cap. prox.

i Bocl. C. ex imperialibus, vel iuris. all. non noc. lib. 4. Praetor iuncta l. ille, a quo §. 1. eod. ad S. C. Trebell. l. 1. in princ. ff. ut in poſſeſſ. leg.

CAP. XX.

INtruſus intelligitur quicumque beneficij ſibi non collati, vel ab eo collati, qui nullum conferendi ius habuerit, nec in [a] quaſi poſſeſsione illud conferendi fuerit, poſſeſsionem capit; neque enim legitimè, nec ciuiliter poſsideri poteſt beneficium, niſi [b] canonice, vel, vt aiunt, ſaltem colorata [c] inſtitutione, collatum ſit. Eſtque adeo odioſa intruſio, vt, ſi idem beneficium intruſionis reo poſtea legitimè conferatur, nihil valeat collatio, niſi prioris virioſæ poſſeſsionis facta ſit expreſſa mentio; hoc que, vt declinetur periculum ab intruſione imminens, cuius [d] vitium omnino purgandum eſt, ne nocere poſsit.

a c. fin. extr. de inter. elect. 1. de ſupel. negli. Prælat.

b cap. 5. de verb. ſign. lib. 6 c. Rom. dec. 2. circa. 2. de Concil. prob. in antiqua collectione, hoc eſt legitimum præſentem habente.

c Ant. Fab. in ſuo Cod. de his qui ſit de aet. Eccleſ. poſſ. Rebuffus, Gaſpar. Cald. Mantic. & alios.

CAP. XXI.

IVdicium, vel ciuile, vel criminale eſt: ciuile dicimus illud, quo quis ad propriū commodum agit, ideſt, quo ſibi aliquid adiudicari petit ex cauſa [a] mutui, commodati, mandati, depoſiti, aliaue huiuſmodi actione. Quod extenditur etiam ad actiones ex delicto, vel quaſi, naſcentes, vt furti, bonorum raptorum, legis Aquiliæ, iniuriarum, & ſimiles ciuiles ſimul, ac criminales, quæ priuatam vtilitatem, non [b] publicam vindictam, reſpiciunt, ac [c] pecuniariæ etiam appellantur. Criminale iudicium à crimine deductum [d] ad publicam vindictam inſtituitur, licet eam conſequatur [e] plerumque pœna pecuniaria. Sicque illicitè exactum [f] priuatis perſonis in duplum reſtituitur, ſicut violenter extortum cum tripli pœna, quæ [g] non ad actorem, ſed ad fiſcum pertinet. Aliud enim priuatorum vtilitas, aliud publicæ diſciplinæ rigor poſtulat.

a l. interrogari C. de quæſtion.

b vt in l. vlt. C. de iniur. d. vlt. ff. de furt. l. 1. §. deinceps. d. iuriſd. omn. iud.

c l. 1. C. de teſtib. d. l. vlt. de priu. de lic. d. l. interrogari.

d quicumque 11. q. 3. & l. Iocoſo §. quod illatæ ff. de pœnis. & vbi alij.

e §. in ſumma Inſtit. de iniuria. glo. d. quod illatæ cap. eſt inſuſta 33. q. 4. & vbi hinc, extr. de ſenten. excommun.

f §. in ſumma Inſtit. de iniuria. glo. d. quod illatæ cap. eſt inſuſta 33. q. 4. & vbi hinc, extr. de ſenten. excommun.

CAP. XXII.

IVſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum cenſeri dicimus, cum quis propter publicam honeſtatem cum ſorore eius mulieris, vel viuentis, vel vita functæ, quam ſe vxorem ducturum ſpoponderat, matrimonium contrahere prohibetur, ſicut reciprocè & ipſa ſponſa, vel viuente, vel defuncto ſponſo, cum illius fratre maritali vinculo coniungi non poteſt. Quod quidem impedimentum, cùm [a] ad quartum vſque gradum olim procederet, hodie vltra primum non extendi debere, ſanxerunt ſapientiſſimi Patres [b] ſacri Tridentini Concilij, experientia [c] edocti, ex multitudine graduum peccata plurima atque ſcandala oriri ſolita. Id tamen intelligendum eſt de ſponſalibus futurum, non autem præſens, matrimonium reſpicientibus. Hæc namque ex conſtitutione [d] Romani Pontificis Pij Quinti perinde ſe habent, ac ſi matrimonium corporum commixtione conſummatum fuiſſet.

a cap. 4. & 8. extr. de ſponſal. & matrim.

b ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 1. & eod. ſeſſ. cap. 2.

c eod. cap.

d cap. 5. ſup. de ſponſal.

CAP. XXIII.

LAudemium dicitur, quod proprietario, alias directo domino, præter annuam penſionem vulgò canonem appellatam, toties ſoluitur, quoties rei feudalis, vel emphyteuticæ, vel cenſualis, vtile dominium alienatur. Quod, quia inſcio directo domino, fieri non poteſt, à quo inueſtitura neceſſariò accipienda eſt, in recognitionem directi dominij laudemia [a] præſtantur, quandocumque [b] vtile dominium transferri contingat, ſolutis duobus in ſingulos centenos de iure communi, ſed ex conſuetudine huius Prouinciæ ſolutis decem in ſingulos centenos nummos ex prouentu fructuum, ſiue redituum, non autem ex proprietatis valore computandos. Laudemium accipitur etiam pro reali onere feudi rem ipſam ſequēs, vbicumque [c] ſit, ex natura, videlicet, ipſius rei, quæ [d] cum ſuo onere à perſona ad perſonam tranſire ſolet. Laudemium peti poteſt, non ſolum perſonali, ſed vt aiunt, etiam [e] in rem actione, ſiue à contrahente, ſiue ab alio quocumque res poſsideatur.

a l. vlt. C. de emphyt. b d. l. vlt.

c Caſſan. in conſtit. Burgun. rubr. rit. 4. num. 9. d l. alienatio ff. de contr. empt. l. vn. C. de rem alien. gerent. l. præſidores, verbo. illud quoque C. de ſtud. patrim. lib. 10.

e Ant. Fab. d. de fin. 9 & in & de iur. de in. cum phyteu. a de quo c. vlt. ſup. de cenſib. & c. 1. extr. eod. b lib. 4. c. 15 c lib. 1. de feud rit. 2. d. gl. ad d. c. 1. de cenſib. verbo. Mantiſſa. e Abbas. & alij ad d. c. 3 de cenſib.

CAP. XXIV.

MAnſus [a] quid ſignificet non ſatis conſtat, cùm vox Germanica potius, quā Latina eſſe videatur. Albertus [b] Krantzius in ſua Vuandalia ſic habet: Aſsignauit q. trecentos manſos eccleſiæ in perpetuum ſeruituros. Guiacius [c], eſſe fundum putat, vnde quis ſe, ac familiam commode alere poſsit. Vocatur etiam [d] ager ad ſanctiſsimæ Euchariſtiæ neceſsitates reſeruatus. Alij aliter [e]. Nobis videtur eſſe, quidquid pro dote erigendæ eccleſiæ conſtituitur, quod quidem tale ſit, vt ex eius fructu eccleſia, eiuſque rector poſsint decenter ſuſtentari.

a cap. 4. lit. prot.

CAP. XXV.

MOnitorium dici poteſt eccleſiaſticum ſuffragium ad furto ablatas, vel deperditas res recuperāndas inuētum, quo ab excom-

excommunicationis periculo præſeruatur, qui ſublatas, nec reſtitutas, monitus reſtituit, earumque occupatores non reuelatos reuelat. Huius ſubſidij cauſa litteræ monitoriales appellatæ ab [b] Epiſcopis tantùm, vel eorum Vicarijs, conceduntur, quibus huiuſmodi rerum occupatores, vel occupatorum notitiam habentes ſub anathematis interminatione, vel ad eas reſtituendas, vel ad prodendos earum occupatores monentur.

b c. 1. 2. & 3 ſup. in prin.

CAP. XXVI.

NOtorium eſt, quod quauis tergiuerſatione celari non poteſt, ſiue facti permanentis ſit, ſiue momentanei: quod [a], & de qualitatibus, ac circũſtantijs, intelligitur.

a Tul. Clar. in pract. crim. q. 6. in princ.

CAP. XXVII.

OPtio eſt eligendi facultas. Cicero [a]: Quoties ille tibi poteſtatẽ optionẽq. facturus fit, vt eligas, vtrum velis, factum eſſe, nec ne. Optio iure canonico eſt, qua antiquiores canonici, vbi eſt conſuetudo [b], relictis præbendis, quas poſſident, vacantes pinguiores, vel ipſimet, vel per alium, gradatim capiunt. Quod quidem ius optandi in vacantibus per obitum tantùm habet locum, non autem in ijs, quæ in ſummi [c] Pontificis manibus ad certæ perſonæ fauorem reſignantur. Etenim, vbi non eſt vacatio, non poteſt eſſe optio: nec vacat beneficium ante reſignationem, quæ ſemper fulcitur conditione, ſiue clauſula hac: Nõ aliter, nec alio modo.

a Adr. 1. in Verr.

b c. fin. de conſuet. in 6

c Capuacq. deciſ. 182. per. 6.

CAP. XXVIII.

PArochus apud nos eſt idem ferè, quod olim fuit curio, animarum, videlicet, curam gerens, ita nuncupatus ab [a] antiquo parochorum munere legatis, qui Romam mittebantur, ſalem, ac ligna ſuppeditandi, quarum rerum verbo hoſpitibus neceſſaria continebantur: ſic parochi officium apud nos eſt ſibi credito populo ad æternam ſalutem neceſſaria ſubminiſtrare.

a Vide quæ habes ſupr. cap. 1. de parochis.

CAP. XXIX.

PArricidium propriè committit [a], qui parentem necat, aut etiam filium, quamuis naturalem [b], ſubſtantia filiationis [c], non qualitate attenta. Sed, & parricidij reus eſt, qui [d] aſcendentem, vel deſcendentem, vel etiam tranſuerſalem interficit vſque ad quartum contrahendarum [e] nuptiarum, vltimum gradum, ſcilicet, cum conſanguineis licitum.

a l. vn. C. de his, qui parent. vel lib. occider.

b Clar. §. parricidium num. 1. poſt Alex. ad l. 1. ff. de in ius vocan.

c d. l. vnica. d Clar. ibid. num. 2. & c. cum debet extr. de conſanguin. & affin.

CAP. XXX.

PArte, & conſilio exceptis, verba ſunt in litteris monitorialibus apponi ſolita, quarum [a] explicatio eſt, vt pro parte accipiatur ille, contra quem litteræ decernuntur, cui competit hæc exceptio, quia æquitati repugnat, hominem cogere ad prodendum ſeipſum, ſicut rationi minime congruit, vt de [b] domo aduerſarij probationes ſumantur. Verbum (*conſilio*) ad aduocatum, ac procuratorem refertur, quia, ſcilicet, cùm bonis moribus non conueniat, eos pandere debere, quæ, tamquam alicuius cauſæ defenſores, didicerunt, quæq. veriſimile eſt, eos neſciuiſſe, niſi ea ſecretò à cliẽtibus accepiſſent. Hoc tamen limitandum [c] eſt, ſi in fraudem legis aduocatus, vel procurator, non fuerint à litigantibus cõducti. Quod, cùm ſine animo doloſo fieri nõ poſſit, eo caſu conditio (*Parte, & conſilio exceptis*) doli [d] ſtruenti non prodeſt.

a Ant. Fab. in cod. de ſtip. 56. num. 2. tit. de probationib.

b l. vlt. C. de edend. Lucian. grauc. C. de teſtib.

c l. 1. & paſſim. ff. de iure fiſci, l. 2. §. ſi quis tabulas, ff. de poſtu.

d d. l. Prætor. §. 1. ff. de dolo malo excepto.

CAP. XXXI.

PEnſionis nomine proprie cenſetur, quod pro re conducta, vel pro rei vſu, ſoluitur, vnde penſionarius actiuè eſt iure ciuili, qui penſionem ſoluit. Iure autem canonico penſio dicitur, quæ imponitur fructibus beneficij, vt ab eo, qui beneficium obtinuerit, ſoluatur ei, ad cuius commodum reſeruatur, qui paſſiuè vocatur penſionarius. Dicta eſt fortaſſe penſio à cõparatiuo penſior, penſius, quod charius, ſeu pretioſius ſignificat. A. Gellius [a]: Vt nihil quidquam eſſet charius, penſiuſque nobis, quam noſmetipſi: nam, quæ maximi facimus, penſa habemus, ac ſæpe meditamur, atque examinamus. Sacrum [b] Tridentinum Concilium cathedralem eccleſiam, quæ mille, ac parochialem, quæ centum ducatorum prouentum non excedant, penſione onerari vetuit, ſoletque in diplomate, ſeu Bulla prouiſionis caueri, ne quid de fructibus illius, vel beneficij, vel eccleſiæ cathedralis detur, niſi certum ſit, ducatos mille pro Epiſcopo, ac centum pro Rectore ab omnibus oneribus exemptos remanſuros. In hanc que [c] ſententiã circa penſiones it Romana Rota omnibus numeris abſolutiſſima, quod idem eſt, ac ſi diceret [d]: abſq. vlla diminutione. Putamus nos à pendendo, ſeu ſoluendo penſionẽ, veriùs ac proprie dici.

a lib. 12. c. 3

b ſeſſ. 24. de refor. c. 13.

c poſt Petrum ad c. ad aures ſub num. 13. de reſcription. Sarnen. ad reg. de valore q. 1. in fin.

d Card. ad Clem. fin. de ſtat. & qual. Ruin. conſil. 119. num. 13. li. 1. Gonzal. conſ. 41. n. 9 & c. ſi quis ſuadente 17 q. 4 c. penult. extr. de ſent. excom.

CAP. XXXII.

PErcuſſionum gradus perſcrutari operæ pretium ducimus, quo [a] clericorum percuſſoribus abſolutionis conditiones pro eccleſiæ intentione, delictorumq. qualitate, plenè ſuffragentur. Itaque trifariam diuiditur percuſſio, in leuem, videlicet, mediocrẽ, enormem. Eſt enormis [b], qua abſciſſum, mutilatum, debilitatum [c] membrum ſit adeo, vt officio ſuo fungi non poſſit; vel, cum ex vulnere magna effluxerit ſanguinis copia; non item, ſi ex [d] naribus. Ratione quoque perſonæ enormis vocatur nonnunquam percuſſio, licet leuior fuerit, vt, cum in Epiſcopum, vel Abbatem injicitur manus violenta, vel in

b c. cum illorum. §. ſi verò clauſtralis extr. de ſent. excommunic.

c Silueſt. verbo, abſolutio 4. §. 1. d idem Sylueſt. abbrem.

aliam inſignem perſonam, vt, ſi facerdos in ſacerdotem vim inferat cum populi [c] ſcandalo: leuis percuſſio eſt, quæ ſit pugno, palma, pede, ligno, lapide ſine [f] vulnere; ac, ſi cõtingat ſine peccato, hoc eſt ſine animo offendendi, non infligit excommunicationem, ſecus, ſi cũ peccato; diciturque leuis ad differentiam enormis, à qua tamen abſolui poſſit percuſſor, etiam ab Epiſcopo, cùm enormis ſummo Pontifici reſeruata ſit. Mediocris cenſetur, quæ inter enormem, ac leuem media eſt, de qua, quoniam certa regula dari non poteſt, relinquitur arbitrio Epiſcopi [g], qui, ſi grauis, atque enormis videatur percuſſio, caueat, ne percuſſorem à cenſura abſoluat, ſed ad ſummum Pontificem remittat.

c Suppcept. de cler. cum illorum.

f Barrosius pericul. ... quam ſimiliter allegant plures in Manuali c. 27. nu. 91. & Toletus lib. 5. c. 32. in princ.

g d Barrosius pericul.

CAP. XXXIII.

[a] PErduellis eſt, qui, vel Principem, vel Rempublicam hoſtili odio perſequitur, ita dictus, quaſi ſit pertinax in bello (duellum enim [b] apud veteres bellũ fuit) animoq. bellum inferat, dum ad perturbandam publicam quietem, prauo conſilio peruerſæ volũtatis arma tractat; ideo, & reus [c] maieſtatis, & hoſtis publicus dicitur.

a Lyb. ff. ad Lic. maiest.

b Liu. li. 37 Cic. a. de legibus.

c gl. ad d. l. vlt. verſ. per ducillonis.

CAP. XXXIV.

[a] PRæbendæ verbum antiquum eſt, latinis minime incognitum, licet nobis fœminium, priſcis autem plurali numero neutrum fuerit. Prębenda (ait Plautus [b]) ædiles locauere. Gellius [c]: Ventidium prębendam magiſtratibus publicè conduxiſſe narrat. Iure [d] ciuili prębendorum nuncupatione panes, & annonæ ciuiles, hoc eſt, publicæ, veniunt, quæ à Principe, & ſi non pecunia, ſed pane, vino, ſale, atque ciuſmodi rebus præſtari eccleſijs ſolitæ ſalaria [e] nonnunquam appellata fuiſſe inuenimus, ex hiſque prębendas noſtras nomen accepiſſe, conijcimus. Nam, licet prębenda quodcumque [f] ad beneficij prouentum pertinet, comprehendat, (definitur enim eſſe emolumentum ex titulo eccleſiæ prouenieng) propriè tamen prębenda fuit quædam, vti dicam, ſportula, ſeu portio, quæ canonicis ſub diuerſis ſpeciebus ad victum ſpectantibus, ex reditibus eccleſiarũ diſtribui ſolebat: quod hodie quoque in Lugdunenſi, atque in Hiſpanienſibus eccleſijs quamplurimis obſeruatur, vbi vinum, panis, ligna, aliaque, etiam equis alendis eccleſiæ ſeruientibus neceſſaria, quotidie ſuppeditantur, quemadmodum, & in noſtra eccleſia aliquando factum fuiſſe comperimus, donec, & publicæ, & priuatæ commoditati conſultius futurum viſum eſt, portiones illas non aliter, quàm pecunia, diſtribui debere. Quapropter, & diſtributiones quotidianæ vocatæ

a Liuius a. d. de vrb.

b In Perſa.

c lib 5. c. 4.

d l. vlt. C. de quadrienn. præſcript. l. vlt. C. de iure deliber. l. hac edictali 5. his illud, C. de ſecund. nupt. Nouell. 22. l. 2. & 3. C. Theodoſ. de arm. cap. & C. Iuſtin. l. 1. eod. de annon. ciuil. lib 12.

e l. primo quæ, C. de ſacroſ. eccl. l. ex hoc iure. 10. in fin. de prębd.

ſunt. Verùm, cùm eccleſiæ piorum hominũ liberalitate opulentiores factæ, bona acquiſita inter ſuos canonicos diuiderent, prębendæ nomen obtinuit portio illa, quæ vnicuiq. canonico obtigit, quare non multò poſt beneficia omnia Eccleſiaſtica prębendæ vocari cœpta ſunt, vtique non ſine cauſa, prębentur enim, aut legantur, vt diuini cultus miniſtris prębeantur, decimæ, primitiæ, oblationes, quæ beneficialium reditruum ſummam omnem conficiunt: ſed communiore vocabulo prębenda eſt prouentus vltra quotidianas diſtributiones canonicis aſſignatus, in qua ſola habet locum optio, vt diximus [g] alias. Poteſt verò prębenda eſſe maior, & minor, ſicut diſtributio quotidiana non, niſi æqualis eſſe ſolet: ideo ſub optioné nõ cadit.

g c. optio tap. hoc tit.

CAP. XXXV.

[a] PRopria cauſa, in qua quis idoneus teſtis eſſe non poteſt, illa dicitur, vnde commodum [b], aut incommodum teſtimonij dicenti reſultat. Singuli tamen, ex quibus vniuerſitatis corpus efficitur, poſſunt teſtimonium dicere in cauſa eiuſdem vniuerſitatis, quaſi totius corporis cauſa non ſit cauſa vnuſcuiuſque membri, hoc eſt, ſingulorum, quia omnes [c] ſimul coniuncti vniuerſitatem conſtituunt. Sed, ſi cauſa nomine vniuerſitatis mota ad ſingulorum vtilitatem ſpectet, ſinguli à teſtimonio ita demum repellendi ſunt, ſi res illæ, quas ſinguli poſſident, ad vniuerſitatem redituræ non ſint, vt paſcua, nemora, valles, aliæque ſaxoſæ, aquis obnoxiæ, ſteriles, aut infructuoſæ proprietates, ac fundi, qui plerumque ea lege conceduntur, vt eorum dominium ſub quibuſdam conditionibus tranſire poſſit ad hæredes, etiam extraneos, arbitrio eius, cui conceduntur; ſi verò colendi fruendi fundi ad tempus dentur ita, vt ad vniuerſitatem, elapſo illo tempore, ſint reuerſuræ, ſinguli à teſtimonio reijci minime debent, quia vniuerſitatis cauſa illa eſſe cenſetur.

a l. nullus, ff. de teſtib. l. omnibus. C. eod. tit.

b l. 1. §. in propria, ff. quand. ap. pellan. fit.

c Cravetta, §. Vniuerſitatis, Bald. ver. dubit.

CAP. XXXVI.

[a] PRoximus (vt habetur in parabola Euãgelica de viatore à latronibus ſpoliato, ac vulnerato) homo eſt, cui opera hominis indigenti, homo miſericordiam facere, hoc eſt, opem ferre tenetur, vel conſanguineus ſit, vel extraneus, vel peregrinus; vel amicus, vel inimicus, vel Chriſtianus, vel infidelis, quem æque, ac ſe ipſum diuinæ legis præcepto diligere [b] debet homo ſub Chriſti vexillo militans, adeo [c], vt contra ipſum falſum teſtimonium abſque peccato dicere nequeat, ſicut contra ſeipſum dicere prohibetur: proximus eſt [d] enim vnuſquiſque ſibi.

a Luce c. 10 Auguſt. ſp. 32 ad Macced lib. 1. de doctr. chriſtiana c. 28

b Matt. c. 5. 22 Mark c. 12.

c Auguſt. lib. 1. de ciuit. Dei c. 1. c. ſi non licet 22. q. 5.

d

CAP.

CAP. XXXVII.

a vide Bædam lib. 5 hiſt. & paſſim alios.

QVincunx [a] pondus eſt, vel menſura quinque vnciarum: vſura quincunx dicitur, cum quini in ſingulos centenos nũmos, ſiue, vt vulgus loquitur, quinque pro quolibet centenario, ſoluuntur. Sic ſextans, cum ſex, ſeptunx, cum ſeptem. Centeſima olim dicebatur vſura, quæ centum menſium ſpatio expleret, ſeu æquaret ſortem; vt ſi centum nummorum ſors eſſet in ſingulos menſes, nummum vnum parere intelligeretur. Semuncia dimidiam nummi partem ſingulis menſibus pariebat. Septunx, minus Quincunx.

CAP. XXXVIII.

a vide c. 2. ſup. de raptoribus.

b l. vn. C. de raptorib.

RAptus dicitur, non ſolùm, cum libidinis furore vis virgini infertur, ſed etiã, cum [a] illecebris, ac blanditijs, ex paterna domo, aliue honeſto loco, abducitur. Sed & rapta [b] cenſetur illa, quæ ſe contra parentum voluntatem vltrò abducendam obtulit. Quin & raptus reus eſt, qui nondum viripotentem puellam corruperit; item iudex, qui apud ſe criminis ream deflorauerit. Etenim quocumque modo eorum, quos enumerauimus, id accidat, potiùs [c] raptus, quàm ſtuprum videtur.

c vide c. vlt. ſup. de raptoribus.

CAP. XXXIX.

SVbrepere eſt furari, auteclam auferre. Hinc ſubreptio, ſubreptitia poſtulatio, ſubreptitiæ litteræ, quæ per falſam ſuggeſtionem obtinentur; dicuntur verò etiam obreptitiæ, ſed differunt inter ſe: obreptitiæ enim vocantur, quæ malitioſè, ac per falſitatem, obtinentur: ſubreptitiæ autem ſunt, in quibus ex ſimplicitate, vel ignorantia quidpiam eſt, quod à petente exprimi debuit: quo caſu [a] habere poſſunt ſuum effectum, illo minime. Quod diximus, intelligendum eſt de reſcriptis à quocumque ius conferendi habente conceſſis. Nam, quoad litteras vulgò Bullas nuncupatas, quæ pro collatis beneficijs dantur, vitium obreptionis, aut ſubreptionis ad Pontificias tantùm reducitur, non item ad eas, quæ ab ordinarijs collatoribus expediuntur, cuius [b] diuerſitatis ratio aliunde petenda eſt.

a c. ſuper literis, vbi not. omnes de rescript.

b c. literæ, de obreptione infra tit. prox.

CAP. XL.

TAlliabilis homo latinè deditius appellari poſſe videtur, in cuius bonis, ſi abijcie liberis, & condiuiſoribus, diem obeat, eius dominus ſuccedendi ius habet. Nam, ſi duo, vel plures fratres talliabilis conditionis indiuiſam parentum hæreditatem retinuerint, ſeparatim verò aliquis eorum propria induſtria, aut labore, aliquid acquiſierit, ac ſine liberis moriatur, eius bona ita acquiſita ad dominum deuoluuntur, non autẽ, quæ habebat [a] communia cum fratribus, quia, neque ante parentum mortem, neque poſtea, fuerant diuiſa. Ideo fratribus ijs cõdiuiſorum nomen impoſitum eſt. Non ſolùm autem homo, ſed & fundus [b], aut ager, talliabilis eſſe poteſt.

a An. Fab. cod. de ſu. & inſ. tit. de dedititia libert. toll.

b idem Fab. cod. de ſu. & paſſim alibidem.

CAP. XLI.

VIndiciæ olim erant ſententiæ, ſeu adiudicationes, quæ fiebant [a] à ſeruitute in libertatem, vel contra à libertate in ſeruitutem. Hodie vindiciæ appellantur interlocutiones, ſeu ſententiæ interlocutoriæ, quæ in cauſis, præſertim beneficialibus, pronunciari ſolent ante diffinitiuam ſententiam, pẽdente lite ad fauorem eius, qui magis apparente, magiſque colorato titulo nititur, atque eo magis, ſi quid ſit, quod impediat, ne pleniſſima poſſeſſorij cauſa citò terminetur. Quod in profanis quoque cauſis obſeruatur, vt [b] certus poſſeſſor conſtituatur, vbi nullus eſt. Interdum vindiciarum locum implet ſequeſtratio, quæ ſuper pleno poſſeſſorio, niſi per diffinitiuam ſententiam, reuocari nequit.

a l. lite ordinata, & tenetore tit. C. de liber. cauſa lata. Lect. lib. 9.

b d. l. lite ordinata & l. 2. §. interdũ, ff. de orig. iur.

CAP. XLII.

VSura eſt, quidquid, præter ſortem, vel caput, quod capitale vulgò eſt, accipitur, ſiue ſit pecunia, ſiue aliquid, quod emi, aut pecunia æſtimari poſſit. Quod ſanè iuſte fieri nequit, cum inter iuſtos collocet [a] Dominus apud Ezechielem eum hominem, qui ad vſuram non commodat, nec ampliùs accipit: & Saluator apud Lucam [b] dicat: Mutuum date nihil inde ſperantes. Eſt tamen genus vſuræ non vetitum, cum pro æquitate, ac natura negotiorum, quæ geruntur, à debitore [c] creditori aliquid ſupra ſortem ſoluitur potiùs damni emergentis, quàm lucri ceſſantis cauſa, quamquam id, quod re vera intereſt, æſtimatur [d] etiam ex lucro ceſſante, cuius tamen actio odioſior eſt, quàm ea, quæ ex damno emergente oritur, quia fauore [e] dignior eſt, qui pro damno vitando, quàm, qui pro lucro captando, certat: nam, ſicut nemo ex aliena culpa damnum ſentire, ita nec lucrum captare, debet. Vnde eſt, quòd vſuræ, nulla etiam præexiſtente conuentione, debeantur damni occaſione, vt, cum venditor non accepto pretio rem venditam emptori tradit, ne [f], ſcilicet, re, & pretio careat: quod vtique bona fides non patitur, niſi conſtet [g], emptorem pretium ſoluere voluiſſe. Sic conſequens eſt, ad vſuras ſoluendas cogi non debere emptorem, ſi rem [h] venditam à venditore non acceperit. Hac de cauſa etiã marito, cui dos non ſit ſolura ſuo tempore, vſuræ debentur, ne [i] grauatus oneribus ma-

a cap. 18.

b cap. 6.

c c. conqueſtus c. ſalubriter extra de vſuris. d l. ſi commiſſa ff. rem rat. hab l. a. ff de eo qd certo loco, &c vbi Caſtrenſ §. nunc de off. l. h. fundus in fin. ff locati, l. 6 mulier, § antepen ff. rem amotarum, l. vn. C. de fenr. qui pro eo quod intercit. e l. non debet, ff de reg iur. f. evarbit C. de act. empt. & vend. l. 2 C. de vſur. g argel traio dictar. ff. de act. & ob. lig. h l liberalitatis, ff. de vſur. i d. c. ſalubriter.

trimonij damnũ ſentiat; quare, & cauſa dotis [k], quoad virum, non lucroſa, ſed oneroſa, dicitur.

k l. ex præſſione, ff. de obſig. & act. l. vlt. § 1 ff. quæ in fraud. credit. a de acquedu ctibus habes in l. ſancim. 2. & in l. illud, C. de ſacroſ eccleſ. de quibus meminit & rubr. de Epiſcop. & cler. b de his meminit l. municipum. ff. de muneribus. & honoribus. c Rectores ita cenſen.

CAP. XLIII.

XEnodochium locus publicus [a] eſt, vbi peregrini, præſertim pauperes, hoſpitio excipiuntur, gratiſque aluntur, vulgò hoſpitale dictum. Hinc xenoparochi dicebantur, qui [b] publice munera ſuppeditabant: Sed verius mea ſententia hoc nomine vocati ſunt, qui ligna [c], ac ſalem hoſpitibus præbebant.

a Alex. cõſ. 42. nu. 4 poſt canonitas ad clem. ſæpe de verb. ſignificat. a l cum, à quo C. de ſa luzion. l. 2. § 2. ff. & cet. petar.

De regulis iuris. Tit. XXXIX.

CAP. I.

a 1. 1. ff. de requirend. reis, l. abſentem. ff. de pœnis. b d. l. 1. § Præſides.

ASENS [a] nequaquam condemnandus, niſi requiſitus à iudice, adeſſe neglexerit, etiã ſi edictum [b] iudicis ignoret, dum conſtet, illud ad requiſiti notitiam peruenire potuiſſe.

CAP. II.

a l. ſi hæredi vbi Soc inus 3. not. ff. de condit. & demonſtr.

ACtus conditionalis [a] quamdiu in ſuſpenſo eſt, nullũ parere poteſt effectũ.

CAP. III.

a l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſc & cler. b Grãmat. c66. 16. n 19 c Iul. Clar. lib. fene 5. § fin. q 40

AFfectus in atrocioribus delictis, etiam ſi non ſequatur [a] effectos, ita demum puniendus eſt, ſi delicti ſuſpectus in proximo, atque [b] immediato actu delinquendi deprehenſus ſit: alioquin [c] arbitrio iudicis multandus.

CAP. IV.

a l. 2. 3. iuſtus aqua ff. de aqua quotid. & eſt. l. 1. § vlt. ff. de aqua pluu. arc.

ANtiquitate, ac diuturnitate temporis præſumuntur omnia ſolemniter acta, cùm vetuſtas [a] habeat vim tituli.

CAP. V.

a l. vlt. C. de ſucceſſorio edicto.

BOna vacantia dicuntur, quæ [a], nec dominum, nec poſſeſſorem habent: ſic vacare intelligitur beneficium, cum nec rectorem, nec poſſeſſorem habet.

CAP. VI.

a l quem ad modum C. de agric. & cenſit. lib. 11.

BOnæ fidei poſſeſſor eſt, qui titulum quidem habet, ſed inualidum: malæ fidei, qui [a], vel nullum, vel vitioſum, habet. In rebus eccleſiaſticis aliud eſt, titulum eſſe inualidum, aliud, eſſe vitioſum. Inualidus eſt, cum habens poteſtatem, habet tamen impedimentum conferendi, vt, ſi beneficium fuerit reſeruatum, vel alia de cauſa ab eo conferri non poſſit. Vitioſus titulus eſt, cum collatum eſt beneficium ab eo, qui non habet poteſtatem conferendi.

CAP. VII.

a c. 1. & 2. car. de conceſſ. præben.

BEneficij non vacantis impetratio ſemper [a] nulla exiſtimatur.

CAP. VIII.

BVllæ, ſeu litteræ Apoſtolicæ propter auctoritatem plũbei ſigilli, quo ſummus Pontifex vtitur, dicuntur probatio probata.

CAP. IX.

CItanda eſt pars [a] in quouis iudicio, quãtumuis ſummario.

a Alex. cõſ. 42. nu. 4 poſt canonitas ad clem. ſæpe de verb. ſignificat.

CAP. X.

CReditori [a] inuito aliud pro alio in ſolutum dari non poteſt.

a l. cum, à quo C. de ſolutionn. l. 2. § 1. ff. & cet. petar.

CAP. XI.

DVo [a] in ſolidum eiuſdem beneficij rectores, & poſſeſſores eodem tempore eſſe non poſſunt magis, quam rei profanæ.

a l. 3 § ſi duobus, ff. commod. l. § ex cõtrario, ff de ſ acq. poſſeſſ. l. duo in ſolidum ff. de precar.

CAP. XII.

FActi etiam proprij obliuio [a] præſumitur in Principe, ob negotiorũ multitudinẽ.

a c. 2. d conſtitut. lib. 6. arg. c. ſuper litteris cæt. de rer. p. a l. in lege in fin. ff. ad l. Aquil.

CAP. XIII.

FActum [a] pro non facto, quàm non factum pro facto haberi facilius eſt.

a Tit. Liu. lib. 7.

CAP. XIV.

FAmæ rerum [a] ſtandum eſt, vbi certam derogat vetuſtas fidem.

CAP. XV.

FVndamentum [a] intentionis, ſiue agatur, ſiue excipiatur, ſemper probandum eſt, præſertim [b] ratione temporis.

a l. 2 l. ab ea parte, & l quoties ff. de probat. b Alex. ad l. ſi mortuo, ff. de in integr. reſtit. min Caſtr. ad l ſi incertum. 5. ff de reb. dub. § ſ. cum filius ſuſtit. & hared. quæ ab inteſt. defer. § ſi agitur de ſtatu Nou. 118 de hæred. ab int. vocand.

CAP. XVI.

GRadum matris repræſentans non poteſt habere plus, quàm [a] mater habuiſſet, & matris hæredes non ſunt neceſſarij, cùm non ſint ſui, quia fœminæ non habent ſuos hæredes.

a l 2. 5. certi, ff. de verb. oblig. a l qui in alterius ff. de reg. iur. l vlt. ff pro ſocio. b l. 3. ff. de iur. & fac. ignor.

CAP. XVII.

HAeres non tenetur ex pacto defuncti, niſi ſub conditionibus, quibus defunctus contraxit, cùm obligationis conditio [a] ex perſona hæredis non mutetur.

a l. ſi quis obrogerit, ff. ad l. Cor. de falſ. vlt. C. de diuer. reſcript.

CAP. XVIII.

IGnorantia facti [a] alicui probabilis eſt, præſertim [b] occulti.

b l. 3. § manet, ff de reſtitut. eor. qui ſub tut. vel cura ſũt a l. quoties in actionib. ff. de rebus dub. l. cogi circa princ. ff. ad C. Trebell.

CAP. XIX.

IMpetratum [a] per ſubreptionem, vel obreptionem, pro non impetrato habetur, quia huiuſmodi vitia deſtruunt gratiam [b], ac reſcriptum.

a l auxilio, ff de minor. a l pen. & paſſim C. de reb. credit & iur. iurand. l. tutor pupilli in prin. ff. eod. de iureiurand.

CAP. XX.

INterpretatio [a] ſemper ea accipienda eſt, qua actus fiat vtilis, & aliquid operetur.

CAP. XXI.

IVdicis officium fruſtra implorat [a], qui cõtra iudicẽ cõmittit, aut iudicẽ cõtemnit.

CAP. XXII.

IVrisiurãdi vſus hactenus neceſſarius eſt [a] quatenus probetur id, ex quo pendet litis deciſio, præſertim, ſi aliter probari non poſſit.

CAP.

CAP. XXIII.

IVs nõ habet conferendi [a] Beneficij, qui id iã contulit, ſibique imputet [b], quòd cõferendo, poteſtatem conferendi ſibi eripuerit.

a c. dilectus 21. de præbend.
b arg. l. filius ff. vt legat. ſeu fideicom. nom. caue.

CAP. XXIV.

LIcita [a] cenſeantur, quæcũque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate cõprobãtur, de cuius poteſtate dubitare ſacrilegium eſt.

a arg. l. ſacerdegij C. de epiſcop. & clericis.

CAP. XXV.

LInguæ lubricitas [a] non facile punitur.

a l. 7. §. hoc tamen ff. ad l. Iul. maieſt.

CAP. XXVI.

LImitata [a] cauſa limitatum, non perpetuum parit effectum.

a l. imperator in fin. ff. de poſtul. l. in agris ff. de acquir. rer. dom.

CAP. XXVII.

LItigatores inanibus ſumptibus vexandi [a] non ſunt, ideo, nec ſuperuacuis [b] quæſtionibus, cautionibus, probationibus onerandi, ſed lites quàm citiſſimè [c] finiendæ.

a l. minoribus ff de minoribus.
b §. quidam ff. de reb. credit. l. nec Pipolino §. a. ff. vt legat. nom. cauea. c l. 1. l. quidam §. inde queritur ff. de nouo. operis nunc. & eius §. ſed. ſi inter ff. de vſufructu.
a l quoniam dor ff ad municip. c. 1. & 10. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.
b Iob. Polin. 4 cap 9.
c l. vlt. C. de ſuã & legit.

CAP. XXVIII.

AMaiore parte [a] conſtitutum, ab omnibus conſtitutum eſſe videtur, & ſecundum [b] Ariſtotelem valet, quod maiori parti placuit: ſed quod omnes, vt ſingulos, tangit, ab omnibus probari [c] debet.

a l. 1. de iuſtic. & iur. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.
b Iob. Polin. 4 cap 9.
c l. vlt. C. de ſuã & legit.

CAP. XXIX.

MOdus honeſtus [a] in rebus ſeruandus eſt: nec immoderata cuiuſque affectio attendenda.

a l. es damnis 80 pœne. ff. de dam. inf.

CAP. XXX.

MOnachus [a] non videtur fuiſſe is, cui monaſterio exire ab habente poteſtatem conceditur.

a c. nullus verſ. cum ergo 20. q. 1

CAP. XXXI.

MVtatio [a] conditionis bonorũ ex mutatione qualitatis perſonę oritur: ſic mutata qualitate perſonæ beneficiũ obtinentis, mutatur & ipſa beneficij qualitas, vt, ſi quis aſſumatur ad Cardinalatũ, nemo per eius obitũ beneficiũ vacans conferre poteſt, niſi ſolus ſũmus Põtifex, cui beneficiũ remanet affectũ.

a l. per procuratorem §. 1 ff. de acquir. hæred. l. vlt. C. de inoff. teſtam.

CAP. XXXII.

NOcentem [a] ſatiùs eſt abſolui, quàm innocentem damnari.

a l. abſentẽ ff. de pœnis.

CAP. XXXIII.

NOminis error, ſi cõſtet [a] de volũtate, nec ſit error in corpore, nocere non ſolet.

a l. 1. & 10. ti C. de probib. ſequeſtr. pecu. c. 1 & 10. ti ext. de fil. presb.
a L. §. ſi is, qui quadraginta ff. ad S C. Trebel. l. in ratione §. quod pulgò ff. ad l. falcid. §. 6. Inſtit. de ſponſ. & pr. hæred. com. rebe
a l. vlt. ff. de ritu nuptiar.

CAP. XXXIV.

NOtorium [a] dicitur, ac manifeſtũ, quodcumque, vel per confeſsionẽ, vel per probationem, vel per euidentiam rei, patet.

a L. §. ſi is, qui quadraginta ff. ad S C. Trebel. l. in ratione §. quod pulgò ff. ad l. falcid. §. 6. Inſtit. de ſponſ. & pr. hæred. com. rebe

CAP. XXXV.

ODioſa [a] regulariter vetita.

a l. 1. de iuſtic. & iur. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.

CAP. XXXVI.

ONus eſſe grauius [a] non debet propter rem certam, quàm, quanti res ipſa ſit.

a l. 1. de iuſtic. & iur. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.

CAP. XXXVII.

PAlàm factum [a] ſuſpicione criminis caret.

a l. 1. de iuſtic. & iur. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.

CAP. XXXVIII.

POenã [a] delicto reſpõdere oportet, nec maior [b] ſit, quam culpa, ac ne eadẽ de cauſa alius puniatur, alius ne appelletur quidem.

a l. Iuncinus C. de pœn.
b Cicero li. offic. 1.

CAP. XXXIX.

POſſeſſorium [a], ſicut minoris momenti eſt, ita leuiores probationes requirit.

a vt nec. ad l. vn. C. ſi de monienc. poſſeſſio. fatur. appell.

CAP. XL.

POſſeſſor pacificus dici nequit, qui poſſeſſionis controuerſiam patitur, nec enim poſsidere videtur, qui ſine controuerſia [a] poſsidere non poteſt.

a l quamuis ff. de reb. auth. iud. poſſid.

CAP. XLI.

PRæbendæ valor [a] ex quotidianis diſtributionibus non augetur, cùm caſualis, & incertus ſit, ex incerto [b] namque euentu certa concluſio fieri non debet.

a Oldr. cõſ. 118. & alij citati à Boerio q. 19. n. 3 & 4.
b l. 1. C. de pact l. de fideicõmiſſo C. de tranſ.

CAP. XLII.

PRæſumptionem [a] vincit, non ſolùm probatio, ſed & fortior præſumptio.

a l. fin. in fin. ff. quod met. cau l. nuptiarũ de in. dot. l. ſi chirurgus—pharm. cum ſeq §. 1. ff. de probat. l. diuus ff de in int. reſtit l. pen. in pen. ff de ritu nupt.

CAP. XLIII.

PRobandi onus [a], nõ ſolũ incumbit ei, qui dicit, ſed, & neganti aliquid iure factum.

a l ab ea parte ff. de probat.

CAP. XLIV.

PRohibitum vna via [a] non eſt alia permittendum.

a l. 1. de iuſtic. & iur. t. 8. de 3 his, quæ fiunt à maior. & capit.

CAP. XLV.

PRouiſio de beneficio vacãte facta per obitũ eius, qui illud nũquã obtinuit, videtur [a] facta de beneficio nullo, aut nullibi exiſtente.

a l. teire 3 oportet §. 1. ff. de tutor. & cur. dar. &c. l. at Prætor §. quid, ſi autem ff. de in. delibet.

CAP. XLVI.

REdire [a] rẽ ad ſuã naturã, fauorabile eſt.

a arg. l. ex facto ff de hæred. inſtituen.

CAP. XLVII.

REgularia [a] beneficia regularibus, ſecularia ſecularibus conferenda ſunt.

a l ſi vous §. pactus, ne pateret ff. de pactis
a c. cum de beneficio de præben. in 6 c. 10. ſeſſ. 14. de reform c. 2. ſeſſ 15. de regul. Conc. Trident.
a Caſtell. Bened. in. ver. ſtabique liberis n. 27. 28. 29.
b idem Benedict. ibidem n. 16.

CAP. XLVIII.

RElictum pro male [a] ablatis, videtur relictum, vt debitũ, & habet vim debiti, vt aiunt vulgò, confeſsati præſente parte, ſi tamen relictum ſit certæ perſonæ, non autem prorſus incertæ.

a l. 6 quis de manu §. 1. ff. locati l. 3. §. vlt. & l. 4 ff. quod vi. aut clam.
a l ſicut preuo C. ſi certum petat.

CAP. XLIX.

SCire [a], & probabiliter aliquid ſuſpicari, paria ſunt.

a c. in literis & paſtion ext. de reſtitut. ſpoliat.

CAP. L.

SImulata [a], quæ probentur, pro infectis habeantur: ideo, quia, vt dici ſolet, ſimulata diuturna eſſe non poſſunt, ſed celeriter, tamquam floſculi, decidunt.

a c. ſi motu proprio de prębend li. 6

CAP. LI.

SPoliatum [a] quemlibet, etiam prædonem, reſtitui reipublicæ intereſt.

a c. ſi literis de paſtion ext. de reſtitut. ſpoliat.

CAP. LII.

SVbreptionis, vel obreptionis vitium (cũ ſcilicet impetrãs beneficium tacet, aliàs à ſe impetratum, quale illud ſit, licet nec pacificum [a], nec incompatibile) in litteris

Apoſtolicis tantùm conſideratur, non autem in litteris [b] collatorum Ordinariorum, non, quia Ordinarius habenti beneficium concedere debeat beneficium magis, quàm ſummus Pontifex (cùm ratio pluralitatis beneficiorum, cuius cauſa expreſſio impetratorum quæritur, vtrobique militet) ſed, ne Ordinarius obreptum ſibi beneficium conqueratur ab eo, cuius conditionem ex officio ſcire debuerit, ſicut, & beneficiorum in ſua diœceſi conſtitutorum. Quod locum non habet in ſummo Pontifice, qui eſt [c] Ordinarius Ordinariorum, concurritque ad conferendum cum quolibet Ordinario, totiuſque orbis beneficia conferre poteſt. Vbi igitur magis apparet [d] periculum, maior eſt ibi cautio adhibenda.

b clement. 2. de off. Ordin.

c c. cunctis per medium 9. q 3. c 2 de prabend. l 6

d arg. c vbi periculū de elect. lib. 6.

CAP. LIII.

STatus [a] nouiſſimus in quæſtionibus beneficialibus attenditur: nouiſſimus eſt [b], qui ex vltimo actu probatur.

a ex c. conſultationibus extr. de ſupplen. cum. similibus. b notatur ad cap cotulationes.

CAP. LIV.

SVcceſſor in beneficio, non ſui prædeceſſoris, ſed eccleſiæ ius, ac locum obtinet.

CAP. LV.

TAciti & expreſſi eadem vis eſſe poteſt, ſed maior [a] taciti, quàm expreſſi, eſſe non poteſt.

a l. 3. vbi noc. omnes ff. de reb. eor. ff cert. petit.

CAP. LVI.

TItulum non habere [a], vel eum habere, qui nullus ipſo iure ſit, paria ſunt.

a l. 2. ff de auct. iud. l. quoties ff. qui ſaui. co-gant.

CAP. LVII.

TOlerabilia [a] dicuntur, quæ veteri conſuetudine probantur, modo non ſint contra ius diuinum, aut bonos [b] mores.

a Imperator in fin. ff. de perduellione. b cap. fin. de conſuet.

CAP. LVIII.

VIa illa ſemper [a] eligenda eſt, quo ad eius fieri poteſt, qua, quod vni prodeſt, nemini noceat.

a l. in creditore in fin. ff. de cuict l. ex ijs in fin. C. qua re. fraud. credit.

CAP. LIX.

VNus [a] vacationis modus alio non comprehenditur, ſicut nec vna perſona in alia.

a c. ſuſcepti de reſcript. lib. 6. Rota. de c. 1. eod. de reſcript. antiq.

CAP. LX.

VOluntas [a] non minus facto, quàm verbo declaratur.

a l. non tantum, Alexander Paulus reſpondet. ff. ex. trac. hab.

CAP. LXI.

XEnodochia [a], inſtar eccleſiarum habent omnia priuilegia [b], quæ eccleſijs conceſſa ſunt.

a quæ ſint, habes ſup. c. vlt. de prob. b L. 14. C. de Epiſc. & cler. Auctor de ſacr. immun. lib. 3. ca. 16. num. 16.

Finis Libri Quinti, & vltimi.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATV DIGNIORA AD ACTA

Tarantaſienſis Eccleſiæ ordine alphabetico digeſta.

A

Abbatvs vox,quæ ſit. cap.1. pag.418 colum.2

Abſolutio à crimine nõ probato, etiã iniuſto eſt cõdenda. cap.3.393.2

Abuſus Tarantaſienſis ALBERGER vocatus,omnino prohibitus . cap.4 391.1

Acta ab Archiepiſcopis ſine conſenſu capituli,quæ nulla ſunt. c.2. 385.2

De aduenis ægrotantibus in xenodochiis quid ſtatuatur, vide textum . cap 2 338.2

Affinitas ex fornicatione ad cos reſtringitur, qui in primo , & ſecundo ſanguinis gradu copulantur . cap.1 370.2

Alexandrina conſtitutio contra offendentes , &c. vt in textu, obſeruanda . cap 1 410.2

Alienatio cuiuſcumque rei eccleſiaſticæ, quamuis nullius momenti ſine conſenſu capituli vetita . cap.2.& §.vn. 327.1

Alienatio rei eccleſiaſticæ, à clerico facta nulla eſt . cap.2 298.1

Altare, quando iterum conſecrandum . cap.4 349.2

Altaria, ſi de eorum conſecratione dubium ſit, conſecranda ſunt . cap.4 350.1

Anathema (cum de homine fermo eſt) maledictum ſignificat. cap.2 418.2

Ancillæ,niſi quinquagenariæ,cũ clericis non habitent. c.vn.320.1

Apoſtatarum abſolutio confeſſarijs interdicta . cap.vn. 387.1

Appellans, quæ in prima inſtantia non petijt , appellando, petere poteſt . cap 3 314.1

Appellatio ab interlocutoria ſententia , quando admittenda . cap. 1 313.2

Appellatio admittenda , atque inhibitio concedenda ſuxta ſacros canones, & conſtit . tionem Innocentianam . cap. 1 315.1

Appellatio latæ conteſtationem non extinguit . cap.2 313.1

Appellatio non datur à ſententia delegati à Principe, niſi ad eundem Principem . cap. 1 294.2

Appellationes friuolæ non admittendæ,& quæ . cap. 3 313.2

Appellator legitime ab aliquo ſententiæ grauatis capite.c.8.316.2

Archidiaconi officium . cap.vn. 292.2

Arma clericis interdicta, niſi bi euiuſcula, occaſione itineris . §.4 306.1

B

Baptizatorum,parentum,ac patrinorum nomina in libro particulari à parochis deſcribantur . §.3. 356.2

Belliſortæ monachi non adminiſtrent eis eccleſias , niſi idonei ab Archiepiſcopi reperti fuerint . cap. 1 346.2

Bellum,ac peſtis inter caſus fortuitos numerantur. c.6. 332.2

Beneficia commendare poteſt Rom. tantùm Pontifex. c.2 326.1

Beneficia curata, ac reſidentialia duo habere non licet. c. 1 322.2

Beneficia eccleſiaſtica nec permutare , nec renunciari poſſunt auctoritate propria . cap. 1 339.1

Beneficia parochialia absque concurſu, atque examine non conferenda . cap.3. 291.2

Beneficiarius, etiam non poſſidens beneficium, vigore litterarum Apoſtolicarum beneficium reſignare poteſt . cap.3 324.1

Beneficiarius non tenetur ſtare pactis a ſuo prædeceſſore initis cũ conductore fundi eccleſiaſtici . cap.2. 331.2

Beneficiarius, ſuperueniente lepra, non priuatur beneficio . cap.2 323.2

Beneficij eccleſiaſtici iuxta ſex eſt minor quatuordecim annis. cap. 1. pag. 291.1

Beneficiorũ poſſeſſores certos eſſe, reipublicæ intereſt . c. 1. 307.1

Beneficio ſpoliatus , etiam ſi de petitorio quæſtio ſit , ante omnia reſtituatur . cap. 1 305.2

Blaſphemus laicus, ac clericus quomodo puniendi . c 1 401.1

Bona clerico promouendo ad ordines pro patrimonio aſſignata non alienentur . §.2 290.2

Bona clericorum grauari nequeunt . cap. 6. 361.1

Bouis, & aſini parabola eleganter applicata . cap. 5 286.1

Breuia , ac Bullarum Apoſtolicarum ſyncerita diligenter explorãda . cap. 1 316.2

C

Caducitas fundi emphyteutici iuramento non plene probatur . §. 1. 2. 3. & 4. 327.2

Calcem, ac coccus quales clerico prohibiti . §. 2 306.1

Calumniæ ex Chriſtiana ſchola exhibendi . cap. 1 281.2

Calumniatores talionis pœnam ſubeant . cap 2 379.1

Caliga qualis clerico vetita . §. 2 306.1

Campanæ memorum eccleſiarum non pulſentur die ſabbati ſancti priuſquam campanæ maiores eccleſiæ pulſatæ eſſe conſtet . cap. 4 297.2

Cancellarius acta cauſæ non tranſmittens à iudice primæ inſtantiæ ad iudicem appellationis,ad ea tranſmittenda compellatur . cap. 2 315.1

Cancellarius Archiepiſcopalis omnium cauſarum ſummarium indicem ſingulo quoque menſe Archiepiſcopo , vel eius Vicario exhibeat . §. vn. 302.1

Canonicatus cum dignitate, quando haberi poſſit . c. 2 322.2

Canonicis, ac capitulo feuda deuoluta iterum infeudare vetitum . cap. 1 333.2

Canonici furtim conuenientes, atque abſente eorum Archiepiſcopo de rebus eccleſiæ ſtatuentes, puniendi . cap 2 405.2

Canonici, quando Archiepiſcopum ad eccleſiam deducere , & reducentem reducere debeant . cap.2 319. & 320

Canonici abſentes quando diſtributiones canonicas percipere poſſint. cap.6 322.2

Canonicos regulares ab animarum cura excludit Archiepiſcopus Tarantaſienſis . cap. 2 345.2

Cantoris officium . cap.vn. 291.1

Capitulũ litteras dimiſſorias,ſede vacãte,nõ cõcedat § vn.345.2

Carnalis cõiunctio ante matrimonij gratiam punienda. c.3.368.1

Caſuum reſeruatio in Eccleſia Dei antiquiſſima. cap 9 415.2

Caſuum reſeruatio non habet locum cum ijs,qui in articulo mortis ſunt . §.vn. 416.2

Cathechiſmus catholicorum dogmatũ promptuarium. c.5 296.1

Cathedraticum,vel charitatiuum ſubſidium,ſingulo quoque quinquennio Ordinario perſoluendum . cap. 1 348.1

Cauponæ clericis, niſi itineris cauſa, interdictæ . §.5 318.2

Cauſa criminalis ex ciuali emergens, ante ciuilem expediatur, niſi ſimul cum ciuili expediri poſſit . cap. 1 305.1

Cauſa deuoluta ad tribunal metropolitani non expediatur , niſi actis à Suffraganeo illuc tranſlatis . cap. 5. 301.1

Cauſæ criminales nõ ſemper accuſati mors finẽ imponit. c.3.421.1

Cauſam damni dare damnum facere tenetur. cap 7 410.1

Cenſuræ omnes, atque interdictæ a Regularibus publicari debent. cap. 1 342.1

Cenſus natura . cap.6 419.2

Cenſus vſurarij reus, quid facere debeat . cap.1 329.2

Cenſus vſurarius eſt, niſi ſernata forma à Pio V. tradita conſtituatur . cap. 1. ibid.

Ceremoniæ Romanæ eccleſiæ obſeruandæ . cap.8 353.2

Character ſacerdotij in ſortem ordinatio imprimitur, ſed ſic ordinatus irregularis eſt . cap.vn. 404.1

Character ſacerdotij non imprimitur in nõ baptizato. c.vn.403.1

Characteres, chartulæ,breuia curandis morbis adhibita, tanquam diabolica, omnino vetita . cap.2. 397.2

Chirotheceæ in choro clericis prohibitæ . cap 6. 319.1

Chori functiones,quomodo à clerico perſoluendæ. §.2 319.2

Choreæ, ac conuiuia clericis interdictæ . § 5 318.1

Clerici procurare,niſi pro locis pijs,cauſæ nõ poſſint.c.vn. 297.2

Clerici cauſas agere,niſi ex charitate,non poſſunt. cap.vn. ibid.

Clerici cum fœminis vetitis cohabitantes , quomodo puniendi . §.vn. 320.2

Clerici Tarantaſienſes, quomodo clericalem titulum probare debeant . cap.3 308.2

Clerici eccleſiæ inſeruientes diſcendi facultatem ab Archiepiſcopo recognoſcant . cap.5 322.1

Clerici fructus beneficiales,quãdo oppignorare poſſint.c.8.314.2

Clericis nullus circa fori priuilegium modus ſecularis iurisdictionem non tribuit . §.vn. 302.1

Clericus,quid incumbat in eccleſia,& in choro . cap.6 319.2

Clericus, quæ interdicta ſint. §.5 318.1

Apoſtolicis tantùm conſideratur, non autem in litteris [b] collatorum Ordinariorum, non, quia Ordinarius habenti beneficium concedere debeat beneficium magis, quàm ſummus Pontifex (cùm ratio pluralitatis beneficiorum, cuius cauſa expreſſio impetratorum quæritur, vtrobique militet) ſed, ne Ordinarius obreptum ſibi beneficium conqueratur ab eo, cuius conditionem ex officio ſcire debuerit, ſicut, & beneficiorum in ſua dioeceſi conſtitutorum. Quod locum non habet in ſummo Pontifice, qui eſt [c] Ordinarius Ordinariorum, concurritque ad conferendum cum quolibet Ordinario, totiuſque orbis beneficia conferre poteſt. Vbi igitur magis apparet [d] periculum, maior eſt ibi cautio adhibenda.

[b] clement. 2. de off. Ord.

[c] c. cauſa. per totam 9. q. 3. c. 2 de prebend. l. 6

[d] arg. c. vbi periculū de elect. lib. 6.

CAP. LIII.

STatus [a] nouiſſimus in quæſtionibus beneficialibus attenditur: nouiſſimus eſt [b], qui ex vltimo actu probatur.

[a] ex c. cum ſatis. 3. de restit. spol. cum similibus.

[b] notatur ad cap. cùm ſatis. eodem.

CAP. LIV.

SVcceſſor in beneficio, non ſui prædeceſſoris, ſed eccleſiæ ius, ac locum obtinet.

CAP. LV.

TAciti & expreſſi eadem vis eſſe poteſt, ſed maior [a] taciti, quàm expreſſi, eſſe non poteſt.

[a] l. 3. vbi Bar. omnes ff. de reb. cred. ſi certum petat.

CAP. LVI.

TItulum non habere [a], vel eum habere, qui nullus ipſo iure ſit, paria ſunt.

[a] l. 2. ff. de aucl. reit. l. quoties ff. qui satisd. cogant.

CAP. LVII.

TOlerabilia [a] dicuntur, quæ veteri conſuetudine probantur, modo non ſint contra ius diuinum, aut bonos [b] mores.

[a] Imperator in fin. ff. de publicanis. [b] cap. fin. de conſuet.

CAP. LVIII.

VIa illa ſemper [a] eligenda eſt, quo ad eius fieri poteſt, qua, quod vni prodeſt, nemini noceat.

[a] l. in credore in fin. ff. de cust. l. ex ijs in fin. C. qui in fraud. credit.

CAP. LIX.

VNus [a] vacationis modus alio non comprehenditur, ſicut nec vna perſona in alia.

[a] c. ſuſcepti de reſcript. lib. 6. Rota. de c. 18. eod. de reſcript. in antiq.

CAP. LX.

VOluntas [a] non minus facto, quàm verbo declaratur.

[a] l. non tantum, 21. in princip. Paulus reſpond. ff. exc. rei. iud.

CAP. LXI.

XEnodochia [a], inſtar eccleſiarum habent omnia priuilegia [b], quæ eccleſijs conceſſa ſunt.

[a] quæ ſint, habes ſup. c. vlt. tit. prox. [b] l. 19. C. de Epiſc. & cler. Author de 3. ſacr. immun. lib. 3. c. 12. num. 28.

Finis Libri Quinti, & vltimi.

NOTA-

Digitized by Google

NOTATV DIGNIORA AD ACTA

Tarantaſienſis Eccleſiæ ordine alphabetico digeſta.

A

Bonvs vox, quæ ſit. cap. 1. pag. 418 colum. 2

Abſoluto à crimine nõ probato, etiã inuito eſt cõcedenda. cap. 3. 393. 2

Abuſus Tarantaſienſis ALBERGER vocatus, omnino prohibitus. cap. 4 391. 1

Acta ab Archiepiſcopis ſine conſenſu capituli, quæ nulla ſint. c. 2. 385. 2

De aduentu ægrotantibus in xenodochijs quid ſtatuatur, vide textum. cap. 2 338. 2

Affinitas ex fornicatione ad eos reſtringitur, qui in primo, & ſecundo ſanguinis gradu copulantur. cap. 1 370. 2

Alexandrina conſtitutio contra offendentes, &c. vt in textu, obſeruanda. cap 2 410. 2

Alienatio cuiuſcumque rei eccleſiaſticæ, quamuis nullius momenti, ſine conſenſu capituli vetita. cap. 1. & 5. vn. 327. 1

Alienatio rei eccleſiaſticæ, à clerico facta nulla eſt. cap. 2 298. 1

Altare, quando iterum conſecrandum. cap. 4 349. 2

Altaria, ſi de eorum conſecratione dubium ſit, conſecranda ſunt. cap. 4 350. 1

Anathema (cum de homine ſermo eſt) maledictum ſignificat. cap 2 418. 2

Ancillæ, niſi quinquagenariæ cũ clericis non habitent. c. vn. 320. 1

Apoſtatarum abſolutio confeſſarijs interdicta. cap. vn. 387. 1

Appellans, quæ in prima inſtantia non petijt, appellando, petere poteſt. cap. 3 314. 1

Appellatio ab interlocutoria ſententia, quando admittenda. cap. 1 313. 2

Appellatio admittenda, atque inhibitio concedenda iuxta ſacros canones, & conſtitutionem Innocentianam. cap. 1 315. 1

Appellatio litis conteſtationem non extinguit. cap. 2 313. 1

Appellatio non datur à ſententia delegati à Principe, niſi ad eundem Principem. cap. 1 294. 2

Appellationes triuolæ non admittendæ, & quæ. cap. 3 315. 2

Appellatur legitime ab aliquo ſententiæ grauatis capite. c. 8 316. 2

Archidiaconi officium. cap. vn. 292. 2

Arma clericis interdicta, niſi breuiuſcula, occaſione itineris. §. 4 306. 1

B

Baptizatorum, parentum, ac patrinorum nomina in libro particulari à parochis deſcribantur. §. 3. 356. 2

Bellifortis monachi non adminiſtrent eis eccleſiæ, niſi idonei ab Archiepiſcopi reperti fuerint. cap. 1 346. 1

Bellum, ac peſtis inter caſus fortuitos numerantur. c. 6. 332. 2

Beneficia commendare poteſt Rom. tantũm Pontifex. c. 2 326. 1

Beneficia curata, ac reſidentialia duo habere non licet. c. 1 322. 2

Beneficia eccleſiaſtica nec permutari, nec renunciari poſſunt ſine cauſa. cap. 1 339. 1

Beneficia parochialia abſque concurſu, neque examine non conferenda. cap. 3. 291. 1

Beneficiarius, etiam non poſſidens beneficium, vigore litterarum Apoſtolicarum beneficium reſignare poteſt. cap. 1 324. 1

Beneficiarius non tenetur ſtare pactis à ſuo prædeceſſore initis cũ conductore fundi eccleſiaſtici. cap. 2. 331. 2

Beneficiatus, ſuperueniente lepra, non priuatur beneficio. cap. 2 323. 2

Beneficij eccleſiaſtici inops eſt minor quatuordecim annis. cap. 1. pag. 291. 1

Beneficiorũ poſſeſſores certos eſſe, reipublicæ intereſt. c. 1. 307. 1

Beneficio ipſoiuris, etiam ſi de petitione quæſitio ſit, ante omnia reſtituatur. cap. 1 305. 2

Blaſphemus laicus, ac clericus quomodo puniendi. c. 1 401. 1

Bona clericis promouendo ad ordines pro patrimonio aſſignata non alienentur. §. 2 290. 2

Bona clericorum gemuari nequeunt. cap 5. 363. 1

Bouis, & aſini parabola quomodo applicata. cap. 5 286. 1

Breuia, ac Bullarum Apoſtolicarum ſyncerata diligenter examinanda. cap. 1 316. 2

C

Caducitas fundi emphyteutici iuramento non plene probatur. §. 1. 2. 3. & 4. 327. 2

Calcem, ac ſaccus qualer clerico prohibiti. §. 2 306. 1

Calumniæ ex Chriſtiana ſchola exulandi. cap. 1 281. 2

Calumniatores talionis pœnam ſubeant. cap. 1 379. 1

Caliga qualis clerico vetita. §. 2 306. 1

Campanæ minorum eccleſiarum non pulſentur die ſabbati ſancti priuſquam campanas matoris eccleſiæ pulſatas eſſe conſtet. cap. 4 297. 1

Cancellarius acta cauſæ non tranſmittens à iudice primæ inſtantiæ ad iudicem appellationis, ad ea tranſmittenda compellatur. cap. 2 315. 1

Cancellarius Archiepiſcopalis omnium cauſarum ſummarium indicem ſingulo quoque menſe Archiepiſcopo, vel eius Vicario exhibeat. §. vn. 302. 1

Canonicatus cum dignitate, quando habari poſſit. c. 1 322. 2

Canonicis, ac capitulo feuda deuoluta iterum infeudare vetitum. cap. 1 333. 2

Canonici furtim conuenientes, atque abſente eorum Archiepiſcopo de rebus eccleſiæ ſtatuentes, puniendi. cap 2 405. 2

Canonici, quando Archiepiſcopum ad eccleſiam deducere, & reducentem reducere debeant. cap. 8 319. & 320

Canonici abſentes quando diſtributiones canonicas percipere poſſint. cap. 6 312. 1

Canonicos regulares ab animarum cura excludit Archiepiſcopus Tarantaſienſis. cap. 2 345. 1

Cantoris officium. cap. vn. 293. 1

Capitulũ litteras dimiſſorias, ſede vacãte, nõ cõcedat. § vn. 315. 2

Carnalis cõiunctio ante matrimonij gratiam punienda. c. 3. 368. 1

Caſuum reſeruatio in Eccleſia Dei antiquiſſima. cap 9 415. 2

Caſuum reſeruatio non habet locum cum ijs, qui in articulo mortis ſunt. §. vn. 416. 1

Cathechiſmus catholicorum dogmatũ prompeuarium. c. 5 296. 1

Cathedraticum, vel charitatiuum ſubſidium, ſingulo quoque quinquennio Ordinario perſoluendum. cap. 1 348. 2

Cauponæ clericis, niſi itineris cauſa, interdictæ. §. 5 318. 2

Cauſa criminalis ex ciuili emergens, ante ciuilem expediatur, niſi fimul cum ciuili expediri poſſit. cap. 1 305. 1

Cauſa deuoluta ad tribunal metropolitani non expediatur, niſi actis à Suffraganeo aliue tranſlatis. cap. 5. 301. 1

Cauſæ criminali nõ ſemper accuſari mos hãc imponit. c. 3. 411. 1

Cauſam damna dare damnum ſarcire tenetur. cap 7 410. 1

Cenſuræ omnes, atque interdicta à Regularibus publicari debent. cap. 1 342. 2

Cenſus natura. cap. 6 419. 2

Cenſus vſurarij rous, quid facere debeat. cap. 8 329. 2

Cenſus vſurarius eſt, niſi ſeruata forma à Pio V. tradita conſtituatur. cap. 1. ibid.

Cerimoniæ Romanæ eccleſiæ obſeruandæ. cap. 8 353. 2

Character ſacerdotij in fortiue ordinatus imprimitur, ſed ſic ordinatus irregularis eſt. cap. vn. 404. 1

Character ſacerdotij non imprimitur in nõ baptizato. c. vn. 403. 1

Characteres, chartulæ, breuia curandis morbis adhibita, tamquam diabolica, omnino vetita. cap. 2. 397. 2

Chirotheca in choro clericis prohibitæ. cap 6. 319. 1

Chori functiones, quomodo a clerico peragendæ. §. 2 319. 2

Choreæ, ac comœdiæ clericis interdictæ. §. 5 318. 1

Clerici procurare, niſi pro locis pijs, cauſis nõ poſſint. c. vn. 397. 2

Clerici cauſas agere, niſi ex charitate, non poſſunt. cap. vn. ibid.

Clerici cum fœminis vetitis cohabitantes, quomodo puniendi. §. vn. 320. 2

Clerici Tarantaſienſes, quomodo clericalem titulum probare debeant. cap. 3 308. 2

Clerici eccleſijs inſeruientes diſcedendi facultatem ab Archiepiſcopo recognoſcant. cap. 5 322. 1

Clerici fructus beneficiales, quãdo oppignorare poſſint. c. 8. 314. 2

Clericæ malitia circa fori priuilegium ſedes ſecutari meritiſſimo nem non tribuit. §. vn. 302. 1

Clericus, quid incumbat in eccleſia, & in choro. cap. 6 315. 1

Clericus, quæ interdicta ſint. §. 5 318. 1

INDEX.

Clericis, qui inteſtati decedũt, ſuccedit in bonis Eccleſia. c.1. 388.2
Clericis cõpatres eſſe ex baptiſmo vetitum, etiã curatis. c.2. 370.1
Clerico bonis omnibus cedere non permittitur. cap 8 314.2
Clericorum habitus quales eſſe debeat. cap.2 318.2
Clericus ad magiſtratus ſeculares prouocans ſuſpendendus ab ordinibus, atque excommunicandus. cap 1 405.1
Clericus hæreſis reus, vel ſuſpectus, quomodo puniẽdus. c.5. 413.1
Clericus priuilegio clericali renunciare non poteſt. c.1 302.1
Clericus in ſeculari habitu captus ab apparitoribus ſecularis magiſtratus ad eccleſiaſticum remittatur. cap.3 300.2
Clericus homicidam indicans, quomodo puniendus. c.2 388.2
Clericus ſodomiam non debet. cap.1 334.2
Clericus à laicalibus iudicibus ſecularis in carcerem ductus, quãdo ab eorum manibus impune abſtrahi poſſit. cap.3 302.1
Clericus impubes, quando fori priuilegio frui poſſit. c.1 399.2
Clericus, quamuis cum moderamine incuſpatæ tutelæ hominem occidat, ſit irregularis. cap.2 400.2
Clericus, quamuis ſpoliatus, quia canonice inſtitutus nõ videatur, attamen in præſtitum poſſeſſionis ſtatũ reſtituatur. c.1 305.2
Clericus ſe obligans in forma Cameræ Apoſtolicæ, obligatione ligatur, & quare. cap.3 334.fin.
Clericus incorrigibilis tradatur degradatus poteſtati ſeculari puniendus. cap 3 300.2
Clericus illigitimitatis ſuſpectus, quando infamiam purgare poſſit. cap.2 407.2
Coactus ad religionis ingreſſum, is ante quinquennium vim probet, dimittendus. cap.1 398.1
Cœmeteriorum priuilegia. cap.3. pag. 362.1
Cœmeterium ab extraneo Epiſcopo non benedicatur. c.2. 349.2
Cognatio ſpiritualis non contrahitur, niſi cum vnico compatre, vel cum vno compatre, atque vna commatre. cap 1 369.2
Cognatio legalis, etiam diſſoluta adoptione, tenet. c.vn. 370.2
Collationes beneficiorum regularium, ſi collatores in mora ſint, ad Ordinarium deuoluuntur. cap.2 347.1
Collator ordinarius vſque ad annum ex cauſa beneficium commendare poteſt. cap.2 326.1
Colluſio res factas infectas reddit. cap.1 399.1
Comeſtationes clericis interdictæ. § 5. 318.1
Commendatio perpetua beneficij pro titulo habetur. c.2 326.1
Commodatũ in re eccleſiaſtica prohibitum, & quare. c.vn. 328.2
Communicare cum excommunicato, quando liceat. c.1 402.1
Concilij Tridentini decretum circa admittendos ad primam tonſuram. cap.6. & 7 289.1
Concilij Tridentini decretum circa promouendos ad ordines, atque interſtitia. cap.9 289.2
Concilij Tridentini decreta omnino obſeruanda. cap.1 284.1
Concilij Tridentini decretum circa ætatem promouendorum ad ſacros Ordines, etiam Regularium. cap.10 289.2
Concilij Tridentini decretum circa admittendos ad minores, ac maiores ordines. cap.8 289.2
Concionatores, vbi ſtipenda publica ſuſtentari poſſunt, quotannis omnino conducantur. § 1 295.1
Concionator non admittatur, niſi ab Archiepiſcopo, vel eius Vicario approbatus. cap.3 295.1
Concubinatus abſolutio Archiepiſcopo reſeruata. cap.1 390.2
Concubinatus iure Pontificio, & Cæſareo vetitus. cap.2 308.1
Concubinatus tunc Cæſareo non puniturj licet vetitus. c.2 ibid.
Concubinæ clericis prohibitæ. cap 1 310.1
Condemnatus ad expenſas, ſi ſoluendo non ſit, non detinere debet in carcere. cap.5 314.2
Conductori fundi, quando, & quomodo remittenda ſit merces. cap.7 332.2
Confeſſio ſacramentalis, etiam iubente ſuperiore, nequaquam reuelanda. cap.2 309.1
Confeſſarij munus præcipuum. § 1. pag. 415.2
Confirmatio ſacramentalis ex diſpenſatione Apoſtolica etiam per ſimplicem ſacerdotem adminiſtrari poteſt. cap.1 291.2
Confirmationis ſacramentalis materia, forma, miniſter, & effectus. cap.1 291.2
Confraternitates ab Ordinario viſitari, & reformari poſſunt. cap.2 345.2
Confraternitates non inſtituantur, niſi ab Ordinario approbentur. cap.3 346.1
Confratres ad proceſſiones vocati, niſi adſint, ab exercitio ſuſpendantur. § 5 346.1
Confratrum cadauera in eorum ſacellis non ſepeliantur, niſi, vt in textu. § 2 346.1
Coniugientes ad eccleſias, exceptis quibuſdam, vt in textu, ſalutandi. cap.2. & 5.vn. 361.2.
Congreſſus nocturnus cum diabolo habetur, queſtioni ſubijciuntur, & committi ſeuere puniuntur. cap.4 358.1
Coniugati clerici bonæ famæ, nec bigami, ſi deſint cœlibes, minores ordines exercere poſſunt. cap vn. 330.2
Coniugatus clericus non bigamus, habitumque ac tonſuram geſtans, foro ſeculari exemptus. cap.vn. ibid.
Conſecratio eccleſiæ, vel altaris ab extraneo Epiſcopo non petatur. cap.2 349.2
Conſtitutio Pij V. pro cenſibus legitime creandis. cap 1. § 1.2. 3.4.5.6.7 8.9.10 11. & 12. 330.& 331.
Conſtitutiones Archiepiſcoporum Tarantaſienſium obſeruandæ. cap.2 284.2
Conſuetudo Miſſæ coram pueris cantoribus, &c, vt in textu celebrandæ, omnino ſublata. toto cap. 3. pag. 285.2
Contractus reciprocus reciprocum poſcit iudicium. c.vn. 302.2
Controuerti non debet, quod a ſummo Pontifice in beneficialibus præfertur, decernitur. cap.1 316.2
Contumaciæ reus non dicitur, cum aduerſarius etiam, contumax, deprehenditur. cap.2 306.1
Contumacia tacitæ conteſtationis vim habet. c.vn. inferius. 303.2
Contumax, refectis expenſis, appellare poteſt. cap 3. 306.2
Conuentus noui erigi non permittantur, niſi, &c, vt in textu. cap.5 343.2
Corona clericalis omnino in capite deferenda. cap.3 317.2
Crimanis quiſquis condemnatus, de eodem crimine interpellari non poteſt. cap.3 378.2

D

Dæmonum reſponſa expectare hæreticum eſt. cap.6 398.2
Decanus ſigillum collegij cuſtodiat cap.vn. 292.2
Debitor captus die feſto carcere liberetur. cap.9 314.2
Debitum à rectore eccleſiæ contractum, ſi pro eccleſia contractum ſit, in ſucceſſorem transfertur. cap.1 335.1
Decimarum portiones, quales ſint ſoluendæ. cap.2 342.1
Decimæ à Deo inſtitutæ: ideo eas non ſoluentes excommunicandi. cap.1 341.2
Decimæ à laicis, quomodo accipi poſſint. cap.1 325.2
Decimæ à laico non præſcribuntur. cap.4 313.1
Decimæ prædiales, ac perſonales, quæ cap.2 342.1
Defunctis ignotis, quando ſepultura eccleſiaſtica danda, vel denegãda ſit. cap.2 339.1
Delictis pluribus in eodem ſubiecto concurrentibus, de grauioribus cognoſcendum. cap.1 378.2
Delinquentes, etiam poſt mortem condemnandi, qui, & quando. cap.6 379.1
Denunciationes ante matrimonium in eccleſia faciẽdæ. c.1. 367.1
Depoſitarius, quando, pereunte re depoſita, teneatur actione depoſiti. cap.1 329.1
Diaconus, quandoque ex neceſſitate legitime Euchariſtiam miniſtrat. cap.1 403.1
Dies feſti ab Archiepiſcopo indicti à Regularibus ſeruandi. c.1 342.2
Dies, quibus matrimoniorum publicationes interdicuntur. cap.2 pag. 376.1
Dignitatem, aut canonicatum non obtineat minor viginti quinque annis. cap.2 290.2
Dilationis beneficium, etiam contumaci, concedatur. c.vn. 305.2
Dimiſſoriæ litteræ à commendatitijs quid differant. c.7. 419.2
Diplomata pontificia examinanda, vtrum legitime expedita ſint. cap.3 310.2
Diſpenſatio ad leges, qualis eſſe debeat. §.vn. 284.2
Diuinum officium negligentes clerici, quomodo puniendi. cap.12 pag. 354.2
Diuortium ex cauſa impotentiæ coeundi, quando faciendum ſit. cap.4 372.1
Diuortium non facit fornicatio. cap.vn. 374.1
Doctrina Chriſtiana commendatur. § 2 340.1
Domicilij incerti homines ad matrimonia non admittendi, niſi, vt in textu. cap.6 366.1.& 2.
Dominicus dies ab executione ſententiæ exemptus. c 9 314.2
Donatio abſentis facta, etiam non rata, ſi iurati fuerit, reuocari nequit, vt in textu. cap.4. 346.2
Donatio inter Patrum, & vxorem, ſi iureta, & inſinuata ſit, valet. cap.3 374.2
Donatio patris filio familias facta valet, ſi iurata ſit, præſertim fauore matrimonij. cap.3 336.1
Donatio poſterior, quando per priorem infringatur. cap.1. 335. & 336
Duellum, & clericis, & laicis vetitum. cap.1. & 2 390.1

E

Ebrietas, quando ab homicidio excuſet. cap.3 400.2
Ebrio abſolutio à iuramento danda. cap.5 312.1
Ebrius furioſo a quipeandus. cap.5 ibid.
Eccleſia polluta, cœmeterium quoque polluitum intelligitur. cap.4 350.1
Eccleſia polluta non eſt iterum conſecranda. cap.4 349.2

Eccleſia,

INDEX.

Eccleſia, quando iterum conſecranda ſit. cap.4. 350.1
Eccleſia Romana contum amorum tumulo præſcriptione gaudet. cap.1. 312.2
Eccleſiæ collabentes reparandæ, quales, quomodo, & à quibus. cap. 2 361.2
Egrotantium cura obſiſtentes, nec de eorum morbis parochos admonentes, puniendo. §. 3. 414.2
Electio nullius, quamuis confirmetur à ſuperiore, nihil poterit electo. cap. 7 325.1
Electores canonice impediti excludendi ab electione. c.3. 284.2
Elegentes indignum, quomodo puniendi c.3. ibid.
Epiſcopi vox ſpeculatorem ſignificat. cap.8 420. 1
Epiſcopo tantum ius competit eccleſias conſecrandi. c. 1. 349.1
Epiſcopus circa inſertitia ordinationum diſpenſet, & qua conditione. cap.9 289.2
Epiſcopus extraneus, quando primum lapidem conſtruendæ eccleſiæ iacere poſſit, §. vn. 361.1
Errores ſubſtantiales in beneficiali inſtitutione, qui ſint. cap.3. pag. 310.1
Euchariſtiam non ſumentes in Paſchate, ſi moriantur, eccleſiaſtica priuentur ſepultura. cap. 5 352.2
Euchariſtiæ cuſtodia, qualis eſſe debeat, vide rectum. cap.vn. pag. 357.1. & 2
Euchariſtiæ interpretatio. cap vn. 360.1
Excommunicationem ſententiæ, vel iuſtæ, vel iniuſtæ, obtemperandum. cap.7 314.2
Excommunicatio poſt interpoſitam appellationem nulla eſt. cap.1 416.1
Exponens filium ius patriæ poteſtatis perdit, cap.vn. 388.2
Exponere inf.item fere homicidium eſt. cap.vn. 388.1
Extrema vn ctio, quibus miniſtranda. cap.3. 292.1
Extremam vnctionem negligentibus ſacra ſepultura deneganda, cap. 3 349 2
Extremæ vnctionis materia, forma, miniſter, & effectus. cap.1. pag. 292 1

F

Falſam monetam diſtribuens lucri cauſa, puniendus, ac ſi falſum cuderit. cap.4 397.1
Fama delicti accuſatum ad purgationem compellit. c. 3. 408.1
Feriarum nomina, ac vires. cap.2 304.1
Feriati dies, qui. cap.5. & §.vn. 304.2
Feriatorum dierum vſus, non ad litigantium domicilium, ſed ad locum iudicij referendus. c. 4 304. 2
Feriæ obſeruandæ etiam in ipſis, quæ voluntariæ iuriſdictionis ſunt. c. 3. ibid.
Feriæ obſeruandæ etiam in cauſis beneficialibus, quæ agi poſſunt ſine ſtrepitu, ac figura iudicij. c. 2 304.1
Feriæ ſolemnibus litigantes renunciare non poſſunt. c. 1 ibid.
Fidei formula ex Pij Quarti præſcripto. c. 6. 283.1. & 2
Fidei profeſſionem emittunt ad beneficia eccleſiaſtica adminiſtrandi. cap 6. 283.1
Fides Catholica in Eccleſia ſemper vniformis. c. 1 281.1
Filiafamilias adulta, etiam ſine parentum conſenſu licite nubet. cap. 2 392. 1
Filiusfamilias in beneficialibus patris poteſtate exemptus intelligitur. cap. 9 308.2
Fœmina, ac filiusfamilias proprium corpus obligare nequeunt. cap. 4 334 2
Fœminæ cum clericis non habitent, niſi conſanguine coniunctiſſimæ ſint, vt in textu. cap. vn. 320.1
Fœminis quoque, ſeruata forma, baptizare licet. c.vn. 292.2
Fœnerator, in loco ſacro non ſepelitur, niſi, &c. §. 2 394.2
Fori exceptio litis conteſtationem præcedere debet. c.1. 312.2
Fori priuilegio non omnes clerici gaudent. c. 4 302.1
Frondatorium pretia, menſuras, vel pondera vitiatorum abſolutio Archiepiſcopis reſeruata. cap.5 331.1
Frondibus occurrendum extraneorum hominum, qui concubenas pro vitoribus exhibeant. §. 6 367.2
Frigidi, & impotentes ad coeundum ad matrimonia inhabiles. cap. 3. 371. 1
Fructus ex donatione etiam reuocabili, bona fide percepti, non ſunt reſtituendi. cap.5 337.1
Fundi deuolutio ad dominum, per quem, & quomodo probanda ſit. cap. 4. & §. 1 347.1
Fundus eccleſiaſticus, quamuis ſtupilis, alienari non poteſt. cap. 3 327.2
Furioſo locida interualla habenti non eſt deneganda extrema vnctio, & quando. c. 3 292.1
Furioſus, ſi homicidam perculerit, puniri non poteſt. c. 1 400.2

H

Hæres depoſitarij pro depoſitario ad rem depoſitam reſtituendam tenetur. cap.1. 329.1
Hæreſis ſuſpectorum vitam obſeruent parochi. §. 5 340. 2
Hæres pœnam pecuniariam à defuncto pro delicto ſoluendam, ſolvere tenetur. cap. 4 411. 1
Homicida voluntarius, & ordinum, & cuiuſcunque beneficij incapax eſt. cap. 1. 388. 2
Homicida eſt clericus, qui venando, hominem, etiam imprudens, telo vetito occiderit. c. 2 400. 1

I

Idonei non idonis in eccleſiaſticis functionibus ſubrogentur. §. 2 322. 1
Ieiunij attributa, ac laudes. c. 2 359. 360
Ignorantia præſcriptionem excludit. c. 2 342.2
Illegitimi hilij clericorum ſucceſſione quorumcunque bonorum, ac iurium declarantur, etiam legitimati. c. 1 337. 2
Illegitimi nobilium hilij, quando ad dignitates, & canonicatus admittendi. cap. 2 373. 1
Imagines ſacræ, quamuis diuinis experta, honorandæ, & quare. cap.3. 358. 2
Imaginum ſacrarum violatores hæreſis ſuſpecti. §. 2 401. 2
Imagines ſacræ, quomodo pingi, effingi, atque erigi debeant. §. 1. & 2. 358. 359
Impetrans beneficium, non expreſſo vero vacationis modo, male impetrat. cap. 2 324. 1
Impubes qua ætate contrahere poſſit matrimonium. c. 1. 366.2
Indulgentiæ in feſto de corporis Chriſti ab Archiepiſcopo Tarrachonenſi conceſſæ. c. 2. 350. 2
Infamia facti notatus ad teſtimonium admittendus. c. 4. 309.2
Infamia iuris notatus ad teſtimonium nõ admittendus. c. 4. ibid.
Infamis, nec iurare, nec iuramentum deferre poteſt. c 3. 311.2
Infantes in lecto cum parentibus, vel nutricibus dormire ne permittantur. §.vn. 388. 1
Infimi canonicas diſtributiones habeant. cap.6. 322. 2
Inſtitutiones beneficiales, non, niſi litteris collationis exhibitis, admittantur. c 2. 310. 1
Intruſus, quas dicatur. c. 1 323. 2
Intruſus, quomodo inrationis vitium purget. cap.1 323. 2
Irregularis ſit imberdacus, vel in eccleſia interdicta celebrans. cap.3 402. 2
Iudæi à Tarantaſienſi Prouincia arceantur. cap.1 384. 2
Iudex appellationis in cauſa etiam de acceſſionibus iudicare debet. cap.4 315. 2
Iudex apud ſe criminis reum mulierem cognoſcens vitiũ ſuppliciũ plectendus. c 3 392. 2
Iudex delegatus a ſummo Pontifice maior eſt quacunque Ordinario. cap. 1. 294. 1
Iudex laicus in contractibus iurati cauſa non procedat, priuquam iurans ad effectum agendi abſolutus ſit à iuramento. c.2. 305.1
Iudex poſt litem conteſtatam recuſari non poteſt. c. 2. 294 2
Iudices ſeculares non poſſunt clericos iudicare. c. 4 362. 2
Iudices ſynodales eligendi, & quales. c. 1. 284. 2
Iudicis arbitrium, late conſtituta, neceſſarium eſt. c. 2 307.1
Iuramenti obligatio ad hæredes non extenditur. c. 4 312.2
Iuramentum, ac præſumptio non præſtandi neceſſario. c. 1. 311.1
Iuramentum deferens iuramenti controuerſiæ ſit iudex an ſit. cap. 1 311. 2
Iuramentum habet vim clauſulæ derogatoriæ. cap. 2. 337. 2
Iuramentum maiorem habet auctoritatem, quam res iudicata. cap. 1 303. 1
Iurare paratus, niſi actu iuraueris, & iuret, periurus non eſt. cap.2 311.2
Ius eligendi ad Archiepiſcopum euolutum, vt in textu, confirmatur. cap.1 286.2
Ius ſibi ipſi dicens, iure cadit. cap.10. 377 2
Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum non excedit primum ſanguinis gradum. cap.5. & §.vn. 366.1

L

Laici intra cancellos chori non verſentur. c. 4 318.2
Laici, quando in controuerſia rei eccleſiaſticæ arbitrari poſſunt. cap. 2 298. 1
Laicus ad eccleſiaſticum tribunal vocatus, ſi non reſpondeat, quando contumax ſit. c. 1 306. 1
Laicus ex conſuetudine ſua ſtola, ac manipulo Euangelium, atque Epiſtolam recitare poteſt. c. 2 403. 1
Laicus pro clerico ſidesubens non habet fori priuilegium. c. 2. 334. 2.
Latronis culpa grauior, quam furis. c. 2 393. 1
Legata ad pias cauſas, etiam ex teſtamento imperfecta, exigi poſſunt. c. 4 338. 1
Legata perpetua ſemper ſoluenda, quoties à legatarijs voluntati legantis ſatisfiat. c. 3 313. 2
Legatum pium dotis præferendum. c. 5 338.1
Legatus à latere iurisdictionem delegati Apoſtolici impedire non

INDEX.

non poteſt . c.1. 294. 1
Leproſus cuptus non contrahit , ne beneficiorum incapax eſt . cap 2. 323. 2
Leproſus ſacra adminiſtrare non poteſt . c. 2 abd.
Libellus penitentialis , quando cauſæ expreſſione non indigeat . cap vn. 302. 2
Libri , nec vendi , neque habere poſſint , niſi ab Archiepiſcopo , vel eius Vicario , approbati . c. 6. 396. 1
Libri omnes vetiti , præter probatos a Romanæ Eccleſiæ Theologis . c. 3. 386. 2
Libri quinque Parochiæ neceſſarij , vt in ipſis notentur nomina &c vt in textu . §. 10. 341. 1
Libri, quos Parochi præ manibus habere debent , §. 9. abd.
Lite conteſtata non poteſt recuſari iudex , niſi ex legitima ſuſpitionis cauſa . c. 2. 300. 1
Litteras legere in choro clericis vetitum . §. 1 319. 1
Loca ſacra Ordinariorum iurisdictioni ſubiecta , eorumque adminiſtratores . c. 1 345. 1
Locationes rerum eccleſiaſticarum triennium non excedant . cap 1. 331. 2
Lucrum nuptiale ex ſolo fecundarum nuptiarum contractu non amittitur . c. 9. 376. 2
Ludiera certamina , quando clericis vetita . c. vn. 289. 2
Ludimagiſtri , niſi fidei profeſſionem emittant , aperire ludum non poſſint . §. vn. 283. 1
Luſus clericis interdictus . §. 5 318. 2

M

MAgiſtratus eccleſiæ Archiepiſcopalis circa ſalarium , quid facere debeant . c. 5. 310. 2
Magiſtri, quid docere debeant ſcholares, quid vitare. c. 2. 382. 2
Magiſtri, fidei profeſſionem emittant . c 3. abd.
Maior pars quandoque eſt, quæ meliori ratione nititur . cap. vn. 325. 2
Malefici brachio ſeculari tradendi . c. 2. 371. 2
Matrimonia accuſare ad quos pertineat . c. 1. 373. 2
Matrimonium inter Catholicum , & cathecumenam contractum non ſubſiſtit . c vn. 344. 2
Matrimonium hæreticorum verum eſt. c. vn. 344. 1
Matrimonium ratum , altero contrahentium religionem ingrediente conſummatum , vtroque durante . c. 1. 343. 2
Matrimonio perfecto , & impedimentum obijciatur , ſeparentur contrahentes , donec cauſa cognoſcatur . c. vn. 372. 2
Matrimonio ſum inferent ſexcum , uniuntur. c. 7. 366. 2
Medici infirmos non viſitent , niſi ſacramenta confeſſione rum Deo reconciliatos . c. 7. 414. 1
Melioramenta ab emphyteuta in fundo eccleſiaſtico facta , quando reſcindenda ſint. c. 3. 327. 1
Menſa Archiepiſcopalis quibus clericis in bonis ſuccedat. cap. 1. 338. 2.
Mercatorum peregrinantium vita , ac mores explorandi . §. vn. 385. 2.
Mercatura clericis prohibita . §. 7. 318. 2
Meſſes , ac vis facta arcentur . c. vn. 298. 1
In minoribus ordinibus conſtituti vxore licite ducunt. c. 1. 369. 1
Minor pars electorum quandoque in electione maioris parti præferenda . c. 2. 286. 2
Miſſa in priuatis domibus celebrari prohibita. c. 11. 354. 2
Miſſa non celebretur in eccleſia conſecrata . c. 1. 349 1
Miſſa hora vetatur . §. 6 340. 2.
Miſſam celebrantes , quamuis choro adſint , diſtributiones percipiant . c. 7. 319. 2
Miſſa tres in natalitia ſolemnitate Chriſti dici ſolitæ , quid ſignificent , quoque ordine celebrandæ . c. 1. 385. 1
Miſſa terna , vocæ dominicam natiuitatis præcedente , ante iucem celebrari non poſſint . c. 1. 285. 1
De Miſſis celebrator um diſpoſitione celebrandis multiplicatis Epiſcopi iudicent. c. 4. 323. 2
Monitor ia num litteratis peritum vide c. 6 7. 8. & 9 p. 418. 1. & 2
Monitoria pro rebus ſubreptis , quomodo concedi debeant. cap. 4 417. 1
Mora non purgatur, poſtquam cœpit actoris intereſſe. c. 4. 311 2
Morboſus conductor etiam expelli poteſt ab vſu rei conductæ. cap. 5. 332. 1
De Mortuario quartio ab eccleſiaſtico iudice definienda. cap. 5 342. 2.
Mulier continentiam vouens , etiam conſentiente marito , reddere debitum tenetur. cap. 2. 344. 2

N

NEgenti quandoque incumbit onus probandi. c. 1 & 2. 308. 1
Negotiationes conſidentiales in beneficijs eccleſiaſticis vetitæ, & quomodo dignoſcendæ . c. 2. §. 1. 2. 3. & 4. 380. 2
Notarij contra libros viſitatoris fidem publicam adhibentes , quomodo puniendi . cap. 3. 349. 2
Noui operis nunciationem præcedere debet operis menſura . cap. 1. 405. 2

O

OBedientiam Romano Pontifici præſtent beneficiarij, ac ludimagiſtri ex formula fidei Pij Papæ Quarti c. 1. 296. 2
Oblationes , quæ ſunt facienda ſtolibus , voluntariæ ſunt , niſi ex conuentione factæ ſint neceſſariæ c. 4. 342. 2
Obligari in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel ex inſtrumento guarentigiato, idem eſt. c. 2. 314. 2.
Obſtetrices non baptizent infantes , niſi in extremo vitæ periculo conſtitutos . c. 3. 356. 2
Odoramenta clerico vetita . §. 3. 318. 1
Oeconomus à Capitulo eligendus , ſede vacante , qualis eſſe debeat . c. 1. 321. 1
Officium diuinum recitare in choro clericis prohibitum . §. 1. 319 1.
Ordinandorum patrimonia ad centum florenos aſcendant . §. 2. 290. 2
Ordinationes, ac conſuræ Abbatum inuſitatæ. c. 4. 288. 2
Ordinariorum tempora ac modus . c. 3. 288. 1. & 2
Ordinatus auctoritate Capituli , vel Vicarij , ſede vacante , non gaudeat fori priuilegio. §. vn. 325. 1
Ordinatus ex pacto, ſeu pretio , quomodo puniendus. c. 5. 382. 1
Ordines ſacri duo eodem die non conferendi ex Concilio Florentino . c. 11. 289. 1
Ordo perſonarum, quibus baptizare contingat. c. vn. 293. 2
Ordo iuxta eſt ſacramentum, & confert gratiam. c. 2. 288. 1
Otiolari honeſtas fœminas in Tarantaſienſi Prouincia , nec ſcandaloſum , nec profuturum . c. 3. 311. 1

P

PActum de retrouendendo venditori damnoſum , ſi emptor ſæneratus ſoleat, illicitum. cap. 4. 331. 1
Parochi ad populos ſibi ſubditos concionari debent. c. 2. 294 2.
Parochi baptizandi quid ſeruare debeant . c. vn 292. 2
Parochi conſtitutionem contra viſitatores editam, niſi publicauerint, vt in textu, a diuinis ſuſpendantur c 1. 319. 2
Parochi feſtis diebus pueros ſibi ſubditos in doctrina Chriſtiana eruditos . c. 4. 295. 2.
Parochi voce , quid ſignificetur. c 1: 340. 1
Parocho non permittitur vltra duas noctes à parochia abeſſe . cap. 2. 321. 2
Parochorum munus præcipuum . §. 2 414. 1
à parochorum reſidentia literæ præſcribitur cum pœnis, vt in textu. §. 2. 321. 1
Parochus à parochia diſcedens , vicarium cum debita mercede relinquat . c. 4. 321. 2
Parochus ter monitus ad reſidentiam , nec obediens , beneficio priuandus . §. 3. abd.
Partum abigere, vel extinguere, vel ſuffocans fœmina , infamia atque vltimi ſupplicij rea eſt . c 4 389. 1
Patrini ad ſuſcipiendos baptizandos non admittendi, niſi doctæ preces. c. 2. 356. 2.
Patrini , quid facere debeant erga ſuſceptos à ſe ad baptiſma . §. 1. 315. & 356
Patroni ex eccleſijs iurispatronatus nihil percipere , vel ſibi retinere poſſunt . c. 4. 347. 2
Patroni non præſentantes intra præſentationis terminum , præſentationes eos remittant . c 3. 348. 2
Patrocinium differentiæ . c. 1. 337. 1
Pecuniæ debitæ oblatæ , quando offerenti non liberet. cap. 2 pag. 335. 2
Penitentarij officium B. Mariæ Virginis recitare negligentes penis ſtolibus priuentur . §. vn. 315. 1
Penſio ſuper beneficijs etiam ab inferioribus collatoribus aſſignari poteſt occaſione controuerſiæ . c. 1. 326. 1
Permutationis regula tradetur . c. 1. & 2. 333. 2
Pignori obligata res eccleſiaſtica nullam, etiam creditori , actionem præbet . c. 1. 334. 1
Perſonæ eccleſiaſticæ , ac ſacras verbis infectantes puniendi. §. vn. 282. 2
Pileus, quando clerico conceſſus . §. 2. 318. 1
Pœnitentiarius matrix eccleſiæ Tarantaſienſis non minor ſit quinquagenario . c 8. 415. 1
Poluta eccleſia, quæ intelligatur . c. 4. 350. 1
Polleſtio dari debet abſque petitorij præiudicio. cap. vn. 306 2
Poſſeſſorum intelligitur non eſſe aliquæ corporalis poſſeſſionis , cap. vn. 306. 2
Poſſeſſor legitimus beneficij de inſtitutione , & poſſeſſione decere non tenetur . c. 2. 323. 2
Poſſeſſor pacificus beneficij non eſt , cui ſuper beneficio lis mota eſt . cap. 3. 321. 1

Poſſi-

Poſſidens beneficium ſine inſtitutione ſaltem colorata grauiter peccat. c. 1. 307. 1.
Præbendam Theologalem obtinenti, quid incumbat. c. 5. 384. 1
Prædiorum eccleſiaſticorum conductio, quomodo fiera debeat. cap. 4. 332. 2
Præſcriptio ecclesiarum quadraginta annorum iure communi ex nulla cauſa in integrum reſtitutionem non admittit. c. 1. 312. 2
Præſentio in criminibus nihil fori locum habet. c. 5. 393. 1
Priuilegia eccleſiarum Tarantaſienſium ex non vſu 30. annorum reuocata intelliguntur. c. 2. 313. 1
Precaria concellio in bonis eccleſiaſticis prohibetur, & quare. cap. 1. 328. 2
Precarium in bonis eccleſiaſticis vetitum, & qua de cauſa. cap. 2. ibidem
De presbytero non baptizato, vide textum. c. vn. 357. 1
Primus iræ motus hominem ab homicidio excuſat. c. 2. 400. 2
Prohibita fieri in eccleſijs. c. 1. 361. 2
Promittens donare, etiam iuratus, ac ſine cauſa, donare cogitur, cap. 1. 335. 2
Promotus ad maiores ordines auctoritate Capituli, vel Vicarij, ſede vacante, ſuſpendatur ab ordinum executione. §. vn. 325. 1
Promotus ad ſacerdotium abſque licentia Archiepiſcopi, vel eius Vicarij, Miſſam non celebret, & quare. c. 14. 290. 2
Promouendi ad ſacerdotium, quales eſſe debeant ex Concilio Florentino. cap. 12. 290. 1
Procuratorem fiſcalem calumniatorem ad reſciendas expenſas accuſato tenari. §. vn. 379. 2
Procurator non admittatur, niſi in animam ſui principalis iurare poſſit. cap. 1. 303. 2
Publicæ ſcripturæ lingua latina conficiendæ. c. 1 310. 1
Publice excommunicatus, donec reſipuerit; ingreſſu eccleſiæ prohibeatur. c. 3. 417. 1
Puer delinquens, ſi doli capax ſit, puniendus. c. 2. 399. 2
Puerpera abſque peccato lictim à parte ingreditur eccleſiam. cap. vn. 360. 2
Puerperæ etiam in priuatis domibus benedici poſſunt, ſi parochi videatur. §. 6. 340. 2
Purgationis canonicæ forma. c. 1. 407. 2
Purgationis vulgaris experientia ſub excommunicationis pœna vetita. c. vn. 408. 2

Q

Quæſtores eleemoſynarum abſque Archiepiſcopi licentia, non admittantur. c. 6. 413. 2
Quarta funerum iuxta antiquam conſuetudinem perſoluatur. cap. 5. 339. 2

R

Rapeus reus eſt, qui per blanditias fœminam ab honeſto loco abducit. c. 2. 392. 1
Regula carta pecorum de retrouendendo. cap. 3. 330. & 331
Regula de annali poſſeſſore non tribuit ius beneficio. c. 6. 313. 2
Regula de triennali poſſeſſore tribuit ius in beneficio. c. 6. ibid.
Regulares ad proceſſiones venire teneantur. c. 2. 343. 1
Regulares confeſſiones non audiant, niſi examinati ab Ordinario cap. 4. ibid.
Regulares delinquentes, quando ab Ordinario puniri poſſunt. cap. 3. ibid.
Regulares laicos, ac clericos ſeculares à ſententijs ab homine latis non abſoluant. c. 2. 406. 2
Regulares nihil ex rebus eccleſiaſticis, vel benedicere, vel conſecrare poſſint. c. 3. 349. 2
Regulares, niſi ab Epiſcopis examinati, confeſſiones non audiant. cap. 3. 413. 1
Regulares, quando Epiſcoporum iudicio ſubiaceant. c. 4. 407. 1
Religioſi fratres ſancti Michaelis Mutterenſes plurimum laudantur. cap. 6 343. 2
Renuntians appellationi, quando expenſas ab aduerſario factas reſcire non teneatur. c. 6. 316. 1
Renunciare beneficium eccleſiaſticum quibus ex Pij V. conſtitutione permiſſum ſit. c. 2. 287. 1
Renunciatio proprij iuris non ſemper licita. c. 1. ibid.
Renunciatio beneficij eccleſiaſtici, niſi cauſam habeat legitimam, non admittitur. c. 1. ibid.
Reſidentia ad parochi officium bene adminiſtrandum neceſſaria. §. 1. 340. 1
Reſignationes beneficiorum curam animarum habentium abſque concurſu non admittendæ. c. 4. 287. & 288
Reſignationes, vel ceſſiones beneficiorum in manibus Archiepiſcopi Tarantaſienſis factæ intra quatuor menſes publicandæ, cap. 3. 287. 2
Reſignationes, vel ceſſiones Beneficiorum in manibus ſummi Pontificis factæ intra nouem menſes publicandæ. c. 3. ibid.
Reſignationum, vel ceſſionum Beneficiorum publicationes quando, vbi, & quomodo faciendæ. §. vn. ibid.
Reus fauore dignior, quam actor. c. 5. 417. 2

S

Sabaudia munda ab omni hæreſi labe. c. 1. 385. 1
Sacerdos ſacris veſtibus indutus neminem ad altare præſtoletur. §. vn. 354. 2
Sacerdotes, qua facere debeant, vt decenter Miſſam celebrent. cap. 8. 9. 10. 333. & 334
Sacerdotium eſt Ordinum ſacrorum culmen. c. 5. 288. 2
Sacerdotium terrenis poteſtatibus antecellit, & infernos coercet. cap. 5. ibid.
Sacerdotum mores, quales eſſe debeant. c. 1. 317. 1
Sacerdotum tituli. c. 5. 288. 2
Sacræ Paginæ ſenſus Sedis Apoſtolicæ iudicio relinquendus. cap. 3. 282. 1
Sacriſtæ officium. cap. vn. 391. 1
Sales mordaces clericis interdicti. §. 4. 293. 1
Sanctorum reliquiæ venerandæ dulæ cultu. c. 1. & §. vn. 317. 2
Schiſmatis definitio, ac poena. c. vn. 386. 2
Scholæ duæ ab Archiepiſcopo erectæ, vt vtriuſque ſexus pueri in doctrina Chriſtiana inſtituantur. §. 18. 295. 2
Scriptura roſa ſuſpicionem non inducit: ſecus raſa. c. 9. 420. 1
Secunde nuptiæ benedictione carent. c. 3. 376. 2
Sententia officialis, excommunicari valet, niſi ſit publice denunciatus. c. 1. 402. 1
Sequeſtratio, debitore dd ſolutione debiti ſideiubente, non eſt concedenda. c. 3. 307. 2
Sequeſtratio, ignorante aduerſario, non eſt reuocanda. c. 2. 307. 1
Sequeſtratio, ſi reſignatarius non habeat, vnde alatur, eſt denegãda. c. 3. 307. 2
Solemnitas genuflexionis in iuramento non eſt ſubſtantialis. c. 6. pag. 312. 1
Soluens pecuniam ante tempus debitum non ſemper ſolutione liberatur. cap. 4. 335. 2
Sordidus veſtitus clerici reprehenſibilis. §. 3. 318. 1
Sortilegia, atque incantamenta omnino vetita. c. 1. 397. 1
Spiritualia cum temporalibus non permutantur. c. 1. 333. 1
Sponſalia legitime incunt ſepteenno maiores. c. 2. 367. 1
Sponſalium definitio, ac qualitates. c. 4. 365. 2
De ſtatu perſonæ pendente quæſtione, iudex laicus in cauſa etiam matrimonij quid facere poſſit. c. 3. 309. 1
Stupri reus eſt, qui concubinam patris vxorem ducit, nec verum contrahit matrimonium. c. 2. 370. 2
Subdiaconatus character non accipiat, qui non habeat, vnde alatur. c. 13. 299. 1
Subdiaconi ac Diaconi, quid facere debeant ex Concilio Florentino. c. 11. 289. 2
Subſtantia matrimonij remanente, etiam turpis conditio non vitiat matrimonium. c. vn. 368. 2
Suſpicio legitima abuſus fructuum obligat ſequeſtratarium abutentem ad cauendum de bono vſu. cap. 4. 307. 2
Syndici locorum, qui viſitantur ab Archiepiſcopo, ad comedendum, ac bibendum non admittant, niſi eos, qui in comitatu Archiepiſcopi fuerint. c. 8. 296. 1
Synodus diœceſana ſingulo quoque anno celebranda. c. 7. ibid.

T

Talmudici Iudæorum libri vetiti. c. 2. 385. 1
Tertia pars funerum Muſterij perſolui ſolita, perſoluatur. cap 5. 339. 2
Teſtamentum iuratum, quamuis priùs conditum, poſteriore non infirmatur. cap 2. 337. 2
Teſtis, quando ante litis conteſtationem formiter examinari poſſit. c. vn. 393. 1
Teſtis, niſi reo in cuſtodia exiſtente, non audiendus. c. 5. 379. 1
Teſtis de auditu, quando admittendus. c. 3. 309. 1
Teſtis domeſticus, quando admittendus. c. 3. ibid.
Teſtis ſciens, & contractus vſuratio interfuiſſe, non eſt abſoluendus, niſi, vt in textu. c. 1. 329. 2
Teſtis ſingularis dictum in cauſa confidentiæ ſimoniacæ fidem facit. §. 5. 381. 1
Teſtis vnicus probat in cauſa fœneris, & quando. c. 8. 396. 1
Teſtis vnicus, quando probet. c. 1. 309. 1
Teſtificari negligens, ſi vocetur à iudice, excommunicandus. cap. vn. 310. 2
Teſtificari poſſunt in cauſa hæreſis etiam, qui altàs à teſtimonio iure repelluntur. c. 2. 386. 1
Teſtimonium reuelantis confeſſionem ſacramentalem non admittendum, & quare. c. 1. 309. 1
Titulus vitiioſus poſſeſſori triennali non ſuffragetur. cap. 5. 313. 2.

INDEX.

Tortus fimel, ſi chartulas ſacramentorijs habere deprehendatur, iterum torqueatur. c.5. 398.2
Traditiones Apoſtolicas negare hæreticum eſt. c.2. 282.1
Tranſactio litigantium iudicis arbitrium excludit. c. 2. 307.1
Tutelam, & curam, niſi pietatis ergò, clerici non ſuſcipiant. §.6. 318.2

V

VAcare dicitur beneficium, quod, nec dominum, nec poſſeſſorem habet, c.5. 324.2
Vaſa ſacra olea aſſeru antia ſint argentea. §. vn. 337.2
Venatio clericis interdicta. §. 5. 318.2
Venatio ſpiritualis. c. 1. 399.2
De Veſtibus nuptialibus, vide textum. c.5. 375.1
Vicarij collatio beneficij inualida, ſi ab Epiſcopo confirmetur, valida ſit. cap.2. 317.2
Vicarij parochialis merces, abſente parocho, arbitrio Archiepiſcopi, vel eius Vicarij generalis definitur. §.vn. 332.1
Vicarij rectorum eccleſiarum, non admittantur, niſi examinentur. cap.3. 294.1
Vicario Muſſerienſi, ac cancellario aliquid accipere vltra taxam prohibitum, c.2. ibid.
Vicarius actorum exhibitionem impeditus ad duplam expenſarum tenetur. cap. 6. 301.1
Vicarius beneficia eccleſiaſtica conferre nequit, niſi concedente Epiſcopo. c. 2. 316.2
Vicarius capitularis, ſede vacante, litteras dimiſſorias non concedat. §. vn. 325.1
Vicarius capitularis, ſede vacante, qualis eſſe debeat c. 1. ibid.
Vicarius generalis cauſas ante Suffraganeos inſtitutas non auocet, niſi per eos ſteterit, quin ante biennium expedirentur. cap. 4. 300.2
Vicarius generalis non debet eſſe arbiter, ſed arbitrator. cap. 2. pag. 299.2
Vicarius inferior, ſi deſerta ſit appellatio, de eo, quod intereſt, cognoſcere poteſt. c. 3. 314.1
Vicarius nullus ad duas vicarias admittatur. c. 3. 294.1
Vicarius Muſſerienſis facultatibus Epiſcopalibus ab Archiepiſcopo Tarentaſienſi donatus: & quibus. cap.1. 295.2
Victualium pretia, menſuras, ac pondera fraudantes rem amittant. cap.5. 332.1
Vis ac metus facta irritant. c.1. 298.1
Viſitatio diœceſis Muſſerienſis olim ſeptennalis ab Archiepiſcopo Germonio ad triennium determinata. c. 2. 348.2
Vsio beneficiorum odioſa, & quare, c. 3. 326. 1. & 2
Vocatus ad incompetentem iudicem reſpondere non tenetur. cap.1. 301.2
Vota, quando nonnullos clericos non ligant. c. 3. 304.2
Votum ſoluitur religionis ingreſſu. c. 2. ibid.
Vouens, niſi vota ſoluat, quomodo puniendus. c. 3. ibidem
Vouentes caſtitatem matrimonium non contrahunt. c. 2. 369.1
Vſura licita. pag. 395. & 396. toto titulo de vſuris.

FINIS.

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

EX CEVAE MARCHIONIBVS,

ARCHIEPISCOPI ET COMITIS TARANTASIENSIS,

EPISTOLARVM

Ad Clerum, & Populum Tarantaſienſem

LIBRI TRES.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM

MAVRITIVM S.R.E. CARD.

A SABAVDIA.

SERENISSIMO PRINCIPI

MAVRITIO

S. R. E. CARDINALI

A SABAVDIA.

ANASTASIVS GERMONIVS

ARCHIEPISCOPVS, ET COMES

TARANTASIENSIS. S. P. D.

VAMDIV (Mauriti Cardinalis Sereniſsime) ſummo annuente Pontifice, pro Sereniſsimo parente tuo apud potentiſsimum Regem Catholicum auunculum tuum olim legatum geſsi, nihil antiquius habui, quàm legationis negotia ita adminiſtrare, vt nec ſponſæ meæ curam abijcere, nec abſens mihi crediti gregis æternam ſalutem negligere viderer. Ex quo namque die me in viam dedi, ſeu terreſtri, ſeu maritimo itinere, iens, ac rediens, dumque in Hiſpania manſi, quod coràm non potui, per epiſtolas ita perfici curaui, vt, quamuis legationis negotijs plurimùm diſtentus, diligentis tamen paſtoris officia præſtitiſſe mihi perſuadeam. Quæ ſane poſt meum quoque reditum, dum abſente Duce Sereniſsimo cum generoſis, ac laudatiſsimis fratribus tuis, teque rempublicam adminiſtrante, Taurini conſtiti, nunquam intermiſi: eo inquam tempore, quo tu, adhuc adoleſcentulus, ad Sabaudienſis imperij clauum ſedens, populos illos feliciter rexiſti, fouiſti, incredibiliq. tibi

amoris vinculo deuinxiſti, ſimul & maximorum Principum legatis, alijſq. grauiſsimis viris, ſingulares animi tui dotes adeo probaſti, vt, & gentis tuæ toto terrarum orbe celeberrimæ ſplendorem præclaris operibus egregie ſuſtinueris, & ad res arduas, atque heroicas, conſilium tibi non defuturum ſatis oſtenderis. Quapropter, cùm in me, familiamq. Germoniam eiuſdem optimi parentis, maiorumq. tuorum innumera extent beneficia, tuq. humanitate, prudentia, ac Religione de ampliſsimis titulis; quibus enites; optime meritus, omnium in te oculos conuerteris, hæ meæ ad clerum, populumq. Tarantaſienſem conſcriptæ epiſtolæ in publicum prodeuntes erant tibi iure nuncupandæ, ſicut nuncupo, ac dico: non modò, vt auctoritate tua eas legentibus pretioſiores facias, verùm etiam, vt & ipſe legens, cùm per occupationes licebit, præſtantiſsimi Principis patris tui officia, quibus Centronum Antiſtites ſum conſtitutus, non inutilia fuiſſe, opportune intelligas. Exiguum plane munus eſt (magnanime Princeps) quod ego tibi offero, ſi ex tuarum virtutum meritis expendendum ſit; at, ſi offerentis voluntas ſpectetur, haudquaquam contemnendum. Tu, qua ſoles animi magnitudine, hoſce hortuli mei floſculos hilari fronte accipe, vberiores fructus, ac gratiores aliquando accepturus, meamq. in te obſeruantiam (quod ſummopere aueo) æqui, bonique conſulturus. Vale. Matriti, Idibus Decembris MDCXX.

ANA-

Digitized by Google

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus, ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS,

EPISTOLARVM

Liber Primus.

Dilectis in Chriſto filijs, clero, & populo Tarantaſienſi ſalutem dicit.

Epiſtola Prima.

QVANDOQVIDEM (dilectiſſimi in Chriſto filij) tùm ob anni tempus minimè conueniens, tum ob plurima, eademque grauia, quæ, abſente Verruenſium Comite, Allobrogum Ducis, ac Subalpinorum Principis Screniſſimi apud Summum Pontificem Oratore, gerimus negotia, iſthuc; vt ſummoperè cupimus; venire prohibemur, ac quidem, ob dulciſſimæ iſtius ſponſæ noſtræ commoda; de quibus valde ſoliciti ſumus; non ſine aliqua animi moleſtia, vt Epiſcopali muneri noſtris humeris longè impari, aliqua ſaltem ex parte ſatisfaceremus; hiſce litteris, quaſi præcurſoribus, paſtoralem benedictionem, vt ſit, vobis mittere ad nos pertinere duximus: præclarum ſanè noſtræ erga vos beneuolentiæ teſtimonium, ac verum eximiæ pignus voluntatis, verique amoris, quo vos, tanquam filios chariſſimos, Pater, & Paſtor, amatum gregem proſequimur, atque amplectimur cum beatiſſimo Apoſtolorum Principe, & Epiſcoporum capite Petro (ſub cuius inuocatione iſthæc noſtra floret Eccleſia) ſummè exoptãtes, Deumque bonorum omnium largitorem humillimè deprecantes, vt gratia vobis, & pax multiplicetur; & cum Paulo, vt impleamini agnitione voluntatis Dei in omni ſapiẽtia, & intellectu ſpirituali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, & ſit vobiſcũ (quemadmodum precatur Apoſtolus Ioannes) gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Filio Patris in veritate, & charitate. Quibus exornati donis, primùm mementote, frequentiſsimè, atque inceſſanter Deo, quas magis poteritis, gratias agere; quòd in ouili eius Filij Chriſti nati, atque alti ſitis: eumque, qua decet reuerentia, venerari, & colere, ſummis item precibus rogare, vt ſanctam ſuam Eccleſiam protegat, ſummũ Chriſtianorum omnium rectorem, & patrem, firmiſsimum catholicæ Religionis columen, Pontificem Maximum, item omnes Eccleſiaſticos ordines in veri Dei cultu tueatur, & conſeruet: infidelium, & hæreticorum conatus reprimat, & ad nihilum redigat: Chriſtianis Principibus pacem, & ſynceram concordiam tribuat, atque eidem religioſiſsimo Duci, eiuſque pio deſiderio catholicam fidem exaltandi, hæreſes extirpandi, Turcicam tyrannidem opprimendi, atque idololatras ad perfectam Dei cognitionem perducendi, ita faueat, vt, diuino affante ſpiritu, tranſiens per bona temporalia, non amittat æterna. Ac primùm ad

Col. 1.

Apoc. 1.

1. Pet. 2.

vos conuertimur RR. Prior, Canonici, ſacerdotes, quique in clericorum albo ſcripti eſtis, etiam clauſtrales, ac vobis à Patre luminum lumen illud deprecamur: quo gradum, & dignitatem, in qua ab ipſo Deo eſtis conſtituti, cognoſcere poſsitis, adeo vt, quamuis mundo, ac ſatana aliud ſuadentibus, diuinæ Maieſtatis præcepta in ſummo, honore habeatis: quin, ne à recta viuendi ratione paululum deflectatis, vnuſquiſque ad hoſpitalis vitæ perfectionem ſemetipſum excitare, atque extimulare ſtudeat. Munus planè veſtrum eſt, non modò Officia diuina, ac Miſſas celebrare, ſed frequenter etiam, & pura mente, & corpore, magnoque cum Dei timore ad rem tantam incumbere, reliqua ſacramenta adminiſtrare, religioſas chori functiones diligenter perſoluere, ſacram Scripturam, ſanctos patres, alioſque ſpiritales libros ſumma cum animi attentione legere, contemplari, obſeruare, & vobis quaſi proprios facere, laicos vita, & exemplo docere, eoſdemque, cùm ſe obtulerit occaſio, admonere, ſimulque manuducere, vt diuina præcepta accurate obſeruantes, bonorum morum ſibi viciſsim exempla præbeant. Quæ, ſi omittantur, vel negligantur, acerbiſſimas contumaciæ veſtræ ei iudici pœnas luetis, à quo nulla datur prouocatio, cuique de verbis etiam otioſis eſt reddenda ratio, præcipuè ob ſimpliciorum periculum, qui ex moribus veſtris rectè viuendi ſibi normam præſcribunt, vnde Saluator mundi apud Matthæum ita: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Sed in hoc vnum potiſſimum incumbite, vt de vobis dici poſſit, quod ait Apoſtolus: Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt. Ad vos ſecundo loco (charitſimi in Chriſto filij laici) ſermonem noſtrum dirigimus, atque vtrique ſexui in viſceribus veri patris, & paſtoris ex intimo cordis ſenſu benedicimus, vehementer cupientes, vt ad memoriam reuocare velitis, vos in hoc ſeculo hoſpites, & peregrinos eſſe, &, vt ſanctus Iob teſtatur, vitam veſtram nihil aliud eſſe, quàm militiam ſuper terram. Quo circa nihil aliud cogitandum vobis eſt, quàm vt creatori Deo mundam reddatis animam, ab ipſo corporibus veſtris infuſam. Aduenit ſiquidem tempus, cum, non ſolùm aſpernabimini, ſed honores, dignitates, potentiam, ambitioſos, & ſuperbos mundi titulos, diuitias, aliaque fortunæ bona, etiam odio proſequemini: omnia enim vanitas, & vanitatum vanitas: omnia euaneſcunt, præter diuinæ legis obſeruantiam. Deum igitur toto corde amate, proximum, ſicut vosmetipſos, ac præcipuè vxores veſtras diligite, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Mulieres ſubditæ eſtote viris veſtris, vt præcepit Apoſtolus; & mementote, ſecundum Deum, neminem magis, quàm virum, diligendum, vel pluris eſſe faciendum: cui etiam omnibus in rebus, quæ Chriſtianæ pietati nequaquam aduerſentur, vos morem gerere, ſummaque cum animi alacritate oportet obtemperare. Satagite inſuper filios in Religionis cultu magna cum patientia, & longanimitate educare, domeſticas res diligenter curare, domi libenter vos continere, nec inde exire, niſi aliter exigat neceſsitas, quod tamen, maritis tantum permittentibus, facere debetis. Dedecet etenim, pudicas fœminas per fora, & vicos, & compita circumcurſare. Conſequenter, ne filiosfamilias præterijſſe videamur, ante oculos ipſorum ponimus, diuina lege ſancitum eſſe, filios parentibus honorem exhibere, parere, obtequi debere, ne ingrati, & impij habeantur. Legitur enim in ſacra pagina: Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur. Et, qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominioſus eſt, & infelix. Et, qui maledixerit patri ſuo, vel matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. Videtur enim quodammodo maledicere, qui mandata parentum ſeu negligit, ſeu odio habet. Atqui parentum quoque propria ſunt officia, propriaque munera, ſanctiſsimis, ſcilicet diſciplinis, ac moribus filios imbuere, iſque optima tradere viuendi præcepta, vt ad Religionem inſtructi, & parati Deum ſanctè, & humillime venerentur: parentes, videlicet, meminiſſe oportet, vt virtutis, æquitatis, continentiæ, modeſtiæ, ac ſanctitatis liberis ſe magiſtros præbeant. Quod, eo magis neceſſarium eſt (filij charitſimi) quo in iſta regione poſiti, omnique ferè ex parte hæreticorum inſidijs, & machinationibus circumſepti, omnium, quot ſunt, quotque fuere, turpiſſimæ vitiorum ſentinæ Geneuæ proximi eſtis, & coniuncti. Cauete, ne cum illis conuerſentur, nevè vllum ſecum commercium habeant, ſed ab ijs, tanquam à nefaria peſte, longiſsimè abſint, abhorreant, fugiant. Cauete, ne filijs veſtris aliqua detur erroris occaſio, obſeruantes, quod Apoſtolus Coloſſenſibus præcipit: Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant:

Matth. 18.

1. Tim. 5.

Ephes. 5. Coloſſ. 3.

Exod. 20. Prou. 21.

Exod. 21. Prou. 19. Prou. 20.

quod

quod aſſequemini, ſi nimiam effugeritis ſeueritatem, eoſque malueritis corrigere, quam vlciſci, niſi, culpa commiſſa, neceſſaria fuerit caſtigatio, & obiurgatio; ne quid, ſcilicet, liberis per indulgentiam diſſolutè remittatur: ſæpe etenim filij nimia parentum lenitate, & facilitate deprauantur. Quæ præcepta, ſi obſeruaueritis, nos indiſſolubili amoris vinculo obſtrictos, ad omniaq. commoda veſtra maximè propenſos in Chriſto ſemper habebitis. Interim vos rogatos velimus, vt ſedulo cogitantes quàm graue onus ſit à Sanctiſſ. Pontifice, Paulo Quinto, omnipotentis Dei Vicario, nobis impoſitum; quod, ſine precum veſtrarum ope, humeris noſtr impar ducimus; rerum omnium creatorem, communemq. patrem, eius filium Chriſtum Ieſum, ac ſanctum viuificantem Spiritum enixe oretis, vt nobis auxilio ſit, talemque influat ſpiritum, vt, quæ noſtri muneris ſunt, viriliter impleamus, vtque omnia opera noſtra ad eius honorem, & gloriam, veſtramq. vtilitatem dirigantur. Romæ Kalend. Decembris, MDCVII.

Clero Populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola II.

CVM ex iſta noſtra ad hãc Auguſtæ Taurinorum ciuitatem per publicum tabellarium accerſitus à Sereniſſimo noſtro Allobrogum Duce, eius rei cauſam quærerem; reſponſum mihi datum eſt, ei opera mea opus eſſe, vt, ſcilicet, concedente Pontifice Maximo, in Hiſpaniam me conferrem, & apud Catholicam Maieſtatem legati ſui perſonam ſuſtinerem. Quæ quidem reſponſio duplicem in animo meo ſuſcitauit affectum: gaudij nempe, & cuiuſdam, vt ita dicam, perturbationis. Nam, quomodo non lætarer de huiuſmodi iudicio, ac propenſione in me tanti Principis, quem apud omnes peritia militari, ciuili prudentia, animi magnitudine, ingenijque perſpicacia hodie nemini concedere periculum eſt? Augebat gaudium, quòd ex tot doctrina, ingenio, rerumque experientia præſtantiſſimis viris vnus ego tanto muneri obeundo deligerer. Quare me, velut quodam ſtimulo ad hanc ſuſcipiendam prouinciam incitari ſenſi, tametſi meis minimè parem viribus, quã, ſcilicet, eiuſmodi teſtimonium ſummo honore digniſsimam efficiebat; cùm etiam prouiderem, dandam eſſe mihi occaſionem longe remotorum populorum mores, ciuitatum inſtituta, agrorum culturas, ingeniorum propenſiones, idiomatum diuerſitates obſeruandi. Vnde, ſicut ex muſico variarum vocum concentu humanus animus oblectari, atque ad naturæ miracula contemplanda traduci ſolet; ita ego ad diuinorum operum incomprehenſibilem harmoniam attentius conſiderandam ex rerum creatarum varia ſymphonia conuerterer. Profectò Hiſpania inter bellicoſas orbis Prouincias cum gloria rei militaris laudem quoque ſcientiarum coniunxit, quot ſunt, quotque vnquam fuere, Salmantinum præcipuè, Complutenſe, ac Conimbricenſe, celeberrima. In Hiſpania Prælaturæ inſignes ſunt, aliaque maxime pinguia ſacerdotia, ſi alibi vnquam. Quid dicam de regionis vbertate, præſertim, vbi Reges habent domicilium? quam audio frugibus, vinis, volatilium, & quadrupedum carnibus, omnique inſuper mercium genere maxime abundare? Quid de aula regia tot Principum virorum, domi, foriſque eminentiſsimorum ſeminario? Verſabatur ante oculos præcipue ipſius potentiſsimi Regis præſentia, quam, etiam abſens, ſemper veneratus ſum: non equidem ob eius diuitias, non ob argenti, aurique copiam, non ob Prouinciarum, Regnorum, tantique in omnibus orbis partibus imperij amplitudinem, quæ vix mente concipi poteſt; ſed propter illius Principis ſingulares animi dotes, manſuetudinem, ſcilicet, iuſtitiam, temperantiam, charitatem, pietatem, aliaſque Chriſtianas virtutes, quibus ille maximam ſibi gloriam comparauit. Afferebant moleſtiam, non equidem, vel maris, vel nauigationis, vel piratarum pericula, non ſumptus, quos ingentes fore prouidebam, non itineris difficultates, non denique mihi domeſtica commoda, vel quietem, perturbari: ſed, quòd à me inſtitutam, ac feliciter prodientem morum correctionem abſens perficere, ſacrique Tridentini Concilij iam exploratam decretorum obſeruantiam, quantùm expediebat, ac res ipſa poſtulabat, confirmare nequirem. Huc enim veri paſtoris pertinet gaudium, huc ſolida voluptas. Iamque ex proximè celebrata Synodo, ex mea Muſterienſis diœceſis diligenti viſitatione, ex alijsque, Deo aſpirante, ad veterem reſtituendam diſciplinam non fruſtra exantlatis laboribus, optimo nempe ſemine, bonorum operum fructus vberes colligi gaudebam; mealque ouiculas ex diuini verbi pretioſiore cibo pingueſcentes, ſuauiſsimo Chriſti iugo haud grauatè collum aptare, ſanctiorumque præceptorum exactiore cultu, obedientiæ, ac pietatis conſtantia exempla præbere, gloriabar,

riabar, cum, Hiſpanienſi legatione, ab officio meo ad aliena negotia (licet ad bonum publicum ſpectantia) traductus, aliàs mihi gratiſſimum diſceſſum, ex narratisq. cauſis perhonorificum (fateor) aliquantò amariorem ſentio. Siquidem animarum curationem imperfectam relinquens, vereor, ne tam longè abſenti tot pereant vigiliæ, conceptusque in cordibus filiorum meorum ſpiritalis feruor, ac ſalutis cura; carne, ac mundo ſuadentibus, extinguatur, ſenſimq. euaneſcat. Vereor, inquam, ne humani generis hoſtis, qui
1.Pet. 5. (vt ait Princeps Apoſtolorum) tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, zizania ſuperſeminet; quibus, bono ſuffocato ſemine, pro virtutum ſegete, vitiorum
Matth. 13. ſpinæ producantur. Verùm, & ſummo Pontifici obtemperandum, & pro Sereniſſimo Allobrogum Duce publicæ quietis aſſertore, amantiſſimoq. promotore, non ſolùm incommoda, ſed & pericula ipſa alacriter ſubeunda, ac pretioſa quæque exponenda, eo magis, quo ego diſcedens, vos erga ſponſam meam officioſiſſimos fore, immo fraterna vigilantia paſtoralia munia ſemper executuros, non dubito. Vos (fratres chariſſimi) matrem veſtram, commilitones veſtros, dominicum ipſum gregem colite, fouete, paſcite, mihique paſtori veſtro, ſicut pijs precibus, ac ſacrificijs hactenus aſſuiſtis, ita adeſſe in poſterum ne grauemini; vt de diuina gloria, veſtrorumq. fratrum æterna ſalute in terris ſoliciti, congruam conſummatæ charitatis, ac perſeuerantiæ in cælis tandem mercedem capiatis. Veſtræ igitur partes erunt, vt, me in Hiſpaniam diſcedente, quantumque Deo placuerit, ibi commorante, Ordinationes meas in Synodis promulgatas, vos in primis ad vnguem obſeruetis, vtque à parochianis vobis ſubditis etiam obſeruentur, curam omnem, omneque ſtudium adhibeatis: ritus inſuper, & cæremonias ex Romani Cæremonialis præſcripto inuiolabiliter retineatis; vtque cætera ad boni paſtoris, parochique officium pertinentia perficiantur, toto pectore incumbatis. Si autem aliquid interea eueniat adeo graue, & difficile, vt veſtrà auctoritate terminari, vel explicari nequeat; noſtrum conſulite generalem Vicarium, qui pro ſua prudentia, & officio, ex occaſione partes noſtras ſupplebit. Quod, ſi quid vltra eius vires contigerit, me, vt opus fuerit, de quacumque re certiorem facere ne differatis: non enim deerunt publici tabellarij, qui non ſolùm per menſes, ſed per hebdomadas expediti, & quodammodo alati, per diſpoſitos equos vltro, citroque eunt, & redeunt. Nam illico, quid agendum fuerit, vt res ipſa poſtulabit, reſcribam. Interim vobiſmetipſis, & muneri, ad quod vocati eſtis, minimè deeſſe memineritis; immò illud ſolicitè, cumque omni manſuetudine, & charitate vrgete, vt animarum ſaluti, non autem propriæ gloriæ ſtuduiſſe videamini. Quæ, ſi ex corde impleueritis, non dubito, quin Deo grati, eius opem in veſtris neceſſitatibus propitiam habeatis. Idem de vobis (dilecti in Chriſto filij laici) ſperandum eſt, ſi ſacerdotibus, quem debetis honorem, detuleritis. Ij enim Dei ſerui ſunt, & miniſtri, cui eorum miniſterium atque obſequium, adeo probatum eſt, vt ipſemet rerum conditor eos ſibi quodammodo æquales faciat. Si quidem in ſacris literis aliquando Dij, Exod. c. 22. cap. 2. aliquando Angeli appellantur. In Exodo enim legitur ſic: Si latet fur, dominus domus applicabit ad Deos, ideſt ſacerdotes. Et ibidem: Dijs non detrahes, ideſt ſacerdotibus. Et Malachias: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt: quo honoris titulo eos cohoneſtauit Magnus poſtea Conſtantinus Imperator, dicens: Hiſt. Eccleſ. lib. 1 0. c. 2. Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, vt nos iudicemus Deos. Quinimmo gentium Principes, qui nullam Dei cognitionem habuerunt, veteres maxime Græci, & Romani, ſuorum Deorum, quamuis ex ligno, aut lapide confectorum, ſacerdotes tantifecerunt, vt in eorum arbitrio omnis eſſet legum auctoritas, atque poteſtas. Quod ego aliàs doctiſſimorum virorum cal- Toro lib. 1. de Sacerd. immunit. culo confirmaui. Vnde eſt, vt ſperem (filij dilectiſsimi) vos deterioris conditionis, aut minoris obſeruantiæ eſſe nolle, quam ethnici fuerint. Iam verò, ſi quis veſtrum dicat, non eſſe audiendos ſacerdotes, quia plus dicere, quàm facere videantur (quod credendum non eſt) attamen, quamuis reprehenſibiles eſſent, pro ea, quam eis debetis obedientia, reſpondet incorruptus iudex & eorum aduocatus Chriſtus, quæ dicunt, facienda, Matth. 23. 1. Cor. 4. eſſe, non, quæ faciunt. Nec tamen adhuc ſcitis, quales ſint. Nolite iudicare ante tempus (ait Apoſtolus) donec veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. De diuino ſiquidem iudicio procul dubio ignorant homines, quæ icire ſe nimis perſuaſum habent. Qua enim ratione cæleſtium arcanorum miracula qualia ſint, à terrenis creaturis internoſci poſſunt, niſi ipſe rerum omnium creator, cælorumq. dominus myſteria ſua humano in-

no intellectui maxime occulta patefaciat? Ideo plerumq. fit, vt qui reprehendendi ſunt à nobis, ad cœlum extollantur; quoſq. laude dignos, ac præmio virtutes faciunt, temere reprehendamus. Proinde veſtrùm eſt obedire, (filioli) non autem iudicare, ne, ſcilicet, iudicemini: cumq. in Chriſtianæ militiæ albo nomina dederitis, veſtrùm eſt curare, vt, calcatis mundanis vanitatibus, vnum corpus cum Imperatore veſtro Chriſto effici mereamini: cuius ope, quæ identidem petitis, impetretis, pro me patre, fratreq. veſtro præſertim; cui, ſi deſit diuina gratia, quid agam? Par ne eſſe oneri mihi impoſito poſſum? par opinioni de me conceptæ? Diffido. Meis itaq. votis veſtras adiungite preces, quibus ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium rogetur, vt, cùm Regis cor in manu Dei ſit, Hiſpaniarum Regis cor ad iuſtas noſtras petitiones flectat, eiuſq. miniſtros regiæ manſuetudinis imitatores efficiat, volque ſibi obſequentes, atq. incolumes diu ſeruet. Auguſtæ Taurinorum Cal. Auguſti 1613.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola III.

VIX Taurinas alpes tranſieră, vix in amœniſſimam, ac feraciſſimam Galliæ ſubalpinæ deſcenderam planitiem, vix Auguſtam Taurinorum ingreſſus, Principem noſtrum Sereniſſimum ſalutaueram, cum per litteras de aduentu meo, deq. proximo, vt putabam, diſceſſu vos certiores feci. Exiſtimabam enim; quemadmodum & Princeps ipſe; me propediem Niciam profecturum, indeq. triremibus Hiſpaniam verſus, quanta fieri poſſet celeritate, nauigaturum. Attamen à menſe Iulio ad diem tertiam Decembris ab eadem Auguſtæ Taurinorum vrbe ne tantillum quidem abfui, neque, me abeſſe licuit. Nam quotidie, immò, ſi dici poteſt, vno quoque temporis momento, me expeditum dimittere Princeps cogitabat adeo, vt familiares mei ſemper penulati, & ocreati, vt ita dicam, incederent. Ita enim ſe habent res humanæ, præſertim apud ſummos Principes, vt ob varias rerum viciſſitudines, & ob plurima, quæ repentè accidunt, etiam priuatarum perſonarum, & plerumq. propriorum miniſtrorum cauſa, ferè arbitrij ſui eſſe non poſſint. Quorum vicem equidem nonnunquam doleo. Tandem Deo placuit, vt die tertia Decembris iter arriperem quadriga vectus Caneum vſque, vbi, conductis equis, & mulis, magno cum frigore, plurima niue, vehementibus ventis, ſummoq. & meorum familiarium, & ſupellectilium, quæ nobiſcum deferebantur, periculo, alpes ſuperauimus, & Niciam die nona eiuſdem menſis intrauimus, cum priùs obuium habuiſſemus huius ciuitatis religioſiſſimum Epiſcopum Franciſcum Martinengum, virum doctiſſimum, & mei amantiſſimum, vnà cum toto capitulo, ac plurimis ex primarijs ciuibus, ipſoſq. Conſules. Eius loci ſitu vehementer delectatus ſum, tum ob aeris temperiem, atq. amœnitatem, quaſi perpetui veris indicium, tum ob agrorum fertilitatem vbiq. limpidiſſimis fontibus irrigatorum, præterquàm quòd cuiuſuis conditionis homines non pauca erga me beneuolentiæ ſigna oſtenderunt. Sed, ſicut miſericors Deus triſtibus iucunda plerumq. permiſcere, ſic cum lætis triſtia quandoq. ſolet confundere, ne ſerui ſui continuas habeant iucunditates, ſed vitam inter proſpera, & aduerſa tranſigendo, diuinam prouidentiam humiliùs venerentur: vnde ille: Dulcia miſcuit amaris. Eodem enim die Regis Catholici orator, qui ex Hiſpania venerat, vt apud ipſum Principem noſtrum reſideret, triremibus, quibus ego diſceſſurus eram, e Nicienſi portu ſoluerat Sauonam verſus, vt inde terreſtri, ſed longe placidiore, & planiore itinere Taurinum vnà cum vxore, & liberis peruenirct. Poſt multos dies rediere triremes, vixq. portum ingreſſæ fuerant, cum intumuit mare adeo, vt nulla prorſus data fuerit inde exeundi facultas. Elapſo Decembri, cum ſuccedens Ianuarius nauigantibus longe magis propitius, tempeſtatibus illis, & rabioſis ceſſantibus ventis nauigationi proſper, atq. opportunus videretur, ecce tibi, nec imaginatione expectatus ſuperuenit, die ſcilicet Epiphaniæ Domini, ipſe magnus Allobrogum Dux, cuius præſentiam à decem annis antea hæc ciuitas non viderat, cum paruo comitatu aulicorum, ſuis tamen prætorianis ſtipatus militibus, tam equeſtribus, quàm pedeſtribus, nec non ſeptingentis Heluetijs fere omnibus veteranis, & ſexcentis Italis, quos in ſtatione in inferiore arcis parte inter Italicas munitiſsimæ, atque ampliſsimæ, collocauit. Die ſequenti Dux de diſceſſu meo ſermonem mecum inijt deliberabundus, vtrum ſtatim vela pandere, an adhuc in anchoris ſtare, & Principem Victorium eius primogenitum, ex Hiſpania propediem rediturum, expectare deberem. Animus in vtramq. partem fluctuabat: vt illico diſcederem, ſuadebat præcipue regij oratoris aduentus, qui ab Hiſpanienſi aula, quarum iam menſem aberat, iamq. Taurini domicilium conſtituerat,

vt tamen expectatum Principem alloquerer, plane videbatur neceſſarium: ab eo enim, & rerum perito, & in ijs præcipue, de quibus agebatur, & agi oportebat, maxime verſato, plurima haberi poterant, quæ ad præſentis negotij ſtatum mirum in modum facerent, cùm eorum, quæ in Principum aulis geruntur, notitiam habere plurimum conferat, ijs præſertim, qui apud eos legatorum officio functuri ſunt: Namque, licet omnes aulici eundem finem habeant, non tamen omnes eadem via ad optatam metam aſpirant. Sunt enim, qui miro artificio prauarum mentium paſsiones tegunt: ſunt, qui verbis fallere docti, ſermonis lenocinio propriorum animorum affectus ita temperare didicerunt, vt, quod fugiunt, quærere, quodque oderunt, amare videantur: nec deſunt, qui falſa pro veris, veraq. pro falſis venditent. Sunt contrà, qui non obſcure, quæ ſentiunt, certaq. pro certis promentes, veritati ſtudent, dolos, ac mendacia deteſtantur, bona gratis exhibent, mala facilius toleraturi, quam patraturi, & ſi occaſio ferat, etiam ſanis conſilijs publico bono conſulturi; habetq. aula alia peculiaria vitia: quapropter ego in tanta aulicorum varietate, dum in ea cogitatione totus eſſem, vt bonos à malis diſtinguerem, quod ſine temporis interuallo aſſequi non poteram, quoniam nouorum hominum ingenia, niſi aliquo modo explorentur, e veſtigio minime cognoſci poſſunt, opportune inciderat Principis Victorij aduentus, nempe, vt de rerum ſtatu, deq. aulæ regiæ moribus ab eo, quod tempori conueniebat, ediſcerem, quem tandem ſex abhinc diebus reuerſum percommode allocutus, eiuſq. regali conſpectu, ac ſenili prudentia recreatus, nec non de ijs, quæ ad mihi delegatum munus pertinent, abunde eruditus, poſt longam moram à Sereniſsimo Duce abeundi poteſtatem impetraui. Hodie igitur, vel craſtina die, cum quattuor Hiſpanienſibus triremibus Barcinonem redeuntibus mari me committam, quod non deſpero fore, vt diuino afflante ſpiritu, tranquillum ſit. De his (fratres chariſsimi) ad vos haſce litteras dare volui, quas redder vobis non ignotus amicus noſter, & vita, & titulo iſtius Eccleſiæ probus, & eruditus Theologus, cuius affectu, dexteritate, & diligenti opera adeo delectatus ſum, vt me non parum pigeat, eum itineris mei comitem habere non poſſe, præſertim, quia egregium virum eminentiores Hiſpanienſes Theologos cognoſcere, & ab illis cognoſci poſſe auide cuperem. Sed hoc eius valetudo, corporisq. imbellicitas minime patiuntur, accedente etiam alio non minimo impedimento, quod quouis nauigij genere mare tranſiturus, ſudat, pallet, nauſeat, alget adeo, vt mortuo potius, quàm viuo homini ſimilis videatur. Ob hanc vnam igitur cauſam eum ad vos mitto, vel potiùs remitto, cui cùm plura mentis meæ ſenſa communicauerim, eamdem, quam mihi, in ijs præcipue rebus, quæ ad paſtorale officium pertinent, fidem vos habere volo: ipſe vos, ad quos eum rectà venire iuſsi, intra paucos dies conuenturus, quæ de vobis allata ſunt, indicabit, quæque à pietate veſtra expecto, vobis nomine meo explicabit. Nam inter vos iurgia eſſe ſine maximo animi mœrore præterire nequeo; quia, vt ait ille, ad exemplum Regis totus componitur orbis. Regale ſacerdotium eſt, quo initiati eſtis, non auctoritate ſolùm, ſed exemplo bonorum operum, à quibus virtutes ſeiungi nequeunt. Virtutibus autem ſe præditum populo oſtendit, qui vitia fugit, & quæ boni ſacerdotis propria ſunt, diligenter inquirit. Salis autem petra dicitur eſſe ſacerdos in populo, vt quiſquis eum contingat, veluti ex ſalis tactu, ſempiternæ vitæ ſapore condiatur. Sal terræ eſſe nequaquam poteritis, niſi populorum corda vitæ innocentia, morum ſanctitate, & virtutum exemplo condieritis: Optimum autem condimentum fuerit Chriſti veſtigia ſequi, eius ſcilicet, qui exemplum dedit nobis, vt quod ipſe fecit, & nos faciamus: dixit enim: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ideo, qui pacem negligit, ſpiritus dona recuſare videtur, cuius ſuauiſſimus fructus eſt charitas, gaudium, pax teſte Apoſtolo ad Galatas, & alibi: Pacem ſequimini, ait, cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deũ, nam & diſcipulus ille dilectus, qui ſupra pectus magiſtri ſui Chriſti in cœna recubuit, in extremo vitæ conſtitutus hæc tantùm fratribus ſuis repetebat: Filioli diligite alterutrum, quia præceptum domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Sufficiat quoque vobis, quod modò ſcribo. Nauarchus inſtat, & vrget, vt triremes conſcendamus. Qua in re, quod ob temporis inopiam, & quidem inuitus, ſupprimo, ſupplebit idem Theologus: ipſum attente audite, ipſi libenter obtemperate: non res difficiles, ſed factu faciles, & vobis vtiliſſimas, ſuadebit. Vnum non omitto, quòd maria ſulcare maximum eſt negotium, propter multa, quæ ſe ſe offerunt, pericula, ſcopulos, procellas, tempeſtates, voragines, æſtus, prædones, piratas, naufragia prope momentanea, & ipſorum aliquando nautarum malitiam. Claſſis igitur ſummum Præfectum, cui maria, & venti obediunt, enixe rogate, vt ſecundam nobis

Claudian.

1. Pet. 2.

Ioan. 13.

Ioan. 20.

Galat. 5.

Hebr. 12.

conce-

concedat nauigationem, & mortalitatis vinculis ſolutos, ad æternæ felicitatis portum perducat. Niciæ viij cal. Maij MDCXIV.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola IV.

VENI tandem, veni Barcinonem, & quamquam tempus duorum, & viginti dierum conſumpſimus apud Maſſyliam, octo ad circumiacentes inſulas, & ad Bucarum duos, nec rectà huc, auſtralibus ventis prohibentibus, nauigare potuimus, ſed totius illius maris, quod Narbonenſe, ac patria lingua, golfo de leon, dicitur, littora percurrere coacti ſumus, quod licet feliciter euenerit, artis tamen maritimæ peritis probatum non fuit: nauigationis nihilominus incommodo leuari mihi viſus ſum, cum Sereniſſimum, vt ſummopere cupiebam, Principem Philibertum, Ducis noſtri ſecundo genitum, Caſtellæ, & Legionis magnum Hieroſolymitani equeſtris ordinis Priorem, mediterranei, atque oceani maris ſupremum Præfectum, quem vulgari ſermone Generalem vocant, ibi reperi, qui me perhumaniter excepit, & hilari fronte amplexus eſt, nec quidem ab re, magnus namq. Princeps eſt (filij chariſſimi) non tantùm ob regalis ſanguinis priuilegia, aut ob decoram faciem, miramq. totius corporis ſymmetriam, vel ob alia externa plura bona, ſed ob internas, ac ſingulares dotes, quibus eſt à Deo, proprijsq. virtutibus cohoneſtatus ita, vt omnibus non ſolum charus ſit, ſed in ſui admirationem omnes traduxerit. Ad Principis exemplum tota eius familia me ad hoſpitium apud Frãciſcanos ſplendide paratum lætitia plena deduxit, vbi quamdiu manſi, nempe diebus quindecim, ciborum, tum varietas, tum copia, & mihi, & meis familiaribus opiparè, ac magnificè ſubminiſtrata eſt. Et cum de ratione itineris certum nihil haberem, nec habere poſſem, vtrum, ſcilicet, mihi per Tarraconenſem Prouinciam, & Cæſarauguſtanam regionem quadrigis, an verò per Valentianam, Carthaginem, hodie Carthagenam appellatam, mare traijciendum eſſet; ne fruſtra tempus tererem, Beatiſſimæ Virginis Montiſſerrati templum, tum architecturæ ordine, opibus, & donarijs, tum ſanctitate, & admirabili in peregrinos charitate venerabili, me contuli: vbi, ſacro facto, & ſumpto prandio, ædiculas Eremitarum in ſaltibus, rupibus, & aſperrimis locis conſtructas, nec parum inter ſe diſtantes, per gradus adeo anguſtos, & difficiles, vt ferè inacceſſæ viderentur, inuiſere placuit, ipſosq. Eremitas alloqui, non ſine maxima ſpiritali voluptate, cùm id inter præcipua mea vota, multo ante fuerit. Mirum ſanè, in altiſſimo monte, rupibusq. vndique ſalebris, ac profundiſsimis vallibus natura prærupto, ac præcipiti, tantam rerum omniũ copiam, tantam vtriuſque ſexus viſitantium, & habitantium frequentiam conſpici, vbi nec cibus humanæ vitæ neceſſarius, nec diuinus, quo anima paſcatur, & Deo coniungatur, vnquam deeſt. Reuerſus ad hoſpitium, tabellario Lugdunum cogitante, haſce ad vos dedi litteras, vt intelligeretis, me huc iam appuliſſe, & breui diſceſſurum, vtq. opinor, maritimo itinere Carthaginem, atque inde Madritum, Regis Catholici Regiam. Longa reſtat via, cuius varietati, atque difficultatibus qui caſus immineant, neſcio. Etenim inopinati plerumq. ipſis ſapientibus, & res noſtras & nos ipſos ſæpe inuoluunt, & euertunt. In Deo ſolo ſpes eſt: nam humana non dicam, auxilia, ſed & conſilia valde labant. Ego tamen, quoniam conſilium non habeo, veſtrum, fratrumq. ſancti Michaelis auxilium expeto, ac quidem vehementer, mihi procul dubio profuturum, ſi vos fraternæ charitatis memineritis, iſti verò ſui ordinis inſtituta obſeruauerint, quorum præcipuum eſt, orare pro viatoribus, quemadmodum hi ſancti viri eiuſdem regulæ, & habitus faciunt. Namq. pro eo tempore, quo in hoc Cœnobio viuo, valde lætatus ſum, & Deo ingentes egi gratias, quòd tantos, talesq. nactus ſim viros, & vitæ exemplis, & doctrinæ præceptis, & regularis diſciplinæ obſeruantia inſignes; quales, & in omnibus alijs Franciſcani inſtituti huius prouinciæ ordinibus eſſe audio. Quamobrem hic nonnulla de eorum vita referre placet, ad veſtrum exemplum, vel potius noſtrorum de obſeruantia fratrum, vt habeant quos imitentur. His præcipuum eſt quotidie, cuiuſcumq. ætatis & conditionis ſint, media nocte è lecto ſurgere, & in choro ad recitandum matutinum conuenire, exceptis ijs, qui in Cathedris ſacram docent Theologiam, diuinamq. ſcripturam interpretantur. In feſtis, vt vocantur, duplicibus, ſolemniter cum organo Hymnus Te Deum laudamus; in ijs, quæ ſunt ſecundæ claſſis, etiam Laudes decantantur: in alijs primæ claſſis, omnia magna cum ſolemnitate peraguntur. Nam cum organo & vocibus alia adhibentur muſica inſtrumenta, ſuauiſſimas auium, vel potiùs Angelorum voces reſonantia adeo, vt audientium animi in cœlum rapi videantur. Quibus expletis, mentali orationi ad mediam horam vacant, præle-

cto tamen aliquo, vel Seraphici Bonauenturæ, vel alterius, vt libuerit, pij auctoris de paſſione Chriſti ſermone, quo, veluti ſtimulo ad deuotionem feruentius mouentur. Hora diei ſexta celebratur prima eodem vocum tenore, cantus ſuauitate, & inſtrumentorum varietate. Hora autem diei nona, tertia recitatur, ac quidem admodum accurate. Quam illico ſequitur conuentualis Miſſæ ſacrificium, quod ſemper magno cum apparatu, & ſolemnitate obire ſolent. Exceptis iuuenum temporibus, quibus ſeruato ſanctæ Matris Eccleſiæ ritu, ante ſolemnem Miſſam recitatur hora ſexta, & nona; non æque æſtiuo tempore, in quo vna hora poſt meridiem recitatur nona, quam immediate ſequitur mentalis oratio, quæ mediam horam occupat. Veſperæ autem incipiuntur, & perſoluuntur, quanto ſolemnius fieri poteſt. Quibus expeditis, diebus feſtiuis ad populi vſum, & commoditatem ſubſequuntur Completoria, alijs verò anni temporibus ad quintam horam protrahuntur. Diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris, vel, ſi mauultis, feria ſecunda, quarta, & ſexta, præterquam in feſtis Dominicis, quantum durat Pſalmus Miſerere mei Deus, cum orationibus, quæ recitantur pro ſummo Pontifice, pro Rege, & vniuerſali Eccleſiæ ſtatu, funiculis etiam pungentibus nudas carnes uſq. ad effuſionem ſanguinis uerberant. Hæc, quoad diuinum officium, & animarum ſalutem. Quo autem ad corporis ſuſtentationem, parce uiuunt, naturam paucis contentam eſſe non ignari, craſſiſſimo utuntur panno, ſubucula nulla, nullis tandaliis, calceis nullis, aut aliquibus ex funiculis contextis. Equo, mulo, aut rheda nunquam per Ciuitatem uehuntur, farò extra, niſi infirmitate, aut ætate ſuadente, nec plerumq. miniſter ipſe Prouincialis: conuiuia, aliaue publica ſpectacula de induſtria uitant. Nocturnam quietem capiunt in lectulo ualde exiguo: cellulæ ad dormiendum, ſtudendumq. ualde anguſtæ ſunt, atq. ſimplices, nullo penitus apparatu conſpicuæ. In communi, proprietatis nihil poſſident, præter ſuppellectilia, eademq. uilia, ac nullius prope ualoris; ut ſinguli item, nihil omnino, ijs exceptis, quæ tuendo corpori ab iniuria temporum neceſſaria ſunt. Immò, ſi aliquid à parentibus, uel conſanguineis, uel amicis cibi, aut potionis eis mittatur, ad conuictum communem defertur. Solum uerò monachum, aut cum ſocio in cubiculo comedere, piaculum eſt. Nec ad cibum, nec ad potum, ſiue mane, ſiue veſperi, accedunt, antequam omnes, quotquot ſunt, ad locum conſtitutum conueniant, ut ibi pro defunctis ſuffragia perſoluantur: quibus peractis, religioſo more cœnaculum, quod Refectorium uulgò appellatur, menſæ benedictionem ſolemniter decantantes, ingrediuntur. Inter comedendum perpetuò ſacra habetur lectio, propoſito prius ab aliquo uiro docto, uoce ita alta, & clara, ut ab omnibus commode intelligatur, uno, aut altero, ut dicitur, conſcientiæ caſu, unà cum eiuſdem dilucidatione, & reſolutione. Exacto prandio, diſcedunt etiam, ſolemniter recitantes pſalmum, Miſerere, uel ſimilem alium; & ſeruato Eccleſiæ ritu ad dormientium fratrum conditoria pro animarum expiatione pias preces porrigunt. Hinc in culinam accedunt, in qua ex iunioribus aliqui ſcutellas, orbes, lances, & alia vaſa lauant: ſeniores alternatim pſalmos aliquot recitant, mundantes interim fabas, aut legumina alia, Deum, vt ſuis benefactoribus, & fratri culinario ſit propitius, & clemens, enixè deprecantur. Pro iunioribus & adoleſcentibus, qui bonis, & politioribus litteris imbuti, iam per amœniſſimos logicæ, & philoſophiæ campos decurrerunt, duo ſunt ex veteri inſtituto magiſtri, quorum munus eſt, ſacram, vt vocant, ſcholaſticam theologiam toto ferè anno, & mane & veſperi profiteri. Ex auditoribus duos, quos magis norunt ingenio præſtantiores, & ad diſputandum æque promptos, & paratos, ſingulis annis deligunt, quippè qui publicè, magna cum pompa & apparatu, aſſiſtente loci Antiſtite, alijsq. primoribus ciuibus, omniumq. religionum, quibus ea ciuitas abundat, peritioribus, & prælatis, theſes ex ijs, quæ audierint, ſelectas tuentur. Sunt inſuper, & nouitiorum, & eorum, qui religionis profeſſionem emiſerunt, alij magiſtri, ad difficiles philoſophiæ difficultates tractandas, ſubtiliaq. logicæ ſtudia minimè idonei; qui, ſtatis horis a ſuperioribus decretis, rei litterariæ ſtudioſis operam ſuam vtiliter, atq. accurate nauant. Vnum ſanè inter cætera admiratione dignum, non ſine delectatione, obſeruaui: quòd, cùm in eo cœnobio, præter alios, pluſquam centum adoleſcentes, quorum ætas lubrica, ac nouitatis ſtudioſa, potius loquax, quàm taciturna eſſe ſolet, adeo verecundi, beneq. inſtituti ſint, vt vbicumq. fuerint, quaſi veterum ſilentiariorum officio fungentes, quibus olim Imperatores ad quietem palatij vtebantur, non ſilere, ſed abeſſe videantur. Alios verò religioſos viros, cuiuſcumq. ordinis, & inſtituti fuerint, vehementer honorant, laudant, venerantur: quod meam erga illos benuolentiam mirum in modum auxit. Horum quidem, in morum probitate, exemplum ſequi velim oues noſtras.

ſtras. Quod faxit magnus ille, & miſericors Deus: qui vos ſeruet, & me aliquando in Angelicos choros recipiat. Barcinone xij. cal. Iunij M. DCXIV.

Clero Tarantaſienſi. Epiſtola V.

MADRITI, quò veneram quartodecimo calendas, veſtræ mihi redditæ ſunt litteræ, quæ quidem, fratres dilectiſſimi, primùm iucundæ, mox triſtes, & lacrymoſæ fuerunt, cùm nobilis viri Prouenzæ, ciuitatis noſtræ Gubernatoris, vel, vt iſthuc appellari ſolet, Baili maioris, interitum nunciarent; non omnino, quòd nobis charus, ac familiaris miniſter mortuus ſit, cùm & nos mortales, fragiles, ac lutea vaſa ad eandem metam decurramus: ſed, quia dubitandum eſt, num ſacramentali confeſſione, & contritione peccata ſua expiare potuerit. Mors exterior planè timenda non eſt, quia, ſegregata anima à corpore, bene morientibus via eſt ad æternam vitam. Interior verò mors animam à creatore ſuo ita diuidit, vt quàmuis miſericors, immò pater miſericordiarum ſit, in ſuaq. habeat manu, eo etiam temporis momento, quo quis extremum ſpiritum emittit, grauiſſima crimina condonare, aliquando tamen morientium culpa potiùs condemnet, quàm condonet. Huius hominis infelix exitus exemplum humanæ miſeriæ, ac ſtimulus eſt ad bene viuendum. Non eſt negligenda mala valetudo, nec mors appetenda, ſed curandum, vt vita noſtra corrigatur, Deo noſtro placeamus, vt ſedem ab his nimbis quietam, quando venerit dies illa, in ſuprema cæli arce poſſideamus, vnde, quàm mundana hæc omnia vilia ſint, ac contemptibilia, aſpiciuntur. Hoc etiam vehementer doleo, quòd à mihi amiciſſimo interemptus ſit, in quem propterea ſit animaduertendum cuiq. cùm prodeſſe, & benefacere in animo ſemper habuerim, eidem nocere (ſi quod iure fit, nocere dici poteſt) auctoritate mea neceſſarium ſit. Sed id Iudices mei videbunt, quibus cauſam hanc relinquo. Mihi ſanè gratum foret, vt ille iure excuſari poſſet, & tua, & filiorum ſuorum cauſa. Maior enim natu magnæ ſpei adoleſcens, niſi felix eius curſus infelici hoc patris ſucceſſu retardetur, ad veræ virtutis metam aſpirare videtur. Vix tertium decimum annum natus orationes ſcripſit, & habuit, pueriles fortaſſe, immò graues, doctas, & elegantes, præſertim de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, quas coràm me priùs, poſtea in oratorio Diſciplinatorum, meo & permiſſu, & hortatu, haud minima cum audientium admiratione, & applauſu recitauit. Vtinam, quod timeo, euaneſcat. Cæterum litteræ veſtræ, & mihi gratiſſimæ, & optatiſſimæ fuerunt, in ea præcipue parte, quæ eſt de proſpero amici noſtri reditu, vt ex eiuſdem epiſtola amoris, & benevolentiæ plena, nuper mihi reddita etiam cognoui. Nihil enim melius, aut magis commodum ei accidere poterat: Siquidem Thomas Baurlus Dominicani inſtituti, quem in diſcedentis locum Theologum mihi ſubrogaueram, in itinere diem obijt; & ſi longè illo iunior, & corpore robuſtior, quiq. alijs noſtris familiaribus & animum faciebat, ac vires quodammodo augebat. Ex earum quoq. litterarum lectione bis terq. repetita, ingens hauſi gaudium, quòd rumores de iurgijs veſtris ad me delati, vani, & fallaces ſint. Idem ſcripſit amicus ipſe, cui fidem habeo. Quòd autem monita, & exhortationes meæ vobis iucundæ & proficuæ fuerint, Deo in primis innumeras ago gratias, & vobis ex corde gratulor. Sed nobis inutilia omnia fuerint, quæ in ore geritis, verbiſque profitemur, niſi in penetralia cordis deſcendant, ſecus ac pluuia, quæ in lapides, aut rupes cadat. Pergite igitur, pergite, filij chariſsimi, vnde veneritis, & ad quid veneritis, ſeriò conſiderare. Cœleſtem originem, & imaginem cùm habeamus, non eſt, cur terrena nos teneant, aut tantopere delectent. Namque, præter ea, quæ corpori neceſſaria ſunt, reliqua iactationes, & fluctus eſſe videmus, in quibus nihil prorſus firmum, nihil ſtabile habemus, niſi deſideria noſtra ad anchoram veræ pietatis, & ſapientiæ alligemus. Vos, quæſo, concordes viuite, amicitiam colite, beneficijs inter vos decertate, & ſapientiam diligenter quærite: Initium ſapientiæ, ait Pſalmographus, eſt timor Domini. ſicut nauis in æſtu marino ſine clauo iactatur, & fluctuat, ſic mens, quæ in hac mortali vita caret ſapientiæ gubernaculo. Ipſa enim eſt, quæ ad noſtri cognitionem nos primùm ducit, mox ad Deum, veram ſapientiam, & ſummam felicitatem. Illarum verò litterarum, quas ad me miſiſſe ſcribitis, nihil accepi. Sine fraudibus, ac periculis vix tranſmitti poſſunt, & pereunt ſæpe, & ſæpe eunt, quò non mittuntur. Hæc in poſterum vobis perpetua lex eſto, ne vnquam tranſeuntibus detis, quas ſaluas vultis: etenim negligunt, aut alteri tradunt, aut lacerant, aperiunt etiam aliquando curioſi, ac, vt optime cedat, tardiùs, quàm par eſt, reddunt. Cùm igitur mecum loqui per litteras neceſſarium fuerit, Pſal. 110.

bene

bene clauſos faſciculos, vel Auguſtam Taurinorum, vel Camberiacum mittite, vt inde per publicos tabellarios ad me deferantur. Idem me facturum polliceor. Tunc ego nec iure excuſabo non redditas, nec vos à me nullas acceptas. De reliquo itinere, ſi quid ſcire vultis, hæc habetote: poſtridie eius diei, qui Corporis Chriſti feſto die ſacrum fuit, cum ſexdecim triremibus, quibus præeſt Carolus Auria Turſenſium Dux, inter artis maritimæ proceres primarius claſſium dux, Barcinone ſoluimus, & felici curſu, hoc eſt ſpatio trium dierum cum dimidio (cuius magnam partem, à Ioanne Moncada Tarraconenſium Præſule, & genere, & virtutibus clariſſimo, mihique amiciſſimo, prandio exceptus, apud eum conſumpſi) Carthaginem appulimus, vbi reliquum illius diei conſtitimus. Sequenti verò Murciam opulentiſſimam ciuitatem vidimus: illic obuios habui cum quadrigis plures ſacerdotes, & nobiles viros; quibuſcum aliàs Romæ, ideſt in luce illa gentium, in arce fidei, ac pietatis domicilio, & amicitiarum conglutinatrice, mihi fuerat cum beneuolentia, & charitate ſumma conſenſio; ibiq. in cœnobio Franciſcanorum ſex diebus manſi, vt familiæ, quam cum ſarcinis illhuc iter dirigere iuſſeram, aduentum expectarem. Interim cum toto ipſo tempore maximus ad me concurſus nobilium, & ſacerdotum fieret; ciuitatis Antiſtes, vir non minus pius, quàm doctus, & hæreticæ prauitatis inquiſitores, qui in illis partibus maximæ ſũt auctoritatis, me perhonorificè exceperunt, atq. ferè omnes ad lautiſsima conuiuia inuitarunt, ac varijs munuſculis, ijſdemq. gratiſſimis, amantiſsime donarunt. Illhinc triduo poſt octauum eiuſdem feſti diem diſcedens, eam Hiſpaniæ oram tranſiui, vbi nulla ferè arbor agit radices, nullus cernitur fluuius, nullus emanat fons, tuncq. cùm tempus eſſet meſsis, ingenti, ac propè igneo calore, imperuia videbatur, vbi nulla inueni hoſpitia niſi anguſta, ac diuerſoria penè nulla, &, ſi quæ inuenta ſunt, ea fœda, & malè olentia, grato cibo etiam, ac potu carentia. Mihi tamen feliciter contigit; quòd, quacumq. erat nobis tranſeundum, aliquem, aut clericum, aut ex primoribus laicis, locorum reperiebam, qui cùm me, vel de facie cognouiſſet, vel ſcripta mea vidiſſet, vel de me, rebuſq. meis aliquid audiuiſſet, me enixè deprecabatur, vt eius hoſpitio vti vellem: quod quidem interdum, quo offerebatur animo, vrgente etiam neceſsitate, libentiſsime accipiebam. Madritum denique ventum eſt, magis nocturno, quam diurno itinere ad ſolem, & puluerem declinandum.

Et cùm Rex ſancti Laurentij ſuburbium, vulgò Eſcurialem, vt aſſolet illis ferè tẽporibus, cogitaret, qua potui diligentia, curaui, vt omnia, prompta, & parata eſſent, vtq. eo, quo decebat apparatu, ad eius Maieſtatem accederem: à qua ſumma cum humanitate, hilariq. vultu exceptus, eidem breuiter aduentus mei cauſam expoſui. Hinc interiores Regis conſiliarios conueni, à quibus comiter, & amicè tractatus ſum, vt Sereniſs. Allobrogum Ducis Legatus, & mea fortaſſe cauſa; cùm & Rex, & Principes, omneſq. alij, epiſcopalem dignitatem plurimi faciant, ac maximè venerentur. Ego nauem, & mare ingreſſus ſum vaſtiſsimum, ſed hactenus placidum, & tranquillum: ceſſante Zephiro, anxius ſum, ne me perturbent ſubito ex tranſuerſo Noti: ſtationem ſaltem mihi aliquam optarem, ſi non portum. Et, vt ex voto ſuccedat, ab eo, cui maria, æſtus, & tempeſtates obediunt, conſilium, & auxilium ex corde petendum. Nam, ſicut pro velis, & remis in toto illo periculoſo maris tractu veſtræ preces, & orationes mihi fuerunt; reſtat, vt & in hac terreſtri nauigatione clauum nauis meæ teneatis, ne fiat naufragium; ac ne vlla quidem iactatio; ſed omnia proſpere & mihi, & Principi noſtro, vt par eſt, eueniant. Saluete (filij chariſsimi) ac, vt ego quoq. per veſtras preces ſaluus fiam, curate. Madriti Kalen. Auguſti M DCXIV.

Clero Populoq. Tarantaſienſi.
Epiſtola VI.

VENI, vidi, haud vici, niſi Deus, in quo omnis ſpes, pericula auertat. Itur ad arma: feci, & quantum in me eſt, laboro, vt quies & pax conſiſtat. Sunt, qui de nobis aliter ſentiant, quàm oportet. At muſca, animal omnium ferè viliſsimum, ſæpè generoſiſsimos equos præcipites agit; & remora, piſcium ferè minima, naturali vi nauigij etiam maximè onuſti, ac velis ſecundo vento tumentibus mare ſulcantis, curſum retardat, illudq. immobile reddit. Addo: fortunam (ſi mihi cum ipſo Cæſare, prudentiſſimo, & fortiſsimo Duce ita loqui fas eſt) multùm poſſe, cùm in omnibus, tum in re militari: ſiquidem ex minimo caſu belli facies variatur; & ſæpe, ſcribit Thucydides, peritus Hercules in re bellica, vel minor multitudo maiorem profligauit. Incertus, nempè pugnæ exitus, qui ſæpè, vt Romani eloquij flos teſtatur, ſpoliantem iam, & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. A quo non diſſentit Liuius: ait enim: Mars cõmunis, & victum ſæpè erigit,

Comm. 6.

Lib. 2.

Pro Mil.

Lib. 28.

rem mitti in diſcrimen non probo. Proinde ſupplices æternum numen imploremus, pacis, ſcilicet, non diſſenſionis Deum, & cum
1.Cor.14. Hier.29. Prophera clamemus: Cogita ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis, vt det nobis finem, & patientiam, & inuocabimus te, & viuemus. Quod, vt facilius ſuccedat, vos (fratres dilectiſſimi) in viſceribus Chriſti moneo, & præcipiendo, omnibus mando, vt in omnibus eccleſijs, & regularium, & ſecularium clericorum, & in iſta ciuitate, & per vniuerſam Diœceſim, cum omni ſolemnitate, & pompa, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum populo exhibeatis, & indicto ieiunio, ſupplicationes in ciuitate, in omnibusq. oppidis, & pagis omnino haberi curetis. Propterea Philippo Cauallardo meam vicem gerenti committo, vt ad Suffraganeos, & Coëpiſcopos ſcribat, & quid in hoc turbido mari, atque impendente tempeſtate agendum ſit, ob eorum oculos ponat. Noſtro fortaſſe exemplo dabunt operam vicini quoque Antiſtites nobiſcum in eodem diſcrimine conſtituti, vt hæc tot contrarijs ventis agitata nauis, ijſdem remigibus, ac gubernaculis in portum perducatur. Vos verò
Ioel c.2. iuxta Ioëlis conſilium ſcindite corda veſtra, carnem tubigite ieiunio, criminum molem ſacramentali confeſſione, ac pœnitentia deponite: vt cœleſtis menſæ pane recreati, quo nihil ſalubrius, nihil efficacius eſt ad æternam vitam, cuiusq. puritate, etiam grauiſſimæ, purgantur culpæ, & virtutes augentur, domum Dei digne intrare, ſupplicationibus cum fructu intereſſe, diuinam opem implorare, quamque Principes largiri nequeunt, pacem conſequi poſſitis, procul dubio meliorem, ac tutiorem ſperata victoria, quæ in ipſius Dei, ſicut illa, in Principum manu eſt,
Iſaiæ 30. Pſal.101. cuius clementia, neque humilitatem ſupplicantium, neque orantium preces aſpernatur. Res noſtra agitur: nec vllam afferre excuſationem, vllamue interponere moram debetis, quin, quod ſuadeo, perfectatis; ne, ſi publica tranquillitas exturbetur, & ad bellum, ac pugnam collatis ſignis deueniatur, etiam citra montes ſecuri, ab omniq. timore vacui in periculo verſemini, vtique non ſine periculo, Mantuanorum exemplo, quorum damna deplorat Poeta his verbis: Mantua væ
Eccl.9. miſeræ nimium vicina Cremonæ. Nam, præter horrendum armorum ſtrepitum, crebrosq. de imminente vaſtitate funeſtos rumores, quibus vexaremini, quomodo fiet, vt vicini ex tanto igne peruolantes fauillas prohibeatis, quin res veſtræ in neglectum diſcrimen
Horat. adducantur. Tunc enim tua res agitur (ait

ille) paries cùm proximus ardet. Iam non ignoratis, bellum, vel inteſtinum, vel extrinſecus illatum, abſque exercitu adminiſtrari non poſſe, nec parari exercitum abſq. armis, militibus, commeatu, neque hæc ſine pecunia, quæ ideo belli neruus nuncupatur, pecuniamq. non ſine tributis, ac populorum moleſtia haberi. Non minus igitur vobis, ò Centrones, ò Allobroges, ò Galloceli, ò cæteri populi tranſalpini Duci noſtro ſubiecti, quàm ſubalpinis expedit, Deum, hoc præſertim tempore, habere propitium. Quod facile aſſequemini, ſi, quam ſuperiùs vobis præſcripſi viam, conſtanter calcaueritis: quod, vt vobis ſuccedat, eundem ipſum gratiarum patrem humillime deprecor, & rogo. Valete Madriti XVI. cal. Septembris MDCXIV.

Clero Populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola VII.

MADRITO diſcedere coactus, ad tertium cal. Octobris Complutum veni, celeberrimum vtiq. liberalium artium totius Hiſpaniæ emporium. Hic conſiſtere conſilium fuit, donec de re noſtra domeſtica, hoc eſt de ſupellectili, quæ niſi magno cum incommodo, & ſumptu nobiſcum deferri non poſſet, quomodo tempora poſtulant, diſpoſitum ſit, aliaq. chariora ita ad itineris difficultates componantur, vt nullum inde in via ſentiamus impedimentum. Secundo ab aduentu meo die accepi (fratres dilectiſſimi) litteras veſtras, gratas quidem, quòd vos bene valere nunciauerint; moleſtas verò, quòd, quæ litteris ad vos nupertime datis, futura conieceram, video euenisse. Vnde mihi de rebus veſtris pro temporum ſtatu iniecta eſt animi non leuis ſolicitudo, quæ tamen horum illuſtrium virorũ frequentia adeo temperatur, vt cùm aliunde non deſit, quod me publica cauſa vehementer torqueat, atq. diuexet, nullum perturbationibus meis efficacius habeam ſolatium, quàm piorum, doctorumq. hominum, quibus ciuitas hæc maxime abundat, ſuauiſſima conſuetudo. Hic namq. mirum in modũ florent optimæ omnes diſciplinę, eaq. præcipue theologię pars, quę ſcholaſtica nuncupatur, hæreticis inuiſa, atq. ſuſpecta, quantum ex doctiſſimorum virorum monumentis exploratum eſt: quo fit, vt huc, tamquam ad nouas Athenas, confluant litterarum ſtudioſi iuuenes; quaſi artes in Hiſpania ſedem fouiſſe videantur, florentibus præſertim Salmãtino, ac Conimbricenſi gymnaſijs. Ea nãq. ſtudia, quæ plures auerſabantur,

hodie non ſolum nobiles viros tenent, atque delectant, ſed & ab ipſo Rege in magno pretio habentur, maximisq. præmijs cohoneſtantur: quod felix, fauſtumq. ſit: honos enim alit artes. Me, meoſq. commodo, ac grato hoſpitio excepit in ſuo collegio, omnium huius vniuerſitatis optimo, Abbas S. Bernardi, in quo morantur iuuenes excellentis ingenij, & doctrinæ, qui eiuſdem inſtituti ſacram induunt veſtem, nec non ætate prouectiores Dei ſerui, moribus, ſanctitate, & litterarum ſcientia inſignes: in quorum numero eſt Laurentius Zamora, cuius ſcripta non Hiſpania modo, ſed & Gallia, & Italia æqua ingeniorum æſtimatrix, admirantur, & verbi Dei concionatores ad cœlum extollunt. Habet ille nunc præ manibus Cantica Canticorum, quæ latinis verbis explicare, & illuſtrare intendit, ſed vereor, ne illa commentaria ad finem perducantur: ipſum enim diutius viuere non poſſe, incurabilis morbus, quo vehementer laborat, febris nempe ethica, ſeu maragmus, manifeſte oſtendit, cùm, præter oſſa, & cutem, nihil vitale habeat, niſi claram, atq. ſonoram vocem, vnde extremum ei diem imminere nemo dubitat. Egregium hunc virum non ſine voluptate, ac fructu ſæpe conuenio, ſemper ab eodem doctior diſcedens. Quinto poſt die, quàm huc acceſſi, Rector vniuerſitatis, penes quem omnis eſt ciuſdem academiæ auctoritas, cuius priuilegia, & Apoſtolica, & Regia, maxima ſunt; inter quæ præcipuum eſt, vt cum Rege quoties eum Compluti eſſe contingat, pari incedat paſſu, ſyrmate, ſiue cauda, coram ipſo Rege ſibi à famulo ſuſtentato; cùm theologica laurea inſigniri deberet, me ad illum actum, & lautiſſimum conuiuium inuitauit. Acceſſi, & oblectatus ſum in primis, pluſquam mediocriter, loco ipſo, in quo huiuſmodi fiunt litteraria certamina, ampliſſimo quidem, & opere incruſtato, & teſſellato, picturis, auroq. affabre inſigni, diuerſiſq. ſedilibus diſtincto, pro cuiuſque profeſſionis inſignibus, & gradibus, cùm illi quoque, quos Regulares appellamus, cuiuſcumque inſtituti, ſiue ordinis ſint, nigro, & quadrato vtantur capitis tegumento, quod biretum nuncupatur: deſuper verò, vnaquæq. claſſis ſericum lemniſcum diuerſi coloris habet: Theologi album, Iuriſconſulti rubeum, Medici flauum, alij artium profeſſores cœleſtem. Omnes togati incedunt, ac ſuper togam capucium geſtant ex nigro holoſerico villoſo, quod nos vellutum, Hiſpani tertio pelo dicunt: cuius interior pars, quæ apparet, vel panno ſerico eiuſdem coloris, cuius eſt lemniſcus, vel pellibus armellinis fulcita eſt. Candidatorum lemniſcus viridis eſt, cœterùm eodem vtuntur habitu, quo reliqui magni collegij proceres, breviori palliculo, ſeu vt vulgo appellatur, mozzetta, qua, & Epiſcopi, & Cardinales vtuntur, eſtq. ex nigro holoſerico villoſo. Candidatus cùm eſſet, vt dixi, Rector, nihil egit penitus: tantum petijt paucis, & conceptis verbis, ſe in Theologorum ordinem adſcribi. quo facto, ab vno ex illis Theologis longa habita eſt oratio in eius laudem. Deinde emiſſa ab eodem Rectore catholicæ fidei profeſsione, Abbas, qui inter clericos primas obtinet, Toletani Archiepiſcopi Vicarius, & vniuerſitatis Archiſcriba, quem vulgo Cancellarium vocant, de me, meisq. ſcriptis plura dixere, quàm oportebat. Et quidem ego Hiſpanis hominibus, præſertim litterarum ſtudioſis, plurimum debeo, quòd laboribus meis, pluſquàm ego meruerim, tribuere videntur. His ita abſolutis, diſtributæ ſunt aſtantibus chirothecæ cum certa pecuniæ ſumma. Sed in hoc vno mihi viſa eſt excellere eiuſdem Rectoris auctoritas, & prærogatiua: quod, cùm omnes Theologi, Iuriſconſulti, & artium profeſſores, dum Rector genibus flexis fidei profeſsionem emittebat, aperto capite ſtare debuiſſent, nec ſurrexiſſent, veluti minus attenti, mulctati ſunt ea pecuniæ portione, quæ illis ex veteri inſtituto debebatur, & ad hoſpitale, iubente Rectore, ac nemine prorſus reclamante, ſtatim allata. Dies me deficeret, ſi ea ne dicam narrare, ſed paulatim attingere velim, quæ vidi, & obſeruaui in hac academia, quæq. mea cauſa facta ſunt, conuiuia, comœdiæ, taurorum ludi, orationes habitæ, epigrammata, & id genus alia lepidiſſime conſcripta. Varia alia collegia ſunt in hac ciuitate, etiam omnium religioſorum ordinum, duobus exceptis, Benedictino, & Hieronymino; alia item multa ſcholarium nulli ſacræ familiæ adſcriptorum, ab illuſtribus, & pijs viris fundata, & optimis conſtituta legibus; atque inter cætera, vnum, quod trium linguarũ dicitur, vbi Latina, Græca, & Hebraica addiſcitur, quodq. vna cũ alijs octo ſumptu magni collegij, cuius cenſus eſt ſcutorum, vt aiunt, triginta ſex millium, ſuſtẽtatur. In omnibus continua eſt litteraria aliqua exercitatio: nunc in hoc, nunc in illo publicæ Theſes proponuntur, ac defenduntur. Frequens eſt collegialium examen, quo collegij, eiuſue inſtituti beneficio digni ab indignis dignoſcantur: ſubmouentur, retinentur, ſubrogantur, vt magiſtris, aut cenſoribus videtur. Nec tamen ita in litteris occupantur, vt diuinum omittatur officium, ab ijs, ſcilicet, qui illud recitare tenentur, aut quidquam

aliud,

aliud, quod ad Dei cultum, ſanctorumq. veneracionem pertineat. At dicet veſtrum aliquis, quid ad nos iſta? Non ab re hæc, nempe, vt ſciatis, vbi ſim, quid egerim, quidque agam in præſentia. Equidem breui, ſi diuinæ placuerit bonitati, ad vos me recipiam, ac longè quidem breuiori tempore, quàm & vos, & ego putabamus: quod vobis gratulor, & mihi gaudeo: quamuis omnia in diſcordiam inclinare videantur, nobis certè malis cauſam præbentibus: Peccata, ſcilicet noſtra, quæ nec corrigi, nec minui, ſed augeri potiùs, & creſcere cum pœnis mihi videntur. Nam in dies magis ac magis diuinam iram prouocamus; & quaſi affligendi ex iuſtis cauſis non ſimus, veteribus recentes addimus. Hinc luxus, hinc faſtus, temeritas, petulantia, audacia, luxuria, rapinæ, ſacrilegia, hinc ſcelera omnia. In ore vera ac ſancta religio, in corde improbitas maxima. Verba ipſa melle dulciora, nihil aliud ſonant, quam pietatem, humilitatem, charitatem: facta verò ambitionem, auaritiam, pauperum, pupillorũ, viduarum oppreſsionem, ſordes, vitia omnia. Quid igitur de pace ſperandum? Ideò mala omnia dicit Lactantius, rebus humanis quotidie ingraueſcere, quia Deus mundi huius creator, & gubernator derelictus eſt. Derelinquitur enim, cùm eius præcepta negliguntur, & inſpirationes contemnuntur; qui hiſce calamitatibus finem impoſiturus non videtur, niſi & nos calamitatum cauſis finem imponamus: quibus ſanè remotis, ſecuri expectare poſſumus, quem cupimus, noſtrarum cogitationum euentum. In hoc igitur vnum omnes cuiuſuis ordinis, conditionis, ætatis, ſexus, toto pectore incumbamus; vt, vita noſtra emendata, Deo placeamus. Quod ſi integra mente, ac puro corde, vt par eſt, faciemus, eius proculdubio mitigabitur indignatio; & cum Propheta exclamare licebit: fiat pax in virtute tua; &, exaudiet Dominus deprecationem noſtram, & orationem noſtram ſuſcipiet. Ego certè, nec mihi, nec cauſæ communi decero; ſed vnà cum hiſce S. Bernardi venerabilibus alumnis, quorum innocentiæ, ac orationibus, ſe Rex ipſe ſummopere commendauit, ad te, ò clemens, & miſericors Deus, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia ſunt, quiq. in tribulationibus clamantibus ad te opem ferre non dedignaris, preces meas, qualeſcumq. ſint, humiliter offero, ac peto, vt vota noſtra audias, atq. Allobrogum Duci conſilium, ac virtutem tribuas de toto negotio benè ſentiendi, quodq. expediat, fortiter exequendi; vtque rerum exitus tibi gratus, ipſi Duci glorioſus, & fluctuanti patriæ ſalutaris ſit. Hoc facite & vos (filij chariſſimi); & pro reditu meo, vt felix fauſtuſq. ſit, rogate. Non enim minus periculoſum eſt iter, quod me ingredi oportet, quàm fuerit mare, quod triremibus transfretaui, prædonum nempè inſidijs expoſitum. Barcinonem cùm venero, ſi triremes, quibus in Italiã tranſire poſsim, paratæ fuerint, breui, vt ſpero, iſthuc me conferam: ſin minus, ſcribam quod reliquum fuerit. Valete. Compluti. Idibus Octobris 1614.

Lib. 7. inſt. cap. 8.

Pſal. 121. Pſal. 6.

Germonij Epiſtolæ.

Clero, populoq. Tarantaſienſi.

Epiſtola VIII.

CVM familiares mei, qui Matriti remanſerant, ad me veniſſent cum ſarcinis ac vehiculis, ipſe (præmiſsis, quæ ad vſum itineris neceſſaria non eſſent) Idibus Octobris, Italiam verſus me in viam dedi, valere iuſsis hoſpitibus meis monachis, Bernarditis, alijsque Complutenſis Academiæ eminentibus, meique amantibus viris. Poſt quatuordecim dies, non ſine periculo, & moleſtia, huc tandem delatus ſum. Periculum in ambagibus viarum fuit: moleſtia ex publicanis, & vectigalibus. Nam Tortueræ, (quod eſt vltimum Caſtellæ municipium) vbi quæcumque illhac tranſeunt, quamuis minima, exhibenda ſunt; vt pro rebus, aut nouis, aut quæ nouæ videantur, certum quid ſoluatur, ad rationem (vt ego arbitror) decem pro centenario: retentum inueni quicquid auri, & argenti, & ſupelleƈtilis præmiſeram, etiam res Diuino miniſterio dicatas, calices, cruces, candelabra, vaſa ſacra, & id genus alia, quæ, vt poſtea intellexi, exportari non permittuntur, niſi impetrata, Regisque manu ſubſcripta licentia. Locus à Matrito diſtat quattuor dierum itinere; &, quod moleſtius fuit, Rex abierat Lermam. Quare, ibi relictis rerum interceptarum cuſtodibus, ex familiaribus meis Matritum miſi, qui eas reſtitui curaret: cœptumq. iter perſecutus ſum; ſed (ingenuè fateor) ſubtriſtis, quòd chiarora ignotorum, viliumq. hominum fidei mihi relinquẽda eſſent, eo præſertim tempore, quo furente Marte, ac Bellona, ſilebant leges, egoq. vt hoſtis habebar. Per Cæſarauguſtam nobiliſsimam ciuitatem tranſiui, parum in ea moratus, noƈtem, ſcilicet, & paucas horas matutinas: nam, poſtquam ſacris interfui, viſis curſim, quæ viſu digniora fuerant, ſumptoq. ientaculo, diſceſsi. Inde noua pericula, immò maiora, magisq. metuenda, nunciabantur de latronibus, ac ſceleſtiſsimis prædonibus,

qui (vt aliàs dixi) nemini obediunt, ac nemini parcunt, viatores ſpoliant, vulnerant, trucidant. In citeriore Hiſpania, quam Cataloniam vocant, peſtis hæc tantùm graſſatur: nec tamen parcunt miniſtri Regij in delictis deprehenſis: raræ namq. ſunt arbores in vijs publicis, ex quibus membra humana non pendeant. Triſte profectò, horrendumq. ſpectaculum, at valde neceſſarium in illa regione, alioquin gratiſſima, & rerum omnium copioſiſſima. Verùm mihi, & meis omnia feliciter euenere: viæ tutæ, cæli ſerenitas, quies, ſecuritas nobis non defuere: quod diuino beneficio factum fuiſſe non dubito. Non ignorabant perditiſſimi ſicarij Proregem, rectores, alioſq. proceres, qui ad illius reipublicæ clauum ſedent, propediem exituros, vt eos conquirerent, & caperent, captoſq. turpiſſima morte mulctarent. Sed Deus fuit, qui cuſtos noſter, qui miniſtrorum diaboli manus nos effugere voluit, intercedente præſertim Beatiſſima Virgine, ſanctoq. eius filij præcurſore Ioanne Baptiſta, quorum patrocinium vſq. à prima ætate mihi paraui, & quidem non ſine magno lucro. Ipſis votum, quo me obſtrinxi, adhuc non ſolui; ſed reus voti non ero diu, ſine quo fortaſſe imminentes calamitates non euaſiſſem. Tandem Barcinonem venimus, vbi nullis, quibus in Italiam transfretarem, repertis triremibus: obtulit caſus, quod è re mea futurum videbatur, aduentante Barcinonem ex Oriente, vt rumor erat, Sereniſſimo Philiberto maritimæ Hiſpanienſis claſſis imperatore. Is enim, cùm veniens ad xiv. cal. Nouembris, à Prorege regias litteras accepiſſet, quibus ad portum ſanctæ Mariæ illico nauigationem dirigere iubebatur, atq. expeditis ad iter triremibus, ſumptoq. cõmeatu, abijſſet, ſequenti die febre grauatus, medicorum, procerumq. ei aſſiſtentium ſuaſu Barcinonem reuerſus eſt, vt abundante ciuitate medicis, ac medicamentis ad recuperandam ſalutem neceſſarijs, ibi melius, quàm alibi curaretur. Quare, cùm muneris ſui partes, quas morbo detentus coram obire prohibebatur, per miniſtros ſupplere cupiens, ex triremibus, quas ſecum adduxerat, quinq. Genuam remitti iuſſiſſet, ego huius percommodæ nauigationis opportunitatem auide arripiens, quòd Sereniſſimi Ducis noſtri, veſtroq. aſpectu breui recreari ſperarem, lætus ad triremes conuolaui, quæ in peruigilio Beati Andreæ ex hoc portu ſoluentes, vnica velificatione Colibrium (olim portum Veneris nuncupatum) proſpero curſu appulerunt: vbi, dum tempus tranſmittendi ſinum Narbonenſem latiſſimum, & periculoſiſſimum (quem golfo di Leone vulgò appellant) à nautis obſeruabatur, ecce eiuſdem Principis Philiberti litteræ, quibus Ioannes Baptiſta Feus earundem triremium Præfectus Barcinonem reuocabatur. quo nuncio triſtatus ſum, vt debui. Quid enim magis moleſtum mihi accidere poterat, quàm, tãto maris ſpatio emenſo, ex medio ferè itinere inutiliter retrahi, & ad ſupremas difficultates reuocari? Quid magis incommodum, aut importunum, quàm tot dies exoptatam, expectatamq. occaſionem breui temporis momento amittere? Multa ſiquidem ſeſe offerebant, quæ, præter temporis iacturam, triſtitiæ cauſam præbebant. Nam, quæ pro viatico parata fuerant, ferè omnia deperdi videbam: iterum de domicilio cogitare neceſſe erat, proinde iterandæ impenſæ, cùm, quæ ante diſceſſum vſui fuerant, in diſceſſu relicta, & dono data fuiſſent; ideo omnia iterum emenda, iterumq. relinquẽda: noua inſuper vectigalia in ingreſſu, atque egreſſu pendenda, nouumq. viaticum parandum, & fortaſſe longum tempus terendum, antequam ſimilem redeundi occaſionem inueniremus. Sed ego hæc pro nihilo ducebam. Illud eſt, quod me mirum in modum angebat, (filij chariſsimi) intercipi ſcilicet mihi præſentiam veſtram, qua breui frui ſperabam, voſq. non animi tantùm, ſed corporis brachijs amplecti, non litteris, ſed coram affari, vobisq. non abſens, ſed præſens, benedicere, ordinationes tenere proximis tẽporibus, cæteraq. Pontificalia munia in natalitijs Domini, alijsq. ſolemnioribus feſtis diebus exequi, populumq. mei amantiſsimum ad ipſam, caput virtutum, pietatem pro virili parte excitare, quam qui negligit, nec Chriſtianus, nec homo dici meretur. Ad eã namq. natos nos eſſe omnes ſcimus, ad eã ſingulari Dei beneficio inſtitutos. Hanc tenere, hanc amplecti debemus vnicã veræ quietis anchoram, vnicum ad perpetuam ſalutem perfugiũ, viaticum, viam. Verùm mihi tempero, illi, cuius nutu mundi machina regitur, parere paratus, cuiuſq. eſt, omnia ſuauiter diſponere. Etenim dolorem, quẽ ex hoc itineris impedimento contraxeram, mitigauit Barcinonenſium charitas, ac beneuolentia, quibus cùm graue fuiſſet, me eo tẽpore maritima incõmoda ſubire, reditus meus gratiſsimus accidit, ijs præ cæteris, qui ad pietatẽ, ſacraq. ſtudia propenſi, ad vitam eccleſiaſticam aſpirant. Huius Ciuitatis Epiſcopus, vir ſanè morũ probitate ſpectabilis, & bonis litteris, artibusq. liberalibus, atq. in primis iuris prudentia, optimè eruditus, cum annis, & corpore valdè grauis, ordinationes ægre facere poſſe videretur, eſſentq.

eſſentque quam plurimi, tum ſeculares, tum clauſtrales homines, qui in clericorum albo deſcribi cuperent; rogatus fui, præſertim à Franciſcanis, ad quorum cœnobium diuerteram, vt Epiſcopale onus hoc, ad eorum commodum, & gratiam ſubirem: quorum pio deſiderio acceſſit præſtantiſſimi Antiſtitis, non conſenſus ſolùm, ſed etiam deſiderium. Non recuſaui laborem: atque ad minores, & maiores ordines promoui centum viginti quatruor clericos, inter quos fuerunt ſex & triginta ſacerdotes, omnes ferè in Theologia, vel iure Canonico, vt aiunt, licentiati, & candidati ad illam metam currentes. Die autem Dominicæ Natiuitati ſacra, præſentibus ijſdem meis religioſis hoſpitibus, in eorum ſacra æde Miſſam Pontificalem decantaui: quod & feci in ea, quæ Deiparæ Virgini de mari nuncupata eſt, cui inſeruiunt ſex & triginta ſupra centum ſacerdotes, ſanctæ Circumciſionis ſolemni die, idque cum pompa, ac pretioſo apparatu, vniuerſa ferè ciuitate ſpectante, ac plaudente. Interfui quoq. perſæpe publicis diſputationibus, & in gymnaſio, ſiue vniuerſitate (vt vulgò appellatur) pluſquàm ſemel publicos profeſſores audiui, ac frequentiùs audiuiſſem, niſi de me loquentes ſuſtinere præſens, turpe putaſſem, licet conſuetudini ciuitatis in aduenas officioſiſſimæ id tribuendum exiſtimauerim: neque enim ego is ſum, quem viri vſquequaque celeberrimi ſibi ornandum ſuſciperent. Interea, cùm ſummus idem maris Præfectus Ioannem Baptiſtam Feum Carthaginem nouam ire iuſſerit, ad accipienda nummorum aureorum vicies centena millia, atque in Italiam tranſmittenda; ipſe illico imperata fecit Cal. Ianuarij, tranquillo mari diſcedens. Faxit Deus, vt illum breui his littoribus reſtitutum cum ſuis triremibus incolumem videamus. Quem quidem aduentantem lætus excipiam, tum quia nauo, atq. induſtrio viro omnia fauſte, ac proſpere euenire cupio; tum quia ad iter paratus, & promptus nihil, niſi eius triremes, expecto, quibus ad vos, hoc eſt ad verum quietis portum, me recipiam. Vos (fratres dilectiſſimi) in omnibus orationibus veſtris curam mei habere perſeuerate. Siquidem cum mari mihi futurum negotium eſt, cum mari (vt ita dicam) dimicandum, mare ipſum vincendum, ſemper quidem periculoſum, ſed hyeme etiam exitioſum: venti namq. cùm eo tempore violenti eſſe ſoleant, quamuis per interualla ſecundum curſum nauigantibus promittant, perſæpe tamen in turbines deſinendo, funeſtas repente, atque horridas commouent tempeſtates, quibus maria ita perturbantur, vt vndæ cælum pertingere videantur, ſanè magno cum periculo, triremium præſertim, quibus vitam committentes, in arbitrio ventorum poſiti, vt plurimum, nec redire, nec progredi, neque, ipſo marino æſtu prohibente, ad terram appropinquare, aut portum tenere poſſunt. Quod, ne nobis eueniat, ſed, vt placida, proſperaq. nauigatione in patriam redire poſſimus, vobis præcipuè precantibus, præſtet is, qui ventis, & mari imperat. Hactenus de me, mox de Republica, cuius maiorem curam habere debemus: ego quidem eo ipſo, quo homo ſum, & moriendi me neceſsitati natum, & mortalium conditioni obnoxium non ignoro; quodq. vltra punctum, non ſolum vnius dici, ſed vnius horulæ viuo, non mihi debitum, ſed dono datum, & in lucro ponendum cenſeo, humana omnia, tamquam iactationes, & fluctus, pariter contemnendo. ſed, quia à Deo poſitus eſt homo in mundo, vt per virtutum exercitium ad perpetuam felicitatem properet, ſunt æquiſſimo animo tolerandæ aduerſitates, atque in primis bella, populorum diſſidia, clades, & publica damna, quaſi diuina opera; ſimulq. pacis Rex ipſe, atque arbiter Deus, puriore cordis affectu rogandus, vt, Principum animis concordia inſtillata, calamitatem anteuertat, optatamque pacis faciem nobis oſtendat: quod nequaquam deſperandum. nam, ſicut ille tranquillitatis ſol ærumnoſæ hyemis aſperitatem, cum mitis æſtatis lenitate compenſare ſoleat: ita & poſt bellicos turbines, ac procellas ſerenitatem eum largiturum, non eſt dubitandum. Ideo conſtanter ferendà maligna tempora, melioraq. experenda, precibus primùm, deinde operibus, hoc eſt, vitæ emendatione, cuius culpa plerumq. fit, vt cœleſtis flagelli grauitatem experiamur. Proinde magnopere cupio, præcepta mea à vobis ſarta tecta conſeruari: ad quorum memoriam, & ſi, quantum per litteras licet, mentes veſtras reuocare ſtudeo, non tamen vos eo officio indigere puto, ſed amoris mei teſtandi cauſa id facio, paterna me impellente charitate ad eadem identidem repetenda, ne monita mea excidant, quæq. in agro (vt perſuaſum habui) non infœcundo ſeminaui, vberiorem, certioremque fructum afferant. Quamuis enim ad diuinam miſericordiam pœnitentibus ſemper pateat acceſſus, hoc tamen tempore de ſpiritali profectu eò magis laborandum, quò maius diſcrimen reſpublica ſubire videtur, dictante naturali ratione, ibi maiorem eſſe adhibendā cautionem, vbi maius eſt periculum. Quare enitendum (filij dilectiſsimi) vt, quamuis

peccata naufragium minentur, nauis veſtræ humilitatis, atque pœnitentiæ remis ſalua in portum reducatur; ſicut prudens nauta, etiã mortem ante oculos habens, ad clauum ſedet, fractoq. malo, & velo, nauigat: quo diuina ope, à tempeſtate liberati, cum Prophetа clamare poſſitis: In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos; ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: nec nõ audire mereamini, quod ait Apoſtolus, per quẽ Chriſtus loquebatur: Tẽpore accepto exaudiui te. Quod, vt fiat, omniaq. apud vos bene ſe habeant, Deum enixiſsimè rogo. Barcinone pridie Idus Ianuarij M DCXV.

Pſal. 33.

2. Cor. 6.

Clero Tarantaſienſi. Epiſtola IX.

DVM ex Hiſpanienſi legatione, huc reuerſus, de vobis (filij dilectiſsimi) rebuſque veſtris aſsiduè cogito, ecce litteræ, quibus, cùm ab hinc quinque menſibus carcam, ſi dixero gratas fuiſſe, parum dicam: incredibili quippè voluptate ex earum lectione perfuſus, eo maxime, quò ſilentij culpam in incertam peregrinationem meam potius, quàm in veſtram negligentiam transferendam eſſe, perſuaſum habeo. Ego, quamuis longe abſens, iſthinc nullum acceperim nuncium, litterarum tamen officium nunquam intermiſi; non ſolum, vt, quæ de me grata fore arbitrabar, ſubinde intelligerentur, ſed etiam, vt de meo breui reditu eam vobis ſpem facerem, quam & ipſe habebam, quamq. res ipſa magis probaſſet, niſi, tum maris inconſtantia, tum hominum vel malitia, vel iniuria, vt alias vobis ſignificaui, cœptis meis obſtitiſſet. Nunc lætor vt nautæ,

Plaut. in Mercat. *Quando ex alto*
Terram conſpiciunt.

Ac pluſquam nautæ: quandoquidem, non modo, vt illi, terram cerno, ſed iam teneo, in portum ſecundo vento delatus extra procellarum, extra turbinum pericula, à ſyrtibus, ac ſcopulis, Deo manum porrigente, omnino ſecurus. Quamobrem de nauigationis meæ proſpero exitu opportuna fuit veſtra gratulatio, etſi admodum præcox; cùm litteræ veſtræ Cal. Ianuarij datæ, multis diebus diſceſſum meum præuenerint: ego enim è Barcinonenſi portu non ante, quam quintodecimo Cal. Februarij ſoluere potui, hucque prius, quàm ad iij. calendarum eiuſdem menſis non appuli. Attamen, ſicut ſera gratulatio reprehendi non ſolet, ita ego præcocem nequaquam reprehendam: imnò quòd me redeuntem optimis omnibus proſecuti ſitis, vobis gratias agam. Sed propitium omen cum proſpero ſucceſſu fuit, ventos quieuiſſe, ac mare tempeſtatibus antea agitatum, tranquillum factum, reditum meum periculorum cura quodammodo voluiſſe leuare. Quod ſcribitis, Capuccinorum eccleſiam, & abſolutam, & dedicatam eſſe, ſummopere placuit, eò magis, quò eum honorem aſſequuta ſit per religioſiſsimum Geneuenſem Antiſtitem, Franciſcum Salinam, virum doctiſsimum, atq. in paſtorali officio vigilantiſsimum; cui ego, diſcedens, partes meas, muniaq. paſtoralia delegaueram, vtq. in ijs præſertim, quæ ad Epiſcopale officium ſpectant, nec ab alijs, quàm ab Epiſcopis, adminiſtrari poſſunt, vobis adeſſet, eum amice rogaueram. Quod ille oneris, & libens ſuſcepit, & libentiſsime ſuſtinet, vt ego quoque ſuſtinerem, ſi eo abſente, operamq. meam ſibi commodam fore putante, ſimilia facere iuberet; atque vtinam deſiderio meo occaſio reſpondeat, quo, & ipſe expertus cognoſcat, res tuas mihi non minus cordi eſſe, quam ſibi meæ ſint, & ego eam beneuolentiam, qua ornatiſsimum amicum conſtanter proſequor, & ſua, & omnium opinione maiorẽ eſſe oſtendam. Magna me triſtitia affecit ea litterarum veſtrarum pars, quo Franciſcanorum Cuſtodem Fratrem Ludouicũ de Strata, Vicebaiulum Griffettum, Canonicum Durandardum, Aduocatum Varottum, Gaſparem de Torres, & alios è viuis exceſſiſſe nunciaris. Vnde, videre eſt, mortem, ordinem non ſeruare, cùm iuuenes, ac robuſtos, quibus vota, & ipes parentum, atque amicorum, ipſiuſq. ætatis robur longiorem vitam deſtinabant, æque ac ſenes, & debiles abripuerit. Ferenda hæc ſunt, vt omnia alia, quæ diuinitus accidunt, æternæq. legi obtemperandum. Minuit autem dolorem, quòd nemo eorum, qui animam efflauerunt, (vno excepto Varotto) aut hominum opera, aut vi, aut improuiſo caſu vllo ereptus ſit; ſed omnes illius Imperatoris iuſſu, quem nec accuſare, nec aduerſantem ſuſtinere poſſumus, de vita ſtatione deceſſerunt. Varotti equidem miſerabilem finem dolui, primum, quòd oppreſſus, deinde, quod ab amico occiſus ſit. At inopinatò euentu perijt. eſto. Perijt tamen, eſtq. luctuoſiſsimum mortis genus, quod naturale non eſt; nam de ijs, qui morbo extinguuntur, ipſa neceſsitas ſolatium ſuggerit: de ijs verò, quos repentina mors aufert, magis perturbamur, quod putemus, eos diu viuere potuiſſe. Minuit quoque dolorem, quòd aliquot dies ſuperuiuens, errata ſua expiare con-

confeſſione potuerit, & tranſmigrantem animam Sacramentorum clypeo à Satanicis inſidijs defendere. Qui in eorum locum à Vicario noſtro ſubrogari ſunt, eò mihi magis probantur, quò moribus, natalibus, ac doctrina præſtantiores, quàm nonnulli ex illis fuerunt, omnibus charos, omnibusq. vtiles eos futuros confido. Petri Minoretti Vicebaiuli diſceſſus, me non parum commouit, quòd non ſine magno familiæ ſuæ incommodo vitam deſeruerit. Sed quorſum, aut querelæ, aut lachrymæ? Nonne ſummus omnium paſtor, rectorq. prouidentiſſimus viuit, viuetq. in æternum? Nonne ſi paſſeres, & lilia campi nutrit, & creſcere facit, multò magis ſibi militantium, ad ciuſq. opem confugientium hominum, curam habebit, præſertim eorum, qui humani auxilij ſpe prorſus abiecta, tota cogitatione, totaq. mente in diuino patrocinio conquieſcunt? Quod ſi fecerint Minoretti liberi, non tantùm ijs, quibus indiget terrena vita, ſine ſolicitudine abundabunt, ſed & ad cæleſtem vitam, vbi nulla eſt inopia, viam ſibi aperient. Habent matrem operoſam, atque vtilem fœminam, quæ, cùm leuamen viuenti marito fuerit, ac præſidium, ſperandum eſt, plurima domui ſuæ eſſe commoda allaturam. Gaſparis de Torres mortem certe ægrius tuli, quòd immatura, quòdque patri amariſſima fuerit. verùm quoniam non prudentia tantùm ſuader, ſed ipſa nos neceſſitas naturali legi parere cogit, animum erigat oportet, tantamq. iacturam moderate ferat, tum ratione, tum filiorum ſuperſtitum, quibus abundat, incolumitate, præſertim, quia ex maiore natu nepotes etiam ſperare poteſt. At filiorum minimus defunctus, ab eo, ſicut Beniamin à patre Iacob, præ cæteris diligebatur. Quantumuis charus ille fuerit, orbitatis remedium ex reliqua copioſa prole ſibi ipſe præripiat; ac loco vnius filij, quem amiſit, lætetur, ſe plures habere, quos diligat adeo, vt, ſi doleat, excuſandus ſit, quia pater fuit, non tamen, ſi mœreat. Mœrendi, ac lugendi iuſtam cauſam habet fratris Ludouici mater paupertima, quòd filium vnicum, eximium Theologum, ſolam ſenectutis ſuæ ſpem, atque perfugium, ſibi eripi viderit. Verum tamen, cùm ex innumeris exẽplis humanam vitam in lubrico verſari, caſibuſque omnibus expoſitam eſſe non ignoret, ipſa quoque habet, quæ ad cohibendum luctum, compeſcendaq. ſuſpiria, ſatis ſint; præcipue verò, quòd extinctus filius bonum ſibi nomen ex vera Philoſophia comparatum vſque ad finem conſeruauerit. Franciſcani Cœnobij cuſtodis obitum, quamuis non acerbũ, item grauiter tuli, quemadmodum & vos tuliſſe puto. Quis enim talem virum è vita diſcedere ſiccis oculis pateretur? Forſitan, quia ſenex, quia aduena, quia nullos relinquens ſibi ſanguine coniunctos, neminem habuerit, qui propinqui funeri iuſta perſoluerit? Quinimmò, non ſolum ordinis ſui commilitonibus, ſed & ciuibus, boniſq. omnibus, moleſtiſſima eſſe debuit venerabilis ſacerdotis mors, qui pietate, probitate, innocentia, modeſtia inſignis, in re publica ſolers, in priuata ſobrius, humilis, ac ſibi rigidus, omnium votis, omnium laudibus, omnium lacrymis digniſſimus fuit ita, vt credendum ſit, eum non vitam cum morte, ſed mortem cum ſempiterna, ac felici vita commutaſſe. Atque vtinam, qui in poſterum iſtius Michaëlitarũ domus rem publicam adminiſtrabunt, ad nauiſq. clauum ſedebunt, defuncto cuſtodi ſimiles ſint: cui propterea ſubſtitutum fuiſſe (vt aiunt) virum probum doctum, ſapientem, induſtrium, ad bonum publicum valde propenſum, (quodque omnium intereſt) vtilem etiam diuini verbi interpretem, mirum in modum gaudeo, ac multò magis, quò præteriti Dominici Aduentus tempore doctrinæ ſuæ cum audientium fructu non vulgare periculum fecerit, huiuſq. anni quadrageſimalium concionum curriculum ſit confecturus, ac forſitan me præſente, ſi per publica negotia licuerit. Sed vtcumque ſit, ego ſemper vobiſcum ſum, ſemper vos mentis oculis intueor, ad vos animo quotidie propero, vt facerem etiam corpore, ſi deſiderio tempora reſponderent, vtque feciſſem illicò atque hunc in portum delatus ſum, niſi Sereniſſimi Principis Victorij ſubitus aduentus iter, quod Taurinum verſus iam inſtituerã, iſthuc abſq; mora aduolaturus, interturbaſſet; quodq. ne citò conficiam, ambiguus huius ciuitatis ſtatus prohibere videtur, quæ varijs iactata fluctibus, qua ſi nauis in alto poſita, naufragium minatur, forſanq. faceret, niſi hic oriens ſol prudentiæ ſuæ fulgore vagas nubeculas diſſiparet, nunc q. inuantia, ac reluctantia vela ad officium reuocando, nunc ad gubernacula ſedendo, ventorum, turbinum, ſcopulorum, inſtantiſq. tempeſtatis ærumnas anteuerteret. Quæ quidem generoſus adoleſcens inuicti patris, auorumq. gloriæ æmulus, ea dexteritate, ea conſilij conſtantia gerit, vt me etiam, quantùm vires ſupperunt, ad diſſidij radices euellendas adnitente, ſperandum ſit, ciuitatem hanc in priſtinam quietem breui reſtituram iri. Quod, ſtatim ac factum ſit, ego quoquo verſum Sereniſſimum Ducem conuenire poſſe exiſtimauero, me in viam

dabo, vt ille, ſponſæ meæ neceſsitatibus intellectis, reditum meum æqui, boniq. conſulat. Si autem rerum ſtatus me conſilium mutare cogat, de ijs, quæ à me geſta, aut gerenda fuerint, certiores vos ſubinde fieri curabo. Interea longa, ac difficilis, nec periculo vacua reſtat mihi via, cuius ſola recordatio animum meum ſolicitat æquè, ac æſtuoſi maris proximus traiectus: quam viam, niſi confeciſſem, cùm Narbonẽſem ingreſſus ſum ſinum, adhuc in littore Hiſpanienſi plures forſitan dies, ne dicam menſes, fruſtra tererem, cùm ab eo tempore, vſque ad hos dies mare nunquam ſatis tranquillum fuerit. Februarij ſiquidem, ac Martij menſes ob ventorum frequentiam, atque vehementiam, nautis, pluſquàm alij omnes, infeſtiſsimi ſunt. Quare vos rogo (filij chariſsimi) vt hoc reliquum itineris mei felix, fauſtumq. mihi concedi à Deo multiplicatis precibus petatis. De pace, quod quæritis, dicam, me parum, aut nihil ſperare, ſed potiùs bellum expectare, niſi ipſe pacis auctor à noſtris cerui cibus tantam calamitatem auertat. Vndique populi fremere, vndique claſsica perſonare, arma ſtrepere, ingentes bellici apparatus fieri exaudiuntur, iræ nempè diuinæ manifeſta ſigna: cui, quoniam non occurrimus vitæ emendatione, (iudicio meo) nihil profuerit arma ſumere, nihil, (etiam cum valida militum manu) in aciem deſcendere. Ad conuerſionem inuitamur, nec tamen conuertimur, immò mendacium cum peccandi conſuetudine coniungentes, quotidie promittimus, quod nec præſtare cogitamus; quamquam non latet peccatores, à Deo eorum pœnitentiæ tempus præſens præfixum fuiſſe, non futurum, clamante Propheta: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu. Ideò non exaudiemur, niſi hoc Iſaiæ conſilium ſequamur, vt ſcilicet: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Hæc eſt ſecunda tabula, ad quam, naufragi ſi confugiant, procul dubio non ſubmergentur: hoc reliquum ſalutis remedium. Cæterùm mala, vel imminentia præuertere, vel vrgentia euertere, in humana manu non eſt, niſi cæleſtis brachij auxilio per pœnitentiam implorato. Itaque clementiſſimi Patris benignitati vulnera noſtra oſtendamus, vt, qui per Filij ſui vulnera mundum ab æternis vulneribus, ex orcique faucibus eripuit, laborantis patriæ noſtræ curam ſuſcipiat, diſcordes animos Principum, concordes faciat, ipſorumque arma ad communium hoſtium pernicié conuertat. Valete. Niciæ nonis Februarij anno ſal. MDCXV.

Ioel. 2.

Iſai. 55.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola X.

VEHEMENTER miror (filij chariſſimi) quòd cùm duo propè elapſi menſes ſint à meo in hanc ciuitatem reditu, nullas à vobis, (quodque admirationem auget) nec à domus meæ Præfecto, nec à Vicario, nec à Conſulibus, nec ab alio quoquã iſthic viuentium, litteras acceperim, præter veſtras, quibus nonis proximis Februarij reſpondi. Vnde tam longi ſilentij rationẽ inueſtiganti mihi hæret æqua, vtrum id caſui, an vobis tribuendum ſit. Suppetit quidẽ locorum diſtantia. Sed res eſt vndecim dierum, aut, ſi duplicentur, viginti duorum: tot enim hinc ad vos, atque iſthinc ad nos, mittendis, remittendisq. litteris ſufficiunt. Verũ vndequinquaginta iam effluxere, nec tamen à vobis vllum verbum, aut de ſtatu veſtro vllus allatus eſt nuncius. Neſcio, quid hoc rei ſit, aut in quem veſtrum hanc culpam conferam, niſi cælum Muſterienſe; vt Nicienſe; immite, ac turbidum, litteris aditum intercluſerit. Hic, vt apud vos æſtiuo tempore, horrenda mugire tonitrua exaudiuntur, coruſcare fulgura, crepitare grandines, ruere imbres, vehementeſq. terræ inſultare intuemur. Flumina, etiam inſolito aquarum concurſu, crebris aucta diluuijs ſuos fines excedunt: Paionus, qui muros lambit ciuitatis, quamuis valde exiguus, alueo pluries ſuperato, demiſſioribus ripis altè ſuperfunditur, villas inundat, campos obſidet, & quicquid obuium habet, ſecum trahit. Varus, qui, hinc tribus paſſuum millibus diſtat, Italiamque à Narbonenſi Gallia diuidit, pluuijs mirum in modum auctus, nemora circum quaque inũdat, ſubruit montes, operit agros, caſas ſubuertit, ab arboribus ramos auellit, ipſoſque arbores radicitus extirpat, trabes, tigna, ligna, ruris inſtrumenta, animalia quoque cum pauperum ruſticorum ſupellectili rapit, auſert, corrumpit, atque in mare adeò ſuperbus erumpit, vt eius aqua à maritima longo tractu diſtinguatur. Nunquid iſthic ſimilia ſenſiſtis? Non puto. Rem potius vobis cum iteratis niuibus fuiſſe crediderim, quas veſtro climati proprias, ſicut huic crebræ pluuiæ, iſtiſque montibus familiares certis anni temporibus, & hominibus, & iumentis iter præcludere audio. Nec tamen hæc moræ meæ cauſa fuit; namque niſi reditus mihi aliunde retar-

retardatus fuiſſet, iam, & montium, & niuiũ difficultatibus ſuperatis, eſſem in dulciſſimæ ſponſæ meæ ſinu, atque exoptato complexu. Sed (vt aliàs vobis indicaui) cùm ciuitas hæc erga ſuum Principem fideliſſima fidem ſibi viciſſim à Prætore non ſeruari conquereretur, quin, & exorto priuato tumultu, qui publicus apparebat, anno ſuperiore cùm tota concuſſa in mœrore iaceret, quòd tercenti ex iuuentute ſelectiores ciues, timentes, ne propterea in quæſtionem abrepti, tormentis, pœniſq. acrius exagitarentur, in voluntariũ exilium abijſſent: quoniam de ſeditione non leuis erat ſuſpicio, viſum eſt prudentiſſimo Duci Principem Victorium huc allegare, vt, auctoritate, quam ei ſummam tribuerat, querelarum, aut diſſidiorum cauſis diligẽter exploratis, ſerpenti incendio opportunè obuiam iret. In hoc ſtatu, cum ego eodem anno huc diuertens, in Hiſpaniam traiecturus, ciuitatem offendiſſem, eamq. fama eſſet in ſumma lætitia antea viuere ſolitam, tanta animorum conſternatione commotus, clementiſsimum Ducem (cuius charitatem erga populos ſuos aliàs expertus fueram) per litteras etiam, atque etiam rogaui, vt erratorum veniam ſuppliciter petentibus ignoſceret. Tantumq. apud magnanimum Heroem preces meæ valuere, vt, non ſolùm de errantibus pœnas ſumi noluerit, ſed & amneſtia imperata, ne quid de illo crimine vlterius inquireretur, ve. tuerit; immò, quæcumque ea de cauſa in iudicium deducta fuiſſent, aboleri mandauerit, non tamen, ſi detegeretur, contra facinoris auctorem. A quo tempore me in ſuorum patronorum numero Nicienſes collocauere. Cùm autem id omnibus manifeſtum eſſet, Princeps Victorius gratum ſibi fore annuit, me ibidem manere, ſecumq. paterni beneficij explicatione languentem ciuitatẽ recreare. Hoc, vt patri valde probatum eſt, ita mihi ad diſceſſum, obſtitit. Principis deinde aſsidua opera, ac dexteritate omnia pacata ſunt, ad ſummamq. tranquillitatem redacta: atque inter cætera, quæ ad ciuiles diſſenſiones tollendas facta ſunt, ne in Senatu, vel inter ſenatorios viros, ciuitatisq. Conſules de prælatione, & locorum differentia (quam Præcedentiam vocant) controuerſia ampliùs riatur, lata eſt lex, qua vnicuique proprius locus aſsignatur, cum perſonarum diſtinctione adeò diligenti, vt facile ſciri poſſit, quid agendum ſit, dum ſacra fiunt in Eccleſiæ ſolemnitatibus; hoc eſt, quo ordine quis aqua benedicta aſpergi, pacemq. exoſculari, thuris honorem (quem vulgus Incenſationem appellat) candelas, ſacrum cineré, palmaſq. accipere, crucem adorare, aliaque huiuſmodi facere debeat. Quod fuit omnibus gratiſsimum. Sed ad Principem Victorium redeo, cuius ea prudentia eſt, ea in omnibus charitas cum Religione coniuncta, vt de viſibili Republica à ſe conſtituta non contentus, ad inuiſibilem animum conuerterit, cupiens populos paternæ ditioni ſubditos ad eius Reipublicæ felicitatem traducere, vbi ſummi magiſtratus ſine prenſatione obtinentur, ac ſine ambitione geruntur; vbi nulla eſt auri cupiditas, vbi nullus eſt mortis metus, ſed immortalis gloriæ vita degitur iucundiſsima. Nam cùm accepiſſet (neſcio quo auctore) rem Diuinam negligẽter adminiſtrari, ſacerdotes licentius viuere, quàm eſſet ſacris legibus conſtitutum; humaniſsimè (vt ſolet) à me petijt maximè pius adoleſcens, vt, an veritati niterentur, quæ audiuerat, diligenter perquirerem; ac, ſi vera ea eſſe conſtaret, tanto malo remedium quæri curarem. Opus ſanè egregium, & Chriſtiano Principe dignum. Ego in grauiſſimo negocio pluſquã mediocre ſtudium poſui: ſed poſt longum laborem nihil, aut parum inuentum, niſi quòd in Diuino cultu nonnulla deſiderarentur. Verumtamen, cùm inter clericos Eccleſiæ inſeruientes nihil diſtribueretur, vnde ali, ad chorumque inuitari deberent; nec vigilantiſſimi Antiſtitis negligentiæ id tribuendum eſſet: monebam allegandum eſſe Romam, qui huius Eccleſiæ neceſſitates ſummo Pontifici exhiberet, vt à ſumma eius prudentia, atque auctoritate, vel pauperi clero ſubueniretur; vel, ſi deeſſent, qui Eccleſiaſtica onera ferrent, Epiſcopus extra omnem culpam ea de cauſa cenſeretur. Præterea, etſi æterno aſpirante Numine, nemo, vel in hac ciuitate, vel in eius comitatu, adhuc deprehenſus eſt, qui de via Catholica ad Neotericos vnquam deflexerit; attamen, quia, tum ob vicinitatem adiacentis Galliæ Narbonẽſis, ac Delphinatus, vbi complures in libertate (vt aiunt) cõſcientiæ viuentes venenata dogmata amplectuntur; tum præſentis belli occaſione confluunt non pauci, qui contagione ſua incautos homines inficere poſſunt; erigi ſanctæ Inquiſitionis tribunal percupit Princeps. nec, quamquam ciues, & prouinciales fortiter, ac pertinaciter, ne erigatur, reſiſtunt, deſperat, eos ſuis monitis, atque exhortationibus eſſe acquieturos, ſibique morem geſturos. Quæ (fratres dilectiſſimi) vos ideò ſcire volui, vt cum quo Principe vobis res ſit, intelligatis, ſeueriſsimo, ſcilicet, ac ſanctiſsimo cenſore; vtque, ſi ad vos diuertat, (quod breui futurũ ſpero) nihil inueniat, quod eius puritatem, mo-

rumq.

morumq. innocentiam offendat. Id verò ego à vobis præſtari poſſe non dubito; quãdo præceptorum meorum memores, quæ ſæpius, & coram, & per litteras, facienda admonui, faciatis; laudibilia vtique, vobis vtilia, mihiq. iucundiſsima, quemadmodum & eidem Principi. Vnum dumtaxat perficiendum ſupereſt (arduum planè illud, ac perdifficile,) ſed, vt mihi videtur, Principis prouidentia, ingenijq. excellentia ſuperabile. Quo facto, me in viã dabo. Habetis cunctationis meæ cauſas. Sed, quid ego cauſas vobis afferam, apud quos opera mea pro cauſis futura ſint? Valete, meq. precibus veſtris Deo gratum facite. Niciæ. vj. Kal. Aprilis M D C X V.

Clero, populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola XI.

VESTRAS tandem accepi litteras (fratres, ac filij chariſsimi) eò gratiores, quo tardiores, præſertim, quia omnes omnium iſtorum ordinũ mortales magnam de meo reditu voluptatem cepiſſe nunciatis, meq. videre, & alloqui maximopere optare. Quibus ego debitam, meritamq. gratiam referens, filiolos meos, pignora mea, deſideria mea amplecti, eorumq. aſpectu, ac ſermonibus recreari viciſsim cupio. Quod, vt quam breuiſsime fiat, quantum per negotia licuerit, diligentiſsime curabo. Cùmq. Sereniſsimus Princeps Victorius paterna iuſſa prope omnia ad felicem finem perduxerit, nihil erit, quod in his partibus me diutius detineat: immò iam incipiunt mei ſarcinas componere, iter confecturi, quantò citius vel temporis ratio, vel locorum diſtantia, ac tranſitus id fieri permiſerit. Si quid verò intercedat, quod me cum Principe proficiſci impediat, in cauſa erunt iumenta, quorum hìc non eſt ea copia, quæ, & ipſi, & mihi eodem tempore ſufficiat, (namque illi non minus centum, mihi viginti quinque neceſſaria ſunt) nec poſt me aliquid, vel relinquere, vel præmittere plurium dierum itinere, aut tutum, aut vtile; tum, quia ſupellex pretioſa hoc fieri non patitur; tum, quia nonnulla ſunt, quæ exacta indigent cura, ne, dum vehuntur, incommodum patiantur, vitrea nempe vaſa, raræ aues, aliaq. animalia, quæ vſque ab India, ſalua huc aduecta ſunt. Anmulionibus, vel famulis fidendũ? plerumque per ſummam oſcitantiam, officij ſui obliti, res corrumpi, ac deperdi permittunt; quæque eorum ſocordia dominis pereunt, mendacijs, maliſq. artibus in tempora, caſuſq. vaferrimè reijciunt. Confecto de ſarcinis negotio, illico me in viam dabo, Taurinum diuerſurus; (quemadmodum ad vos ſæpius ſcripſi) vt Sereniſsimo Duce ſalutato, niſi aliud, quod Reipublicæ expediat, me detineat, ad vos feſtinem. Iamque Anaſtaſium meum ex fratre nepotem, qui me in Hiſpaniam euntem ſequutus eſt, illhuc præmiſi, vt, ſi eius opera in bello Dux vti velit, liberaliſsimo Familiæ Germoniæ patrono, quomodocumque opus fuerit, morem gerat. Adoleſcens quidem eſt annum agens tantummodo uigeſimum ſecũdum: ſed corporis uiribus, conſilio, ingenijq. acumine ſupra ætatem præſtans; manu item promptus, non tamen præceps, nec quidquã ſine ratione faciens. Nec dicatis, me, uel ædium iſtarum amplitudine, uel hortorum pulchritudine, ad redeundum inuitari: quia meus erga uos amor omnes commoditates, omnes delicias ſuperat; is me allicit, is me ſolicitat; is currenti mihi calcaria ita addit, ut diuiſus à uobis, nihil in animo antiquius habeam, quàm uobiſcum coniungi, uidearq. à me ipſo diuiſus. Non tamen nego, me florũ, plantarum, arbuſcularum delectatione plurimum capi, ad huncq. quaſi ſolum ſeceſſum confugere, cùm mihi à libris, cùm ab hominum frequentia, cùm à multiplicium rerum moleſtia, recitato Diuino officio, feſſus animus relaxandus eſt, quippe ad hortenſium omnium amorem, quodam arcano, ac naturali, non tamen (ut mihi uidetur) irrationali affectu impulſus, ita, vt eorum aſpectu mirum in modum à laboribus recreari ſoleam. Propterea, cùm Matriti domum horto carentem conduci non paterer, habitare non potui minoris, quàm mille circiter aureorum annua mercede. Hortorum amœnitatem veteres quoque tanti fecerunt, vt beatitudinem poſt hanc vitam in hortis, campiſq. Eliſijs reperiri finxerint. Sed, omiſsis fabulis, totius humani generis parentem ab ipſo rerum conditore in Paradiſo, omnium voluptatum compendio, collocatum fuiſſe ſacra habet pagina. Ego plane in hoc monachorum clauſtro, quod modò incolo, habitaturus, antequam loci ſitum explorarem, futurum me, quaſi in Romano comitiorum Pontificiorum concluſi (cuius anguſtiam quater expertus fueram) initio dubitaueram: ſed à cœnobij Moderatore Ludouico Gabriclio parte ædium, quam ipſe inhabitat, mihi conceſſa, laxius, atque elegantius habito, quàm putaueram. Habet namque membra quattuor, cœnaculũ quippe, ſi non amplum, nec omnino anguſtum, plurimo Sole, maris vicinitate, valuis, ac feneſtris circumquaque illuſtratum, vnde ad

Orien-

Orientem, ciuitatem, & arcem, ad Meridiē, ac Septentrionem mare latiſſime, littuſque, ad Occidentem planitiem, colles, agros, vineas, amœniſſimas villas ſpectat. Contra cœnaculum cubiculum eſt politiſſimum, in quo dormio, ſcribo, & ſi quid otij reſtat, lectito. Huic adhærent duo alia cubicula, meis familiaribus, quorum opera frequētius vtor, ſatis commoda: primum præſertim, cùm aliud nondum perfectum ſit. In angulo prioris cubiculi locus eſt hypocauſto ſimilis, vbi, vt in cella penaria, ad quotidianum vſum multa aſſeruantur. In altera parte ſitum eſt ſacellū fornicatum inſtar exigui templi, orationi, & contemplationi valde opportunū. alios meos familiares alia cubicula excipiunt. Nec deeſt xyſtus, ſeu porticus deambulationi aptiſſima, ad quam me recipio, cùm vel cæli mutationes, vel turbines, vel aduerſæ tempeſtates pedem me domo efferre non ſinunt. Cœnobio præter vnum cœnobitarum parum cultum, & ruſticum, à tribus lateribus adiacent duo Principis horti, quorum alter ad Orientem, & Meridiem vergens, in quattuor partes diuiditur: omnes cancellis clauduntur, vbique ſunt geſtationes, quæ tum maxime ſole carent, cùm is ardentiſsimè culminibus tectorum inſiſtit. Vbique mali medicæ, vbiq. maſsylicæ, vulgò aureæ, ac limones nuncupatæ, vt cedri; quorum procera, frondoſaque corpora vmbra ſua calorem temperant, ſolareſque radios arcent, & quaſi periſtromata, ac ſtragula textilia magnificis operibus parietes circumquaque veſtiunt, veluti picta baccis myrti, flauis, odoratis & eſculentis, nouo fructu per Autumnum cum anniculo pendente, ac etiam floribus mirum odorem ſpirantibus. Cancellos conſpicuos faciunt, buxus, myrtus, roſmarinus, virens ſemper laurus, aliæ quoque humiles arbuſculæ. Vbique ſparſim flores, præſertim hyacinthus, narciſſus, violarum genera varia, flaua, alba, cærulea, purpurea, columbina, tum ad odorem, tum ad aſpectum gratiſsima. Interiores partes etiam diuerſis floribus, fragis, alijs item humilioribus, atque odoriferis herbis conſitas, ambit deambulatio preſsis, varieq. tonſis arbuſculis incluſa. At qui ad Meridiem, & Occidentē vertitur, nihil habet, præter deambulationes, quæ ijſdem malis, & cedris tegūtur, cingiturq. (vt ita dicam) aulæis ex ipſis cedris, malisq. tum medicis, tum maſsylicis, miro artificio contextis. Res proculdubio tāto Principe digna, qui modo ad Auſtrum corporis exercendi, & ad laborem aſſuefaciēdi cauſa, etiam ſphæriſterium ædificauit. Ijs omnibus ex cœnaculo ipſo magna cum voluptate fruor. Extra vrbem pariter non deſunt loca deambulationibus percommoda, etiam ſi imbres intercedant, quorum humor viarum, vt plurimum arenoſarum, vſum non impedit, ſiue iter ſit ad littus maris, ſiue ad villas, & hortos, qui frequentiſsimi ſunt, omniumq. fructiferarum arborum refertiſsimi, olearum, ſcilicet, prunorum, perſicorum, ficuum, item cedrorum, malorum medicarum, ac maſsylicarum, quæ fructibus grauidæ inclinant ramos, quaſi decerpere volentibus eos porrigant. Abundat terra oleribus cuiuſcumque generis, braſsica præſertim Pompeiana, vel Cypria, quam vulgo caulem floridum appellant, cuius in his partibus tanta eſt copia, quanta nullibi in Italia ipſa. Iam fabæ, ac legumina colliguntur, ſegetes ad maturitatem properant, prata florida, lætaq. trifolium, aliaſque herbas teneras, quaſi nouas alunt. Cuncta perennibus fontibus per canaliculos, riuulosq. irrigantur. Ea quoque pars, quæ ad montes, colleſq. excurrit, parē tranſeuntibus præbet voluptatem: vbique amœniſsima nemora, vbique ædes, vbique villæ, adeo, ut non campos, aut campeſtria, ſed pulcherrimarum, uariarumq. rerum pictam tabulam, multa cum oculorum delectatione repræſentent. Ciuitas laudatiſsimis piſcibus abundat, alijſq. commodis, quæ à proximo mari ſubminiſtrantur. Montes, planities, uillæ optimos fructus gignunt, uinum in primis generoſum, dulce, & pingue, oleū, caſeum, lac, carnes, uolatilia, & hyemali tempore perdices plurimas. Prandentes ex ipſa menſa, præter volitantes aues, triremes etiā, naues, celoces, ac quidquid nauigiorum eſt, vltrò, citroq. excurrere, ac traijcere vident. Quid ergo iucundius? quid ſuauius? nihil plane. Quare, ſi huiuſmodi oblectamenta tanti eſſent, vt me ad ſe trahere poſſent, hinc diſcedendum non eſſet. At nil patria dulcius, nil delectabilius, quàm cum ſuis eſſe. Ideo mihi hora dies, dies item menſis, menſis verò annus apparet. Et quamuis abſens, iſtius Eccleſiæ curam non deſeram, huicq. Reipublicæ, dum hìc detineor, inutilis non ſim: attamen, quia vtilior gregi meo futurus ſum, cùm dabitur eius neceſſitatibus, nō per miniſtros, ſed præſentia mea ſubuenire, ac vobiſcum horum maximè piorum Principum ſalutem Deo commendare; nihil eſt, quod magis optem, quodque ante oculos mentis meæ magis obuerſetur, quàm ad vos redire. Interea ad Chriſtianorum præceptorum exactam obſeruantiam animum aduertite, de diuina clementia ſecuri, dummodo, cum acceptorum beneficiorum memoria virtutum amorem

coniun-

coniũgatis; quod, vt faciatis (fratres dilectiſſimi) vos etiam, atque etiam rogo, & moneo. Valete. Niciæ 5. Kalen. Aprilis Anno ſalutis M D C X V.

Clero Tarantaſienſi. Epiſtola XII.

PROMPTA manu, lætis oculis, hilari fronte, veſtras (filij chariſſimi) litteras accepi, auidiſſime relegi, ac quidem non ſine magna voluptate, vel eo nomine, quòd monita, præceptaque mea, quemadmodum res ipſa, & neceſſitas poſtulat, iſthic ſarta tecta haberi ſcribitis: diuina item officia, Miſſaſq. diligenter, ac reuerenter celebrari, ſanctiſsimum Chriſti corpus, quo ſanctificamur, paſcimur, æternæq. diuinitatis participes efficimur, ſolemniter populo exhiberi; ſed & ſupplicationes in quouis municipio, & vico, cum fidelium frequentia peragi: ſacerdotes præterea audiendis confeſſionibus, ſanctiſque ſacramentis miniſtrandis quotidie alacriter incumbere, ex pijſque ac Chriſtianis laboribus non fatigari, ſed recreari, concionibus intereſſe, ſemperq. aliquid boni, animabusque ſalutare moliri, nec non odia, & iurgia tolli, ablata reſtitui, murmurationes, ac maledicta exulare. Quæ quidem præſentanea ſunt imminentium malorũ remedia, Deumq. propitium nobis reddent, qui ſolus calamitates, ac luctum, in voluptatem, & riſum conuertere poteſt. Proinde canamus cum Propheta: Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Audiuit vota noſtra placabilis Deus, ſi non ad pacẽ, (cuius tamen ſpem non abiecimus) ſaltem ad victoriam, quæ pacis mater eſt. Moyſe Hebræorum Duce manus ad Deum extendente, vincebat populus Iſraeliticus; eodem manus remittente, vincebatur. Ideo orationibus, boniſq. operibus diligenter ſtudendum. Vult omnes ſolicitos, atque importunos Deus, vinciq. ac flecti non dedignatur. Cùm igitur Regnum cælorum vim patì, & violentos illud rapere dicat Euangeliſta, in hoc (fratres) ſedulo incumbite, hanc viam inſiſtite, in orationibus perſeuerate; vt bella, atque inſtantia pericula, Dei digito à veſtra patria auertantur. Quæ, cum Sarreto miniſtro Patrimoniali, & Chauallardo generali Vicario noſtro, de ſententia à Sabaudo Senatu ad noſtræ iuriſdictionis fauorem contra homines Confleti, aliorumque locorum decimas ſoluere recuſantium lata, nunciatis, iucundiſsima fuerunt; plurimumque ſapienti ſenatui nos debere fatemur: non, quia pro nobis ſenſerit, (neque enim aliter grauiſſimi viri iuſtitiæ ſatisfacere potuiſſent) ſed, quia litium ambagibus nos breui liberauerit. Iis litem gignit, aliaque aliam parit ita, vt, quaſi catena, quandoque etiam poſteros liget. Sed hæc victoria eò magis placuit, quo conſcientiam recuſantium à cenſuris, atque ſpiritalibus vinculis redemit, à quibus, niſi reſtituto, quod iniuſtè detinebant, abſolui non poterant. Attamen, quamuis Prælati, omniumq. Eccleſiarum rectores, ac beneficiarij iura propria ſtueri, & conſeruare à ſacris etiam canonibus iubeantur; dubium tamen non eſt, quin omnes, præſertim, qui in animarum cuſtodia ſummum locum tenent, (quorum præcipuum munus eſt, quæ Dei ſunt quærere, atque temporalia quodammodo contemnere) forenſes controuerſias, quoad eius fieri poteſt, vitare debeant: lites namque concordiam, animorumq. coniunctionem diſſoluũt; ac præterquã, quòd litigioſa negotia abſque fraudibus, atque inſidijs perrarò geruntur, amorem in odium, probitatem in malitiam, ac ſupplantationem, obtequiumq. in contemptum etiam conuertunt. Ideo dici ſolet, pleroſq. litigantes non ex bona conſcientia, ſed ex ſperato victoriæ fructu præmia metiri. De his loquor, qui, vt vincant tantum, non, vt legibus acquieſcant, ad lites properant: à quibus ego ita diſſentio, vt, niſi coactus, atque ex iuſtitiæ conſenſu, ad litigandum trahi non patiar. Quod autem cum eodem Sarreto miniſtro, & Chauallardo de ſupremo eius Senatus Præſide Antonio Fabro ſcribitis, mihi nouum non eſt: vetus enim inter nos intercedit beneuolentia, vſque à ſtudiorum communium rudimentis, quam nulla, vel temporum, vel locorum interualla abrumpere, vel delere potuerunt. Hunc ſemper amicum ſingulariter dilexi, atque admiratus ſum. Quid enim illo grauius? quid humanius? quid doctius? qui non vnus homo, ſed litteræ ipſæ in vno homine ſummum periculum facere videntur, vt eius ingenij æterna monumenta teſtantur: quæ apud omnes doctos viros maximam habent auctoritatem. Adhuc adoleſcens plures coniecturarum libros edidit, quibus alios viginti addidit: item de erroribus pragmaticorum chiliadem integram publicauit: nec non cõtra recentiores de varijs nummariorum debitorum ſolutionibus librum compoſuit. De ipſa Iuriſprudentia quid eſt, quod non ex tempore doctiſſime promat? quidvè, quod acerrimo iudicio, primis cauſis ab origine repetitis, non ſubtiliſſimè expendat, atque definiat? Opus ſanè aureum, & diſcen-

Pſal. 31.

Exod. 17.

Marc. 11.

diſcentibus, & docentibus maximè vtile. Quod, ſi aliquando abſoluí auctoris occupationes permittant, vix credimus iuriſprudentiæ capeſſendæ vllos alios libros neceſſarios futuros; ac multò magis, ſi Rationalia in totũ corpus Pandectarum ab eo inchoata ad finẽ perducantur, ſicut, & librum illum, qui inſcribitur παραφράσεις, cui cum ſecunda parte, vt ipſe non ita pridem ad me ſcripſit, breui extremã manum impoſitam iri ſperamus. Quæ quidẽ lucubrationes eiuſmodi ſunt, vt legalis philoſophiæ ſectatores ſtudiorum ſuorum curſum, abſque Accurſianis gloſſis, ac Bartoli, ſimiliumque iuris interpretum induſtria, poſthac abſoluere poſſint. Codex Fabrianus, bone Deus, quàm eruditus, quàmque multiplex, & varius, in quem tota iuriſprudentia coacta videtur, cùm ex eius definitionibus; vt eas ipſe appellat; omnis cauſa, ſiue ſacra, ſiue profana, ſiue ciuilis, ſiue criminalis, cognoſci, & terminari poſſit, vtpotè eminentiorum vtriuſque iuris interpretum placita, ac dogmata continentibus. Eius certe ſcripta latinæ linguæ puritate, ac candore celeberrima ſunt, præcipue, quia cum ſermonis venuſtate facilitatem, claramq. breuitatem coniunxit. Cõpoſuit quoque doctam, grauemq. Tragœdiã de morte Imperatorum Gordianorũ, & Maximinorum, Gallico quidem idiomate, ſed lẽgentibus, & carminum elegantia, & ſententiarum pondere grauiſſimam. Pleraſque etiã pias meditationes de amore Dei, de ſancta Pœnitentia, de ſacroſancto Euchariſtiç ſacramento, de Roſarij myſterijs, Gallicis itẽ verſibus conſcripſit. Quæ, licet leuiora videantur, attamen cùm grauiſſima ſint, eius dignitatem potius augẽt, quàm minuant. Videmus enim, & Ciceronem, & alios maximos oratores, (vt refert quoque Plinius) ad poëtices ſtudia aliquando diuertiſſe, ſummaq. cum laude epigrammata, elegos, hendecaſyllabos, compoſuiſſe, edidiſſe, inter charíora habuiſſe. Audio, Antonium meum meditari commentaria in inſtitutiones Iuſtiniani ſub titulo Fabri inſtitutoris, tyronum quidem potiſsimum gratia: ſed, quæ etiam proiectioribus magnam ſint allatura commoditatem. Proinde mirum eſt, hominem tantis, ijſdemq. arduis negotijs diſtentum, tot voluminum fabricam perficere potuiſſe. Admirationẽ augebunt, quæ adhuc ab eo compoſita in lucem non prodierunt, quæve ſub prælo ſunt; vt conſultatio non minus docta, & elegans, quàm ampla, de cauſa Montisferratenſis Principatus. Inter cætera, quæ ipſum ſummis laudibus extollunt, ſunt, quòd de iure quotidie reſpõdet, quòdq. tantam ſibi fidem comparauerit, non ſolum apud Allobroges, ſed & apud Gallos, Germanos, Italos, Hiſpanos, omneſque nationes, vt ipſi viri Principes ab ipſo in grauioribus cauſis, tanquam à tripode, reſponſa petant, adeo, vt in ſcholis, præſertim in Salmantino, Complutenſi, ac Coimbricenſi gymnaſio, caput vnius ſectæ factus ſit, vocenturque Fabriani, qui ei adhærent. In cauſis agendis, ſiue reſpondendum ſit, ſiue diſputandum, non minus ornatè, atque acutè ex tempore ſententiam profert, quàm meditato; graui namque ac decora verborum conſtructione, quæ præter elegantiam, germanam ſemper redolent antiquitatem, ac leporem. Pollet incredibili memoria, atque ingenio; ſemper legit, ſemper meditatur, ſemper vigilat: quamuis enim à multa nocte dormitum eat, non tamen diem in lectulo expectat, ſed cibi, potus, ſomnique parciſſimus, ſurgens ante lucem, filijs ſuis legum difficiliores nodos explicat: qui licet, niſi in humanioribus litteris, alium magiſtrum non habuerint, tantum tamen profecerunt, vt ex illis ſint, qui genitorem & præceptorem, etiam in iuris ciuilis diſciplina, æquare videantur. Maior natu à Sereniſsimo Duce in Senatu cooptatus eodem loco, quem pater obtinebat, antequam ad ſupremi Præſidis officium aſſumeretur, breui forenſium Deciſionum volumen æternitati conſecrabit. Abſolutis lectionibus Antonius, auditiſque diſputationibus inter liberos excitatis, publico muneri, quod præſtantiſſimum quemque hominem totum occuparet, & mane & veſperi ſe pariter totum tradit. Reuerſus domum ſui omnibus copiam facit, omnibus charus, omnibus, non ſolum nobilibus, ac magnis viris: ſed & pauperibus admodum ſuauis, & opportunus, ſi quid temporis ei à negotijs ſupereſt, etſi minimum, id omne in ſtudium litterarum, ſcribendo præcipue, auidiſſimè confert: ſolis ferè Pandectis contentus: ita vt litteratorum theſaurus mihi videatur. Neque in itinere otioſus. Bis Romæ fuit ad grauia, & ingentia negotia: In Italia ſubalpina ad Principem vocatus ſæpiſsime: ſed ſemper, quaſi alijs curis ſolutus, aliquid molitur: & quod in via meditatur, in hoſpitio pugillaribus commendat: nec, cùm parum firmæ valetudinis ſit, à laboribus ſtudiorum abſtinet. quem ego propterea aliquando de propria ſalute amanter admonui. Sed ſtrenuus miles ſic reſpondere ſolet: Facit hoc, qui me fecit. Nonne eſt in manu figuli leui rota effingere vaſculum, idemq. frangere? Figulus autem noſter nos non frangit: ſed refingit, & è miſeris beatos, ex inferis ſuperos,

ros,ex mortalibus immortales facit. Digna certe tanto viro reſponſio. Vnde colligi poteſt, talem virum pietate, ac religione excellere non minus, quàm in artibus, & ciuilibus diſciplinis,rerumq. humanarum experientia. Quolibet enim die Dominico cum pia vxore, & liberis ſanctam ſumit Euchariſtiam,deditq. nomen in omnibus Camberiacæ ciuitatis ſacris cœtibus, aut ſodalitatibus, vt Corporis Chriſti, Roſarij, ac ſimilium. In quibus omnia etiam onera, ac munia ſubit æque, atque alij ſocij omnibus curis ſoluti; ſtatisq. diebus ſupplicationibus fieri ſolitis, aliſque functionibus, ſi quæ ſunt, indefinenter aſſiſtit. Vtinã huic ſimiles cives ad clauũ Reipublicæ ſemper ſedeant. cuius eximia virtus, non ſolum ad eius egregia facinora celebranda nos impulit, ſed aliquando effecit, vt Sereniſſimo Duci, & Principi Victorio de tanti miniſtri præſtantia gratularemur, præcipuo, ſcilicet, ſeculi ornamento: de quo plura diceremus, niſi,& vobis fere iam cõperta eſſent,& nos vr geremur, quòd tabellarius à Principe expeditus litteras in ſinu habens, amplius expectare nequeat. Sed coram alia. Valete, filij, nec ſolum pro pace,nobiſq. Deum orate; ſed etiam vt diu vti, fruiq. eodem Præſide valeamus. Niciæ Kal. Aprilis. M D C X V.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola XLII.

PROCVL dubio (fratres dilectiſſimi) parentem naturam rerum,diuerſitate variã æquè, ac ipſas res humanas eſſe nõ videmus; quæ inſtar nauis in medio maris fluctuantis,modò aduerſis ventis,modo procellis iactatæ,in eodem ſtatu nũquam conſiſtunt: ſed,nunc lætitia,nunc mœrore, ita mentes noſtras perſtringunt, ita perturbant, vt mortalium conditione nihil turbulentius ſit, nihilq. inconſtantius. Quod mihi latis exploratum nouiſſimè confirmauit improuiſus euentus. Nam, cùm ſuperioribus litteris veſtris gratiſsima, atque ad temporũ triſtitiam condiendam apprimè opportuna, eſſent mihi nunciata, egoq. ad vos proximè datis codicillis, magnam me inde lætitiam cepiſſe ſignificaſſem, recentiores, quæ à vobis,à M. Baiulo, à Patrimoniali, à Grippato, hodie mihi redditæ ſunt litteræ, tanto amariores fuerunt, quantò magis nouum, atque inexpectatum eſt, quod contra Eccleſiaſticam libertatẽ ex leui cauſa à nonnullis iſthic parari ſcribitis, quodque nec leges, nec mera vel dignitas, vel conſcientia, ſilentio præteriri poſſe permittant. Quid enim reliquiæ Archiepiſcopalis palatij potius, quàm priuatarum ædium in ſummitate montis ſitæ, vbi ſancti Iacobi arx quondam fuit, aut damni, aut incommodi, vel Principi, vel Prouinciæ tandem afferre poſſunt, vt quamuis ruinoſæ, non ſine Eccleſiæ dedecore nunc deſtrui debeãt, cùm & Galli quindecim abhinc annis, & ipſi hæretici, poſt eam ipſam arcem obſeſſam, belliciſque inſtrumentis demolitã, ealdem ædes, vel, quod nullo ſibi eſſent impedimento, vel Religione vetante, intactas reliquerint? Cùmque ita res ſe habeat, non horrebunt Catholici homines, nobiſq. amici, contra ſacra ædificia etiam abiectiſsima, talia cogitare, ac moliri? Ego (fratres dilectiſsimi) ne,quæ ad honorem Dei pertinent, negligerem,vix lectis litteris veſtris,quaſi furore percitus, cum Sereniſsimo Principe cõqueſtus ſum, quòd me abſente,eſſent ex meo grege, qui immaculatam ſponſam Chriſti ea contumelia afficere vellent; rogauique vt, qua ſolebat,humanitate inſtanti periculo obuiam iret. Princeps tantam audaciam admiratus, reſpondit, ſibi nequaquam perſuaderi, id Sereniſsimi Patris auctoritate tentari; aut, ſi eum aliquid iuſsiſſe appareret, pro certo habere ſe,non fuiſſe iubenti de toto negotio narratum, quod oportebat: proinde curaturum, cum primum in conſpectum patris veniret, vt, eiuſdem inſſu Eccleſiaſtica priuilegia ſarta tecta conſeruarentur. Quod, & ego, ad Ducem datis litteris mãdari enixè petij, ſimul vrgens,vt,cùm ædes illæ Archiepiſcoporum commoditati conſtructæ fuerint, ſitque arx iam abraſa, quid de earum ſtatu permittendum, aut prohibendum eſſet, ab eius ſumma prudentia diligenter perpenderetur; ac, ſi eas ſolo æquari è Republica tandem eſſe videretur, me quoque in eam ſententiam tranſiturum: Contra vero, ſi ædium deiectione nullum publicæ cauſæ commodũ eſſet acceſſurum, ſperare me ab eius pietate, eas intactas relictas iri. Rurſus, ſi ad earũ demolitionem veniẽdum eſſet;permagni mea intereſſe,id,præſente,atque curante me,fieri; ne cæmenta,lapides,ac reliqua materia ex ea parte deijceretur, qua Archiepiſcopalis patrimonij vinea ad radices montis meridiem verſus porrigitur, pretioſiſsimis fundi plãtis, ac fructibus irreparabile detrimentũ inferretur. Hoc à me paſtoralis cura exigebat, hoc meus erga iſtam Eccleſiam immenſus amor: etſi,vt aiũt,ædes illæ ruinam minitentur, cũ poſsint reædificari; at nõ ſine magno ſumptu. Nõ inficior,nec, ſi expediat,vireſq. deſiderio meo reſpondeant, labentis palatij ad ſponſæ

mcæ

meæ dotem pertinentis, reparationem recuſſo. Similia, nec minora aggreſſus ſum, & abſolui. Quid fecerim ſtatim, atque iſthuc veni, quantum æris mei in templorum inſtauratione, domuumq. ædificatione, quantum etiam affectus, impenderim, optimè ſcitis, (fratres chariſsimi) optimè cognoſcitis. Neſcit porrò ſemel incitata liberalitas conſiſtere, ſi eius pulchritudo vſu approbetur, & cõmendetur. Ad litteras Vicarij, Baiuli, ac Patrimonialis reſcribo, ne libellum porrigere differant, petantq. rem integram relinqui, donec Ducis Sereniſsimi mentem explorauero. Sin autem nihil impetrauerint, de damnis ab ædium deſtructione Eccleſiæ imminentibus coram legitimis magiſtratibus ita ſibi caueant, vt quantum eius intereſſe probetur, illas euerſas fuiſſe, ab euerſoribus, ſen euerſionem mandantibus, reſarciatur: quod à pragmaticis iuriſconſultis, de damnis, & intereſſe proteſtari, appellatur. Piget me, pudetq. (fratres) animarum mihi creditarum regimini hæc incommoda, has perturbationes imminere, venetandis ducis inſidias ſtrui, prauiq. hominibus de Eccleſia male merendi exabſentia mea occaſionem dari: quorum ego, ſi præſens eſſem, non ſolum conatus, modico negotio reprimerem, ſed & ipſas nocendi cogitationes diſcuterem, licet Reipublicæ, immo ipſius Sereniſsimi Ducis cauſa abſens, præſentiæ meæ auctoritatem retinere videar. Quare de iis, quæ ſcitu digna fuerint, certiorem me facere doinceps ne grauemini, dũ ego ad calamum pariter velox horam reditus auide obſeruo, atque expecto, quaque poſſum induſtria, præuenire ſtudeo. Princeps à patre acceſſitus, per diſpoſitos equos incredibili celeritate Taurinum verſus properat. Ego eum ſequar, cum primùm iumenta ad ſupellectilem, familiareſque meos vehendos idonea haberi poterunt. Interim diſcedentẽ vehementer oraui, ac obteſtatus ſum, vt patris voluntatem ad reditus mei neceſſitatem accommodet: quod, cùm factum fuerit illico à Paſchate ad vos libentiſsimè feſtinabo. Res noſtræ non bene ſe habent. Iam hoſtis (vt fama eſt) in ſolum noſtrum erupit: iam arcem quãdam occupauit. Obuius ei exijt Dux manu forti, ad certamen paratus, cùm per tempus, ac regionis ſitum liceat. Miles nihil cupit atque, ac pugnam. Verùm par eſt, non ducem exercitus voluntate, ſed exercitum ducis conſilijs regi. Militum alacritate, atque audacia plurimùm agitur, creſcitque ducis virtus. Sed contra, niſi hoſtium vires, locorum qualitates, temporum opportunitates, periculorum cauſæ, atque improuiſi euentus diſpiciãtur, perpendantur, examinẽtur (quod multitudo conſilij expers facere non poteſt) qui vincere debuiſſet, non rarò vincitur: ideo cunctatione aliquando magis, quàm celeritate, hoſtis, etiam potentis, ferocia domita. nec prodeſt Reipublicæ, in re grauiſſima, vt eſt belli adminiſtratio, incautorum hominum impetum ſequi, hoſtemq. contemnere. Sæpe enim contemptus hoſtis cruẽtiſſimam victoriam aduerſario reliquit, ac nonnunquam deſperata ſalute, contemptorem fudit. Quod innuit poëta, cùm dixit:

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. Virg. Aen. 2.

Si ſuaderit neceſſitas, aut occaſio, quæ in omnibus, præſertim in bellis, magnum rebus gerendis momentum affert, ſuos intrepidus, ac prudens Princeps in aciem educet, copiamq. pugnandi faciet, ac non ſine lucro; plus enim animi habet inferens, quàm propulſans periculum. Ille autem in ſua, ſuorumq. virtute, ſpem collocans aduerſus hoſtem murum habet, fortitudinem ſcilicet. Sed, cùm incertus ſit belli exitus, Marſq. communis, pacis Deum rogemus, ne res in tantum diſcrimen adduci permittat, ſed inter vtrumque Principem pacem conciliet, & tranquillitatem conſtituat. Paucula hæc, multis occupationibus diſtentus, exaraui. Cùm Auguſtam Taurinorum venero, ſtatim, ac longè plura perſcribam. Vtinam coram vobis ea narrare detur. Valete. Niciæ quarto Nonas Aprilis. MDCXV.

Finis Libri Primi.

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus,

ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS,

EPISTOLARVM

Liber Secundus.

Clero Taramaſienſi.

Epiſtola I.

IAVRINVM tandem reuerſus ſum ad decimumquintũ Kal. Maij, die Cœnæ Dominicæ memoria percelebri. Nicia ſacris peractis, die Palmarum diſceſſi, veſtriſque precibus (vt credibile eſt) plurimum adiutus, montem Tendæ, cuius ſola recordatio mihi permoleſta eſt, tanta cum facilitate, ac felicitate traieci, vt nihil magis ad votum ſuccederè, vel optari mihi potuerit. Deo Opt. Max. innumeras gratias ago, quòd, cum parum abfuerit, quin venetis agitati, ac moribus obruti perirent, qui pridie quam ego, illhac tranſierant, in eam calamitatem non inciderim: eſt enim ille mons perinde, ac mare, modò placidus ac tranquillus, modò abeunte Zephiro, & ſuccedente Aquilone, ita tranſeuntibus infeſtus, vt nunc in abyſſum obruí, nunc ad ſidera extolli videantur. Reliquum itineris iucundiſſimum fuit, ſummaq. cum voluptate confectum, noua, facili, latiſſima, & ſumma laude dignißima via Emanuelà, à Ciuitate Niciæ vſque ad Tendani montis radices porrecta: cuius amplitudinem, ſi nondum ea ad aures veſtras peruenerit, quambreuiſſime potero, vobis explicabo. Remſanè perquam difficilem aggreſſus eſt Sereniſſimus Dux, miraq. induſtria, & conſtantia perfecit: quam non ſolum humanis viribus deſtitui, ſed vix cogitatione cõprehendi poſſe, fuadet ipſius operis magnitudo. Eſt enim à Nicia ad Limoni oppidum, vbi via terminatur, triũm dierum iter, frequentiſſimum quidem mercium cauſa, aliarumq. rerum, quæ vicino mari ſubmittuntur, ſalis præſertim, pro cuius vectura octingenti muli continuò alũntur; ſed montibus, ſaltibus, rupibus, ac præcipitioſis anguſtijs ſummopere arduum, atque viſu horrendum. Quapropter, quoniam ob viarum difficultatẽ ſarcinas, tum ſalis, tum aliarum rerum, parum graues eſſe oportebat, nec ſine magnis impenſis vehebantur, veliſſimum fuit de Emmanuela via extruenda conſilium, qua ſumptus minuãtur, ac vecturæ facilitate res maritimæ citiùs, copioſiùs, ac viliori mercede, vbicumque opus fuerit, trãſmittantur, cum publici etiam cenſus augmẽto. Itaque relictis tortuoſis, ſaxoſis, anguſtiſque ſemitis, variarum, ac frequentium flexionum cauſa moleſtis, ſternitur, aptaturq. plana, facilis, lataque via, quæ quadrigas, currúſque etiam binos, ſi ſimul ire, aut ſibi obuiare contingat, commodè capiat: cùmque ad montis cacumen ob aſcenſus difficultatem perduci nequeat, montem in ima parte, vbi nouæ viæ coniungitur, inaudito artificio duorum millium paſſuum ſpatio terebrari debere viſum eſt: quod nec ipſos olim rerum dominos vnquam feciſſe, nec forſitan cogitaſſe dicere auſim. Nam, quoad vias Flaminiam, atque Appiam,

non poſſunt ſatis laudari earum auctores Flaminius, & Appius; ille, quòd Ariminum; hic, quòd Brundiſiũ vſque ab vrbe eas lapidibus ſtrauerint. At vterque per planitiem, teneroſq. colles opus omne abſoluit. Carolus verò Emanuel, & animo, & rebus geſtis clariſſimus, nullique antiquorum inferior, non tantùm viam factam commodiorem reddidit, ſed per ſaxa, per rupes, per ſaltus, per montes altiſſimos, per valles profundiſſimas inuia loca peruia fecit: has impleuit, illos ferro, igne, labore, impenſa perforauit, vicit, domuit, & non modò hominibus, ſed iumentis quoque, ac vehiculis ipſis facilem, atque accommodatiſſimam viam aperuit. O prudentem, ò magnanimum Principem, cuius beneficio Subalpinorum, & Allobrogum cum externis nationibus commercium mirum in modum auctum eſt; quodque maiore admiratione dignum eſt, abſque vllo, vel populorum, vel ærarij incommodo. Honoratus quippe Botinus publicanus, qui ad ſexdecim annos ſalis vectigal conduxit, non ſolùm proprio ære Emanuelam viam ædificauit: ſed, & præter centummille aureos nummos, quos Ducali fiſco ſingulo quoque anno ſoluturus eſt, primo quadriennio centum decem, ſecundo centum viginti, tertio centum quadraginta, vltimo centum octoginta mille item aureos nummos repræſentare debebit. Exacto verò conductionis tempore cenſus publicus, qui centum mille aureos nummos non excedebat, ad ducentos mille aſcenſurus eſt: tanti additamenti cauſa non obſcurè exiſtente via noua, qua vnicum iumentum tantũ oneris vehiculo tranſmiſſurum eſt, quantùm per ſalebroſos, præruptoſque montium anfractus quinque iumenta dorſo antea vix tranſmittere poterant; cùm ſublatis impedimentis, totum iter planum futurum ſit, ac ſuaue: vel, ſi locorum natura vrgente, vitari interdum aſcenſus non poſſit, id cliuo tranſeuntes fallente ita fiat, vt, qui ſe aſcendere non putet, poſtea ſe aſcendiſſe ſentiat, magna certe cum rei publicæ, aduenarumq. vtilitate, & commoditate; quæ etiã multò maior erit, ſi apud Niciam portus, aut ſtatio aliqua conſtruatur, quam, niſi bellum interceſsiſſet, iam Princeps iuſſiſſet inchoari, vt naues ab aduerſis ventis, procelliſq. defendantur. Nam, præbente etiam via Emanuela tranſeundi facilitatem, nullum videtur toto in mari infero, vel magis celebre, vel magis frequens futurum emporium: vnde ex Oriente, & Meridie, atque ex Occidente confluentes merces, Pado flumine per Subalpinos, Inſubres, Venetos, aliosvè finitimos populos, nullo ferè negotio vehantur, ac diſtribuantur. Certo ſiquidem anni tempore, inſultantibus præſertim Noto, & Africo, maria adeo exagitantur, tantæque excitantur tempeſtates, vt à Villæ Francæ portu, quo, Orientem verſus nullum eſt in ea regione nauigantibus tutius perfugium, vllum nauigium, quocumque petere velit, diſcedere nequeat. Dum huius viæ occaſione, rupes ſecantur, montesque aperiuntur, alias commoditates, aliaſque delitias ſuggerit locorum opportunitas; varia nimirũ marmora ſtatuis, columnis, aliiſq. id genus operibus conficiendis aptiſſima, nec non ſcaturientes, præſertim apud Surrium oppidum, ex montium venis limpidiſſimos fontes, imparibus, quaſi manufactis, ſiphunculis, ſupra, atque infra ſtrepentes, viatoribus, tum aſpectu ipſo, tum ad ſedandam ſitim gratiſsimos; quorum oculos ſuauiter detinent, ex rupibus, celſiſsimiſque montibus præcipites cadentes aquæ, rigore, & colore cum niue certantes; quæ cum alijs ſubinde coniunctæ, flumen faciunt, etiam, niſi ſaxa vetarent, nauigiorũ patiens, adeoq. purum, & criſtallinum, vt iactæ in eo ſtipes, & calculi numerari poſsint: vbi, & cernuntur piſces ludere, nenon inter ſaxa modò emergere, modo emergi; rurſus nunc apparere, nunc tegi, iterum ſe ſe oſtendere; aliquando, vel ſtrepitu, vel præſentia hominũ, perterritos, inſidias ſibi metuentes, oculis aſpicientium ſubtrahi. Totum illud ſpatium, quod ad mare vergit, vitibus, ficubus, oleis veſtitur. Viarum margines malis granatis, buxis, aliiſq. arbuſculis ornantur. Non parum quoque delectant occurrentes campi, prata item decliuia, atque arbuſta. Vbique tanta roris marini copia, vt incolæ eo pro lignis vtantur. Vlterior verò pars, quæ ad montes pertinet, pro oleis, mirtis, lauris, aliiſque eiuſmodi plantis, quæ cælo tepidiore lætantur, iuniperos alit, pinus, nuces, populos, fraxinos, quercus, ex quibus ſunt etiam proceræ, & denſæ, & antiquæ ſiluæ, ac cæduæ, cum ipſis montibus deſcendentes. Viridia inſuper ubique ſtibadia, adeoque læta omnia, vt hinc ad paucos annos ripis, huiuſque viæ marginibus nihil elegantius, nihil gratius futurum ſit; cùm arbores, arbuſculæ, fruticeſque altiſsimis actis radicibus ſuppullulent, unde, & æſtiuo tempore, locis denſiore umbra opacioribus factis, nihil à ſolis ardore metuendum ſit. Longius forſan, quàm epiſtolæ ratio poſtulet, progreſſus fuiſſe uidebor. Sed me, nec quod oportet, dixiſſe iudicabit, quicumque uiæ Emanuelæ antiquum ſitum, ſtructuram, negotij

difficultatem, commoda denique, ac beneficia in dies maiora futura, intueatur. Ego, niſi tanti Herois priſcorum Imperatorum æmuli, virtutem perſpectam haberem, opusq. hoc immortale breui temporis ſpatio iam penè abſolutum proprijs oculis vidiſſem, humanam induſtriam tanti eſſe nunquam credidiſſem. Etenim ſupra fidem, ſupra vires, ſupra denique ingenium mortalium eſſe videtur, quod factum eſt. Hactenus de rebus lætis. Ad triſtia inuitus trahor. Huc veniens, Ducem, ac Principem abeſſe inueni: hic Vercellas, ille aliò cum magna militum manu properauerat; & vt ferebat fama, ad oppidum Beſtagnum firmiſſimo præſidio, ac veterano milite munitum: vbi, cùm præcipuum robur exercitus collocauerint, licet locus tutus eſſe videatur, attamen, ne obſideatur, aut oppugnetur, penè fieri non poteſt, quin prouocantibus hoſtibus, ad arma veniatur. Dux enim ad omnem fortunam paratiſſimus, ac ſtrenuus, tantum abeſt vt pugnam recuſet, vt non modò Imperatoris, ſed & priuati militis officio functurus ſit. Ideo à Deo petenda ſummis precibus, votiſq. Caroli Emanuelis incolumitas, à quo omnium ſalus, ac quies pendet, pro qua ad Vicarium noſtrum ſcribo, vt iterari ieiunia ſuadeat, ſupplicationes nouas indicat, ſanctiſsimum Chriſti corpus vbiq. locorum exhiberi mandet, omniaq. alia fieri curet, quæ à veris Dei ſeruis pro clementiſsimo, ac maxime pio Principe expectanda ſunt. Veſtræ erunt hæ præcipuè partes, (fratres chariſsimi) veſtra etiam cura: in hoc ſedulo incumbite, hoc agite, atque in primis de peccatorum pœnitentia ſoliciti, hunc chriſtianum ſenſum in animos veſtrorum ſubditorum inſtillate. Id fecit Ezechias; & centum octoginta mille Aſſyrios, non pluſquàm vnius noctis ſpatio, ab Angelo deleri vidit, cantante Ioſaphat: Hoſtes vicit Deus. Moyſes item non armis, ſed precibus aduerſus Amalechitas pugnauit. Nobis quoque, ſi vincere velimus, orationibus, vitæq. emendatione pugnandum eſt. Vbique ſunt hæretici, & noſtri interdum hæreticis magis infeſti, omnia, licet turpia, abominanda, illicita, ſibi licere arbitrantes, ac ſi non in eorum patria, Italia ſcilicet, bellum gereretur, ſed vbi Chriſtianæ veritati tenebræ offunduntur. In quibus olim quot matronæ, quot virgines etiam Deo conſecratæ, quot ingenuæ, nobiliaq. corpora monſtris illis ludibrio fuere? Capti ſunt Epiſcopi, ac carceribus mancipati, interfecti Sacerdotes, clerici trucidati, ſpoliata, nudataq. templa, combuſta, ſolo æquata. Ad altaria, & vbi Chriſti corpus aſſeruabatur, ſtabulati equi; martyrum, aliorumq. Sanctorum effoſſæ reliquiæ, theciſque, quibus includebantur, aureis, atque argenteis ſublatis, proiectæ, & conculcatæ. Vbiq. planctus, vbiq. eiulatus, vbiq. gemitus, mœror, terror, vbiq. mortis potius, quàm vitæ deſiderium. Hæc toto mentis affectu perpendenda, credendumq. omnia ruitura, niſi erecta ceruix noſtra flectatur. Peccatis noſtris hoſtes fortes fient, noſtris vitijs fundetur, ac diſſipabitur noſter exercitus. At, nos quaſi hæc non ſufficiant, nouis culpis, nouas nobis ſtruimus calamitates, ad deteriora procliues. Ego omnem adhibebo diligentiam, vt redire poſſim. Hactenus non licuit. futurum tamen ſpero, vt veſtra, Beatiq. Georgij interceſſione, cuius natalem diem hodie celebramus, breui licet. Interim valete, de veſtraq. ſalute me certiorem facere ne grauemini. Auguſtæ Taurinorum x. cal. Maij M DC XV.

Cap 23. 2. Paral. 25.

Rend. 17.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola II.

GRATÆ quidem mihi fuerunt litteræ veſtræ (filij chariſsimi), ſed grátior cauſa, quæ vos ad calamum adduxit; amor quippe, quo me proſequimini, quemque à puro affectus veſtri fonte manantem, niſi mutuo amem, durus pater, ferreusq. paſtor ſim. Grata item fuit veſtra de reditu meo gratulatio; tum, quia meis laribus reſtitutus ſum; tum, quia ſponſæ meæ propinquior, ſi communibus votis aura Sereniſsimi Ducis aſpiret, vos coram affari, atque amplecti breui confido. Viciſsim vobis gratulor, iuſſa, vel potius conſilia mea, tantum valuiſſe, vt, quæ ego ad imminentes anguſtias depellendas, propoſueram, & facienda, & ſynodali decreto fulcienda duxeritis. Quid enim huic tempori magis opportunum, quàm ieiunio carnem ſubigere, ſupplicationibus cœleſte auxilium implorare, ſacrificijs diuinam iram placare, precibus, votis, donarijs inſtantia ſupplicia vel auertere, vel retardare? Quid Deo gratius, quàm eius ſanguine redemptos, à ſalutis via aberrantes, ab errore reuocari, & peccatorum remiſsionem petere? Quid demum vtilius, quàm operibus Chriſtiano homine dignis, ab ipſo mortalium immortali patre, ac ſaluatore, pacem, proſperumq. ſucceſſum, Reipublicæ, huicq. religioſiſsimo Principi impetrare? cuius felicitas, ob eam, quam ipſe omnium curam gerit, populis ſuis eſt adeo neceſſaria, vt pro eius incolumitate precari, & vouere, ſit pro parentibus,

pro

pro liberis, pro aris, ac focis procari, ac vota nuncupare. Ipſe enim patriæ Patris titulo digniſsimus eſt; ipſe ciuium quies, & letitia; ipſe præſtantiſsimum caput, cuius virtute, huius corporis membra, & ſapienter regunt̃r, & officio ſuo feliciter funguntur. Quare, ſi quid vnquam pro tanti benefactoris meritis à diuina bonitate petendum fuit, hoc maximè tempore ſummis precibus contendendum, vt ad turbas irritatus, & iniurias propulſare, & auitam gloriam conſeruare poſsit. Summas enim calamitates ac funeſta exitia ſecum ferunt bella, & quidem noſtra cauſa; quotidie namq. diuinam nobis iram theſaurizamus, hoc eſt ex peccatis, quibus diuina iuſtitia ad iram prouocatur, terrenarum vanitatum pernicioſos nobis theſauros compa-
Matth. 10. ramus. Ideo dicit Saluator: Nolite arbitrari, quòd venerim pacem mittere ſuper terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Dura ſane, ſed iuſta ſententia. Quid igitur faciendum?
PSAL 84. clamandum cum Propheta: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis: Audiamus, quid loquatur in nobis Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Proinde neceſſaria eſt conuerſio, quæ tamen ficta non ſit, ſed eiuſmodi, vt, diuinæ miſericordiæ afflante aura, ad quietis optatum portum perueniamus. Pro certo habemus, Nuncium Pontificium, aliorumq. Principum Legatos breui Aſtam conuenturos, vt pacem conſtituant. Vtinam è republica ſit, quod acturi ſunt: vtinam extinctis inteſtinis odijs, ad meliorem vſum arma reſeruentur. Quod & à liberali Dei manu (filij dilectiſsimi) ſummo conatu, ſummaq. humilitate petendum, &, Beatiſsima Virgine opem ferente, neutiquam deſperandum. Interim valete. Auguſtæ Taurinorum viij. cal. Iunij. Anno ſal. MDCXV.

Clero Tarantaſienſi.

Epiſtola III.

QVO magis ad vos venire propero, (fratres dilectiſsimi) eò magis, ne iter arripiam, impedior. Sereniſsimus Dux, meis officijs delinitus, vel forſitan fatigatus, mihi optionem dederat manendi, & veniendi, nec non vobiſcum commorandi, quamdiu publica exigente cauſa, reuocandus eſſem. Sed, cùm farcinas colligi, & ad iter neceſſaria parari iuſſiſſem, eſſemq. breui diſceſſurus, ecce improuiſam, atque molestam nouæ moræ cauſam, Lazarum, ſcilicet, Caprium veterem amicum meum, tertiumque ſupra ſexageſimum annum ætatis agentem, è viuis exceſsiſſe. Is me nuncius non parum commouit, tum, quia amico orbatus ſum, tum etiam, quia eius morte ad forenſem ſtrepitum trahi me video, qui, ſi abeſſem, hic me adeſſe cogeret. Poſsidebat enim Lazarus ſacerdotium, ſeu beneficium Eccleſiaſticum, quod, eo mihi præmoriente, ad me transferri, ſeu deuolui debere ſtatuerat Pontifex Max. Gregorius XIV. & confirmauit eius ſucceſſor nunc viuens Paulus V. cùm me ad Archiepiſcopatum aſſumpſit. Hoc Beneficium à ſummo itē Pontifice Clemente VIII. curante prudentiſsimo Philiberto Gerardo Scalia Oratore, Verruæ comite, meq. admonente, cum alijs viginti tribus, Sanctorum Mauritij, ac Lazari religioni collatum, vel, vt aiunt, vnitum, Dux Alioſrogum, eiuſdem Religionis magnus Magiſter, accepto vnionis diplomate, Comiti Ioanni Baptiſtæ Solario ſtatim commendauit: qui propterea, quamuis diem obeunte Lazaro, ad me Beneficium deuoluatur, illius tamen poſſeſsionem ſibi adiudicari petit: cuius cenſus, cùm ad octingentos, quos vocant, annuos ducatos aſcendat, nullaq. animarum cura, alioue, præter quam vnius in anno celebrandæ Miſſæ, onere grauetur, in re tanti momenti conniuere nequeo, ſed inſiſtenti amicè reſiſto, meæque deuolutionis ius, cui ex Clementino decreto nihil detractum eſt, eò diligentius tueor, quò, me defuncto, nihil video, quod vnionis effectum impediat, aut Mauritianis vllum damnum afferat: quin & egregium virum aduerſarium id ægre laturum non arbitror, cùm & annis, & corporis viribus firmior, quàm ego ſum, longum fructum ex Ducali liberalitate, vt videtur, percepturus ſit. Attamen concordiam non recuſo. Magnus verò Magiſter cauſam diligenter cognoſci, beneficiumque, cui iure debetur, dari mandauit. Ea me his, is me inopinatus caſus (fratres) à vobis diuidit, abſentemq. facit, quibus tamen ita deſiderio coniunctus ſum, vt neutiquam abeſſe videar. Ego quidem, cùm Lazarum ætatis biennio anteirem, ille verò totus hilaris, totus iucundus, atque à publicis negotijs alienus, corporis quotidiana exercitatione, venando præſertim, valetudinem confirmaret, ei ſuperſtes eſſe non putabam. Sed quis cognouit ſenſum Domini? aut quis ſcrutatus eſt Apoſtol. ad Rom. c. 11. conſilia eius? De ſtatu rerum, quod à me ſciſcitamini, perobſcurum eſt, nec ſcio quid ſperandum, quidue timendum. In mentem venit quod dicit Hieremias: Expectauimus pa- cap 8. cem, & non erat bonum. At quis ſermo eſt

iſte? Vtique non ab re: nam dum ſperamus pacem, cùm omnia ad bellum ſpectent, pacis pene ſpe decidimus: immo ab ipſa lucis vſura deijci videmus. Namque, vbi bellum, ibi diſcordia, ſeditio, inſidiæ, libido, rapinæ, crudelitas, impietas, cultus agrorum intermiſsio, vaſtitas in agris, in vrbibus inopia, plerumq. extrema fames, præterquam, quòd armorum, cædisq. conſuetudine efferantur animi mortalium, adeo, vt verum ſit, quod ait ille:

Virg. Aen. *Nulla fides, pietasq. viris, qui caſtra ſequuntur.*

Non eſt ſceleris genus, quo milites non conſpurcentur; non eſt calamitas, quæ à militibus non immineat, præbentibus vitiorum exempla plerumq. ipſis exercituum Ductoribus, Tribunis, Præfectis; adeo, vt non militare, ſed mercari, ac nundinari; non gloriam, aut victoriam, ſed turpitudinem, ignominiam, probra quærere videantur. Rapiunt contra ius gentium, ſpoliant, corrumpunt, interficiunt, ſtupris, cædibus, vi omnia complent: nec ſibi temperant ab inferenda amicis iniuria, ciuibus, hoſpitibus, ſocijs, benefactoribus ipſis; ſed vndequaque, & vſquequaque hoſtilia agunt, quin, & quandoq. à ſacerdotibus non abſtinent, quos cum peregrinis, mercatoribus, agricolis, eorumq. iumentis agrorum culturæ neceſſarijs ab omni moleſtia, etiam ardente bello, tutos eſſe legibus cautum eſt:

c. vlt. de treg. & pace. ideo Romani, quamuis ſe Marte genitos iactarent; (vnde Silius,

——— *populi, vos Martigena tardarit origo*)

templum tamen eorum genitori, qui belli Deus habebatur, extra vrbis mœnia conſtitui voluerunt; nimirum, vt ab eo, à quo omnia mala proficiſcerentur, longe abeſſent, ne intra muros ciuitatis hoſtilia perpetrarentur; contrà, templo Pacis media in vrbe excitato, cuius non vulgares reliquiæ hodieq. viſuntur: nempe, vt oſtenderent, ex bello omnia mala, ex pace omnia bona oriri. Pacis igitur ſol fulgentiſsimus optandus, ab ipſoq. vnico pacis conciliatore etiam atque etiam petendus; vt illud Zachariæ pro nobis ſtare poſsit:

cap. 8. Non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum, ſed ſemẽ pacis erit, & vinea dabit fructum ſuum. Sed omittamus bellum, bellicaſq. ærumnas, & ad pacis ſuauitatem ſermonem dirigamus, de qua ita facundiſsimus poeta:

Ouid. 1. Fa. *Sub iuga bos veniat, ſub terras ſemẽ aratas. Pax Cererẽ nutrit: pacis alumna Ceres.*

& alibi,

. . . . . *Et vos orate coloni Perpetuam pacem, pacificumq. Ducem.*

Et Hieremias: Conticuerunt arua pacis à facie iræ furoris Domini: vel, vt legunt Hebræi: Speciosa pacis. O quàm pulcra es pax, quam pretioſa. Sed vnde tibi iſte decor? vnde iſta elegantia? Florente pace omnia læta, omnia iucunda, omnia felicia. Florent vineæ, rident prata, luxuriant ſegetes, agri, collesq. varijs, & ſuauibus floribus, fructibus, plantis, herbis, coloribus veſtiuntur, adeò, vt nihil pulcrius, nihil voluptuoſius videri poſsit. Itaque pax expetenda, vt luctus timore depoſito, ſpem perennis gaudij concipiamus. Quod autem de Principum concordia, terrenaq. pace dicimus, id ipſum (filij deſideratiſsimi) de cœleſti, æternaq. pace accipiendum. Iuſtus enim in pace viuit, & moritur: peccator contrà in bello prauæ conſcientiæ viuit, & de anteactæ vitæ turpitudine attonitus, ſine ſpe ſalutis infeliciter moritur. Quare ſanctiſsimus ille, veteranusq. miles, cœleſtis Simeon apud Lucam, poſtquam Chriſtum vidit, ſe in pace dimitti precabatur, non in bello. Et meruit ſibi dici: Loquimini ad cor Hieruſalem: Completa eſt malitia eius: hoc eſt: dicite res bonas, iucundas, lætas, amabiles: abijt malitia tua, omnis, ſcilicet, labor, angor omnis. Ita in ſacris litteris. Quocirca Chriſtus apud Matthæum: Sufficit diei malitia ſua. Ceſſat, inquam, tribulatio, quam ſingulis diebus ſecum trahere moleſtiam, & afflictionem videmus; & erit pax, tranquillitas, perpetua quies: etenim virum iuſtum, qui bene vixerit, diuinaq. præcepta cuſtodierit, bonorum operum remunerator Deus itidem cuſtodit, ac tuetur, morientem ſempiterna gloria coronat, ſibiq. hæredem facit, vt eſt apud Prophetam: Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini: in qua, controuerſia nulla, diſſenſio nulla, ſed cuncta concordia, cuncta conſona, pacifica, ac tranquilla, quæ noctis, tenebrarum, nubium, frigoris, æſtus expers, rerum omnium copia, ac temperie, eius poſſeſſores nec ſenectutis miſerias, nec ipſam ſenectutem ſentire ſinit; Chriſto ſcilicet, obuiam ituros, in menſuram ætatis plenitudinis eius. Quale autem præmium iniquitatis ſuæ reportaturus ſit peccator, oſtendunt vobis hæc Spiritus ſancti diſertiſsima quidem, ſed maxime horrenda, verba: Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur: ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Quid prophetico pennicillo, vel clarius, vel terribilius, exprimi potuit? Pluuiæ enim verbo, rerum omnium, ſiue bonarum, ſiue malarum copia ſignificatur. Arenam maris, inquit Sapiens, & pluuiæ guttas, quis enumerauit? Itaque & viuentes, & morientes pacem quæramus, vt cum Simeone

cap. 25.

cap. 2.

Pſal. 119.

Pſal. 10.

Eccleſ. 1.

meone in pace dimittamur: qua, vt frui detur, efficiat, qui cum æterno Patre, & viuificante Spiritu regnat, ac ſine fine regnaturus eſt. Valete filioli, veſtrarumq. mentium oculos ad vtramq. pacem ſedulo collimate. Auguſtæ Taurin. cal. Iunij. Anno Sal. MDCXV.

Clero Tarantaſienſi.

Epiſtola IV.

QVOD in optatis, ac ſpe fuerat (fratres chariſſimi) iam in re, atque impetratis eſſe, vobiſcum gratulor: exauditæ namque ſunt preces veſtræ. Affulſit nobis tandem in Beati Ioannis Baptiſtæ huius ciuitatis numinis tutelaris peruigilio, diù expectata pacis lux, tota Italia exultante, quæ, ne malum hoc latiùs ſerperet, iure dubitauit; nec opinionem exitus fefelliſſet, niſi Principes, rerum viciſſitudine penſitata, oblata concordiæ remedia, creſcentibus periculis, opportune adhibuiſſent: nimirum magis, ac magis in dies vndiq. militibus, ac proceribus ex Gallia, Belgio, Germania ad ſubalpinum exercitum confluentibus: inter quos Henricus, vnus ex Saxoniæ Principibus, relicta patria, ex vltima Germania ad propinqui ſui defenſionem, cum non contemnenda armatorum hominum manu properabat. Ex Gallia item Franciſcus à Grangia Montigninus, vir, & nobilitate, & auctoritate inſignis, torquatus eques, domi, forisq. clariſſimus, conſilio, & manu promptus, quadringentis primariæ nobilitatis iuuenibus contractis, quaſi Cænomanorum Ducis præcurſor; qui cum ſelecta peditum, equitumq. manu Taurinum aduentare nunciabatur, vt ſe cum Ducalibus copijs coniungeret. Ex Belgio pariter vir fortis, ex Comitibus à Naſſau, mille veteranis equitibus, multoq. pluribus peditibus collectis, ſtrenuâ Duci operam nauare auidiſsimè cupiebat. Sed & in vulgus exierat, Germanos, Inſubres, Neapolitanos, omnesq. fere Italos ad nos defecturos, cùm inter cætera incommoda, quibus vexabantur, aquæ penuria plurimum laborarent, quæ inualeſcentibus æſtiuis caloribus, & creſcente militum numero, quotidie maior fiebat; adeo, vt, qui ex prælijs viui euadebant, aquæ putredine, anni tempore, & cadauerum corruptione, & fœtore, incredibilique muſcarum multitudine; quaſi cera ab igne, vel nix à ſole, penè liquefacti, aut in morbos grauiſsimos inciderent, aut diem extremum miſerrime clauderent. Noſtris autem nihil deerat, præſertim cibaria, & ad ſitim leuandam neceſſaria, ciuitate, extra quam caſtra habebant, ad recreationem opportuna quæque illis ſubinde ſubminiſtrante: vnde, & audaciores, & ad pugnam promptiores, militaria munia alacrius implebant, vtiq. maiore progreſſu, niſi ſeruorum ſuorum precibus Deus exoratus impendentem ruinam auertiſſet. Quare ad Vicarium ſcripſi, vt in ciuitate, & tota diœceſi tabernas claudi, & ſupplicationes iterari mandet; quibus, & pacis inæſtimabile donum ſummo humani generis patrono acceptum referatur, & de collato in Principes noſtros immenſo beneficio immortales eius clementiæ gratiæ agantur, quos diuinitus conſeruatos euidentiſsima, quibus ſe obtulerunt, pericula non obſcurè manifeſtant. Siquidem, non ſolùm pater ad omnes labores, ad omnia belli diſcrimina paratus, omnibus præibat, priuatique militis, etiam iniquo loco, ac tempore, partes obibat; ſed, & pugnaciſſimi leonis generoſi catuli, eius filij in bellicis certaminibus, ſumma virtutis conſtantia inter confertiſſimos hoſtes, plumbeorum, ferreorumq. globorum grandini intrepida pectora obijcientes, feriendo, occidendo, exturbando, proſternendo obuios quoſque, ita ſe geſſerunt, vt ſoli gloriæ intenti, vitam quodammodo proiecciſſe viderentur. Vno, & eodem die, cùm Princeps Victorius Vercellas abijſſet, patri equus vnus, quo vehebatur, Principi verò Thomæ adoleſcentulo, eiuſq. filiorum natu minimo, equi duo interempti ſunt; vtroque ſeſſore illæſo; ſucceſſu ſane admirabili. Aliquando, vel ictu, vel æris veberatione maioris bombardæ patri pileus capite deiectus, aliquando caligæ minoris tormenti pilula perforatæ. Sed, nec lectus, in quo ille iacebat, à periculis tutus: quondam enim, cùm craſſiſſimum cubiculi parietem, in quo ille dormiebat, maxima pila aperuiſſet, ac circumquaque inſtar fulminis vagata, thalamum puluere, caligine, cæmentisq. compleſſet, fracto etiam cubilis fulcro, iacentem ramen, nec offendit, nec perterruit. Quæ rei nouitas, ac magnitudo vtriuſq. ſexus, ac conditionis ciues, milites quoque, ac Duces ad ſtupendum ſpectaculum pertraxit, nobiles præſertim, qui, explorato loco, necnon parietis, ac fulcri ruina, globoq. ad ſeptuaginta librarum pondus circiter aſcendente, ſummam Principis, tum conſtantiam, tum vitæ diſcrimen admirati, diuinam prouidentiam collaudauerunt, vtq. omnia deinceps ei fauſta, & proſpera euenirent, precantes pro eius ſalute, vnde noſtra quies pendet, publica omnes vota ſuſceperunt. Tanti verò apparatus, tanta mortalium

talium commotio, tantæ turbæ, quid tandem attulerunt? Nihil ſanè, quod Reipublicæ conducat: quippe bella, pacis cauſa ſuſcipi, ac tractari certum eſt. Sed, cùm ſtaret pax, cur turbanda, aut proijcienda fuit, vt poſtea quæreretur? Vtinam quæſita, ac tandem inuenta ſtet. Vtinam, cùm aliàs pacem peteremus, exaudirer. Profectò, qui dignitatis conſeruandæ prætextu arma ſumpſerunt, propria æraria non exhauſiſſent, populos ſumptibus non fatigaſſent, vicinorum non perturbaſſent quietem; non denique ſuorum cædem vidiſſent: quod proculdubio ſine lucro, non eamen ſine magno periculo, factum eſt. Tandem, diuino affante ſpiritu, pacem habemus. Lætamini (fratres) priſtinam populis pacem reſtitutam, lætamini inquam, non in choreis, non in ludis, non in comeſſationibus, ſed in Domino, ſine quo pax eſſe non poteſt; exultate in pœnitentia, in veſtræ fragilitatis confeſſione, in ſacerdotali abſolutione à peccatis, in ſacrolanctæ Euchariſtiæ participatione, in ſupplicationum, precumq. frequentatione, gratias agentes liberaliſſimo æterni Theſauri diſpenſatori, quòd miſericordiæ ſuæ dextera, bellicis vos miſerijs liberauerit, ſimulq. humillimo cordis affectu petentes, ne hoc ijtæ ſuæ flagello vos amplius verberari patiatur. Quod ſi feceritis, præter terrenam, quam aſſecuti eſtis, cœleſti etiam pace, immò Deo ipſo fruemini, de quo ita Ioan. Chryſoſtomus: Quando amicum, & benevolum habuerimus Deum, etiam ſi in deſerto fuerimus, multò ſecuriores viuemus, quàm ij, qui in ciuitatibus verſantur. Et Iuſtus Orgilitanus ad illa verba canticorum: Ego murus, & vbera mea, ſicut turris, ex quo facta ſum coràm eo, quaſi pacem reperiens. Ex quo, inquit, in Chriſto pacem reperi, ex eo, & murorum præſidia, & turrium propugnacula cum decore ſuſcepi. Quod etiam indicat Salomon alijs verbis, ita loquens: Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Quæ, cùm Deum ſolum auctorem habeat, exuperat omnem ſenſum. Mentes igitur, (filioli) ſenſusq. omnes veſtros ad pacem intendite, vt pacis, ac dilectionis Deum poſſidentes, pacifici, beati, & Dei filij (qui fines ſuos pacem eſſe voluit) iure vocemini. Hac tamen ſi plenè frui cupieritis, eo vos diuini amoris igne accendi oportet, quo exardeſcens religioſiſſima Maria Magdalena à ſalutis noſtræ reparatore ſibi dici meruit: Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace. Sanctiſſimæ huius fœminæ Apoſtolatus priuilegio cohoneſtatę exemplo, contendite vos quoq. ſtrenui commilitones mei, contendite, inquam, fide, charitate, lacrymis, eleemoſinis, votis, omniumq. virtutum neruis, ac viribus, vt vobis dici audiatis: Fides veſtra vos ſaluos fecit: ite in pace. cuius radices faxit ille, qui pacis radix, columen, ac præſidium eſt, vt animis veſtris infixæ, æternos fructus veritatis, & ſalutis vobis afferant. Valete. Auguſtæ Taurinorum, calen. Iulij MDCXV.

Hom. 46. in Genes.

cap. 8.

Prouerbia 16.

Clero Populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola V.

REDDITAE mihi ſunt litteræ veſtræ, (fratres filijq. chariſſimi) necnon, quæ ab alijs de ſtatu veſtro ad me datæ ſunt: alteræ periucundæ quidem, alteræ verò permoleſtæ. Lætitiam attulit, quod ſcribitis, vos ſcilicet pacis nuncio accepto, tanti beneficij ſupremo auctori, & gratias egiſſe, & quantum per vires licuerit, referre paratos. Contra triſtatus ſum, vos, tum ab amicorum litteris, tum ab hominum ſermone, (niſi me aſpectus fallit) Deum timentium malè audire. Ex ijs enim, qui me conuenerunt, vnus, rerum, quæ iſthinc geruntur, neutiquam ignarus, ſed & erga vos bene affectus, de moribus veſtris tum commiſerando, tùm errata reprehendendo, ita locutus eſt, vt me etiam efficaci hominis oratione commotum, & erubeſcere, & expalleſcere plurima cum animi perturbatione coëgerit. Fuitque accuſationis ſumma, vos, omnesq. ferè vtriuſque ſexus prouinciales, veluti canes ad vomitum, vel ſues ad volutabrum redijſſe. Dolui ſanè, vt debui, ratione præditos homines, ſupremi iudicij non ignaros, ad gloriam æternam natos, monitorum meorum memoria depoſita, tam indecorè, tamq. impudenter in verba Sataneæ iuraſſe. Auxitq. dolorem, piſcatores hominum, populi magiſtros, ſpiritalis cibi diſpenſatores, vnde pietatis, & continentiæ exempla petenda ſunt, vitæ licentia alumnos ſuos ad legum ſalutarium contemptum pènè inuitaſſe. Proinde noua ab ira diuina vobis flagella metuenda, verendumq. ne quod in ſubalpinis diuina ſententia permiſſum eſt, id ipſum, & cumulatius, & vehementius iſthic quoque fieri permittatur. at veſtra quidem culpa (filij): cùm, morum emendationem profitentes, de vetere ſenſuum via decedere negligatis; immò criminibus crimina addendo, animarum curam veſtrarum abijciatis. Bellorum rabiem, multiplicesque miſerias aliquando experti eſtis, ſed non eo modo, quo

noniſſi-

nouissimè subalpini,insolito certè,humanisq. auribus maxime horribili. Inuenta sunt tormenta bellica, fabricante inuidia,hoc est patre mendacij, vt mœnia ciuitatum delerentur,vt turres,arces,ac propugnacula destruerentur, vnde militibus ad capienda, ac diripienda obsessa loca iter pateret. Sed, quæ mala, quanta incommoda, quot præterea damna secum affert bellum? innumera prorsus, atque eiusmodi,vt, cùm Regi Dauid notissima essent, dederitq. ei Deus optionem, ex tribus flagellis, pestilentia,fame,ac bello, eligendi, quod mallet, elegit ille pestilentiam, licet eo summè detestabili, hominumq. commercio perniciosissimo morbo, ciuilis consuetudo, societasq. dirimatur, ipsorumq. immutabilium naturæ præceptorum obseruantia non rarò impediatur. Vxorem enim viri peste laborantis tactu abstinere, eique plurima vxoria officia licitè subducere videmus, charissimos quoque liberos à parentibus vitari,ac deseri, necnon à liberis proprios genitores,& à seruis dominos, quodq. molestius est,à Sacerdotibus (proh dolor) Ecclesiastica sacramenta ægrotantibus aliquando non posse ministrari. Strenuus tamen miles Dauid, eximiusq. Imperator, cum diu in armis exercitatus, bellorumque vicissitudines expertus, nihil magis ab humanitate alienum,nihilue mortalibus magis noxium intelligeret,quàm bellum, tametsi fortissimos veteranos, reiq. bellicæ peritissimos,& milites, & ductores haberet, adeoq. validum exercitum, vt nihil sibi ab hoste timeret, pestem maluit,quàm bellum. Idcirco,existente Ioab Regij exercitus ductore in castris aduersus Ammonitas, illisq. magna damna inferente, eùm nihil magis, quàm pacem, cogitaret, 2.Reg.11. quæsiuit ex Vria, quàm rectè ageret Ioab, ac populus, & quomodo bellum administraretur, cupiens nempè, ita rem castrensem se habere,vt citò bello finis imponeretur,paxq. optatissima, atque intermissa quies populo redderetur. Quod ex subiectis Hebraici textus verbis apertius colligitur: Rogauit de pace Ioab, (Dauid scilicet) & de pace populi,& de pace belli. Sed,habente Ioab in tentorijs exercitum, populumq. armatum, & ad pugnam paratum, nonne absurdum videtur, Principem,cuius auctoritate bellum prosperè gereretur, de populi, belliq. pace, vtcumque quærere? cum inter pacem, & bellum nihil magis conueniat, quam inter albedinem, & nigredinem? Verùm,stante vulgato axiomate; bellum ob pacem suscipi,potuit Dauid eodem tempore, & bellum malorum omnium seminarium gerere, & de pace omnium bonorum nutrice,simul agere, qua planè nihil iucundius. Audite pacis laudes ex Euripide apud Polybium: Pax opulenta felicium dearum optima; Et paulò post, ad hæc & bellum morbo simillimum esse dicit,& pacem sanitati. Hanc enim,& laborantes quoque complecti, ac recreare;in illo verò etiam sanos perire. denique in pace senes sepelirì à iuuenibus ordine naturæ; in bello verò accidere contrarium; & quod maximum est, in bello, ne intrà muros quidem esse securitatem,& in pace illam esse ad terminos vsque regionis. Ideò voluit Deus,in sacrificijs,quæ pro pace fiebant, symbolum lætitiæ,oleum scilicet adhiberi; vnde Propheta: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis: in ijs verò, quæ ad bellum, aut ad peccata spectabant, non item: quo, (vt interpretatur Origenes) peccatori nihil esse commune cum lætitia significaret, quem non lætari,sed dolere, sed flere oportet,quòd rerum omnium factorem multifariam læserit. Christus est pacis, & lætitiæ fons perennis: Luce 1. Christus pacis sacrificium in ventre materno fuit. ideo lætantes Angeli, mundo pacem nunciaturi,cecinerunt: In terra pax hominibus bonæ voluntatis, quemadmodum prædictum fuerat à Propheta: Sicut lætantium omnium habitatio est in te.Hac autem amissa pacis lætitia, quam diuinæ clementiæ beneficio recepistis, frui cupientes, (fratres charissimi) postulat christiana pietas, vt lacrymis pœnitentiæ, peccatorum confessione tanti muneris largitori vosmetipsos sacrificetis, sanctiq. Spiritus voluntati sequentibus verbis expressæ tota mente adhæreatis. Fili (ait Ecclesiasticus) accedens ad seruitutem Ecclesiast.2. Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem; hoc est ad angustias, ad mundanas aduersitates, ad patientiam, ad flagella, vt pro vobis stet, quod à Propheta dictum fuisse,superius retuli: Sicut lætantium omnium habitatio est in te: quodque in Exodo legitur, Deum promisisse filijs Israel, dicens: Habitabo in medio filiorum Exod.29. Israel,eroq. eis Deus,& scient, quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Aegypti. Quòd si neglexeritis, propè est, vt ad vos venire nolim. Dum verba hæc, Non Exod.33. ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est, ne forte disperdam te in via: quæ dixit Deus Moysi, attentius perpendo, à quibus non discrepant sequentia: Reuelabo pu- Nahum.3. denda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuam, & proijciam super te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum.

plum. Quocirca vobis dictum putare debetis,
Exod.33. quod dixit Deus ijdem Israelitis: Iam depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi. Deponite (filij, filiæq. charissimæ) deponite, inquam, supernacanea ornamenta, nec tantum vngulas, crispantes capillos, stridentes mitras, cerussam, purpurissum, gemmas, sericas, auroq. & argento contextas vestes, aliaq. luxuriæ fomenta, carnis irritamenta, mentiumque impudicarum testimonia; sed omnino efficite, vt fastus, ambitio, auaritia, rapinæ, cum similibus corruptæ naturæ monstris à cordibus vestris exulent; pro certo habentes, futurum, quod Sanctus Ambrosius
Lib. 2. in Lucam. asserit, dicens: Nouisse Deum sententiam mutare, si nouerimus emendare delicta. nam sicut non vult mortem peccatoris, sed, eum potius vult ad se conuerti, & viuere; ita tepidos, otiosos, vaniloquos, intemperantes, sui amantes, aliena appetentes, odio prosequitur, nuncq. fame, nunc peste, nunc, omnium malorum pessimo, bello, eiusq. innumeris calamitatibus, perdere festinat. Quibus, nec vos opprimi, nec torqueri permittet maximè pius redemptor noster, immò restitutæ pacis fructus cum fœnore ciuitati vestræ multiplicabit; si de consilijs meis soliciti, quæ vos facturos pluries promisistis, re ipsa præstiteritis. At, quandoquidem verba non sufficiunt, vbi facto opus est, omnes conatus vestros, omnes neruos intendite, vt eò peruenire possitis, quò à Deo per Hieremiam inuitamini.
Hier.3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Et ora aduersum vos rugientium Leonum obturabitis, impiorum, scilicet hominum, qui inconsutilem Christi tunicam scindentes, fratrum fidelium confusionem, ac ruinam moliuntur. Propterea surgant, qui adhuc non surrexerunt, è voluptatum cœno, & expergiscantur; vt ab omni mundi contagione, ac labe mundi, me redeuntem duplici gaudio excipere possint, liceatq. mihi de illorum conuersione, illis vero de aduentu meo vicissim gratulari. Hoc summopere aueo, hoc expeto, hoc inter huius vitæ prosperitates summum mihi bonum statuo, simul cupiens, cum venero, non habere, cur vos accusem, aut vlciscar: quod planè, sicut inuitus facerem, ita, si casus tulerit, cumulatè, atque exactè faciendum esse intelligat quicumque, aut leges, aut cœtera mea violauerit, aut fratres
Luce 16. scandalizauerit: ne, si cæcus cæcos duxero, omnes in foueam cadamus, cùm potius villicationis meæ rationem redditurus, summa animi contentione eniti debeam, vt à supremo
Matth.25. iudice mihi dicatur: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Vtinam & vos hæc cordis aure, ac sensu excipiatis, vt operibus vestris ad calculum reuocatis, de otioso talento non damnemini. Valete. Augustæ Taurinorum, xv. cal. Augusti, Anno salutis M DC XV.

Clero populoq. Tarantasiensi.
Epistola II.

VTINAM vera sint, quæ scribitis, & omnino falsa, ex praua-que consuetudine expressa, quæ audiui. Philastriæ vim, vel potius vitium quis ignorat? Hoc, qui laborat, omnia sibi condonat, alijs nihil ignoscit; propriæ domus obliuiscitur, vicinos ad familiarem curam hortatur; proprij oculi trabem non videt, in alienis festucam quærit. Non me latet (fratres, ac
Matth.7. filij desideratissimi) plures reperiri, qui probos, atque egregios viros contumelijs, ac maledictis consectentur, impendentium sibi pœnarum remedium existimantes, quòd nemo bonus sit, quòdque eorum detractione plurimum crescat turba pereuntium, magnaque sit multitudo peccantium. Cum huiusmodi hominibus, quibus nec vnquam caruit, neque carituras est mundus, ita agendum est, vt nullam, quoad eius fieri possit, detrahendi occasionem habeant; cùm non acculent, vt vitia extirpentur, vel, vt legibus honor reddatur, sed, vt fratres confundantur. Vtinam, quæ vos exagitat, non culpa, sed calumnia sit: vtinam, inquam, ita se res habeat, vt vos obiecta diluere, & vera asserere censeamini, reprehensores autem vestri mentiri deprehendantur. Ego quidem in re tam dubia admittere nequeo, nisi, quæ certa esse cognouero; hoc est, excusationem vestram tantùm accipiam, quantùm mores vestri eam accipi
Cic. de finib. mihi deinceps persuadebunt. nam, sicut præteritorum memoria, futurorum est prouidentia, ita ex præsentibus argui solent præterita, cum vita posterior sit prioris indicium, falsiq. rumores, quamuis constantes sint, grauesq. habeant auctores, aduentante veritatis sole, tandem euanescant. Propterea; quandoquidem tranquillitas vestra à vobismetipsis pendet; si falsum fuerit, quod obiectum est, laudem ex calumna, lucrumq. non paruum ex iniuria tandem consequemini. Sin autem verum, profligatis vitijs, rumores supprimetis, detractiones prosternetis, ipsosq. detractores confunderis: siquidem non verbis, quamuis speciosissimis, sed virtute, coer-

cetur

cetur inuidia. Nec Deus affectata oratione, vel ſolo emendationis propoſito, vel promiſſis colitur, ſed charitate, humilitate, patientia. Non enim (ait veritas) omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum, ſed, qui facit voluntatem patris mei. Vnde monemur, ad tanti præmij faſtigium euchi minime poſſe, qui præter diuini nominis confeſſionem, fidei, ac iuſtitiæ aſsidua quoq. opera cum verbis non coniungat. Sanctus Gregorius: Vera (inquit) fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Neque eſt verè fidelis, qui minus præſtat, quàm promiſerit. Huiuſmodi non homines, ſed vmbras hominum immundos vocat Apoſtolus, cùm, ſe Deum noſſe confiteantur, factis autem negent. Nec ſufficit Deum confiteri, ac profiteri, niſi, & eius præcepta cuſtodiantur. Quid vocatis me Domine, Domine (ait Saluator) & non facitis quæ dico? & de hypocritis loquens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lõgè eſt à me. Non equidem, quia Deus honore noſtro, aut obſequio opus habeat, ſed quia æterno benefactori pro acceptis beneficijs perpetuæ nobis reddendæ ſunt gratiæ, cuius & præceptis viuimus. Etenim, vt canit Pſalmographus: Mandata eius deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multũ, & dulciora ſuper mel, & fauum, quoniam in cuſtodiendis illis retributio multa. & Ioannes: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. & infertus: Qui habet mãdata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. & paulo poſt: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quid enim eſt vita noſtra, niſi mors? ideo, vt ad veram vitam perueniamus, quæ Deus imperauit, facienda ſunt. Si vis ad vitã ingredi, (dictum eſt apud Matthæum) ſerua mandata. & Propheta: Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua non loquantur dolum: declina a malo, & fac bonũ: cui conſonum eſt illud Apoſtoli: Odientes malum, adhærentes bono. Quæ duo mandata, cùm recta præcipiant, prauaq. prohibeant, totam continent iuſtitiam, nec ſine culpa omitti poſſunt. Vera, igitur, videbuntur, quæ dicitis, ſimulq. falſa, quæ contra famam veſtram iactata ſunt, ſi, quam affertis exultationem, obedientiæ teſtimonio confirmabitis. Quod mihi maximoperè in optatis eſt: tùm, quia Chriſto militantium aures, & conſilia ad eius inſta accommodanda ſunt; tum, quia de ſponſæ meæ ſalute plus, quam mediocriter anxius, tantò libentiùs ad eius me complexum conferam, (quod, vt quam primum fiat, diligentiſsime curo) quantò eam virtutibus ornatiorem, cœleſtisque ſponſi dicto audientiorem eſſe cognouero. Quocirca (fratres) iuxta prophetica verba, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino. De pace quòd quæritis, immò quòd conquerimini, quaſi nulla ſit, nullo pacis ſigno apparente, nullis euntibus, vt moris eſt, ad Principes legatis, milite inſuper legionario cum peditum auxiliaribus copijs, atque equitatu, & iſthic, & hic ſub vexillis manente, & haud ſecus, ac ſi bellum ferueret, ſtipendia faciente, ſed, nec ijs, quibus pro belli mole ſuſtinenda, premitur oneribus, quidquam adhuc ſubleuata republica, vnde, certam pacem non eſſe conijcitis: quieſcite (filioli) quieſcite. Pacem habemus. Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eductii ſumus in refrigerium. Rediit pax, ſopitus eſt vbique armorum ſtrepitus, reſtituta foro fides, magiſtratibus auctoritas, ſenatui maieſtas, iudicijs grauitas, agris cultura, nauigantibus maris ſecuritas, terrarumque habitatoribus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio: honorantur boni, mali puniuntur, ſuſcipit pauperem dies, nec contemnitur humilis à potente, ſuntque ad priſtinam frequentiam, ac decorem reſtituta commercia; quodque mirum eſt, affluunt prouinciæ noſtræ incredibili annonæ vbertate. Et quamuis Sereniſsimus Princeps tanta cum prudentia, ac fortitudinis laude, nec ſine inuidia, pacem conſtituerit: nullam tamen acclamationem, nullam lætitiæ ſignificationem, vel imperauit, vel admiſit, eo conſilio, vt ſicut contra Regem ſibi, & amore, & arctiſsima affinitate coniunctum, immò contra regiorum miniſtrorum intemperantiam coactus arma mouit; ita ad maiora, ac meliora forſitan intentus, ſe potiùs Principum rogatu, ſuorumque populorum precibus, quàm gloriæ ſtimulo, vel timore aliquo, ad pacem defendiſſe oſtenderet: qua etiam de cauſa nullos pacis nuncios ad Principes allegauit. Inter eos verò, qui nos bellicis miſeriis liberatos gauiſi ſunt, magna immenſæ lætitiæ ſigna dedit rerum gerendarum peritiſsimus, omniumque virtutum laude ſpectatiſsimus, Petrus Franciſcus à Coſta, Sauonenſium Antiſtes: ac iure quidem, cùm, de Principum concordia vehementer ſolicito, publicamque tranquillitatem, & nuncijs, & litteris, omnibuſque officijs, ſtudioſiſsime curante ſummo Pontifice, (cuius ipſe apud Sereniſsimum Alloborgũ Ducem Nuncium agit) in pacis huius maximè arduo negotio

Mat. 7.

Hom. 19. in Mat. 3.

Ad Tit. 1.

Luc. 6.

Matth 15.

Pſal. 18.

cap. 14.

Matth. 19.

Pſal. 33.

Rom. 6.

Pſal. 30.

gotio egregiam nauauerit operam; adeo, vt rei bene geſtæ non exiguam partem induſtrio præſuli acceptam referre debeamus. Iam verò cœleſtis Patris beneficio in eorum numero non ſumus, quos apud Hieremiam dixiſſe
cap. 8. legimus: Expectauimus pacem, & non erat bonum. ſiquidem bona erit à nobis impetrata pax, dum ſenſibus, carnique bello indicto, ſpiritus pacem quæremus, vitijſq. exulare iuſſis, in mentibus noſtris virtutes eo hoſpitio accipiemus, quo Sanctus Hieronymus
Ep. 13. lib. 2. Rom. 12. de hoſpitalitate ab Apoſtolo Romanis commendata loquens, fratres accipiendos eſſe docet his verbis: Hoſpitalitatem perſequentes, vt non leui, vſitatoque ſermone, &, vt ita loquar, ſummis labijs hoſpites inuitemus, ſed toto mentis ardore reneamus, quaſi offerentes ſe cum lucro noſtro, atque impendio. Hoc vtique fuerit à malo declinare, & bonum facere, inuentaque, ac fugiente pace, (quantum per rerum viciſſitudinem licuerit) plene frui, ita vt, ſubacta voluntate noſtra, de intellectu noſtro ſperare poſſimus quod dicit Propheta: Factus eſt in pace locus eius, Quid enim, niſi pacem appetimus?
Pſal 75. & cur appetimus? nonne, vt bellum fugiamus? à quo proculdubio Deum contemplantes, nihil damni metuendum. Si quidem
2. Cor. 14. Deus non diſſenſionis, ſed pacis auctor eſt, niſi noſmetipſi nobis damnum inferamus, atque inter viſcera conſcientiæ noſtræ bellum excitemus. Viuamus igitur, vt veros decet Chriſtianos, ne ille inuitabilis ſcelerum vindex iterum nobis iraſcatur, pluatque
Pſal. 10. ſuper nos laqueos ignis, & ſpiritus procellarum, ac quaſi eum nihil fecerimus, nos ad nihilum redigat. Viuere autem ſecundum legem, quam profeſsi ſumus, quæque nos Chriſtianorum nomine decoruit, Deo viuere eſt, eius, ſcilicet, præcepta ſeruare, quæ ille nos, quaſi certum ſuæ dilectionis pignus, ſeruanda mandauit. In hoc igitur, toto corde, totoque pectore incumbite, vt pacem conſeruare, ac diuinæ clementiæ protectione æterni ſupplicij ſententiam euadere poſsitis. Valete filij. Auguſtæ Taurinorum cal. Auguſti. M DC XV.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola VII.

VIx Taurinum reuerſus fuerat Sereniſsimus Dux noſter pace conſtituta, cùm me ex ſiniſtri pedis offenſione improuiſus dolor conceptus domi detinuit, nullo, vel tumore, vel liuore, vel alio ſigno cauſam doloris indicante: qui, cùm incedere, aut aſcendere, vel deſcendere vellem, ita augebatur, vt ſine magno cruciatu loco moueri non poſſem. Medici, viſo, contrectato, atque etiam leuiter fricato affecto loco, nihil agendum, ſed tantummodo quieſcendum eſſe dixerunt. Quibus dum parere etiam libens ſtudeo, nempe ferueſcente æſtu, quantum, aut Romæ vnquam, aut in Hiſpania ſenſerim, duos fere menſes in ea ſolitudine conſumpſi: quo factum eſt, vt toto eo tempore de controuerſi ſacerdotij negotio, quod me hactenus hic morari coegit, cum ipſo Duce, cuius prudentiſsimo iudicio, magniq. Magiſterij auctoritati, illud terminandum reliquimus, nihil prorſus agere potuerim. His tamen diebus otium meum in litteris tranſiegi, in muſæo, ſcilicet, cum opuſculis, libellisq. meis, quos diuerſis temporibus, diuerſiſque in locis impreſſos, ſuadent amici, atque in primis meorum particeps, adiutorque ſtudiorum Franciſcus Auantius Venetus, (cuius amori, ac iudicio plurimum tribuo) vt notis, atque additionibus, ſi quas elucubratas haberem, locupletatos iterum typis committendos curarem. Itaque, cum veteres labores nouis laboribus commendatiores, legaliſque diſciplinæ cultoribus vtiliores fecerim, ad trutinam reuocatos, ac diligentiſsimè examinatos libros de ſacrorum immunitatibus, de indultis Cardinalium, Paratitla (Decretalium ſcilicet epiſtolarum breuiaria), Animaduerſiones, necnon pomeridianas ſeſsiones nonnullas, quas ego contra eos, qui Latinæ linguæ Hetruſcam anteferebant, adoleſcens compoſueram, vt rei litterariæ ſtudioſis prodeſſem, imprimendos Romam miſi. Cuius conſilij mei præcipua certe cauſa fuit, publica vtilitas: fuit (non iuſtior) lucubrationum quoq. mearum cura, atque amor, cùm apud eruditos viros in aliquo eas numero haberi, etiam amicorum teſtimonio, cognouerim. Nam, quamuis omnia, quæ ſub cælo ſunt, inſtabilia, ac vana
Eccleſ. 1. fiunt, immo (vt ait Sapiens) vanitas vanitatum, æternaque caducis anteponere debeamus, necnon dare operam, vt vitijs peſſundatis, Deo noſtro placeamus, ſedemque à mundanis tempeſtatibus, & iactationibus quietam in ſuprema veræ pacis arce poſſideamus: beatos attamen in hoc ſeculo arbitror eos, qui de bona exiſtimatione ſoliciti, laudabile aliquid moliuntur, quod, & ampliſsimum laborum præmium eſt, & ignauos homines ad virtutum iter capeſſendum impellit adeo, vt maiorum exemplis excitati, nonnumquam quos æmulantur, egregijs

etiam

Cicer. Tuſc. diſp. 5.

Plin. lib. 9 cap. 05.

etiam operibus vincant. Quocirca, cùm diutinam vitam natura nobis denegauerit, in hoc vehementer laborandum, quod vixisse videamur, posterisq. relinquamus, quæ imitatione digna sint, immò, (si fieri potest) quomodo illi nos, illos filij, ac nepotes potius superent, quàm æquent. Sciebam amicorum testimonio, nonnullorumque scriptorum monumentis, opera mea, non modò apud nostrates, sed alibi etiam aliquid nominis assecuta esse, à virisq. laudatis non contemni: sed ab Hispanis tanti fieri, quantum ipse vidi, & obseruaui, dum diebus proxime præteritis illhac transirem, profectò nesciebam, quod sane (ingenuè fateor) magna me perfudit voluptate; quandoquidem notus, vbi litterarum studia maxime florent, vberem vigiliarum mearum fructum mihi videor retulisse, dum in præcipuis bibliothecis eas asseruari animaduerti, in regia verò etiam duplici exemplo. Hac de causa forsasse, cùm essem Matriti, viri litterati, & nomine, & dignitate præstantiores, aduentu meo gratulati, me domum salutatum frequentes venerunt: quod & fecerunt Salmantini gymnasij antecessores nonnulli, quamuis ea ciuitas Matrito sex dierum itinere distet, vt me viderent, ac de facie cognoscerent. Negare quidem nequeo, quin hæc mihi iucunda fuerint, Demosthenis exemplo, qui iure gauisus est, quòd illum anus Attica indicans, dixerit: Hiccine est Demosthenes? sicut, & Plinius, quòd eques Romanus illum ex studijs cognouisset, quærens ab eo, Tacitus ne esset, an Plinius? quibus, etsi ego ingenio, & doctrina impar, æquari non possum, cum illis, & copiosissimum ingenium, & par ingenio materia, quam, tum varietas rerum, tum magnitudo largissime suppetebat; mei tamen honoris nomine non gaudebo? Ego verò lætor, & lætari me non dissiteor, quod laborum meorum, talem fructum retulerim, non à vetula fœmina, aut à Romano equite, aut à Fidij Rufini municipe, sed à grauissimis, doctissimisq. viris. Nec ideo iactator videri debeo: quandoquidem de me aliorum iudicium, non meum, promo, præsertim apud vos, qui nullius laudibus inuidentes, meis fauere soletis. Hoc (filij charissimi) vobis significare volui, vt sciatis, quo pacto ingentium calorum molestiam depulerim, & qua de causa tantam susceperim prouinciam. Cuius materia, quamuis, cum rebus diuinis comparata, leuis, ac futilis sit; contemnenda tamen non est, cum publicum commodum respiciat, nec impediat; quin cum terrenis etiam cœlestia coniungi possint; Deo namque seruire est, publicæ vtilitati seruire. In primis tamen quærenda, quæ Dei sunt, deinde, quæ proximi. Quod vos facere, & hortor, & maxime velim, vt ipsi Deo grati, quem valde cupio in populo nobis credito fructum afferatis, & fructus vester maneat. Augustæ Taurinorum, pridie calendas Septembris, Anno M DC XV.

Cicer. Tusc. disp. 5.

Plin. lib. 9. cap. 23.

Clero Tarantasiensi.
Epistola VIII.

IAMDIV de statu vestro nuncium mihi expectanti (filij charissimi) redditæ sunt vno tempore à mercatoribus, qui ad nundinas Segusinas venerunt, binæ vestræ litteræ, amoris, atque suauitatis plenissimæ, eoq. gratiores, quò magis desideratæ: quarum prioribus de his, quæ isthic gesta sunt, quæque summoperè scire auebam, me certiorem facitis, ac quidem opportunè; nam ignotis, & incertis malis quale potest adhiberi remedium? quomodo cauendum in posterum? quomodo populo satisfaciendum? ego enim animæ misericordiæ memor, quam implorans Propheta his verbis: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? etiam ab illis, qui nisi sibimet veniam dare, vel nolunt, vel nesciunt, exorari patior; nimiam tamen lenitatem nequaquam laudo, tamquam non solum inutilem, sed etiam Reipublicæ damnosissimam. (quid enim perniciosius, quàm delicta manere impunita?) non ne male locata clementia licentiam parit? & sicut mitium dominorum immodica indulgentia contumaciam seruorum timorem, ac reuerentiam subuertit, ita intempestiua prælatorum facilitate subditi insolescunt, fiuntq. peiores. quod magna me solicitudine afficit. Nam si illi, quorum culpam deprecamini, multum fleuissent, multumq. rogassent, eam nobis pœnitentiæ fidem fecissent, qua credendum fuisset, emendatos, qui se deliquisse, & sentirent, & fatentur; appositeq. adduci posset illud de patre familias, quod est apud Matthæum: Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me &c. tuncque fuisset illorum fragilitati aliquid iure condonandum, condonandum lacrymis, condonandum precibus vestris; siquidem præcipua mansuetudinis laus est, peccantis misereri, cùm irascendi iustam causam habueris. Verumtamen, quia prælatus Dei imago est, nec vult Deus peccatorum interitum, peperci, & quidem non inuitus; persuasum habens,

cap. 18.

delinquentes ad vomitum non redituros: quod, si aliter succedat, licebit mihi iterum irasci, illorumq. pertinaciam vlcisci, quapropter vobis præcipio, ne me (si casus inciderit) nouis precibus pro eis fatigetis; simulq. prænuncio, me, quamuis plurimum rogatum, rursum veniam eis non daturum, sed acrius seueriùsq. eos puniturum, eoque excusatius, quo magis rogabor; vt sciant omnes, me vitia, non homines insectari, atque errantes castigare, vt emendentur, ac meliores fiant. Recentioribus litteris querebamini, absentiam meam paucis vtilem, pluribus verò damnosam esse: quod profectò non inficior, immò, ne longior sit, quantum in me est, quotidie laboro, sed frustra, cùm publicis, magnisq. negotijs distentus, nec ipsa Apostolica limina huc vsque visitare potuerim, quod omnes Episcopi, maiorumque Ecclesiarum rectores, per recurrentes quosdam annorum terminos facere tenentur, tum iure canonico, tum summi Pontificis Sixti V. constitutione, qua prælatis Italis præscriptum est triennium, transalpinis quadriennium, remotioribus quinquennium, Indisq. decennium; hocque, vt Catholicæ Ecclesiæ membra suum caput coràm agnoscant, & venerentur, suæq. administrationis rationem reddant. Ego, postquam Ecclesiæ Tarantasiensi præfectus, tempus huius visitationis adesse cognoui, antequam Roma discederem, id muneris obiui anno 1608. toties obitutus, quoties pontificiæ legi obsequendi necessitas illud fieri postularet, non solùm, vt pœnam grauissimam contra prælatos contumaces statutam effugerem, sed, ne socordiæ, negletiq. officij reus, male ab omnibus audirem. At, cùm varijs occupationibus implicitus, à me ipso impetrare non possem, vt me tanta obligatione liberarem, ab Illustrissimis patribus, qui sacri Tridentini Concilij interpretationi præsunt, petij, & obtinui, visitationis tempus prorogari, donec me Romam reuerti Ecclesiæ meæ status permittat. Quod, cùm me ad curam dominici gregis expeditiorem fecisset, ad ea, quæ reformatione magis indigebant, animum aduertens, statim de diœcesi ista lustranda cogitare cœpi, quamquam, ob eius amplitudinem, locaq. nonnulla accessu perdifficilia, id vnius anni spatio perfici non posse considerabam: vnde in ea re eo mihi enixius laborandum videbam, quo, non parua iurisdictionis meæ pars pastoralem operam magis requirebat, præsertim circa Confirmationis Sacramentum. Propterea difficultatibus omnibus superatis, inaccessa loca ex sententia visitaui, & præter vtriusque sexus Edelium ingentem multitudinem, quæ antea quasi desertus, atq. incultus ager, derelicta videbatur, senes plus, quàm centenarios non confirmatos, summa cum eorum, meaq. lætitia, sacro chrismate confirmaui. Deinde, cum extinctis bonorum morum seminibus, maligna vitiorum seges successerit, & corrupte Ecclesiasticorum ministrorum canonica disciplina, non sine aliquo sacrarum legum contemptu abusus intolerabiles irrepserint, ter Mutterij synodum coegi eo præsertim consilio, vt Tridentini Concilij præcepta diœcesanis meis insinuarentur: quod, diuino præeunte auxilio, vestraque præsentia, ita perfectum est, vt officium meum, quantùm tempora permiserunt, desiderari non possit; quin & diuturno morbo validius afferri remedium percupiens, magnoperè opportunum, ac salutare visum est, vniuersalibus constitutionibus confirmare, quod in singulis parochijs ex diœcesana Synodo obseruandum proponebatur: quibus, & clerus, & populus intelligeret, quomodo erga Deum, erga Beatissimam Virginem, omnesque cœlites se habere, quam reuerentiam Christi Vicario præstare, qua humilitate sacros Canones, Pontificiaq. decreta tractare, necnon eiusdem Tridentinæ Synodi sanctiones venerari, atque obseruare deberent, quæ sanè iusti voluminis mensuram impleuerunt, quandoquidem non tantum ad ritus, morumq. reformationem spectantia, verum, & iudicialia, atque forensia, quantum operis ratio postulat, in eo disputantur, ac quidem opportunè; rudes enim fere omnes, Curiæque Romanæ praxis ignari illius cœli homines, non sine magno reipublicæ detrimento, Pontificales constitutiones, quamuis in christiano orbe notissimas, ignorant: vnde earum nonnullas ad casuum, contractuumque frequentiam magis facientes in eodem libro interere necessarium duxi. & quò studia mea, quam mihi proposueram, mercedem facilius consequantur, materias omnes personis, & temporibus congruentes, suisq. locis pro titulorum qualitate dispositas, in Synodo solemniter promulgaui, cunctisq. ordinibus probatas Romam mecum ferre decreueram: vt, dum ego, liminibus visitatis, Ecclesiæ meæ negotia procurabam, summo annuente Pontifice, typis mandarentur. Sed, cùm diuino afflante spiritu, rebus satis constitutis, essem ad illam gentium lucem, ad illam christianorum arcem, ad illum purissimum veræ religionis fontem breui aduolaturus, mandauit, me eiusdem Pontificis auctoritate Allobrogum Dux noster Serenissimus ad Regem Hispaniarum proficisci, suoq. nomi-

nomine in Aula Catholica Legati perſonam ſuſtinere. Cui oneri ſubeundo, quamuis mihi impari, humeris promptè expoſitis, vt religioſiſſimo Principi de vniuerſa Eccleſia optime merito, ac Germoniæ familiæ officioſiſsimo patrono, morem gererem, montes aſperrimos tranſire, mariaque infeſta, etiam iniquo tempore, ſulcare non exhorrui, donec nauigatione abſoluta, ac paulò poſt in Italiam reuerſus, nullam cernebam adeſſe cauſam, qua ſanctorum liminum viſitationem differrem, præterquàm, quod nonnulla ſe ſe offerebant, quæ me Romam properare mirum in modum ſuadebant, quorum nihilominus caput erat obedientia, eò magis vrgens, quo facilius ſuſpicioni locum dari timebam; velle me tantorum procerum patientia abuti. Vrgebat, & deſiderium Vrbis (in qua, & fauoribus, & honoribus auctus, viginti tres ferè perpetuos annos domicilium habui) non ſolum, quia apud eminentiores aulicos, ipſoſque ſummos Pontifices, de ſtudijs, ac propenſionibus meis bene ſemper audierim, ſed etiam propter innumera Romana Sanctuaria, quæ cùm obuia ſint cuicumque per vrbem incedenti, veræ pietatis ſectatoribus, ad ſpiritalem profectum ampliſsimam viam ſternunt. Alliciebat etiam ipſius nunc viuentis Pontificis Pauli Quinti auguſtiſsimi oris maieſtas, cuius benignitatem erga me pluries expertus, etiam præclara opera, ac magnifica ædificia ad communis patriæ ornatum, cultusq. diuini propagationem liberali manu excitata, intueri cupiebam; ſimul & Illuſtriſsimis Patribus debitum deferre obſequium, amiciſq. ſpectatis viris, quorum ſola recordatione recreor, vetuſtæ beneuolentiæ conſtantiam repreſentare. Tandem, vt eò me conferrem, poſtulabat rei familiaris ratio: nam, cùm, præter annuos cenſus, & officia (vt vulgò nuncupantur) benè inſtructam bibliothecam, multamque ſupellectilem Romæ haberem, vtrum omnia iſthuc transferri curarem, an aliud facerem, animi pendens, rem totam in meum ad vrbem reditum reieceram. Sed, quia viſitationis munus, etiam per procuratorem exequi ſperabam, amor veſtri cætera deſideria mea compreſsit, ac vicit adeò, vt diſceſſum in aliud tempus diſtulerim; hac quoque de cauſa, quòd ſi diſceſsiſſem, ſerius forſitan, quàm voluiſſem, ad vos remeaſſem. Inſitum eſt enim vrbis Romæ genio, abire volentes; ſicut ſolet remora naues; ex modica etiam cauſa retinere. Id verò magis opportunum fuit, quòd, cùm ſponſam meam aliquid incommodi, me abſente, perpeſſam fuiſſe animo concepiſſem, & re ipſa deprehendiſſem, ab ea diuidi tanto terrarum interuallo, quamuis ad breue tempus, nequaquam tutum exiſtimabam, priuſquam accepta damna, quæcumq. fuiſſent, non per Vicarios, ſed coràm, pro virili parte ſarcirem; ne, quæ longo tempore plurima induſtria, & ſtudio ad Dei gloriam, ouiumq. mihi creditarum vtilitatem paraueram, breui interirent, multarumque vigiliarum proficuam ſementem, quæ copioſæ meſsis haud paruam ſpem præberet, zizania ab inimico homine ſuperſeminata miſerè ſuffocarent. Quocirca, ne in Apoſtolicis iuſsis conniuere, aut obdormiſcere viderer, eoſdem præſtantiſsimos patres rogaui, vt, quod ipſe per occupationes facere commodè non poſſem, idipſum à me per alium ſuppleri permitterent. Cùmque impetraſſem, Agaphinum Solarium, vnum ex Moretæ Comitibus, amicum, affinemq. meum, & ſanguinis ſplendore, & doctrinæ commendatione eximium virum, ad ſummum Pontificem allegare conſtitui, vt, liminibus viſitatis, meæ villicationis rationem nomine meo reddat; quam, ſi adeſſem, ipſe redderem, quemadmodum futurum confido. Hæc ſunt (filij dilectiſsimi) quorum prolixius, quam putaram, vos certiores fieri volui; quo & moræ meæ, ſi quam contraxiſtis, ſuſpicionem abijciatis, & nihil mihi antiquius, nihilue charius eſſe credatis, quàm vobiſcum viuere, vobiſcum Deo famulari. Interim valete, & ſi quid noui emergat, mihi diligenter nunciate. Auguſtæ Taurinorum, idibus Septembris, Anno ſalutis M DC XV.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola IX.

EPISTOLA veſtra eò iucundior, quò fœcundior: affert enim vindemias vberiores, quàm ſperabatis, dum ſcribitis, vaſa vinaria reponendo vino minime ſufficere, nec torcularibus indigere etiam pauperes, aliarumq. rerum eſſe non minorem copiam, frumenti, ſcilicet, hordei, auenæ. Par fertilitas de ſubalpinis regionibus, quas grando non concuſſerit, parque affluentia nunciatur. Hic tamen plurimum væneunt omnia: quod planè, vt ad vos quàm citiſsimè reuertar, me magis inuitat. Ex fertilitate ſolent homines locupletes fieri: egò pauperior fio; ſiquidem eorum, quæ ex agris, pratis, vineis, decimiſque meis colliguntur, tanta eſt copia, tantaq. vilitas, vt conductores fructuum, niſi eos minoris, quam

quam par est, vendere velint, emptorum penuriam habeant, sitque ex conuentione inter nos inita tantum de eorum sponsionibus consequenter subtrahendum, quantum fruges vilius vendi, quàm soleant, iure sibi damnosum reputent: quod equidem sine magno meo damno resarciri non potest, censibus meis paullatim deficientibus, cùm tamen sumptus non deficiant, immò in dies potiùs augeantur. Gaudeo tamen, & vobis, & toti Prouinciæ tantum bonum vehementer gratulor, publicam quippè priuatæ vtilitati anteponens, ac de pastorali thesauro magis solicitus, quàm de mundanis diuitijs; simulque monens, quos frugum largitas, diuina præbente manu, ditiores facit, ne cœlesti munere abutantur: sed (vt est apud Lucam) faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, qui eos recipiant in æterna tabernacula. Non distribuant facultates ijs, qui, (vt ita dicam) phasianos, ac perdices tantum comedunt, lautiusq. viuunt, sed ijs, qui vix cibario pane famem pellere possunt; ne potius delitias, ac luxuriam auxisse, quàm egenos pauisse doleant, eaque se ipsos beatitudine priuasse, quam psalmista pauperum curam habentibus prænunciat: auxilium petentes, præcipuè Catholicos, vacuos abire non permittant, nudos vestiant, captiuos redimant, ægrotantes visitent, Christiq. præceptum, quo charitas erga proximum maxime commendatur, semper ante oculos habeant. In hæc toto pectore incumbite, (fratres dilectissimi) hæc ab illis, qui fidei vestræ crediti sunt, intelligi, atque obseruari curate, vt vnusquisque ex bono rerum suarum vsu, ab omnium gratiarum immortali largitore, non solum temporalium, sed, & spiritalium bonorum cum efficaci benedictione consequi speret augmentum. At, quæ vobiscum per epistolam loquor, vtinam coràm loqui liceret, huicq. exilio tandem finem imponere: exulare enim mihi videor, dum à vobis absum, tum, quia gregis mei præsentia magnoperè solicitor, tum, quia, sicut Musterium inuitus reliqui, ita, & extra Musterium inuitus viuo, ac detineor hac etiam de causa, quòd hic (vt est in prouerbio) sol, & aqua vænalia sunt, nec nisi grandi pecunia emuntur, quæ isthic vilissima habentur, & quandoque sine vsu pereunt. Quod sanè eò me magis commouet, quò præter palatij mei Archiepiscopalis amplitudinem, ac magnificentiam, vbi cum familiaribus meis percommodè habito, hospitesq. excipio, ac præter mihi identidem submini-stratas commoditates à subditis meis, necnon eas, quas ex hortis, nemoribus, fluminibus, lacubus, ac venationibus quorumcumque animalium, etiam volatilium, mihi reseruari, atque absens amitto, discessus quoque mei occasione amittere cogor alia de causa, quantum forsitan meæ alendæ familiæ satis esset. Etenim in Hispaniam discessurus, cum, vt moris est, prædia, vineas, aliaque huiusmodi bona Archiepiscopalia locauissem, ex pacto conductoribus permisi, vt quamdiù me isthinc abesse contingat, Contaminæ pratorum fructum perciperent; item septuaginta vini sarcinas, quas quotannis à Sancti Iacobi paganis exiguntur, cum Musterienssium molendinorum prouentu, ac linguis bubulorum omnium animalium, quæ in publicis lanienis mactantur, meæque mensæ debentur, habere possent: quod in alijs locationibus factum fuisse non reperitur. Ideo, quamquam illius contractus conditionibus locum non esse iure existimo, nisi quantum Hispanensis legationis grauissimis negotijs distentus, procul ab Ecclesia mea agere coactus essem, pulcrum tamen in primis duxi, vt foris, ita & domi, vtque in magnis, & in alienis, ita & in paruis, meisq. ipsis rebus æquitatis partes sustinere, conductoribus permittens, vt, donec ad vos reuertar, speratum locationis commodum, ac lucrum sine diminutione consequantur. Hæc (filij charissimi) vobiscum communicare placuit, quo, propensione mea, ac voluntate erga vos, rerumque mearum statu diligenter explorato, quamuis nulla alia adesset moræ meæ causa; cùm tamen plures sint; ex superius narratis, me excusatum habeatis; nec miremini, reditum meum diutius differri, quàm putabatis, immò quam ipse putabam, qui, cùm hic etiam domicilij angustia premar, dabo operam, vt quambreuissimè fieri poterit, in libertatem restituar. Interim religiosum virum, eximiumque verbi Dei præconem Dionysium Zurletum cum his litteris vobis præmitto, cuius operam, cum populo meo proficuam, gratamque futuram prouiderem, vt vobis concederetur, impetraui ab Ordinis sui generali moderatore, qui meam erga illum veterem beneuolentiam non ignorabat: mecum enim Romæ erat, cùm vitæ genus mutare decreuit, sacrumq. Capuccinorum habitum suscipere, quod illi ad sempiternam vitam apprime salutare, Franciscanæ familiæ perhonorificum, reiq. publicæ christianæ vtilissimum fore iam tum animo conceperam. Etenim viget ingenio, industria, memoria, studiorumque amorem, & eruditionem cum summa probitate coniunxit. Sermo illi copiosus,

cap. 16.

Psal. 40.

pioſus, & varius, dulcis imprimis, quo etiam inuitos, & repugnantes trahit, ac rapit. Spectabilis eſt corporis proceritate, decora, & liberali facie, ampla, & tranquilla fronte, rufaque, & lata barba: quæ, licet fortuita ſint, leuiaque exiſtimentur, illi tamen plurimum venerationis addunt. Nullo riget vultus horrore, nullaue triſtitia, quippe qui potius multum ſeueritatis cum hilaritate præferat, cui conſentanea eſt vitæ ſumma ſanctitas, parq. comitas. Ornat virtutes, inſectatur vitia, ſuppreſſis peccantium nominibus, nec errantes caſtigat, ſed emendat. Prætereo corporis patientiam, qua hyemes iuxta, atque æſtates fert, nullis laboribus frangitur, nihil in cibo, & potu voluptati tribuit, oculis non minus, quàm animo continens. Non nego, quin in iſtis Sabaudiæ partibus, ſicut, & in tota Gallia, floreant cuiuſuis ordinis viri, tum pietate, ac prudentia inſignes, tum, doctrina, atque eloquio præſtantes, qui cum dignitate, ac fructu de ſuperiore loco populos in Chriſtianis inſtitutis, præceptiſq. erudiant. Sed horum maior pars mihi potius docere, quàm cõcionari videtur: nam, ſi ſacræ paginæ ſenſus examinant, vel inueſtigant, ſi diſtinctionibus illuſtrare, inter ſe pugnantes cõciliare, ſanctorumq. Patrum ſententijs confirmare ſtudẽt, mirum quanta felicitate, quanta audientium vtilitate id aſſequantur. At ijdem circa moralia quam lenes, bone Deus, quam remiſſi, eaq. ſermonis acrimonia, ac vehementia deſtituti, eoq. orationis impetu, quo mirum in modum abundant Itali, qui pronunciatione, oriſque, ac corporis geſtu ad virtutum amorẽ, vitiorumq. odium animos ſic accendunt, vt pertinaces ad lacrymas, ad vitæ mutationem, ad rerum ablatarum reſtitutionem, ad continentiam, ad ſummam humilitatem, & non raro ad ipſius mundi contemptum inducant. Concionatoris officium eſt, audientium mores ad Euangelica præcepta omni conatu, omniq. induſtria formare: vt ſcilicet, fragilitatis, prauæ conſuetudinis, mali habitus, ac pertinaciæ vulnera, etiam dolente, & negligente ægroto, ſanentur. Chirurgus enim, quia ſecat, membraq. vrit fœtentia, non crudelis, ſed mitis eſt, atque miſericors. Nonne miſeretur, qui alienas cupiens curare plagas, à viuis, ſanisq. carnibus mortuas, ac putridas ferro ſeparat? Nonne crudele eſt, non horrere curantem, quod horret ille, qui membrum ſibi abſcindi petit? Nonne inimicus potius, quam medicus appellandus eſt, qui, cùm poſſit, etiam cum ægroti dolore, non abſcindit? Dum odium parit veritas (ait ille,) eſtq. aliquando amara, vitia ſuauia putantur, ideo

Ter. in And. act. 3. ſc. 4.

concionatores, qui chirurgi ſpirituales ſunt, dũ vitia redarguunt, & peccatores ad pœnitentiam hortantur, amara videntur ſeminare: vnde Apoſtolus eximius concionator: Inimicus inquit, factus ſum, verum dicens: & Ioannes: Quia Saluatoris dura videbantur eloquia, plurimi diſcipulorum retrorſum abierunt. Quare parum, aut nihil ad æternam ſalutem afferunt, qui placido ſermone audientium aures mulcendo, vitia tantùm indicant, nõ extirpant. Idem fermè eſt verbi Dei concionatoris finis, qui & oratoris. Verba ſunt Ciceronis: Sit orator nobis is, qui, vt Craſſus deſcripſit, accommodate ad perſuadendum poſſit dicere. & alibi: Finis oratoris eſt aptè dicere ad perſuadendum. Iacet enim oratio, cuius verba tantum laudentur. Quoniam verò Dyoniſij noſtri finis eſt, errantes ad cælorum viam capeſſendam perſuadere, bonos confirmare, Deo placere, cũ vobis gratum, & vtilem fore non dubito, nec ſolum in ciuitate, ſed (quod illum rogaui) niſi temporis anguſtia prohibeatur, etiam in vniuerſa dioeceſi. Ipſum audite, obſeruate, colite, & an is ſit, qualem vobis deſcribo, quamprimũ mihi denunciate, & valete. Auguſtæ Taurinorum, Non. Octob. M D C X V.

Ad Gal 4.

Ioan. 6.

Lib de orat.

Ad Heren.

Hier. lib. 2. Epiſt. 14. ad Paulinum.

Clero Tarantaſienſi.
Epiſtola X.

QVOD, tàm ſolicitè, tàmq. efficaciter conſtitutiones meas flagitetis (fratres, & filij dilectiſſimi) in ſinu gaudeo, ac vobis ſummopere gratulor: magnum ſiquidem eſt hoc veſtræ ad illarum obſeruantiam conſtantis voluntatis, & propenſionis argumentum: quo nihil mihi, vel gratius, vel iucundius, accidere poteſt, nihil vobis, veſtriſq. ſubditis vtilius. Iam in lucem prodijſſent, niſi ad pralum properãtes meus in Hiſpaniam diſceſſus intercepiſſet. Quare vix reuerſus, etſi minimè otioſus, extrema illis manu impoſita, nihil antiquius habui, quã curare, vt diligenter deſcriberẽtur, Romamq. mitterentur, quò à Summo Pontifice confirmatæ, abſque mora vulgarentur. Verũ, quoniam confirmari non ſolent, niſi ea, quæ, eodem iubente Pontifice, à ſelectis viris examinata, & approbata, typis digna iudicantur, nec ſperandũ fuerat, breui perfici poſſe, quod optabam, ob continuas, graueſq. occupationes eorum, quibus negotium committendũ fuiſſet, conſilium mutaui; ac, ne cum veſtro ingenti damno, oleum, & operam perdidiſſe viderer, reiecta in aliud tempus confirmatio-

nis cura,mandaui,vt à Sacri Palatij Magiſtro impetrata licentia, ſtatim impreſſori cudendæ traderentur, iam de pretio inita conuentione, & forſan pecuniæ parte ſoluta. Quod factum eſt, ſuntq. nunc ſub iudice. Romæ verò,nõ hic,aut alibi,eas publicari placet, tum, quia hic plus,quam putabam, moratus ſum, tùm propter loci opportunitatem, ſi, vt ego fore cogitaueram,confirmandæ fuiſſent,tum, quia Romanus papyrus Taurinẽſi candidior, politiorq. eſt; ac tandem (quod ad felicem rei exitum maximè conducit) quia Romæ veterem, optimumq. amicum habeo, Franciſcum Auantium, honeſtiſſimis inter Venetos ciues natalibus ſpectatũ virum,cuius probitatem, in amicos charitatem, iudicij acrimoniam, eruditionem, ac fidem ſæpius expertus, tumq. maximè, cùm meus de ſacrorũ immunitatibus liber ederetur,in eam ſententiam adductus ſum, vt Romanis præcipuè typis conſtitutiones meæ commendari debeãt, perſuaſum habens, diligentiſſimi amici ſolertiam deſiderio meo non defuturam, quã quidem tanti facio, vt præteritorum officiorum ſuauiſſima recordatione in eius beneuolentia totus conquieſcam: me enim vnice diligit, viget ingenio, & memoria: cùmq. ſibi ingeuitam neſcio quam anxietatem,& conſtantiã in negotijs, præſertim litterarijs, nec ſine moleſtia, adhibere ſoleat, ferè nihil eſt eorũ, in quibus ille operam ſuam conferat, quod ad perfectũ finem non perducatur. Locuples ipſe mihi teſtis eſt,plurimum ſtudij, plurimũ induſtriæ poſuiſſe me, plurimumq. laboraſſe, & laborare, vt conſtitutiones meæ in publicũ exeant; ac quantum poſſum, eniti,ne earum impreſſio retardetur;ſenes enim ambo ſumus, ille paulo minor ſeptuagenario, ego quinque annis ſexagenario maior. Quod cùm memoria repeto, (repeto autem ſæpiſſimè) ſimul venit in mentem hæc Pliniana ſententia: Dũ ſuppetit vita, enitamur, vt mors quam pauciſſima;quæ abolere poſſit,inueniat. Et quãquàm ego is non ſum, qui doctrinæ, & ingenij admiratione immortalitatis præconio celebrari merear; attamen,cùm ad publici boni ſcopum lucubrationes meas collimauerim, & materiæ prærogatiua,ac grauitate nobilitatas diuturna, ni fallor, eas vita donauerim; nec abſurdum duco, nec erubeſco, in eorum numero cenſeri, quos,tanquam ſemper viuẽtes, inter beatos collocat Plinius his verbis: Mihi videtur acerba ſemper,& immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam, qui voluptatibus dediti, quaſi in diem viuũt, viuendi cauſas quotidie finiunt: qui verò poſteros cogitant,& memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, vt, quæ ſemper inchoatũ aliquid abrumpat. Hæc ferè ſunt,quæ de conſtitutionum mearũ ſtatu dicere habeo,quas ſtatim atque impreſſæ fuerint, iſthuc mitti curabo. Interim (fratres dulciſſimi) ſicut rogatu veſtro Deum tantis vigilijs meis affuiſſe non dubito, ita, & vobis precantibus,fauſta,meæque Eccleſię vtilia, quæ pro gregis mei ſalute meditor, futura confido. Valete. Auguſtæ Taurinorum, prid. Id. Octobris. M D C X V.

Plin. lib 5. ep 5.

eadem ep. 5.

Clero Tarantaſienſi. Epiſtola XI.

OMNINO falſa ſunt, quæ de huius Prouinciæ peſtilentia iſthic in vulgus emanaſſe nũciantur: cùm nec Aſtenſium Ciuitatem,(à qua præcipue metuendum eſſe circumferunt) nec ſubalpinos, nec vllam aliam Italiæ partem lue aliqua vexari pro certo habeamus. Quare ad Seguſinas nundinas venire ſolitos mercatores,tãtiq. infortunij fama perterrefactos,totius periculi ſuſpicione iam liberauimus. A vobis proximis Geneuenſibus certè cauendum, (filij chariſſimi) quoniam maiore forſan peſte numquam laborauerunt, quàm nunc laborant; atque vtinam non fruſtra, ſed ita, vt vt horrendo flagello experrecti, erroribus, quos turpiter nutriunt, nuncium iam remittant,ſanctæq. ſedis Apoſtolicæ protectionem agnoſcentes,inuictiſſimo quoque Allobrogũ Duci,quam eorum maiores adhibuerunt reuerentiam, ac obedientiam ipſi exhibeant. Lethiferis verò infirmitatibus hoc tempore vbique graſſantibus, multos mortales paſsim extingui, grauium auctorum quotidiana teſtimonia fidem faciunt,non tamen aëris, aut corporum contagione: ſed,vel anni intemperie,vel humorum corruptorum tabida corpora reddentium, occaſione, vel ex ſimili alia cauſa. Mei quoque familiares in aduerſam inciderunt valetudinem ex æſtiuis caloribus contractam, quorum anteſignanus coquus fuit, deinde maiores, & minores pediſſequi, item domus præfectus, ac Ioannes Caninius Sacerdotum prior, quos Capellanos vocant, & alij; ſed omnes citra mortis periculũ. Grauiſsimè tamen ægrotauit Ioannes Baptiſta meus ex fratre nepos, Archidiaconus Taurinenſis, qui acerbiſsimo morbo diutiſsime vexatus, cùm viuere non poſſe videretur, penè à ſepulcro ad vitã reuocatus, ſummo Dei beneficio conualeſcit. Hunc plures febres iactauere, continua, tertiana,quartana,inconſtantes

ſtantes omnes, ac variæ, quibus adeo vehemens comes acceſſit dyſenteria, vt nonnumquam centies in die magnis cum doloribus, ac torminibus, miſeri languentis venter exagitaretur: vnde ei ſumma macies, ſumma debilitas, vigente tantum animo, & ſpiritu in corpore pene mortuo; cuius iam deploratæ ſalutis incredibili mœrore conficiebar, quòd bonæ frugi adoleſcẽtulus in primo ætatis flore meis, totiuſque ciuitatis oculis eriperetur, maiora cõſecuturus, ſi virtutes eius maturuiſſent. Quod eò magis me angebat, quò arctiſſima mihi cognatione coniunctum ſatis pingui, atque honorifica dignitate priuari videbam, quam, & Epiſcopalia priuilegia, & collatiuæ beneficiorum Eccleſiaſticorum prærogatiuæ inſignem faciebant: nec parum vrgebat, quod ego eadem dignitate potitus, eam, quaſi ſtudiorum meorum teſtem, plus quam mediocriter venerabar: quippe videtur naturale, vt ea, quæ quis in virtutis ſtudio adeptus eſt, præ cæteris pretioſa putet. Sed diuina ope è mortis tandem faucibus liberatum propria continentia, aſſiſtentium vigilantia, ac medicorum diligentia (vt ſpero) in receptam ſanitate, cõfirmabunt. Abijt enim febris, poſt ſeptuaginta quinque dies, receſſit inteſtinus dolor; cùmque dyſenteria ſenſim minuatur, cœpit & aluus ſiſti, & melius habere. Quare cæli, ſoliq. mutationem ægrotis iucundiſſimã, atque vtiliſsimam eſſe aliàs in me ipſo expertus, tanta infirmitate afflicto corpori plurimũ expedire viſum eſt, vt Fianum ad ſororem Annam illius loci dominam, viriq. nobiliſsimi Thomæ Archorij vxorem, ſe conferret, vbi ſanctiſsimæ matronæ cura, atque in fratrem amore, aëris ſaluberrima temperie, ac quiete, & vires reſumere, & amiſſæ valetudinis robur facilius recuperare poſsit. His anguſtijs vix expeditus, nouas attulit Ludouicus Rattus, vnus, vt ſcitis, ex intimis domeſticis meis, ac penè à puero apud me educatus, tardus quidem, ac remiſſus, ſed multiplicis ingenij, fidelis, ac prudens adoleſcens, omnem mei, mearumq. neceſsitatum particeps, & curam gerens. Is, dum mihi apud Ieſuitas ſacrum facienti, aſsiſteret, repentina quadam animi defectione correptus, in hoſpitiũ, quaſi mortuus, delatus eſt: cùmq. lentibus reſtitutus, præ languore ſtare nequiret, accedente valida febre plurimũ è naribus ſanguinem emiſit, vnde omni periculo liberatus putabatur. Sed, cum vehementer æſtuaret, intenſoq. capitis, ac renum cruciatu iactaretur, venarum vtriuſque brachij iterata ſectione, necnon cucurbitulis inter ſcapulas adhibitis, tentata eſt dolorum ſedatio, ſummaq. liberalitate præſtita, quæcumque ad eius ſalutem neceſſaria viſa ſunt. Conualeſcere incipit, ſed admodũ debilis adhuc mihi dare operam nequit: quod ipſi non minus acerbum, quàm mihi moleſtum; neque enim deſunt inter meos familiares, & quidem elegantiores, qui ex aduerſa eius valetudine aſsiduis officijs propriæ induſtriæ mihi probandæ materiam aucupentur. Ego verò, cùm longum in me ſtudium, ſolertiſq. alumni mores mecum recolo, aliorum opera, quamuis grata, parciſsime vtor. Hunc, & cæteros infirmos ſemper monui, & rogaui, vt humanæ fragilitatis memores, Deum ante oculos haberent, morborum impetum fortiter exciperent, ac de animæ diſcrimine anxij, cũ Pſalmiſta dicerent: Fiat manus tua, vt ſaluet me: quoniam mandata tua elegi. Concupiui ſalutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea eſt. Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Item peccatorum confeſsionem frequentarent; ſi ægritudo longior eſſet, quàm vellent, nihil, quod ipſos puderet, aut impatientiæ reos faceret, vnquam committerent: nihil peterent, aut acciperent, aut agerent, quod Medici agi nõ permitterent: potiones, pharmaca, medicamẽta, aliaq. malorum remedia promptè, atque hilarè ſumerent. A vino omnino abſtinerent, quantum medicis videretur, quibus magis, quàm ipſis parentibus, languente præſertim corpore, obtemperandum. Hæc, & ſimilia morbo grauatis conſideranda propono; primùm, vt diſcant, quomodo, & in anguſtijs infirmitatum poſiti, & conualeſcentes ſe habere debeant; deinde, vt quamuis ego iacẽs, quæ doceo, obſeruare ſoleam, vrgente tamen inualetudine, ipſe me ad eam adſtringã temperantiam, cui eiuſmodi monitis, quaſi pignore, me obligauerim. Nec prætereundum videtur, (filij dilectiſsimi) magnum me ex varijs ægrotantium caſibus fructum percepiſſe. Siquidem, quod plurimis argumentis, rationibus, ac libris ſummi Philoſophi perſuadere conantur, ego, & vobis, & mihi paucis verbis demonſtrare poſſum, vt, ſcilicet, cùm ſani ſumus, tales eſſe perſeueremus, quales, cùm iacemus, nos futuros profitemur, ſi conualeſcamus. Quem enim corpore male affectum pungit, angitvè, vel auaritia, vel alia turpitudo? is certè, nec libidini ſeruit, nec honores ambit, immò diuitias contemnit, voluptates fugit. Tunc ad Deum conuertitur, tunc hominem ſe eſſe recordatur, nullius virtuti, aut felicitati inuidet, neminem odit, neminem odit, neminem deſpicit, inimicis, ſicut amicis, nulla perſonarum diſtinctione habita, omnia proſpera auguratur, omnibus unus, & idem: Pſal. 118.

ſed

ſed potiùs, ſitiens, vt ægrotantes ſolent, fontes, flumina, locaq. omnia cogitat, vbi aliquãdo bibere potuerit, ac ſi non biberit, eum piget non bibiſſe. Hæc ſumma votorum, hæc ſumma curarum, quarum comes eſt peccatorum dolor, cum morum reformatione, atque æternæ ſalutis ſtudio coniunctus. Itaque putemus (filij dilectiſſimi) nos infirmos eſſe, vt de cæleſti incolumitate tantum ſoliciti, terrenæ ſanitatis pericula negligere, & ad veri gaudij fontem viuum Deum feſtinare diſcamus. Quod ab eius immenſa clementia facile impetrabimus, ſi mundanas delicias, diuinarum comparatione, ſordes, ac miſerias iudicabimus. Valete, & orate. Auguſtæ Taurinorum, Kal. Nouemb. M.D.C.X.V.

Clero Tarantaſienſi. Epiſtola XII.

PERMOLESTVM profectò fuit, quod accepi, (filij chariſsimi) vos, ſcilicet, ex falſo rumore de meo in Hiſpaniam reditu iſthic diſſeminato, veram concepiſſe moleſtiam, cùm alias mihi pergratum ſit, triſtitiam veſtram ex ea, qua me proſequimini benevolentia, manantem, euaneſcẽte cauſa, in gaudium conuertendam eſſe. Siquidem hac de re non ſolùm nihil determinatum, ſed nec forſitan cogitatum eſt; quodq. in vulgus exijt, otioſorum potius hominum coniecturis nititur, quàm probatorum virorũ teſtimonio. Neque enim res in eo ſtatu eſſe videntur, vt inter hos Principes de mittendis vtrinque legatis hoc tempore conuenire poſſit; nec, quando id faciendum ſit, defuturus eſt ex Ducali aula præſtantibus viris refertiſſima, qui longè valentiùs, ac prudentiùs, quã ego facerem, tantum onus ſuſtineat. Me ſenectus à laboribus auocat, ſuadetq. otium quærere. Poſt adoleſcentiæ curriculum in litteraria palæſtra non inutiliter confectũ, Taurini publicus in ſchola legum profeſſor, & in Eccleſia ſacrorum miniſter, meliorem ætatis partem conſumpſi: apud grauiſſimum Cardinalem Iuuereũ, & amoris, & honoris præcipuum locum Romæ tenui, non otioſus, vt mea illius temporis ſcripta teſtantur. Aulici magiſtratus, quem à ſupplicãtium libellis referendis. Referendarium vocant, dignitate cohoneſtatus, officium meum deſiderari nunquam paſſus ſum; eamque in ſtudijs, vigilijs, muneribusq. publicis, præſertim in tractandis Sereniſſimorum Ducum, Vrbinatum primũ, mox Allobrogum apud Clementem VIII. & Paulum V. Pontifices Maximos, negotijs, ac denique in aula Catholici Regis Philippi III. Legati munere fungens, operam poſui, vt iam feſſus, ac miles emeritus, rudem accipere, nec verear, nec recuſem. Ijs, qui prima, vel media vitæ tempora patriæ, vel Principi dederint, extrema reſeruant leges ipſæ venerabiles, dũ ſexagenarijs maiores ab omni opere vacuos eſſe permittunt; in quorum numero annum ego quintum ſuprà ſexageſimũ agẽs, miſſionem flagito. Longa, ac difficilia itinera, montium aſperitates, marium agitationes, & pericula, cæli mutationes, ciborum varietates, & (quod maximi momenti eſt) negotiorum difficultates etiam iuuenes labefactant, frangunt, ſuppeditant, & multò magis ſenes. Nec ſufficit, quòd valens, & robuſtus ſim; & ex fortibus fortes gignantur. Fuimus aliquando fratres ſex; omneſq. ad virilẽ ætatem, ſed non omnes ad ſenectutem peruenimus, licet ijs parentibus procreati, qui centũ fere annos vixerunt: quattuor enim iam multo me iuniores diem obiere. Ego ſuperſtes, poſt aſſidua ſtudia, poſtq. tum mentis, tum corporis varias occupationes, & annorum pondere, & temporum calamitate grauatus, mihi, meæque Eccleſiæ viuere cupio. Parentes noſtri, cùm laxè, & magnificè habitarent in ſumma quiete, cæloque ſaluberrimo, agris fertilibus, vineis optimis abundarent, loca, niſi, vbi vel nati, vel alti fuiſſent, non mutarent, proculq. tandem à publicis negotijs, domeſtica tantùm curarẽt, ad Neſtoreos annos vitam produxere, ſibi ſubditis chariſsimi, & viciſsim erga ſibi ſubditos ipſi beneficentiſſimi. Septuaginta ſeptem annos coniunctiſsimè ſimul vixerunt ſine iurgio, ſine offenſa. Vxor ſumma reuerentia virum coluit: ille illam ex Ceuæ Marchionum perilluſtri familia natam vnicè dilexit, & in honore habuit: eumque tot annorum experientia, virtutum, ac vitiorum obſeruatos exitus ad prolis inſtitutionem incredibili charitate conuerterent, illa, quantum materna officia valuerunt, liberos, vt decuit, educauit: vterque ad liberales diſciplinas eos promouit; animauit, compulit, atque in primis ad pietatem, Deique timorem, initium nempe ſapiẽtiæ, ante oculos eorum mundi contemptu, rerumque humanarũ incertudinem identidem propoſita; quæ, cùm nihil firmum, nihilvè ſtabile habeant, ſuis amatoribus iactationes, & fluctus ſunt, immò (vt ait Sapiens) vanitas vanitatum. Valetudinem ſuſtentabant corporum ſuorum notitia, earumque rerum obſeruatione, quæ, aut obeſſent, aut prodeſſent, mira quoque in cibo, & potu continentia, non tamen à fructibus, quibus, illæſo ſtomacho, ex conſuetudine

Horat. lib. 4. carm. Ode 6

Phil. 2. 20.

Prouerb 8. Eccl. 1.

promi-

promiſcuè vtebantur. Summa item voluptate in Dei famulatu conſtituta, non modo indicta ab Eccleſia ieiunia, etiam toto Quadrageſimæ tempore, etiam ciborum rigore, vſque ad extremum uitæ religioſiſſimè perſoluerunt, ſed & totius anni Sabbatis ad honorem beatiſsimæ Virginis non plus quàm ſemel in die cibum ſumebant. Pauperes, & peregrinos liberaliter, atque interdum ſupra uires fouebant, excipiebant, ſublenabant; cumque de nimia effuſione arguerentur, incœpto opere ſemper alacriores, dicebant, ſumptuum rationes facilè conſtare ijs, qui facultates ſuas iuxta Euangelicam doctrinam diſtribuerint, præſertim in egentium ſubſidiis, etiam ſi modum excederent, aliàs verò ſemper nimijs ſumptibus parcendum. Quam ætatis metam quamuis ego quoque attingere poſſem, id tamen apud me tanti eſt, quantum illorum exemplo ad virtutes incitatus, diuturnam vitam me non pluris facere gaudeo, quàm Reipublicæ, veſtrumq. commodum poſtulet: quinetiam, vt parum victurus, chariſſimorum genitorũ pietate mihi ob oculos poſita, pro virili parte enitor, vt operum induſtria ſuppleam, quod forſitan breuius annorum curriculum mihi eſt ablaturum. Quid enim refert, diu, vel parum me viuere, niſi quantum Deo ſeruiẽs, vita dignus exiſtimer? tunc longæuus, tuncque immortalis futurus, cùm ad gregis mei ſalutem totus intẽtus, boni paſtoris partes pro muneris mei dignitate omnibus probauero. Quod, quamquam ſine multis vigilijs, plurimoq. negotio perfici non poteſt, non tamen, Deo annuente, vobiſque precantibus, id impoſſibile, ſed quantum in me eſt, nec onerolum, nec difficile, immò iucundiſſimum, futurum duco, ſicut turpiſſimũ, in officio delinquere. Itaque (fratres) cùm grauiſſimorum negotiorũ ſtadium tot annos valenter cucurrerim, non erit abſurdum, me in eodem ſpatio, & ad curſum paratos, & ad metam properantes otioſè ſpectãtem, à liberali Principe, ſenectutis ſubſidium, quietem, ſcilicet, ac ceſſationem à laboribus fidenter expectare. Quod, vt ex ſententia ſuccedat, faxit Principum Princeps Deus, vtque pro reditu meo à vobis nuncupata vota quamprimum ſoluantur. Interim valete.

Auguſtæ Taurinorum, idibus Nouembris, Ann. Salutis MDCXV.

*

Finis Libri Secundi.

ANA-

ptized by Google

ANASTASII GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus, ARCHIEPISCOPI, ET COMITIS TARANTASIENSIS, EPISTOLARVM Liber Tertius.

Clero populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola 1.

SERENISSIMVM Ducē noſtrū inteſtino morbo, ac vehementi febre exagitatum in lecto iacere, quemadmodum diſſeminatum eſſe accepimus, mēdacium eſt, ſi auctorem habeat, quem omnino neſcimus; ſi rumor, falſus. Etenim valet Maximus Dux, eoque corporis viget temperamento, ea virium firmitate, vt non facilè ægrotet, ſicut nudius tertius cum Sereniſſimo Cardinali eius filio, auitæ virtutis imitatore, de rebus in Subalpinis nuper geſtis loquens, dicebam; quem penè mirum eſt, tantos, continuoſq. labores, incommoda, vigilias iniquo anni tempore, ac feruētiſſimo æſtu, tot dies, totq. noctes cum generoſiſſimis filijs Victorio, ac Thoma ſuſtinere potuiſſe, atque ex tot prælijs, eruptionibus, periculis incolumem euaſiſſe: cùm tamen ex militibus, ordinumq. ductoribus non pauci, multò quietius agentes, aut extincti ſint, aut ex contractis morbis infirmi, debiles, ac penè exangues adhuc langueant. Tres hi Principes, cum ad Aſtenſes frequentiſſimas nundinas prid. Kal. Nouembris profecti eſſent, vt ciues, & mercatores, qui ex longinquis regionibus illuc confluunt, preſentia ſua recrearēt, nono poſt diſceſſum die ſoſpites reuerſi ſunt, ea vultus maieſtate, atque ferocia, vt tres Martes videre videremur; ac iure quidem: tātam enim laudem, ac gloriam Dux apud omnes gentes, præclaris facinoribus, ſibi comparauit, vt, qui eū de facie cognoſcere nequeūt, eius effigiem, vel pennicillo, vel cæra, vel ebore, vel auro, vel quoquomodo expreſſam habere cupiant. Ideo Romæ plures ſunt, qui, vel coloribus, vel æneis typis, vel ex alia materia illum repræſentare nitantur: & quidem à naſo ſurſum ſatis ad viuum, ſed non tam belle à naſo deorſum, forſitan, quia poſteriora exempla anterioribus eſſe deteriora ſolēt: nam, cùm aliquid facere prototypo ſimillimum, ita, vt effictum cum vero certare videatur, maximè arduum ſit, longè difficilior eſt imitationis imitatio, etiam pictori eximio, & vndequaque diligentiſſimo. Vtcumque ſit, eximij Principis imaginem vobis mitto cum inſcriptione, ſeu elegantiſſimo elogio, cuius auctor eſt Paulus Aemilius Sanctorius, vir in Romana aula doctrinæ, & eloquentiæ laude inſignis, qui puriſſimo ſtylo, quod pictores, ac ſculptores aſſecuti non ſunt, exactè complexus eſt his verbis:

Salue Heroum fortiſſime, Mars Italiæ: Te numina ſoſpitent, in decus Italiæ, & barbarorum excidium. Viue armorum ſemper ſtrepitu tonans, & fortuna tua ſuperior, in omnem victurus æternitatem, triumphata æmulorum inuidia.

Quid

Quid grauius dici potuit? quid ornatius? quid in ſumma breuitate copioſius? Nonne æternitati conſecratum elogium poſteritas omnis commendabit? ſicut & Sanctorij hiſtoria, quę eiuſmodi eſt, vt ei Principum vitæ, reſque geſtæ tuto committi poſſint, dum illi in eorũ numero nõ ſint, qui magis de corporis, quàm de animi facie ſoliciti, ex remotis mundi partibus artifices conquirunt, qui vultuum imagines affabre exprimant, potius quam ſcriptores, qui eorum facinora perpetuo præconio illuſtrent. Sanctorius ingenio, & memoria eximius, non vulgaribus, ſed interioribus, ac reconditis litteris eſt eruditus, rerum vſu exercitatus, veterumq. ſcriptorum æmulator, præcipuè Taciti, quamuis de illo memoriæ proditum ſit, quòd neque ex imitatione ſcripſerit, neque imitabilis fuerit, quem tamen ipſe imitatur, & feliciter æmulatur. Huius opera indigent Principes. Quid enim prodeſt ampliſſimos gerere magiſtratus, exercitus profligare, rebelles populos debellare, ac tandem de hoſtibus triumphare, ſi deſint, qui illuſtria facta in lucem proferant? Alexander, Pyrrhus, Cæſar, aliaque huiuſmodi belli fulmina, vtique in tenebris iacerent, niſi ſuos, eoſdemq. eloquentiſſimos laudatores, ac præcones habuiſſent: quorum induſtria factum eſt, vt etiam vita functi, viuente fama, ac gloria, vitam non amiſerint. Sic Allobrogum Ducis Sereniſſimi Caroli Emanuelis pietatem, fortitudinem, clementiam, liberalitatem, cæteraſq. heroicas virtutes in angulo obliuionis deliteſcere, ſic rem bellicam ab eo egregie adminiſtratam, ſic negotia prudenter ſuſcepta, ac feliciter tranſacta, (quæ perpetua eſſe, publicè intereſt) vetuſtate, & ſilentio obrui neceſſe fuerit, niſi ea, vel Sanctorius, vel Sanctorio ſimilis, litterarum monumentis conſignata, ſcriptis ſuiſ, vt ita dicam, æterna faciat, vberrimam ſubinde materiam præbente magnanimi Principis virtute, quæ, & citra, & vltra alpes ſuperioribus annis adeo enituit, vt vbique gentium bellicæ diſciplinæ veram ſibi gloriam comparauerit. Quæ quidem omnia, cùm ampliſſimum ſcribentibus campum per ſummas tanti Principis laudes excurrendi aperiant, vixq. vnico volumine explicari poſſint, non ſinit epiſtolæ modus, me in ijs proſequendis longiore vti oratione. Tantum repetam, quod dicere ſoleo; præclare ſcilicet, oprimeque cum noſtratibus actum eſſe, quod talem nacti ſint dominum, talem protectorem, omnibus notum, omnibus charum, in omnem ætatem celeberrimum, cuius vitam, ac felicitatem veſtris orationibus confirmari, & propagari maximè cupio. Pergite, igitur, (filioli) ad pacis, & dilectionis Deum preces fundere, vt è cælo miſſam pacem tueatur, atque in dies augeat, animos horum Principũ concordes, & tranquillos faciat, cauſiſque omnibus diſſenſionum omnino ſublatis, eorum arma, & mentes ad infidelium conuerſionem dirigat. Cauete, viſcera mea, ne paſtoris, patriſque veſtri memoriam deponatis; modeſtiam ſeruate, pietatem colite, charitatis officia, (ſine quibus humana ſordeſcunt, & deliramenta ſunt) quantùm in vobis eſt; amplificate, frequentate; humilitatis mementote, quæ, ſicut ad mundi contemptum certiſſimam viam ſternit, ita ad Chriſtianas virtutes, clauis, dux & ſcala eſt, cum qua terrena gloria comparata in vmbram, fæcem, ac ſtultitiam deſinit: ſicut temporaria vita, quam viuimus, cũ æterna collata, (ait Gregorius) mors dici poteſt potius, quàm vita. Obedientię cancellos, quibus diuinæ, & canonicæ legis repagulo vos metipſos incluſiſtis, egredi, piaculi loco habetote; quodque obſequium nobis debetis, idipſum Vicario generali noſtro præſtare perſeuerate: ne, ſi ferulæ manum ſubduxeritis, de diuinis beneficijs male mereri videamini, & tãquam deſertores, violatæ fidei, & inconſtantiæ notam ſubeatis. Valete. Auguſtæ Taurinorum xiv. Kal. Decembris, M D C X V.

1. Cor. 14.

Mor. in Iob lib. 17.

Clero populoq. Tarantaſienſi.
Epiſtola II.

MEMINI (filij chariſſimi) me aliquando ad vos ſcripſiſſe de re etiã veſtra agi, ſi in Subalpinis bellum gereretur; vosque, etſi ab armorum ſtrepitu longe poſitos, facere non poſſe, quin terriri incendij circumuolantibus ſcintillis, aliquid, & forſan plurimum incommodi pateremini. Cùmque id mihi ſatis cognitum, non parum animum meum commoueret, atque in dies magis angeret, quæ remedia, imminentibus damnis opportuna forent, ſimul vobis indicani. Sed pacis negotio iam ſumma Dei benignitate confecto, nõ eſt, cur tanta calamitate liberati, boni euẽtus lætitiã inanibus querelis perturbetis, dolẽtes, Sabaudienſium equitũ alas iſthuc hybernatum venire, quaſi pax non conſtet, milite ſub ſignis adhuc excubante; qui, vt dicitis, ſi pacata eſſet Prouincia, iam caſtris relictis, domum redijſſet: vnde ſuſpicandi locus apertus vobis videatur, potius dilatum eſſe bellum, quã ablatũ. Porrò ſedati ſunt vere tumultus,

ſilent claſſica, populis quies reddita; nullis armis, nullis rapinis vexamur, vel in Subalpinis, vel in alia Italiæ parte: omnia tranquilla, omnia tuta, omnia pacis otio fruuntur. Deus obedientiæ gloria populis reſeruata, Principes terræ multa ſapientia, multa virtute donauit, eos nempe, quorum corda in ipſius Dei manu eſſe teſtatur ſacra pagina. Quare, cùm etiam conciliata pace, negligenda non ſint, quæ pacis conſeruandæ inſtrumenta eſſe poſſunt, eorum, qui paulò ante inimici fuerant, explorandæ ſunt animorum propenſiones, conſilia, vires, progreſſus; nec non ad præcauendas inſidias, ſi fieri poteſt, ipſarum quoque cogitationum radices ſumma induſtria inueſtigandæ; fidemque facientibus exemplis, ſimulatam concordiam plus aliquando incautis obfuiſſe, quam arma, prouidendum, ne in conuentionibus alte obdormiſcentes, nimiæ fiduciæ pœnas luant. Sed eſto, hinc rebus noſtris (vt mihi perſuadeo) nihil metuendum ſit, magna nihilominus adhibenda cura, ne inermes, & imparati, à finitimis, & armatis improuiſam iniuriam accipiamus. Ideo minimè abſurdum, vel ſuperuacaneum videtur, etiam belli difficultatibus ſublatis, milites in præſidijs, ac ſtationibus habere, vt ſimul ac nouitiatis aliquid appareat, non deſint, qui inſiſtentibus reſiſtere, damnaq; imminentia propulſare poſſint. Hæc ſunt, quæ ante oculos prudentiſsimi, atque inuictiſſimi Principis noſtri continuo obuerſantur, quæque eius Prouincias, & nunc, & olim ab hominum, & temporum iniuria liberauerunt. Quare (fratres chariſſimi) ne de vobis dici poſsit, quòd priuati, incertique incommodi opinione, publicum, certumque commodum impedire, ac potius regere, quã regi velitis; amicos equites, forte & vtiles futuros, ea fronte excipite, vt, quæ de veſtra in patriam charitate concipiuntur, eò magis hominum expectationi reſpondeant, quominus rerũ inopia ab hoc laudabili opere retrahi poſſe videmini. Immo, cùm ſuperioribus diebus Prouinciam iſtam frumento, vino, hordeo, alijſq. frugibus maximè abundare ad me ſcripſeritis, turmæque iſthic hyematuræ, ad ſummum, duarum numerum non excedant, reliquis per vniuerſam Sabaudiam diſtributis; veſtræ partes erunt, id ſine moleſtia accipere, & in ijs, quæ ad bonos ciues pertinent, ne quid vobis iure obijci poſsit, diligenter curare. Proinde faceſſant lamenta, faceſſant querelæ: ſed potius ad Principis veſtri neceſsitates animum aduertite: cumque minus feriant præuila iacula, quæ agenda ſunt, tanto libentius agite, quanto hanc equitatus partem, ſi tandem venerit, non longam vobiſcum moram facturum puto, quàm propter Gallicos motus neceſſarium ſit. Id verò ab eo, qui pacis, omniumq. bonorum fons, atque auctor eſt, & pro nobis, & pro Gallicano Regno facile exorabitis ita, vt dicere poſsitis cum Propheta: Factus eſt in pace locus eius, ſi eidem dicenti: Diuerte à malo, & fac bonũ, obtemperabitis; cùm peccatores Deus non audiat. Hæc raptim exaraui, plura dicturus, niſi, qui à vobis attulit litteras, ob nimiã redeundi celeritatem, reſpondendi tempus mihi abſtuliſſet: quem cùm enixè rogaſſem, vt de feſtinatione aliquid remitteret, diſceſſumque aliquantulum prorogaret, omnino id ſe facere poſſe negauit. Valete. Auguſtæ Taurinorum, vj. Kal. Decembris, MDCXV.

Pſal. 71.

Pſal. 33. Ioan. 9.

Clero populoq. Tarantaſienſi.
Epiſtola III.

PERGRATVM ſanè fuit, (fratres chariſsimi) quòd ad me, datis proximè litteris, ſcripſiſtis, quodq. ego olim augurabar, maximeq. cupiebam, ſtationarijs, ſcilicet, militibus vos minimè grauari, ſed & equitum turmas iſthac quete trãſire, ac poſtquam Cõſletum peruenerint, diſſolui, domumque, illæſis locis veſtris, reuerti. Quẽ quidem proſperum euentum eò magis vobis gratulor, quò ſimul & cauſam incõmodi, quod ab huiuſmodi hoſpitum mora reipublicæ metuebatis, Sereniſsimi Ducis vigilantia ſublatã eſſe, conciliata pax apertè demõſtrat. Habendæ ſunt igitur diuinæ bonitati immortales gratiæ, quòd vos tanto beneficio ab omnibus periculis ſecuros reddiderit: habendæ, inquam, non tantùm verbis, vel ſignis extrinſecis, ſed animo, ſed re ipſa, ſed operibus: cùm Deum colentibus, ac timentibus, & aduerſa ſpernentibus, etiam ethnicorum ſententia, omnia feliciter ſuccedant. Coli autem Deus ab eo exiſtimatur, qui eius obtemperat voluntati; neque enim (ait Saluator) omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed, qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt; quique per Malachiam loquens, dicit: Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum timet. ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? vnde, neque honorat, neque colit, neque timet Dominũ, qui eius præceptis non paret, immo ea contẽnere videtur. Quare Dauid Regi, qui adulterij crimen cũ homicidio coniunxerat, iure obiectũ eſt, quòd pro nihilo Deum duxerit. & clarius

Liu. lib. 5.

Matth. 7.

Malach. 1.

2. Reg. 12.

Heli

1.Reg.2. Heli ſacerdoti dictum: Qui honorificat me, honorificabo eum, qui autem pro nihilo me habent, ad nihilum redigentur. qua duriſſima ſententia ne plectamur, dicamus cum eodem Rege: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis: Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis: ſimulque benignitati diuinæ obuiam eamus, hoc præſertim ſacro dominici Aduentus tempore, non in commeſſationibus, vt ait Apoſtolus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, ſed omnino reiectis tenebrarum operibus, in ſumma cordis humilitate, ac manſuetudine, ſenſuumq. caſtigatione, vt Dominum Ieſum Chriſtum induere poſſimus, qui venit, vt ſaluet nos. Obſeruate (fratres) quanta in Eccleſia (quæ errare nō poteſt) fiat hodie rerum mutatio. Poſitis enim alijs diuerſorum colorum veſtibus, quibus ſacerdotes ad ſacrum faciendum induuntur, ſolis violaceis vtitur. In laudibus diuinis recitandis, quæ à Matuta, hoc eſt ab Aurora, officium matutinū appellantur, omittitur hymnus: Te Deum laudamus: ſicut in Miſſę ſacrificio Angelicus ille, cuius principiū eſt: Gloria in excelſis Deo: Pax non annunciatur: Ite miſſa eſt, non dicitur: nulla de Sāctis fit cōmemoratio, nuptiæq. interdicuntur, ſicut in quadrageſima. Fit autem hæc in ritus Eccleſiaſtici celebratione varietas, vt homo Chriſtianus, omiſſis hoc tempore curis, atque commodis humanis, dominicū Aduentum attentius cōtēplando, vias Domini parare, ciuſque ſemitas rectas facere diſcat. Viæ quippe ſunt opera, quæ pœnitentia parātur; ſemitæ vero cogitationes, quas prædicatio, necnon diuinorum mandatorum, & conſiliorum obſeruantia rectas facit. O felicem pœnitentiam, quæ Dei oculos in te conuertis, eiuſq. furentem ſententiam, non ſolum mitigas: ſed, vt ita dicam, etiam reuocas. Legimus, de conuerſione Regis Achab Deum. 3.Reg.21. Heliæ dixiſſe: Nonne vidiſti Achab humiliatum corā me? Quia ergo humiliatus eſt mei 2.Para.c.33 cauſa, non inducam malū in diebus eius. Manaſſes quoque delictorū ſuorum veniam petens, abſolutus eſt. Niniuem cadentem pœ- Io.3.Lu.18. nitentia ſuſtentauit. Publicanus, dum ſibi pectus tundit, oculiſq. ad terram demiſſis, cælū aſpicere non audet, Deum ipſum ſemper victorem, ſemper inuictum, humilitate ſua ita quodammodo vicit, vt multo magis iuſtificatus diſceſſerit ipſe vitiorum confeſſor, quàm ſuperbus virtutum iactator Phariſæus. Dauid Rex, factus ex peccatore magiſter, virtute pœnitentiæ eo perfectionis peruenit, vt dicere non vereretur: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Cùmque coram Deo anteactam vitam prius acculans, dixiſſet: Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ; vulnerum fœditatem in ſanitatis decorem, & animæ candorem mirabiliter commutauit. Luxuriosus filius, qui peſſimam ducens vitam, totam prodegerat ſubſtantiā, cùm clamaret: Pater peccaui in cælum, & coram te: patri reconciliatus, atque eius oſculo exceptus, ſibi vitulum ſaginatum occidi, ſtolaque, hoc eſt, Chriſti veſte, quam polluerat, cum annulo recepta, audire meruit: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Etenim, ſicut nihil amore Dei pulcrius, nihilvè candidius, ita nihil peccatore ſordidius, nihilvè turpius. Amor Dei, (vt ait Gregorius Nazianzenus) formoſum reddit amantem; & Sanctus Auguſtinus: Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio. Terram diligis, terra es. Deum diligis, quid dicam? Deus es. Audite (filij) Oſee Prophetam: Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerūt, ſcilicet, peccata, quibus nihil plane magis odiotum, nihil magis deteſtabile, non Deo tantum: ſed, & Angelis, & hominibus. A neceſſarijs ſuis ſe derelictū eſſe querebatur Iob, tempore culpæ, nec plus à neceſſarijs, hoc eſt, familiaribus, & domeſticis, quàm ab ipſis Angelis, ſub quorū tutela ille viuebat. Proinde cum peccatore Dauid rogandus eſt Deus, vt lauet nos ab iniquitate noſtra, & à peccatis noſtris mūdet nos; ac ſæpè faciendū, quod idem Dauid ſe facturum profitebatur, vbi dicit: Lauabo per ſingulas noctes lectum meū, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Petrus, cùm ad delendam turpiſſimam infidelitatis maculam ex trina Magiſtri negatione cōtractam, nullum efficacius, nullumvè magis præſentaneum haberet remedium, quàm lacrymas, omnium ſceleſtiſsimum patratum ſcelus fleuit amarè. Vnde ſanctus Leo Papa: Felices, ait, ò Apoſtole, lacrymæ tuę, quæ ad diluendā culpam negationis, virtutē habuere ſacri baptiſmatis. Igitur pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum Cælorū. Citò venturo ſummo Regi, cogitationum, mentiſq. puritate occurrite: Expurgate vetus fermentum, hoc eſt cōſcientiæ ſordes vnuſquiſque eluat, animi affectus terrenis illecebris irretitos ad ſalutem æternam dirigat, cordiumque ſcrutatori ornatiſsimum in corde ſuo hoſpitium ſumma induſtria parare ſtudeat. Recuſat enim Deus in immundis locis habitare, ipſa nempe puritate putior, immò ipſa puritas, & charitas, in qua, vt eſt apud Ioannem, quicūque mānerit, in ipſo Deo manebit, ſicut Deus in eo.

Pſal.44. Iſai.35. 2.non oportet 33.q.4. c.4.de cer. Luc.1. Pſal.50. Pſal.37. Luc.15. Eccleſ.c.19. Carmine de laud.virgin. tract.7.in 4 epiſt.Ioan. Oſee 9. Iob 19. Pſal.50. Pſal.6. Ser.de pas. Domini 3. 1.Ioan.4.

in eo. Interim, vt in eo maneatis, clamate: Vias tuas Domine notas fac nobis, & semitas tuas edoce nos. Excita Domine potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Et respondebit Isaias: Confortamini, & nolite timere: Ecce enim Deus noster retribuet iudicium, ipse veniet, & vos saluos faciet. Quo nuncio exhilarati dicite, Festina Domine, ne moreris, & auxilium supernæ virtutis nobis impende, vt ad te venturi, & apud te mansuri, aduẽtus tui consolatione subleuemur, qui sine fine viuis, & regnas. Valete. Augustæ Taurinorum, Kal. Decembris. M D C X V.

Psal. 24. Psal. 79. Isai. 35. Ioan. 14.

Clero populoq. Tarantasiensi.
Epistola IV.

POSTQVAM ea molestia leuati estis, quam à Sabaudiẽsi equitatu, si isthic hyematurus fuisset, vobis timebatis, nullas literas, nullumvè de rebus vestris nũcium, accepisse me, & miror, & doleo, causa tanti silentij prorsus ignorata; nisi fortasse hyemis rigore cælum illud à nostro ita diuersum sit, vt litteræ vestræ ad nos peruenire non possint. Quod profecto credibile non est; siquidem sereno, mitique nos hic cælo fruimur, absque vel imbrium, vel niuium, vel glaciei aliquo incommodo, ac quidem ad optatam frugum vbertatem admodum opportune. Bubulci namque adhuc sub iugo boues habent: oues, capræ, iumentaq. omnia, vt in æstate, atque autumno, per campos, per valles, perque ipsos montes pascere, transire, ac ludere cernuntur: pauperculæ quoque mulieres ligna, sarmentaque vndequaque collecta in suas ædiculas congerunt; eaque, sole iuuante, domestica negotia conficiunt, quæ, si sæuiret hyems, aut intermittenda essent, aut confici nequirẽt. Cùmq. pruinæ, glacies, ac niues, frumenti, vini, fœni, aliorumq. terræ fructuum vecturam, vel prohibeant, vel retardent, vnde multo carius vendi solent, præsertim in hac ciuitate; ea est tempestatis huius clementia, vt omnia quoquo versum absque impedimento vehi, atque asportari possint. Quare, & vos eadem cæli temperie gaudere non dubito, cùm anni constitutio æqualis vbique videatur. Quid igitur dicam de vestro silentio? Certè, si de simplici litterarum intermissione querela sit; parum est, quod vobis obijcio. Sed vtinam beneficij immemores in eorum numero non sitis, de quibus dicit Dauid: Obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Et alibi, quod absit: Obliti sunt Deum, qui saluauit eos. Ipse enim est, qui vos custodit, tuetur, protegit, quique, Ductis Allobrogum Sereniſſimi opera, vos ab equitũ molestia liberauit. Quas ergo gratias tanto benefactori egistis? nullas opinor. Quare verendum est, ne ingratitudinis rei aliquãdo dicatis, quod dicit Propheta: Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde: factus sum, tanquam vas perditum; Quodque refert Osee, Dominum dixisse de Israelitis: Obliuione obliuiscar eorũ. quo nil grauius, nihilvè infelicius, cùm non irascatur Deus illis, quorum obliuiscitur. Verùm magna est eius ira, cùm peccantibus nõ irascitur, ait Sanctus Hieronymus, refertque Ezechiel, vbi Deus ad Hierusalem loquens, ait: Iam non irascar tibi: zelus meus recessit à te. Quem enim Deus diligit, hunc corrigit, & castigat. Medicus, dum ægrotum visitat, de eo sperat; cùm visitare omittit, desperat. Propterea cauete (fratres, ac filij) ne vestri obliuiscatur Deus, peccantibusq. non irascatur: sed, quantum in vobis est, efficite, vt tanquam filij dilecti erudiamini, & corrigamini. Quod difficile non erit, si cum Ecclesia dixeritis: Veni ad docendum nos viam prudentiæ, veni ad liberandum nos, iam noli tardare, & ostende faciem tuam & salui erimus. Etenim è cælesti throno descendit in vterum Virginis vnigenitus Dei filius, ob hoc vnum, vt viam prudentiæ mundum doceret, vtque ex inferni compedibus liberatos regni cælestis secum nos cohæredes faceret. Quod profecto assequi non possumus, nisi per eius vestigia ambulemus, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; cui nunquã fuit, qui comparari potuerit, siue natiuitatẽ, siue vitã, siue eius mortem spectes. Primum ex pauperrima, licet nobilissima, cælestiumq. donorum ditissima matre, nasci voluit; non in regali palatio, cuius moles altissimis columnis, parietibus marmorum crustis nitentibus, latis porticibus, auratisq. laquearibus splendesceret: sed in vili stabulo, pro tapetibus, aranearum telis instructo. nõ in lecto serico, aurovè, aut gemmis ornato; sed in rustico, & angusto præsepe, omnibus cæli iniurijs exposito. non inter nobiles matronas, aut obstetrices, aut nutrices: sed inter bouem, & asinum. non æstiuo tempore, sed summa hyeme, eaq. hora, qua frigoris rigor magis vrget, mediã scilicet nocte, ac fere sub dio. Deinde natus, annosq. infantiæ egressus, parentibus subijci voluit: venerabatur matrem, cuius ipse pater erat: colebat nutricium, quem ipse nutriuerat, quasi gratias referens, quòd alterius vtero, alterius brachijs gestatus fuisset. Denique moriens nudus in ara crucis, prudentiæ suæ

Psal. 77. Psal. 105. Psal. 30. Cap. 1. Epist. 33. Ezech. 16. Ad Heb. 12. Luc. 2. Matt. 11.

nobis

nobis exemplum reliquit; quam, qui didicerit,non theſaurizabit ſibi quidquam in terra,
Matth. 6. ne pro terreno theſauro cæleſtem amittat, quia, vbi eſt theſaurus, ibi eſt cor theſaurizantis;
Matth.16. ſed in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Si naſcentem infantulum Chriſtum ſuſcipere vultis, contemptis mundanis pompis,atque delicijs,cogitate, vos nihil habere, niſi bona opera, quæ feceritis. Chriſtum nudum veſtite in pauperibus,viſitate in languentibus,paſcite in eurientibus; in afflictionibus iacentes erigite, recreate; pereuntes pro virili parte periculis eximite; orphanorum miſeriam tubleuate; viduarum orbitati, atque lamentis, quam poteſtis, opem ferre ne differatis; in peregrinis, tectoq. carentibus Chriſtum hoſpitio accipite;ſeruorum ſuorum,pauperumq. ſpiritu præcipuam curam habete,præſertim religioſorũ, qui dies, nocteſq. in diuinorum præceptorum obſeruantia excubantes, quamuis in terra ſint,Angelorum puritatem imitantur,nec loquuntur,aut tractant,niſi, quod ad Dei, Beatiſſimæ Virginis, ac Sanctorum laudem pertineat; vixq. piorum hominum liberalitate poſſident, quantum eorum alimento,& veſtimento ſatis ſit; ſemper hilares, ſemper conſtantes, ſemper in ſumma inopia ſumme copioſi. Aliud incomparabilis prudentiæ ſuæ documentum reliquit nobis glorioſus noſter Redemptor, offenſarum ſcilicet remiſſionem, tunc, cum ſumma ignominia affectus, indignaq. morte mulctatus, non ſolum pro inimicis pati voluit: ſed,& Patrem pro crucifixoribus rogauit,dicẽs. Ignoſce illis,quia neſciũt,
Luc.23. 1.Ioan 3. quid faciunt; vtique ne ei obijci poſſet, quod
Pſal. 4. ſcriptum eſt: Quicumque odit fratrem ſuum,
Ephe.4. homicida eſt. Ideo Propheta ait: Iraſcimini,
Matth.5. & nolite peccare. Quod ſatis explicat pretioſiſſimum electionis vas Paulus, vbi dicit: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: & apud Matthæum Saluator ipſe his verbis: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Veh nobis,ſi,aut munus ad altare non offerimus, aut feruente iracundia fruſtra offerimus,aut quotidiano mendacio nolimetipſos decipimus petentes dimitti debita noſtra, ſicut nos ea dimittimus debitoribus noſtris, quæ tamen, vel rarò, vel nunquam dimittuntur, quamuis id verbis profiteamur, vel non eo modo, quo ea nobis dimitti petimus: vnde magnum ſequitur abſurdum,animum,ſcilicet,cum ſermone, preceſq. cum operibus non contentire. Quod abſque dubio in maximum nos æterni interitus diſcrimen adducit. Ethnici inimicos in gratiam recipere laudabile duxerunt;hocque nomine Romanos plurimũ celebrat Marcus Tullius his verbis: Viri boni malunt commemorare,ſe,cũ perdere poſſent,pepercille,quã, cum parcere poſſent,perdidille. Vos verò (filioli) ne terrenas, caducaſq. ſæculi ineptias, vt ethnici veræ fidei lumine orbati, ſed cæleſtem, ac nunquam intermorituram gloriam, quærere videamini,alia mente,aliaq. de cauſa acceptas iniurias obliuiſci deberis, nempe, vt æterni Patris filij iure vocemini, cuius regno, cùm rationali creaturæ promiſſum ſit, nihil Chriſtiano homine felicius,nihil itẽ fortius,dum ſummi Imperatoris armis munitus, diabolũ vincere poteſt;ſicut nihil imbecillius, dũ carnalibus deſiderijs vincitur,nihilq. fragilius,dum quotidie, imò, & vnoquoque horæ momento, de vita periclitatur. Itaque, ſi quid iræ,aut odij cõtra fratres veſtros adhuc in pectoribus veſtris retinetis, ſi quid memoria tuggerit, quod ad acceptarũ offenſionum vltionẽ vos impellat, id iam proximæ ſolẽnitatis reuerentia totũ deponite;veſtriq. cordis
Pro Publio Quinuo. natcenti diuino Infantulo mundũ hoſpitium parate: vt, quas fratribus veſtris pro illatis iniurijs pœnas debetis,ipſe vobis viciſſim remittat. Lacrymis item,dum naſceretur Saluator in cunis vagiens, ſummæ prudentiæ ſuæ aliud ſignũ dedit, vt indicaret, eam nos aſſequi prudentiæ virtutem non poſſe,niſi per lacrymas, per gemitus, per continuos labores; nobiſq. ſurgendũ eſſe,ac diligenter inquirendum, vbi ille ſit; & cum inuenerimus cæli, & terræ conditorem,non in molli ſtrato,vt diximus, nec in ſumptuosè apparato cubiculo quieſcentem,ſed in duro iacentẽ præſepe, ac pauperrimo tugurio naſci, à paſtoribus ſalutari, à Magis, ſtella iter monſtrante, adorari, thalami noſtri pompas,ac diuitias, tanquam mundi purgamenta, ac lotũ, contemnamus. Surgendũ eſt igitur è lecto voluptatũ,ſi Chriſtum inuenire volumus,quẽ,nec Paſtores,nec Reges inueniſſent, niſi illi caulas, hi palatia reliquiſſent. Sed,& Angelos oportuit cœleſtes ſedes relinquere, vt Angelorum Dominum in ſumma rerum miſeria poſitum adorarent. Quare dicendum cum ſponſa: Surgam à præ- Cant.3.
territis,ſcilicet,vitæ meæ vanitatibus: ſurgam à malorum conſuetudine: & diſcedam à voluptate rerum omnium humanarum: peregrè proficiſcar à iucunditate,ab hilaritate, terreniſq. omnibus voluptatibus, vt infantulum inueniam,in quem vnum, quaſi faſciculum,

roſas, lilia, violas, omnes flores, delicias, vbertates, diuinaſq. iucunditates æternus Pater
4. cap. 3. coegit. Nec ſolum ſurgam, ait ſponſa: ſed, & circuibo: parum ſiquidem eſt ſurgere, ac ſtare, perque cancellos, & feneſtras obſeruare, ne quid mali lateat, ſed neceſſe eſt etiam circuire, & dicere: Diſcutiam conſcientiam meam, meaque opera diligenter examinabo; necnon, vt ait Sanctus Rex Ezechias, Deum
Iſai. 38. alloquẽs: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quod ſi fecerimus; ſponſum cum ſponſa quærentes, maximo Natiuitas Chriſti erit nobis adiumento. Porrò ſponſa, vbi non ſolum in præſepe, ſed & per vicos, plateaſq. diu quæſitum ſponſum non inuenit, cuſtodes ciuitatis interpellans clamauit: Num, quem diligit anima mea, vidiſtis? Hac pœna plectenda eſt anima, quæ charum ſponſum perdidit: hanc, inquam, pœnam ſubit ille, qui, quomodo oportet, Deũ ſuum cuſtodire neſcit, vt hoc, ſcilicet, quod ſponſa in canticis lamentatur, ipſe experia-
Cant 5. tur. Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerũt me, tulerunt pallium meum. Verè tunc præparatur ad æternam gloriam anima, cùm, peccatis ad memoriam diligenter reuocatis, ad pedeſque ſacerdotis procumbens, ea libere confitetur, lubenſq. iniunctæ ſibi ſatisfactioni acquieſcit, imperata flagella, quas diſciplinas vocant, cilicia, quantumuis aſpera, ieiunia, licet tempore, ac qualitate grauiſſima, non reculat, peregrinationes etiam difficiles, faciles exiſtimat, reprehenſiones, etſi ſine rubore excipi non poſſunt, conſtanter admittit, immò, ceu diuina monita, humillimè ſuſcipit. Præterea tulerunt pallium meum, hoc eſt amiculum, ſeu togam meam, ſeu, vt nonnulli interpretantur, omne capitis ornamentum. Sed felix illa mulier, quæ à confeſſario iuſſa, corporis ornatũ deponere, iubenti morem gerit; & monita, ne aures perforet, ne ceruſſa, ac purpuriſſo faciem ſibi deformet, ne auro, & margaritis collum, caputq. gemmis oneret, ne capillos arte flauos faciat, monenti paret. Alias pudica fœmina habet margaritas, virtutes, ſcilicet, chriſtianas, quibus inæſtimabilem ſibi emat paradiſi margaritam, qua ornata cum Sanctis, & Angelis, ſummæ lætitiæ voces edat: Gloria in excelſis
Luc. 2. Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Etenim, ſicut vera gloria nuſquam inuenitur, præterquam in excelſis, hoc eſt in cælo, vbi nihil immundum, nihil prauũ, nihil turpe eſſe poteſt: ita, cùm terra ſeditionibus, bellis, vitijſq. omnibus plena ſit, enixe pax petenda eſt pro hominibus bonæ voluntatis, eaque ſalutatione dignis, quã Princeps Apoſtolorum diſcipulis Domini impartitus eſt, di-
1. Pet. 3. cens: Gratia vobis, & pax à Deo, ſcilicet, multiplicetur: quam ſi aſſequemini (fratres chariſſimi) ipſius faciem videbitis, & ſalui facti, vos quoque cum Angelis canere poteritis: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax. cuius fructum, quantum in nobis eſt, quærere, atque à diuina maieſtate implorare debemus. Valete. Auguſtæ Taurinorum, pridie idus Decembris. M D C X V.

Clero populoq. Tarantaſienſi.
Epiſtola V.

QVOD diu expectatas litteras veſtras tandem acceperim, nõ minima moleſtia liberatus sũ: quæ quidem, cùm earum intermiſſio culpa carere non videretur, eiuſmodi fuit, vt, quamuis de purgãdo longo ſilentio plurimum laboretis, adhuc hæream, an accipiẽda ſit veſtra excuſatio. Libenter audio, vos à religioſo fratre Dionyſio meo nomine ſaluere iuſſos, quos ſaluos eſſe ſemper volo, ac ſemper saluto. Quod verò, me iſthic breui fore dixerit, amantis hominis bonam mentem agnoſco; ſed, cum mei iuris nõ ſim, atque ab alieno arbitrio pendeam, quid ille de meo reditu exploratum habuerit, planè ignoro: quamuis, nec diem, nec (vt ita dicam) horam intermittam, quin redeundi poteſtatem mihi dari curẽ; quam cum impetrauero, & hinc ex meis familiaribus, & iſthinc ex domus meæ præfecto, publiciſq. miniſtris, ad quos mihi ad iter neceſſaria parare pertinet, facilè cognoſcetis. Atque vtinã id quam breuiſſimè fiat, ne vlterius ſcribamus, & reſcribamus, ſed mutuis ſermonibus diuturnæ abſentiæ moleſtiam deleamus, noſq. viciſsim amplectamur, nõ animo ſolũ, vel epiſtolis, ſed coram facie ad faciẽ, liceatq. mihi non aliena manu, ſed mea, vobis benedicere. Hæc deſideriorum, hæc cogitationum mearum meta, ad quam eò magis peruenire cupio, quò eiuſdẽ Dionyſij litteris certior factus ſum, plurimam iſthic conceptã fuiſſe lætitiam ex ea ſpe, quam illic fecerat, me proximè elapſa natalitia Domini feſta vobiſcũ celebraturũ fuiſſe, quemadmodum, & ipſe futurum ſperaueram. At proponere, hominis eſt; diſponere verò, eius, qui præterita, ac futura habet æquè, ac præſentia. Magnam verò cepi voluptatem, quod ille Dei ſeruus populo vtilis, gratuſque ſit, pluſque virtutis; & publicè, & priuatim præſtet, quàm ego promiſerim; quodque vt ſcribitis, omnibus obuius, & expoſitus, doctrinam

ctrinam humanitate, morumq. sanctimonia confirmet, ingenioq. flexibili, ac multiplici, quo maximè pollet, etiam lingua Italica, quam induit personam, egregie sustineat. Verùm (fratres dilectissimi) ad vitiorum extirpationem non sufficit diuini verbi præcones attente audire non sacræ scripturæ interpretationes admittere, venerari, laudibus extollere, non diuina iussa memoria percurrere, nisi, & vnusquisque opere impleat, quod probat, & corde profitetur, faciatque, quod à Spiritus sancti nuncijs faciendum esse didicerit: non enim (ait Apostolus) auditores legis iusti sunt, sed factores legis iustificabuntur. Ideò clamat alibi idem concionantium princeps: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Imitatio siquidem sine opere esse non potest, cuius præmium pollicetur idem Christus, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Si nescitis, quos ex hominibus imitari debeatis, Christum imitemini, quia, cùm via, veritas, & vita sit, per eius vestigia ambulantes, errare non permittit. Vnde Ioannes: Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius; qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt, peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Quod, vt plene fiat, optimum est imbuere animum diuinis eloquijs, semperq. meditari, quod docetur, quodq. sine opere perfectum esse non potest. Plura de iustitiæ amplitudine, si epistolæ ratio id pateretur, ex patentissimo sacræ paginæ campo in medium afferrem, quibus animi vestri spirituali suauitate perfusi, ad eius perfectum cultum allicerentur, atque inflammarentur. Sed satis sit, tanquam Theologicæ huius virtutis summatim, omniumq. præceptorum compendium, quod dicit Dominus: Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis; quodq. illico subdit, vt tanti mandati dignitas magis eluceiceret: Hæc enim est lex, & Prophetæ. Cumq. in ijs, quæ ad mores pertinent, sacra profanis etiam miscere liceat, non ab re fuerit hic referre, quod legitur responsum fuisse Traiano Cæsari interroganti, quomodo Rempublicam recte administraret, omnibusq. charus esset, vt se, scilicet, talem priuatis exhiberet, qualem sibi, si priuatus fuisset, optasset Imperatorem; quod non verbis tantum, sed re ipsa illum præstitisse ex his Pliniani Panegyrici verbis colligitur: Vt reuersus Imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnoceris? eoidem nos, eumdem te putas; par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quo melior. Et inferius: Manet Imperatori, quæ prior, humanitas: incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris: eademque omnia circa te, nihil pro te, fortuna mutauit. Liberum est, ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quasi contingat, & copiam tui, non quasi imputes, facis. Hæret, lateri tuo quisquis accessit, finemq. sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit. Quare primus inter Imperatores optimi cognomen consequutus est. Hanc animi moderationem, ac reciprocæ iustitiæ amorem ante oculos prælatorum ponit B. Hieronymus dicens: Episcopi, sacerdotes se esse nouerint, non dominos: honorent clericos, vt & ipsis à Clericis, quasi Episcopis, honor deferatur. Elegans illud Domitij Oratoris: Cur te ego, inquit, habeam, vt Principem, cum tamen non habeas, vt Senatorem? Vnica igitur, eademq. breuissima sententia, omnes iustitiæ partes complexus est Christus, per mutua beneficia charitatem inter nos communicari, nostrosq. animos synceri amoris vinculo connecti cupiens, vt nulla terrenorum affectuum impressione vnquam separemur. Qui enim diligit proximum (ait Apostolus) legem impleuit: nam, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quid aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio, sine qua sanctum illud impleri nequit præceptum: Omnia quæcumq. vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Qualem enim proximum vestrum erga vos esse cupitis, tales erga proximum esse debetis. Quòd si diligi, non autem diligere, velitis, qua ratione charitatis, ac iustitiæ partes sustinebitis? quoue pacto diuinam vindictam, odiumq. hominum declinabitis? Sed, ne longiore oratione pietatem vestram in dubium reuocare, aut iniustitiæ reos quodammodo vos facere videar, ijs, quæ dixi tantum addam, vestra maximè interesse, animos, atque opera ad salutaria concionatorum consilia ita accommodare, vt, quæ de eorum laboribus, ac virtutibus prædicaueritis, rerum potius, quàm personarum respectu

Rom. 1. Phil. 3. Matth. 11. Ioan. 14. Ioan. 2. 1. Pet. 2. Matth. 7. Plin. in Panegyr. lib. 2 epist. 12 ad Nepotianum. Ad Rom. 13.

dicta appareant, hoc est, vos de illis bene dicere potius, vt erga eam, quam seminant, doctrinam, propensionem vestram patefaciatis, quàm, vt de alienis laudibus præmium vllum expectetis. Sanctum verò semen hoc, altas in cordibus vestris acturum radices mihi persuadeo, si de mutua beneuolentia inter vos christianis officijs absque intermissione certantes, alter alterius (quod scribit Apostolus) onera libenter portaueritis. Cæterum, quoad ea, quæ ibthic disseminata sunt, ac scire cupitis, an vera sint, captum scilicet fuisse Villænouæ oppidum ab aduersarijs, contra à nostris eorum nonnullos captos Duces: vtrumque omnino falsum est, cum post conciliatam pacem nihil hostile in his partibus actum sit. pacis tamen conditiones, vtrum omnes seruentur, nobis non liquet: neq. enim summi Insubrum Præfecti animum exploratum habemus, nisi, quod milites regij ante eius aduentum non dimissi huc vsque sub tignis in hybernis sunt, forsitan imminentis belli suspicione, quod, sceleratissimis, atque infestissimis latronibus Vicecchis occasionem præbentibus, contra Austriacos Veneta parat Respublica. Rebus verò nostris arma hæc nullam videntur allatura esse molestiam, nisi ab ira diuina populi sceleribus lacessita, nouæ nobis ærumnæ metuendæ sint, cùm in vitiorum volutabris obdormiscentes, de praua peccandi consuetudine nihil remittamus, immò (proh dolor) ac si nullas daturi simus erratorum pœnas, cœlestibus thesauris terrenas voluptates, ac miserias turpiter anteponamus; quin, & publicarum, & priuatarum calamitatum oblitι, quam summus ille iudex delinquentes puniendi iustam causam non habeat, ex veteribus nouas in dies culpas nectimus, eiusque beneficijs conniuentes, ad sempiterna flagella festinamus. Longum esset recensere, quæ fugienda, quæue facienda sint, vt veræ gloriæ coronam lucremur, animasq. in tuto collocemus: sed, reliquis omissis, de maledicorum, ac detractorum periculo in præsentia aliquid dicam. Est enim vitium hoc mortalibus perquam familiare, nec desunt inter nos, qui, cùm reprehensiones non admittant, ipsi (vt se esse arbitrantur) perfectissimi, in aliorum mores acerrimè inuehuntur, adeò graui philautiæ huius morbo exagitati, vt etiam ab alijs vitijs abhorrentes, laqueum hunc Satanicum vitare nesciãt. Proinde ab hac peste diligenter cauendum: (filij dilectissimi) neque enim Christiana lege fratrum famæ tantum detrahere, sed, & aures accommodare, ac fidem detrahentibus adhibere prohibemini; ne illi ex auditu vestro arrogantiores fiant, vosq. præsentia vestra illorum malitiam fouere videamini. Cum detractoribus (ait Salomon) ne miscearis; quoniam repente veniet perditio eorum: & ruinam vtriusque quis nouit? detractoris videlicet, ac detractorem audientis. Et Iacobus: Nolite detrahere (inquit) alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut, qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex: vnus est enim legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum? Non solum autem detractionis crimen auersatur Deus, sed, & personam detrahentis persequitur; dicit enim per Prophetam: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. At, si honorem proximi clam vellicantem vlciscitur Deus, qua pœna afficiet palàm lacerantem? Quomodo autem persequitur? peste, fame, gladio, per odia, per inimicitias, per dissensiones, etiam inter coniunctissimos suscitatas, perque alia penè innumerabilia seculi infortunia, quæ à ceruicibus nostris depulit Christus docens, (vt superius retulimus) nos erga fratres nostros esse oportere, quales eos erga nos esse volumus: nihil pro se petens, sed per huius præcepti obseruantiam omnia tacitè petens, cum maximo tamen lucro nostro, ac fœnore: nam, quod accipit, centuplicatum reddit, gloriam, scilicet, vitæ æternæ, si nos inuicem diligamus, quod ille omnino fieri iussit, legem inde pendere affirmans, ac Prophetarum oracula. Huic maximo, summoq. præcepto, si, vt ego futurum spero, omnem operam dabitis, pro ærumnis, ac flagellis, commoda plurima, ac beneficia ab eiusdem Domini liberali manu proculdubio accipietis. Quod, vt ex sententia succedat, vehementer opto. Valete. Augustæ Taurinorum, cal. Ian. MDCXVI.

Galat. 6.

Prou. 24.

Iac. 4.

Psal. 100.

Clero Tarantasiensi.
Epistola VI.

BINIS litteris vestris (fratres dilectissimi) salua meæ in vos beneuolentiæ, officijque dignitate, vtique nullum responsum dare decreueram, promisi, videlicet, memor, quòd, scilicet, superioribus diebus ad vos scripsissem, non esse, cur in scribendo, atque inuicem referibendo, tempus vlterius tereremus, cùm ibthuc breui futurus essem. Verùm (quod me pudet, pigetq. referre) quoniam reditum meum nouæ in dies causæ retardare videntur, nec satis

ſatis ſcio, quomodo ex ſuperuenientibus moleſtijs, quæ me hic inuitum diſtinent, emergere valeam, calamum ſumpſi, vt me vobis excuſarem, ſimulque pro contracta mora, non ſolum, quæ debeo, repræſentarem, ſed etiam, vt vberiore reſponſione ſortem fœnore multiplicarem. Non inficior equidem, me pluſquam mediocriter oblectatum ea litterarum parte, qua res veſtras recte ſe habere mihi ſignificatis, ac multò magis, nuper elapſos bacchanales dies tanta cum modeſtia, frugalitate, ac quiete iſthic exactos eſſe, ac ſi quadrageſimales, non voluptarij, fuiſſent. At iucundius erit audire, quòd vos ſequens Chriſti ieiunio conſecratum tempus, & à cibis, & à vitijs abſtinendo, qua decet pietate, continentia, cordiſq. humilitate tranſegeritis: cùm ieiunium, bonorum, ac beneficiorum omnium cardinem vocet Ioannes Chryſoſtomus: & Baſilius, nos à paradiſo exulare dixerit, quia non ieiunauimus: etenim, quia parentes noſtri ieiunium parui fecerunt, magno cum eorum dedecore, noſtroq. perpetuo detrimento ab immenſa Paradiſi felicitate in hãc ærumnarum vallem deiecti ſumus. Sed, vt ait idem paulò inferius, ieiunemus, vt ad illum poſtliminio reuertamur. Quod ſanè factu difficile non fuerit, ſi nos homines eſſe meminerimus, hoc eſt, nihil aliud, quàm pulueris maſſam. ſcriptum eſt enim: Memento homo, quia puluis es, & in pulucrem reuerteris. Obſeruate illud Eccleſiaſtici, vbi, cùm dictum fuiſſet: Deus creauit de terra hominem; ſubiungitur, Et iterum conuertit illum in ipſam. Cui apte reſpondet, quod dicit Iob, homiuem, quippe, putredinem eſſe, & filium hominis vermem. Sed & clamat Deus apud Iſaiam: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini fuſilauit in eo. Ideò videmus diu viuere, atque ad extremam ſenectutem peruenire magnam hominum partem, maiorem verò in ipſo adoleſcentiæ flore, vel viridis ætatis curſu exſtingui; tuncq. aliquando, cùm id minus cogitant incauti, immò & cùm longius ſibi vitæ ſpatium dari confidunt. Sed ea eſt hominum calamitas, ea in peccatis naſcentium conditio, vt vnuſquiſque ſibi dici quotidie iure timere deberet, quod refert Pſalmographus, de peccatoribus loquens: Fiant, ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit; quodq. idem inimicis ſuis imprecatur: fiant, tanquam puluis, ante faciem venti. Agnoſcat homo vilitatem ſuam, ſeque nec Deum, nèc quid diuinum exiſtimet, ſed hominem ex limo terræ originem habentem. Et quia per peccatum (vt rectè diſſerit Rupertus Abbas) gloria noſtra ſpoliati, & inter hoſtes nudi conſtituti, ornatu gratiæ Dei indigemus, ſine qua ad cœleſtis Regni poſſeſſionem aſcendere non poſſumus, enitamur, totoque mentis affectu contendamus, vt originis vitium Chriſtianis operibus corrigamus, ieiunio præſertim, cuius virtute praua conſilia, fraudes, ſimultates, ebrietates, inſana tripudia, & ſi quæ aliæ ſunt bacchanalium pernicioſæ ſuggeſtiones, atque abuſus, ab eo, tamquam ab auſtero ſatellite, in exilium proijciuntur. Quod eo magis faciendum eſt, quo cibi ſobrietate, non ſolum animæ, ſed & corpori, atque adeo ipſi reipublicæ, ipſiq. humanæ ſocietati conſulitur. Audite Baſilium: Ieiunium, ciuitatis eſt ornamentum, fori tranquillitas, domorum pax, incolumitas facultatum. Quamobrem, licèt ex fœcundiſſimo ieiunij ſemine nullus colligeretur fructus, præter eum, quem ſanctus vir proponit, is certè eiuſmodi eſt, vt ſalutarem hanc abſtinentiam, & venerari, & magni facere debeamus. Sacrum hoc tamen ieiunium hypocriſis vmbra vacet: abſit ſuperbia, abſit vanitas, abſit laudis deſiderium. Vngat caput ſuum, vt eſt apud Euangeliſtam, faciemque lauet ieiunans, hoc eſt autem fugiat popularem, ſuiq. meriti præmium à Deo, non ab hominibus, expectet; vt in eorum numero ſit, quorum emendationi magnam fuiſſe referuatam mercedem teſtatur Iſaias his verbis: Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris: Quinimmo, vt ait idem Propheta: In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui. Proinde ad obſequium parati, cantemus cum Eccleſia: Populum tuum quæſumus Domine propitius reſpice, & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, à noxijs quoque vitijs ceſſare concede. Quod faxit rerum conditor omnipotens. Valete. Auguſtæ Taurinorum pridie cal. Maij. M DC XVI.

Ser. 2. de ieiun. tom. 5.
Homil. 1. de laud. ieiun.
Gen. 3.
cap. 17.
cap. 25.
cap. 40.
Pſal. 128.
Pſal 36.
Lib. 4. de diuin. off. c. 10.
cad. hom. 2.
Matth. 6.
cap. 61.
cap. 58.

Clero populoq. Taraniaſienſi. Epiſtola VII.

SVPERIORIBVS diebus (fratres, filijque chariſſimi) ſcripſit ad me religioſus vir Dionyſius noſter, ſe Muſterio Riuulos veniſſe, vt me quamprimum conueniret; ſed fratrum ſuorum precibus Orbatianum diuertere coactum, vt reliquis præteritæ quadrageſimæ (qui pauculi erant) nec non ſubſequentis Paſchatis diebus,

bus, ad illum populum conciones haberet. Gratus quidem fuit charissimi amici aduentus, quamuis ægrè ferebam, illum à vobis nihil mihi litterarum pertulisse, ac eo quidem sensu, vt conceptam curam deponere nequiuerim, donec ille tandem veniens, omnem salutis vestræ scrupulum euulsit. Sui verò discessus mihi quærenti causam expoſuit, id scilicet, itineris a se susceptum, vt cum summo Ordinis sui Moderatore de rebus quibusdam ageret, simulque, vt à se de diuinis Deiparæ Virginis priuilegijs Italico idiomate conscriptum librum in lucem edendi facultatem obtineret; quam etiam me enixè rogauit, vt sibi omnino impetrarem. Interceſsi ego non inuitus, nec frustra: cùmque, vtrum liber prælo committendus videretur, prius quærendum esset, eamque prouinciam nonnullis ex doctioribus eiusdem instituti viris dari proposuissem; quorum iudicio, vel imprimi opus, vel supprimi placeret; Generalis magister ad me conuersus, vt id oneris susciperem, si feriatus essem, a me per summam modestiam flagitauit. Annui, Dionyſio imprimis rem gratam facturus; lectumque ac relectum librum typis dignum censui. Auctor enim acute inuenit, ornate dilserit, apte disponit, sacræ paginæ mysteria doctè, atque eleganter examinat, perpendit, explicat, Patrum sententias mirificè collocat, suisq. disputationibus inserit; nec semper affectat elata, atque excelsa, non ignarus, orationem quandoque submitti, quandoq. attolli oportere; sicut in pictura, non alia res lumen magis commendat, quàm vmbra. Quibusdam liber visus est nimius: mihi contra: vt enim aliæ bonæ res, ita bonus liber melior est quisque, quo maior. Videmus enim signa, statuas, picturas, hominum quoque, ac multorum animalium formas, arborum etiam, si modo sint decoræ, nihil magis, quàm magnitudine commendari. Quod itidem in qualibet erudita scriptione quotidie experimur, cui pulchritudinem, & auctoritatem auget amplitudo. Sed ad Dionyſium redeamus, qui verbis vestris plurima salute nunciata, nullas a vobis litteras attulisse mihi se exculauit, quia ex occasione sibi repente discedendum fuerit. Eius testimonio non parua liberatus sum animi suspensione de vestra in Christianis moribus perseuerantia, cum totum tempus, quo apud vos fuit, magna cum spiritali lætitia, optimaq. de pietate vestra opinione se transegisse affirmauerit; ac, præter sermonis diuersitatem, variumq. corporum cultum, nihil usquam obseruasse, quod ab Italorum hominum ecclesiastica disciplina discreparet; non solum, quia sacræ ædes decorè, ac splendide ornentur, diuina officia attente recitentur, sed (quod mirum est,) quia horæ quoq. matutinæ in Metropolitana ecclesia, cum Missis pluribus, solemni cantu quotidie celebrentur, adeo, vt non vltra, sed citra alpes sibi esse videretur. Quæ sanè etsi mihi notissima (fratres, filijq. dulcissimi) ingenti me voluptate perfudere, alia insuper non minus grata narrante Dionyſio, nempe Missas apud omnes in ea veneratione esse, vt pauci essent, etiam inter ipsos agricolas, qui singulo quoque die summo sacrificio non interſint: populos in defunctorum animas maxime pios esse: funera pro locorum qualitate religiosè, ac magnifice efferri: ecclesias, vbi sepeliuntur, donarijs cohonestari, non solum, cum cadauera humantur, sed & octo sequentibus ab humatione diebus (id nouemdiale vocant) & Dominicis per annum, & anniuersarijs: infantes magna cum pompa ad baptismales Ecclesias deduci, conciones libenter audiri, nec sine fructu: erratorum confessiones, sanctissimæ Eucharistiæ mensam, aliaq. pia opera plurimum frequentari. Quibus ego nunciis in magnam salutis vestræ spem erectus, dicam cum Apoſtolo: Omne quodcumq. facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. Quod factum fuisse gloriabor, cum, sicut quadragesimali tempore a cibis vetitis abstinuistis, ita vos, luxu, crapula, contentionibus procul amandatis, carnisq. irritamentis reiectis, orationi, humilitati, sobrietati eam operam dare intellexero, qua cordis puritate confirmetis, quod ieiunij merito vobis comparastis. Iamq. (fratres) proiecto terrenorum affectuum onere, ad virtutum montem expediti, properate: iam tenebrarum opera missa facite: iam lucis lorica induti, satanicas insidias contemnite: cumq. antiqui, ac veteratoris hostis artes, technasq. probe noueritis, cauete, ne per mundanas illecebras, atque ambages ad Diuinæ Maiestatis tuta conculcanda inducamini. Valete, Sanctiq. Pauli Antistitem, si adhuc apud vos moratur, & Dionyſij, & meo nomine plurimum saluere iubete. Augustæ Taurinorum, pridie Nonas Maij, Salutis Anno M D C XVI.

Coloſſ. 3.

Clero

Clero, populoq. Tarantaſienſi.

Epiſtola VIII.

CVM plurima, eaque non vulgaria, meæ erga vos voluntatis argumenta fidem faciant, nihil mihi antiquius eſſe, quàm de vobis benemereri; non eſt profecto (fratres filijq. dilectiſſimi) cur me excuſem, quòd in ijs, quæ à me proxime petijſtis, deſiderio veſtro non ſatisfecerim; tum, quia abſq. dignitatis meæ iactura, quod cupiebatis, facere non poteram; tum etiam, quia id fieri, è re veſtra non eſſe, exploratum habebam: agebatur enim de publico iudicio, cuius auctoritatem ſartam tectam conſeruari, humanæ ſocietatis plurimum intereſt. Sero quidem, ac non ſine moleſtia audiui, quod iſthic ſuperiore menſe actum eſt. At facta infecta eſſe non poſſunt. Clamantibus autem legibus, puniendos eſſe delinquentes, nonne prohibere ius dici, hoc eſt vetare, ne criminum rei in quæſtionem poſtulentur, eſſet, reos ipſos, crimina ipſa, corruptelas ipſas defendere, ac fouere? nonne iuſtitiæ maieſtatem conuellere, ſceleribusq. viam aperire, ac publicæ quieti inſidias ſtruere? Ciuium ſaluti conducit, bonos protegi, honoribusq. affici, improbos verò meritis pœnis plecti. Siquidem duabus nititur columnis, ac fundamentis populorum tranquillitas, præmio ſcilicet, & pœna; quorum alterum ſi deſit, tota libertatis fabrica corruat, neceſſe eſt. Male affecta reſpublica priuatorum res, vel validiſſimas, ſecum in excidium trahit; ſpesq. impunitatis maxima eſt peccandi illecebra. Sane, quòd illorum audacia, qui in ius vocati ſunt, abſque amici veſtri, vel culpa, vel nota contigit, ſi res ſilentio inuoluta fuiſſet, vnicuique veſtrum facile euenire potuiſſet. Quare negata à me, quæ petebatis, quæſo ne vos commoueant, quamuis ſint longe leuiora, quæ acta, quàm, quæ vulgata, aut mihi indicata ſunt. Vellem equidem, reos ipſos, ſalua iudicum conſcientia abſolui poſſe; intercedere autem, ne de re in iudicium deducta, quod lex iubet, pronuncietur, piaculum exiſtimo. Lex enim eſt iuſtitiæ ſceptrum, quo gubernatur reſpublica. Iuſtitia verò eſt pacis adamantinum, aureumq. vinculum. Ipſa peccantes coercet, virtutum amatores extollit, oppreſſos erigit, impudentes reprimit, modeſtos protegit, ac deniq. pauperes potentibus æquat. Contra, iniuſtitia bonos mores corrumpit, innocentes opprimit, vaſtitatem, ſolitudinem, orbitatem, nedum hominibus, ſed agris, ciuitatibus, regnis ipſis affert. Quidquid cogitamus, ac molimur, non ſolum in oculis erit viuentium, & poſterorum, ſed iam ab ipſo cœlo ad ſpectaculum circumfuſo, clarè perſpicitur: cuius aſpectui (fratres, filijq. chariſsimi) ita vos, veſtraq. omnia componere debetis, vt, vitæ breuitate, tamquam vnius diei ludis ſpectatoribus probata, maiora quàm animo in præſentia concipi poſſint, præmia percipiatis. Valete, Auguſtæ Taurinorum, iv. nonas Iunij Ann. Sal. MDCXVI.

Clero, populoq. Tarantaſienſi.

Epiſtola IX.

NEC temere, nec ab re (fratres, filijque dilectiſimi) ex ijs, quæ iſthic geruntur, pacis negotium in tuto non eſſe exiſtimatis: cùm, & Rex Chriſtianiſsimus inſtanti malo occurrere cupiens, huc miſerit prudentem virum, Philippum de Betune, vt nutantem Aſtenſem concordiam eius nomine confirmet, omnesq. diſſenſionum radices ſtirpitus euellat: qui iam ad Mediolanenſium Præfectum ſe contuliſſet, niſi aduentantem exercitus ducem, ab eodem Rege cum ijſdem mandatis Taurinum miſſum, expectaret; cuius aduentu, & vtriuſque induſtria, populos ad priſtinam quietem breui reuocatos iri ſperamus. Atque vtinam illis opus non ſit: etenim (vt ad vos aliàs ſcripſi) pace floret commercium, propagantur virtutes, viget pietas, ſtat iuſtitia. Bello autem diſſoluitur humana ſocietas, imperant vitia, languet fiſcus, ac denique claudicat religio. Bellicos terrores comitantur grauiſsima populorum onera, incendia, rapinæ, ſacrilegia, ſtupra, cædes, aliæq. innumeræ calamitates. Quid bellico certamine atrocius, quid horribilius, quàm ratione præditos animantes mutuis vulneribus confici? Quid miſerabilius, quàm plenos cadaueribus campos conſpici? humana corpora adhuc ſpirantia, à victoribus ſpoliari, fratresq. de fratrum internecione gloriari, exultare, triumphare? Quid crudelius, quàm humanos artus diſcerpi, pectora perfodi, viſcera effundi, corpora, vel gladio, vel ſclopeti pila transuerberari, ictuve clauæ capita contundi? Quid tandem funeſtius, quàm ad imaginem Dei formatos homines, exanimes, atque inſepultos, aut etiam viuentes, omni auxilio deſtitutos, ſine honore humi iacere, aut nudata membra cruore, ac vulneribus ita deformia, vt ipſos victores ad miſericordiam moueant, dirum poſt veſani Martis furorem, ac luctuoſum ſui ſpectaculum

lum præbere? Quo teterrimo aſpectu, ne oculi noſtri perſtringantur (fratres chariſſimi) à veræ pacis auctore Deo ſummis precibus contendendum eſt, vtque nos ab hoſtium noſtrorum machinis tueatur, atq. cuſtodiat; Pſal. 126. fruſtra ſiquidem vigilat, qui cuſtodit ciuitatem, niſi cuſtodiat eam Dominus, quem incomparabilis vigilantia, nec dormitare in cuſtodia, nec dormire ſinit; cuiusq. ſumma virPſal. 118. tute (ait Pſalmographus) non ſolum peccatores confunduntur, ac retrorſum conuertuntur, ſed, & eorum ceruices conciduntur, nempe, vt os noſtrum gaudio, & lingua noPſal. 125. ſtra exultatione repleatur. Proinde diſſenſionibus, iurgijs, maledictis, carnalibus deſiderijs, vitijsq. omnibus nuncium remittentes, mores noſtros ad diuinæ legis præſcriptum componamus; ſumma conſtantia, atque humilitate ad Deum conuerſi, pacem petamus; vtque precum noſtrarum, quem optamus, exitum, aſſequi poſſimus, quæ anno ſuperiore, ad diuinam iram placandam fieri iuſſeram, iterum fiant. Propterea ad Vicarium Chauallardum ſcripſi, vt ieiunio, ac ſupplicationibus indictis, in omnibus eum vrbanis, tum alijs eccleſijs, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſolemniter exponi, cauſamq. publicam orationibus, ac quibuſcumque operibus poterit, iuuari curet. Hoc agite, fratres, huc mentem, huc animorum ſenſus dirigite; hinc à perenni omnium bonorum, atque inexhauſto gratiarum fonte Deo, pacem ſperate: cuius immenſam charitatem toties experti, in præſenti quoque rerum diſcrimine vobis non defuturam confidite. Iiſdem ferè anguſtijs, iiſdem fluctibus agitatus religioſiſſimus Mediolanẽſium Antiſtes Cardinalis Borromæus ad hanc ſacram anchoram confugit; huc cogitationes conuertit, ad orationes, ſcilicet, ad ſacrificia, ad ieiunia, nec (quantum ego exiſtimo) fruſtra: glorioſi enim Caroli conſobrini ſui ſtrenuus imitator, habet in cœlo, qui tantorum operum fructum à diuina maieſtate exigat, ſuoque ſucceſſori repræſentet. Sed (proh dolor) non tantum ab externis, verum, & à domeſticis inſidijs nobis cauendum: diſſipatur enim neſcio quis de homine quodam rumuſculus, qui in armis ſit, populosq. ad defectionem ſolicitet. Ego certe, etſi vnius vulgi fama diſſeminatam turpiſsimi ſceleris ſuſpicionem non facile admitto, vos tamen (filioli) admonere non deſinam, ne quouis, licèt vehementiſsimo infidelitatis vento, flecti patiamini. Veſtra namque plurimum intereſt, & quoad conſcientiam, & quoad rerum veſtrarum tranquillitatem, eam Duci veſtro ſeruare fidem, quam maiores veſtri ſeruauerunt, & vos hucvſque integram præſtitiſtis. Ardeat in cordibus veſtris, vetus illa erga ipſum obſeruantia, ille amor, illa perſeuerantia, qua ſummæ conſtantiæ exemplum cæteris nationibus præbuiſtis. Scitis, cui, & quanto imperatori militetis: ſcitis, quanta ſit eius auctoritas, amplitudo, potentia, maieſtas, necnon quàm iuſtus, quàm antiquus titulus ſit is, quo ipſe iſtius Prouinciæ imperium tenet; cuius poſſeſsionem non facultatibus tantum, ſed veſtro, veſtrorumq. filiorum ſanguine, ſi opus fuerit, tueri debetis. Itaque mentes, curasq. veſtras omnes in hoc defigite, vt præter Sereniſsimum Carolum Emanuelem, eiuſque legitimos ſucceſſores, nullum vnquam alium rectorem habere velitis; nihil turpius, nihilue ſynceritati veſtræ pernicioſius putantes, quàm ab eo deficere, in cuius verba aliquando iuraſtis: contra verò nihil magis laudabile, aut rationi magis conſentaneum, quàm ſemel propoſitum fidelitatis, ſuſceptumq. conſilium, firmiter retinere, qua nullum liberis largius patrimonium, nullum patriæ pretioſius ornamentum relinqui poteſt. At creditu difficilia, atq. inania ſunt, quæ incerto auctore populus loquitur. Eſto. Non tamen ſunt negligenda, quamuis leuia, quælibet rerum principia: ſiquidem ex ignis fauilla ineſtinguibile aliquando excitatum eſt incendium; arbor quoque paruum ſemen fuit. Quod, ſi vnquam in alijs rebus, certe in reipublicæ adminiſtratione id præcipue conſiderandum: nec ſolum malorum rami amputandi, ſed etiam radicum fibræ euellendæ, ne, ſi altius deſcendant, irreparabile damnum afferant. Regnis enim ipſis, ex antiquiſsima ſapientum obſeruatione; etiam à leuiſsimis cauſis, ſumma impendent pericula. Attamen (fratres) de hoc terriculo, ſeu momentaneo tumultu, ſi caſus tulerit, ne perturbemini: ſed in auita fide, atq. obedientia erga fortiſsimum Carolum perſeuerantes, pro certo habetote, illum, ſicut fidelium populorum ſuorum, præſertim Allobrogum, libertatem ſemper protecturus eſt, ita perduellium temeritatem acerrime, ac grauiſsime vindicaturum. Quamobrem, cùm ille præſidium, ſalutiſq. veſtræ propugnaculum ſit, pro tanti defenſoris incolumitate Deum precari, pro vobiſmetipſis, veſtriſque vxoribus, parentibus, ac liberis precari fuerit. Quod, vt aſſidue faciatis, moneo, voſque etiam, atque etiam rogo; ſimulq. cupio, de ijs, quæ ad notitiam veſtram ſubinde peruenerint, à vobis certior fieri: ſcire namque vehementer aueo, ſint ne vera hæc, quæ in vulgus quotidie emanant, an inuenta: ac, ſi

vera

vera eſſe putentur, quem auctorem habeant, quomodo fieri poſsint, quorſumq. tendant: item, an ſyncerè relata, vel inſidiantium induſtria, atque artibus per emiſſarios diſſeminata ſint. Interim, vt quàm breuiſsime ad vos me recipere poſsim, omnem adhibebo diligentiam. Valete. Auguſtæ Taurinorum, xij. cal. Iulij. Anno Salutis M DC XVI.

Clero populoq. Tarantaſienſi. Epiſtola X.

NEQVAQVAM vanos fuiſſe de nouo tumultu diſſeminatos rumores, exitus ipſe demonſtrat. Iam enim (fratres, filijque chariſsimi) motæ ſunt arma vltra montes. Iam Marchio Eſtenſis, ſummus Allobrogum Præfectus, cum expeditiſsimis copijs, maioribusq. tormentis à Sereniſsimo Duce miſſus, perditos latrones obſidere fertur, tumultus auctoribus, traiecto Rhodano fuga dilapſis. Et, quamquam de ſtrenui ductoris fide, ac vigilantia dubitandum non eſt, attamen, ne naſcentis mali principia altiores radices agant, vtque tumultuantium conſilia euertantur, priuſquã ſeditioſorum fauore nocentiora fiant; reipublicæ expedire viſum eſt, Principem quoque Victorium alpes quàm celerrime tranſire, non modò, vt nequiſsimorum hominum conatus facilius reprimantur, ſed vt paternæ ditionis populi, qui illum nunquam viderunt, eius aſpectu recreati, ad oppugnatæ libertatis defenſionem alacriores reddantur. Itaque generoſus Princeps, præmiſsis impedimentis, ſeruitijs, plurimaq. aulicæ nobilitatis parte, nocte proxima, vel ſubſequenti (niſi aliud eius diſcceſſum moretur) per diſpoſitos equos ad caſtrà conuolabit, ad nos, rebus Allobrogum compoſitis, victor, vt ſperamus, breui rediturus, ac fortaſſe (niſi occaſio eum aliò diuertere ſuadeat) per Centrones, Gallocelos, ſicut ille mihi id enixè perenti, ſe facturum promiſit: petij autem, vt futuri domini veſtri, quem de facie nunquam cognouiſtis, optatam copiam haberetis. Nec dubito, quin benignus Princeps, dum rerum ſucceſsibus non impediatur, re ipſa ſit id præſtiturus: quod ego diligenter ſciſcitabor: ac, ſi eum ad iſthæc loca diuerſurum intellexero, quantum in me erit, efficiam, vt, quæ tanto hoſpiti debentur, quanto elegantiùs locus, ac tempus permittent, præſto ſint. Et quidem rectè. Magnus namque vir eſt Princeps Victorius, non ſolum generis ſplendore, externorumq. bonorum copia, quibus diuino beneficio auguſtiſsima hæc familia plurimum abundat, ſed & internis animi dotibus, prudentia præſertim ſingulari, ac ſenili conſilio, quo paternæ conſtantiæ imitator, populisq. chariſsimus, immortale ſapientiæ, humanitatis, ac liberalitatis ſibi nomen comparauit. Eſt manu, atque ingenio promptus, eſt in rebus gerendis acer, induſtrius, vigilans, in laboribus patiens, de publico commodo ſolicitus, ac denique (quod ſuprema laus eſt) in ijs, quæ ad diuinum cultum pertinent, ſumme religioſus, ſummè pius. Quibus heroicis virtutibus, veræq. gloriæ ſeminibus, cùm omnium oculos in ſe conuerterit, abſurdum proculdubio fuerit, atque abſonum, eum iſthuc venientem aliquid deprehendere, quod argui, vel obijci vobis poſsit. Sed de his hactenus. Gallicani Regis Legatus, Philippus de Betune, Mediolanum profectus, vt ad ſeruanda Aſtenſia pacta, Inſubrum præfectum induceret, cùm, nec rationibus, nec argumentis, nec vllis officijs euincere potuerit, vt æquiſsimæ pacis conditiones admitterentur, Taurinum, re infecta, reuerſus eſt, negante præfecto, ſe exercitum dimiſſurum. Quod, quia ſummum, vnicumque concordiæ caput eſt, ſine quo belli fax extingui nequit, adhuc laboramus; quamuis ille cætera ſe facturum promiſerit; ſpemque deſideratæ quietis fere omnem abiecimus, niſi iam pactæ cum eodem præfecto menſtruæ induciæ, aliam ſolatij viam nobis aperiant. Interea vtrinque milites conſcribuntur: atque vtinam bellicus hic apparatus optato pacis nuncio, citò euaneſcat. Vtinam impendentia nobis damna, ac pericula ad chriſtiani nominis hoſtes tranſferantur. Quod, cùm in manu Domini exercituum poſitum ſit, non autem ab hominibus pendeat, precibus, ieiunijs, vitæq. innocentia, ab eius liberalitate anguſtijs noſtris remedium petendum. Hæc (fratres) pro re nata exaraui, vt quomodo iſthuc veniens Princeps excipi debeat non ignoretis. Mariſchallus della Dighiera nuncupatus, breui domum reuerſurus eſt. Valete, ac pro veſtris Principibus, rerumque felici exitu aſſidue orate. Auguſtæ Taurinorum, nonis Auguſti, Anno Salutis M D C XVI.

Clero populoq. Tarantaſienſi.

Epiſtola X.

QVID in Allobrogibus actum, quid turbidus homo moliatur, quaue ratione Princeps Victorius inſanis eius conſilijs obuiam ire paret, ex litteris veſtris (fratres chariſſimi) ſatis cognoui, ac quidem de negotij exitu in bonam ſpem adducor: aiunt enim, inconſultum hominem, celerrimo Principis, atque improuiſo aduentu territum, ad Sebuſianos primum, deinde ad Sequanos, vulgo Burgundos, tranſiſſe, quò, ſeditioſorum manu collecta, ad infeſtandas incurſionibus, ac rapinis tranſalpinas regiones reuertatur. Sed, vt nefarij huiuſmodi conatus eludantur, omnem operam impendit bellicoſus, atque impiger Princeps: nec, aut, populi, aut, qui ei militant, cuiumue ſequuntur, in ijs, quæ ad eius honorem pertinent, officia ſua deſiderari paſſuri ſunt. Sed, publicæ libertatis propugnatore præeunte, hoſtem fortiter excipient, patriæ ſalutem proprio ſanguine rediment, cuiuſuis fortunæ aleam ſubibunt. Verum, nec paruum, nec leue onus eſt, quod ſibi ſuſtinendum pollicetur præferox ille, nimiumque audax homo, qui plura ſibi tribuit, quàm aſſequi poſſit, forſitan; quia cæca dominandi cupiditas, ſicut ius violari patitur; ita ambitioſorum pericula minora facit. Ego nihilominus in ea ſum ſententia, vt exiſtimem, illum nonnihil pudere, nonnihil ſimul commoueri, quòd ſibi amore coniunctum antea Principem vexandum ſuſceperit, cumque ipſis ciuibus ſuis, armis decertandum. At hoc exitus tandem probabit, atque vtinam abſque illius exitio; quem in Allobroges infeſtis ſignis irrumpere, quid aliud eſt, quàm in ſe ipſum arma conuertere? tum quia nullam tantæ diſſenſionis iuſtam cauſam adeſſe exploratum eſt; tum etiam quia quotus quiſque eſt, qui potentiorem laceſſat, nec credat pumilionem, ſi cum gigante congrediatur, ſibi ipſi, cum ſpectatorum riſu, temeritatis probrum fabricare? Idcirco admodum opportunum fuerit, eorum auctoritatem, quibus pax cordi eſt, apud inquietum hominem tantum valere, quantum ad extinguendum incendium perditorum hominum cuſpa ſuſcitatum, ſatis ſit. De ſubalpinarum rerum ſtatu, quid ad vos perſcribam, non habeo, niſi, quòd Gallicani Regis Legatus vltro, citroq. verſare non deſiſtit, plurimumque laborat, vt tollantur diſſidia. Interim efficaciorem interceſſorem expectamus, qui à ſummo Pontifice, publicæ quietis appetentiſſimo, forſan ex ipſo Cardinalium numero allegari dicitur, [vt ſimul cum Gallicano oratore difficultates omnes tollat; Allobrogum Ducem, Inſubrumque Præfectum, pactorum Aſtenſium memoria repetita, ad concordiam, qua nihil in humana ſocietate pretioſius, pro virili parte inducat; ſimulque, bellicis calamitatibus ob oculos vtriuſque poſitis, fideles populos, quantum Apoſtolica, regiaque valeat auctoritate, vlterius fatigari non patiatur. Mitri verò aiunt Præſulem, ciuemque Bononienſem, Alexandrum Ludouiſium, olim vnum ex ſacri Palatij Auditoribus, doctum, probum, grauem, ac modeſtum virum: cuius dexteritate, atq. induſtria, ſicut negorium ad felicem finem peruenturum ſperamus, ita (fratres) vt eius officia ex ſententia ſuccedant, ſummis à Deo precibus contendere debemus. Confugiamus igitur ad ipſum pacis inexhauſtum fontem Deum, eique vota noſtra humillime porrigamus, vt Ducis noſtri animum, quamuis indigne exagitatum, ad concordiam flectat, Præfectum autem ad conuenta ſeruanda conuertat: vnde, & iuſtitiæ dignitati conſultum ſit, & pontificiæ interceſſionis auctoritas, quammaxime eniteat. Hæc curſim exaraui; pauca quidem, ſed, quæ tempori conuenire, & veſtræ de republica ſolicitudini ſatisfacere poſſe; arbitratus ſum. Longior ero, cùm, aduenientе Legato, alia, præſentia veſtra digna, ſuggerentur. Interim valete, noſtramq. imbecillitatem Deo commendare ne deſiſtatis. Auguſtæ Taurinorum, pridie idus Auguſti, Anno Sal. M DC XVI.

Clero populoq. Tarantaſienſi.

Epiſtola XII.

TAVRINVM venit, fratres chariſſimi (vt ad vos proxime datis litteris prædixeram) Legatus Pontificius, Bononienſium Antiſtes, Alexander Ludouiſius, mei à multo tempore amantiſſimus, cuius opera priſtinam nobis tranquillitatem redditam iri ſperamus, rebus, vt videtur, ad concordiam inclinantibus. Is Ticino tranſiens, cum Inſubrum Præfecto de Aſtenſi negotio accurate egit; ſed nihil obtinuit plus, quàm Gallicus Orator, de Betune nuncupatus, obtinuiſſet. Excepit tantum hoſpitem, vt debuit, & ſolet; perbenigne, ſcilicet, atque magnifice, Sereniſſimus Dux noſter: cumque, ad pacem inuitatus, quamuis, aliorum

aliorum armis tunc ſibi imminentibus, de bello ſibi potiùs cogitandum eſſe, reſpondiſſet, ſe tamen ad quietem eſſe paratiſſimum, cùm nihil aliud quæreret, quam ſibi promiſſa præſtari. Quamobrem pacis ſermonibus aures præbuit facillimas, animumq. ad concordiam propenſiſſimum, & vultu, & verbis clarè teſtatus eſt. Verùm, quando aliunde ſibi hoſtilia moliri, nullaq. reconciliationis ſigna extabant, Dux ſeptimo calendas huius menſis, poſtquam ad venerandæ ſyndonis aram ſacris, ac ſupplicationi interfuit, qua ſtato die quotannis Beati Secundi martyris corpus per ciuitatem ſolemniter circumfertur, cum militari vexillo à Taurinenſi Præſule pijs precibus inaugurato, ad caſtra profectus eſt. Biduo poſt Mediolanum diſceſſit Legatus, Præfecti lucraturus voluntatem, ac forſitan non fruſtra: etenim vigent, vrgent, clamant pactiones, vrgent ſimul, & Principum officia, quorum auctoritate, ac ſponſione illæ confectæ ſunt. Id enim multò commodius ſuccedere poſſe videtur, ſi idem Legatus (vt fama eſt) in Cardinalium collegium cooptetur. Quamobrem ſumma cum fiducia cœleſte auxilium implorandum, æternumq. numen humillimè rogandum, ne tot conatus, torque labores irritos eſſe patiatur; ſed neceſſitatibus noſtris ita conſulat, ita proſpiciat, vt expectationem noſtram ab eius beneficijs ſuperari ſentiamus. Solet enim Deus aliquando plus largiri, quàm peratur, eaque non rarò
1.Cor.2. concedere, quæ (vt eſt apud Apoſtolum) nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Vitemus, quantum in nobis eſt; diſcordiarum cauſas, quamque poſſumus, oppugnatæ libertati opem feramus: quandoquidem, ſi collatis ſignis præliandum fuerit, vtroque exercitu pro gentis ſuæ dignitate, ac gloria pertinaciter dimicante, proculdubio vtrinque cruentum, atque horrendum eſſe certamen oportebit. Quæ licèt ante omnium oculos poſita, ſatiſque explorata, funeſtam calamitatem prænuncient, non tamen eſt, qui publicis vulneribus medeatur, aut inſtantibus malis occurrat, forſitan, quia peccatorum grauitas nonnunquam veniæ ſpem peccantibus adimit; vel quia, cùm, teſte Gregorio, peccatum ſit pœna peccati, permittit Deus peccantes in certiſſimis periculis conniuere, damnaq. etiam euidentia, ac proxima contemnere. Vexantur (proh nefas) noſtræ Prouinciæ: vexantur conſcientiæ noſtræ ſuperbia, auaritia, prauis cogitationibus: nec tamen aures ad ſaluraria monita accommodamus; quinimmò de diuinorum præceptorum neglecta obſeruantia ali-

quando gloriamur. Licet quotidie moriamur, vt immortales, viuimus. Aduenæ, atque hoſpites cùm ſimus, diuitias congregamus, vt ciues, vrque ſemper victuri, ædes magnificas ædificamus. Aurum modò numinis loco habemus, modò, tanquam lutum, ſpernimus: auro parietes, auro laquearia, auro quandoque ſplendet quæuis, etiam vilis, ſupellex; pretioſis veſtibus induimur, delicijs penè obruimur, conuiuia ſumptuoſa inſtruimus, fœminæ gemmis, margaritis, monilibus, hæreditates, patrimonia, ſubſtantias domeſticas deuorant, egeni verò nudi, ac pène fame enecti, ante fores noſtras deficienti vitæ, quandoq. fruſtra, ſubſidium implorant, adeo, vt Chriſtus ipſe in pauperibus ſuis non rarò mori videatur. Proinde feruentiſſima precum perſeuerantia, vitæq. innocentia vita noſtra expianda ſunt: obijcienda, inquam, diuinæ vindictæ lorica pœnitentiæ, thorax humilitatis, galea obedientiæ, qua æterni ſupplicij ſpicula obtundantur. De Aaron Leuit.10. Pontifice ſcriptum eſt, quòd voraciſſimis flammis intrepide obuiam ierit, accenſoque thuribulo Dei iracundiam cohibuerit. Vitam, ſcilicet, egregius ſacerdos in ſummo diſcrimine ponere non extimuit: ignis quoque naturæ, ſuarumq. vitium quodammodo oblitus, prohibente orantis meritò, vltra eius pedum veſtigia progredi non eſt auſus. Moyſi item Exod.32. dictum eſt à Deo: Dimitte me, vt deleam populum iſtum; non obſcurè oſtendens, vinci ſe oratione, & quaſi impediri, ne faciat, quod minatur: ſummamq. Domini dominantium potentiam, ſeruorum precibus nonnumquam ligari. Sed, quam putatis (fratres) hodie inter nos eſſe, qui diuinam iram, vel retardare, vel mitigare poſsit, vel furentibus flammis legem ponere, vel cum electionis vaſe dicere: Optabam ego anathema eſſe pro fratribus Rom.9. meis? Vnus eſt inter pauciſſimos, eiuſdem glorioſi Apoſtoli nomine inſignis, Paulus Quintus Pontifex Max. qui ſanctorum legis veteris ſacerdotum, ſummus ipſe legis noui ſacerdos, perſonam referens, ne (vt ait Propheta) grex cum paſtore pereat, ea charitate, ac vigilantia, eoque mentis affectu pacis negotium adminiſtrat, vt cum Moyſe à Deo petere videatur, aut populo noxam dimitti, aut ſe de libro vitæ deleri; hoc eſt, ſe populi ſalutem propriæ anteponere, & quodammodo perire velle cum pereuntibus. Non enim latet prudentiſſimum Pontificem, ex populi ſalute pendere gloriam dominantis, quam non ſolum ieiunijs, & orationibus, ſed etiam litteris atque legatis ſartam tectam conſeruare, atq. augere anxie ſtudet maximè pius

Pater nihil prorſus omittens, quod ad paſtorale munus rite obeũdum pertineat. Idipſum (fratres) pro virili parte faciamus & nos, veræ pacis Deum rogantes, vt Principum animos ad concordiam, pacemq. flectat; quam facile aſſecuturi ſumus, ſi, quæ ad vos pluries ſcripſi, omnino vt fiant, curabimus. Sed plura coram, ac breui: quandoquidem Dux noſter me, & reditus exoptata facultate, & muneribus tanto Principe dignis liberaliſſime donauit. Et quidem nihil mihi iucundius, nihil gratius contingere poteſt, quam vobiſcum eſſe (filij dilectiſſimi:) nec tempeſtate iactatus nauta portum, aut ſitiens campus imbres, capit, aut anxia mater aduentantem filium in littore expectat, ſicut ego in ſponſæ meæ complexam venire cupio, horamq. diſceſſus expecto. Quod, vt felix, fauſtumq. ſit, veſtræ me preces iperare faciunt. Valete. Auguſtæ Taurinorum, Kal. Septembris, Ann. Salutis. MDCXVI.

Superioribus inferiores eiuſdem Archiepiſcopi Germonij Epiſtolas non ab re hic duximus attexendas, cùm ad paſtoralem quoque vigilantiam pertineant.

BEATISS. PAVLO V. Catholicæ Eccleſiæ Vniuerſali Epiſcopo.

CVM iſthinc diſceſſurus eſſem, Pater Sanctiſſime, vt Tarantaſienſis Eccleſiæ, cui me benignitas tua præfecerat, curã ſuſciperem, placuit Beatitudini tuæ mihi demandare, vt quantò citius fieri poſſet, Romam redirem. Veni ad ſponſam meam, nec imperata feci, non, quòd debitam tibi obedientiam à me vnquam differri poſſe exiſtimauerim, (id enim planè piaculum fuiſſet) ſed, quia rem Deo, tibiq. magis gratam, ac ſubditis meis vtilem me facturum arbitratus ſum, ſi antequam diſcederem, mihi creditæ prouinciæ res componerem ita, vt ex abſentia mea nullum eſſet paſſura incommodũ; præſertim, cùm ab eius capite Multerio, vbi Archiepiſcopi reſidere ſolent, diſtet Roma plurium dierum itinere, eoque non facili, nec omnibus periculis vacuo. Quocirca, dominici gregis ſaluti inuigilans diœceſim meam luſtrare decreui, quæ, cùm, ob amplitudinem, locaq. nõnulla acceſſu perdifficilia, vnius anni opera viſitari nequeat, nec inter viuentes reperiatur, qui eam ab Archiepiſcopis prædeceſſoribus meis viſitatam fuiſſe, recordetur; in id eò enixius incubui, quò magis non paruam iuriſdictionis meæ partem paſtorali auxilio indigere videbam, præſertim Confirmationis Sacramento. Itaque, difficultatibus omnibus ſuperatis, inacceſſa loca ex ſententia viſitaui; & præter ingentem vtriuſque ſexus hominum multitudinem, quæ antea, quaſi deſertus, atque incultus ager, derelicta vi, debatur, ſenes pluſquam centenarios non confirmatos, ſumma cum eorum, meaq. lætitia, ſacro chriſmate confirmaui. Deinde Synodum Muſterij celebrare ſtatui, plures inibi abuſus irrepſiſſe aduertens, deprauatis, ſcilicet, moribus corrupta, non ſolùm ſecularium, ſed & regularium clericorum Eccleſiaſtica, diſciplina, nulla ſacrorum Canonum, vel Pontificalium conſtitutionum ſubſiſtente obſeruantia, nulliſq. ſactæ Tridentinæ Synodi decretis à diœceſanis receptis, quaſi non in ſacrorum procerum cœtu: ſed (quoniam vltra mõtes edita fuiſſent) extra mundum quodãmodo eſſe viderentur. Cui morbo, quantùm per vires liceret, mederi cupiens, nullum tanto vulneri remedium magis opportunum viſum eſt, nec magis ſalutare, quàm ea, quæ in ſingulis parochijs obſeruanda mandaueram, vniuerſalibus conſtitutionibus confirmare; quibus, & clerus, & populi ediſcerent, quomodo erga Deum, Beatiſſimam Virginem, omneſq. cælites ſe habere, quam reuerẽtiam Summo Pontifici Chriſti Vicario præſtare, qua humilitate ſacros canones tractare, quàmque eiuſdem Synodi acta, præceptaque ſalutaria venerari, & colere deberent. Quæ ſanè iuſti voluminis menſuram impleuerunt: in quo, non ſolùm ad ritus, cæremonias, morumq. reformationem ſpectantia, ſed iudicialia etiam, atque forenſia, quantum operis ratio poſtulat, dilucide diſſeruntur, & quidem opportune. Rudes enim ferè omnes, curiæq. Romanæ praxis ignaros illius cæli homines inueni, qui non ſine magno Reipublicæ detrimento, nec Pontificales Conſtitutiones, quamuis in toto orbe Chriſtiano notiſſimas, ſciant: vnde earum nonnullas ad caſuum, contractuumq. frequentiam magis facientes in eodem libro inſerere neceſſariũ duxi; vtq. ſtudia mea, quam mihi propoſueram mercedem, facilius conſequerentur, materias omnes perſonis, ac temporibus congruentes, ſuiſque locis, pro titulorum qualitate, diſpoſitas,

ſitas, in Synodo ſolemniter promulgaui, cunctiſque ordinibus probatas, Romæ typis mandari iuſſi, Romam ipſam cogitans, quo auguſtiſſimi aſpectus tui maieſtate recreatus, beatorum Apoſtolorum Sanctuaria coràm viſitarem, ſimulque admiranda, atque æternitate digniſſima opera tua conſpicerem. Verùm (Pater Sanctiſſime) cùm me in viam dare conſtituiſſem, te ipſo concedente, difficillimo equidem tempore, ab Allobrogum Duce ad Hiſpaniarum Regem miſſus ſum: vnde, & deſiderio meo Romam redeundi ſatisfacere non potui, & poſt ærumnoſæ nauigationis pericula, plurimaſque impenſas in eo negotio factas, non minus animi, quàm corporis exagitatione fractus, laborum meorum nullum, niſi obedientiæ fructum cepi; quem quidem in magno lucro poſitum, dum cum eccleſia mea communicare præſens parabam; abſentiæ meæ damna, ſi qua emerſiſſent, farciendo; publicæ cauſæ ſtatus, quæ huius pijſſimi Principis animum adhuc ſuſpenſum tenet, me hinc diſcedere non ſinit. Quocirca, cùm muneris mei partes coràm implere non poſſim, Agaphinum Solarium, vnum ex Murętæ Comitibus, doctrina, & pietatem inſignem virum, ad pedes tuos allegare decreui, vt, tibi villicationis meæ quodammodo ratione reddita, limina Apoſtolorum viſitet; quæque agerem ipſe, ſi adeſſem, iſthic nomine meo ab ipſo peragantur. Quod Sanctitati tuæ probatum iri confido: cuius ſalutem interea, omnium bonorum largitori Deo enixiſſime commendare non deſiſto. Vale, & diu viue Beatiſsime Pontifex, orbis terrarum decus, fideique orthodoxæ firmum columen, ac propugnaculum. Auguſtæ Taurinorum, Kal. Octobris Anno Salutis M. DC. XV.

ILLVSTRISSIMIS & Reuerendiſs. S. R. E. Cardinalibus Decretorũ Sacri Tridentini Concilij interpretationi præfectis.

INNVMERAS ſummæ benignitati veſtræ, & ago, & habeo gratias, (Illuſtriſsimi ac Reuerendiſſimi proceres) quod, cùm locorum diſtantia, meæque ampliſſimæ diœceſis difficillima viſitatione, ac reformatione impeditus, quæ de Sanctorum Apoſtolorum viſitandis liminibus mihi propoſueram, opportune implere nequirem, eius obligationis ſoluendæ tempus petenti mihi prorogari iuſſeritis: vnde, quod præſens debueram, etiam abſens veſtro beneficio præſtitiſſe, eò magis gratum habeo, quò, paſtoralibus negotijs confectis (quorum curam ſalua conſcientia, meique officij dignitate intermittere non poteram) muneris mei partes coram obire conſtitueram. Quod quidem, diœceſi luſtrata, Synodo, pluſquam ſemel, coacta, rebuſque ad regimen animarum pertinentibus, pro locorum ſtatu compoſitis; iam feciſſem. Sed quoniam oleum atque operam me perditurum prouidebam, niſi, quæcumque in ſingulis parochijs obſeruari præceperam, eadem, & firmioribus decretis ſtabilirem, cùm, extinctis bonorum morum ſeminibus, ſuccrecreſcente vitiorum maligna ſegete, ac corruente eccleſiaſtica diſciplina, de pontificijs conſtitutionibus, ſacriſque Tridentini Concilij ſtatutis, vel non promulgatis, vel neglectis, nulla fere ratio haberetur. Quare, vt violatæ leges ad priſtinam obſeruantiam reuocarentur, etiam temporalis gladij auctoritate, cuius vſum cum ſpirituali æque habet eccleſia mea, excerptis ex vtroque iure, necnon ex Apoſtolicis ſanctionibus, Patribus, Concilijs, Tridentino præſertim, quæ reipublicæ conducere viſa ſunt, conſtitutionum volumen conficere decreui, quo, & abuſus tollerentur, & bene regendi normam animarum curæ præpoſiti ante oculos ſemper habentes, populorum mores ſenſim, faciliuſque reformarent. Quod, cùm diuino afflante ſpiritu, cunctiſq. acclamantibus ordinibus, ex ſententia ſucceſsiſſet, eſſemque ad iſtam gentium lucem, ad iſtam imperij Chriſtiani arcem, breui aduolaturus, iuſſit, me, ſummi Pontificis auctoritate, Allobrogum Dux Sereniſſimus. ad Regem Hiſpaniarum proficiſci, ſuoque nomine in aula Catholica legati munus ſuſtinere. Cui oneri ſubeundo, quamuis mihi impari, humeris prompte expoſitis, vt religioſiſſimo patrono, de noſtraque familia optime merito Principi, morem gererem, montes aſperrimos tranſire, mariaque, etiam iniquo tempore, ſulcare non exhorrui. Tandemque Hiſpanienſi legatione abſoluta, ac paulò poſt in Italiam reuerſus, cùm plura, ne illicò Romam venirem, me impedire viderentur, certe mei gregis amor, à quo viciſſim amari non dubito, eò me ſolicitudinis perduxit, vt, quoniam abſente me eccleſiam meam nonnulla incommoda perpeſſam fuiſſe, animo

mo concipiebam, hinc diſcedere tutum non iudicauerim, priuſquam accepta damna non per Vicarium, ſed ipſemet, pro virili parte, ſarcirem, ne, quæ longo tempore plurima induſtria, & ſummo ſtudio, ad Dei gloriam, ouiumque mihi creditarum vtilitatem paraueram, breui interirent; multarumque vigiliarum proficuam ſementem, quæ copioſæ meſsis ſpem haud paruam præberet, zizania ab inimico homine ſuperſeminata miſere ſuffocarent. Itaque Romam mitto Agaphinum Solarium, ex Comitibus Moretæ, nobilitatis ſplendore, litterarum eruditione, rerumque geſtarum experientia in his regionibus præclariſſimum virum: qui meo nomine, quam vobis debeo reuerentiam humiliter exhibeat, de ſtatu eccleſiæ meæ, quodcumque opportunum fuerit, diligenter referat, quæque in ſanctorum liminum viſitatione fieri conſueuerunt, adamuſſim perſoluat. Quem (præſtantiſſimi Præſules) vt auditum, veſtraq. liberalitatis officijs ſpectabilem remittatis, vos etiam atque etiam rogo. Interea conſilia veſtra Deus Optimus Max. ſua virtute corroboret, nominaque veſtra in iuſtorum albo deſcribi non dedignetur. Auguſtæ Taurinorum calen. Octob. Ann. Salut. M. D.C. XV.

FINIS.

Digitized by

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Sſ Tt.

Omnes ſunt Terniones, præter Nn, Quaternionem, & Tt, Duernionem.

ROMAE,
Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti.
MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google